JO. CHRISTOPHORI WOLFII

PAST. AD D. CATHARIN. HAMBVRGENS. ET SCHOLARCH.

CVRÆ PHILOLOGICÆ ET CRITICÆ,

TOMVS II.

IN

EVANGELIVM S. JOHANNIS, ET ACTVS APOSTOLICOS,

QVIBVS

INTEGRITATI CONTEXTVS GRÆCI CONSVLITVR, SENSVS VERBORVM EX PRÆSIDIIS PHILOLOGICIS ILLVSTRATVR, DIVERSÆ INTERPRETVM SENTENTIÆ SVMMATIM ENARRANTVR, ET MODESTO EXAMINI SVBIECTÆ VEL APPROBANTVR VEL REPELLVNTVR.






BASILEÆ,

SVMTIBVS JOHANNIS CHRIST. MDCCXLI.

IN EVANGELIUM S. JOHANNIS.



Ὁ κατὰ Ἰωάννην Ἐυαγγέλιον) De inſcriptione hac exſtant Cl. *Frid. Adolphi Lampe*, Profeſſoris Theologi Ultrajectini, Diſputatt. binæ, Ultraj. 1720. in 4. editæ, quibus evincere inſtituit, eam non eſſe θεόπνευςον, ſed tamen antiquiſſimam, præterea vero varietates lectionum, in Codd. MSS. hic obvias, ediſſerit, & ſingulas denique voces commentando perſequitur. Confer, quæ nos ad inſcriptionem Evangelii S. Matthæi annotavimus.

Quæ hic de S. Johanne Evangeliſta, nomine ejus, vita, ſcriptis, rebusque geſtis dici poterant, ea omnia luculente & erudite idem, quem laudavimus, *Lampius* in Commentario ſuo Analytico-Exegetico, ſuper quatuor priora Evangelii Johannei capita Amſtelod. 1724. 4. edito, pertractavit, ut nobis, in his alioquin verſaturis, otium feciſſe merito exiſtimetur. Is enim in libris II. ampliſſimorum Prolegomenorum, quos ipſi commentationi præmittendos ſtatuit, libro quidem Primo cap. I. de rebus conditionem Johannis naturalem & civilem extra Apoſtolatum concernentibus: cap. II. de vocatione & Apoſtolatu Johannis ante exaltationem Domini geſto: cap. III. de rebus Johannis usque ad ſeceſſum ejus in Judæam & Aſiam: cap. IV. de rebus ejusdem poſt adventum in Aſiam, usque ad reditum ejus ex inſula Patmo: cap. V. de rebus poſt reditum ex Patmo ad usque mortem ejus: cap. VI. de Johannis morte, & poſt mortem honoribus: cap. VII. de ſcriptis Johannis, excepto Evangelio, exponit, usque ad p. 133. Deinde lib. II. ad enarrationem hiſtoricam ipſius Evangelii accedit, & cap. I. Evangelium hoc vere a Johanne ſcriptum eſſe evincit: cap. II. in tempus, locum, aliasque ſcriptionis illius circumſtantias inquirit: cap. III. varias virorum doctorum de ſcopo Evangelii hujus ſententias examinat: cap. IV. ſuam de vero ejus ſcopo & congrua ei Oeconomia exponit, ſtatuens, Johannem *generatim* hoc ſibi habuiſſe propoſitum, ut demonſtraret, *Jeſum eſſe Chriſtum, ſpeciatim* vero, ut probaret, *Jeſum eſſe Filium Dei*, & denique *ſpecialiſſime*, ut credentes ex Judæis in fide confirmaret. Hinc cap. V. divinam Evangelii Johannis inſpirationem & auctoritatem extra dubium collocat: cap. VI. Hiſtoriam Criticam Commentatorum in Johannem texit, ac tandem cap. VII. inſtitutum commentarii ſui, & totius Evangelii Analyſin repræſentat. Ex brevi hac recenſione apparet, nihil facile ab eo relictum eſſe, quod huc pertineat. Compara tamen, ſi placet, ex noſtratibus eruditiſſimi *Jo. Alberti Fabricii* Biblioth. Græc. lib. IV. c. V. p. 139. ſqq. & in Notis ad Tomos III. Codicis Apocryphi N. T. paſſim, itemque B. *Ittigium* in Selectis Capitibus Hiſt. Eccleſ. Sec. I. p. 440. ſqq. De *ſtylo* Johanneo ante aliquot annos commentatus eſt M. *Mart. Melchior Richter* in Diſſert. qua γλυκύτητα Johannis conſideravit, Witteb. 1717. 4.

Ad integrum S. Johannis Evangelium illuſtrandum pertinent Notæ, ex collatione verſionum Syriacæ & Neo-Græcæ hauſtæ, quæ exſtant im freywilligen Heb-Opfer T. III. Part. XXI. ſqq. ſubinde a nobis ad partes vocandæ.

Fuerunt præterea, qui aliquot ejus capita ſigillatim illuſtrarunt. Ita in B. *Chriſtoph. Wolfini* Diſſertatt. Theolog. Selectis, Tubing. 1707. 4. editis, exſtat Ogdoas Exercitt. Academ. ad priora octo capita hujus Evangelii pertinentium, & maximam partem Polemicarum & in *Jo. Cocceji* Opp. Poſthum. Tom. II. p. 456. ſqq. VI. priora capp. illuſtrantur. Inprimis vero primum Joannis caput ejusque verſus priores plurium induſtriam exercuerunt. Ex noſtratibus huc pertinent *Georg. Vechnerus* in Concione ſuper Joh. I. 1-25. germanice habita, & Liſſæ 1639. edita, qua ſpeciatim oſtendit, phraſin Johanneam λόγος τ8 Θεȣ ad exemplum phraſeos Targumicæ מימרא דיהוה adhibitam eſſe; quo de argumento mox dicemus. Verſ. 1. 11. & 14. obſervationibus quibusdam illuſtratos leges im Heb-Opfer Tom. I. p. 50. ſqq. Verſ. 9. & 51. ibidem Tom. II. p. 801.

Verſus quatuordecim priores commentatione vernacula ſub. tit. Erklärung des Eingangs zu dem Evangelio S. Johannis expendit B. *Frid. Ern. Kettnerus*, Quedlinburg. 1714. 8. & inprimis recentiorum quorundam de λόγῳ Platonis aut Philonis ad Joanneum accommodando cogitata ſuis auctoribus remittit. Conf. *Amelii* Erörterung Part. I. p. 336. ſq. & p. 1040. Pertinent huc etiam conciones ſingulares noſtratium v.c. *Balth. Balduini* duæ in verſus 1-14. *Witteb.* 1630. *Jo. Butovii* octo conciones in eandem pericopen, *Stetini* 1617. 4. *Jo. Cluverii* in eandem, *Hamb.* 1617. 8. aliorumque hic non recenſendæ, quibus denique acceſſit Rev. *Aug. Herm. Franckii* explicatio verſuum 18. priorum, ſub titulo: Chriſtus, Kern der Schrift, Hal. 1702. & 1716. 12. pro demonſtranda divinitate Jeſu Chriſti germanice, & ex Latina verſione ibidem 1723. edita.

Ex *Reformatis* poſt *Zach. Urſinum* Tom. II. Opp. p. 774. *Franc. Gomarus* & *Jo. Coccejus*, noviſſime autem *Campeg. Vitringa* in Obſſ. Sacr. lib. V. cap. X-XIII. p. 132. ſqq. Prologum Johanneum diligenter illuſtrant, poſtremusque eum, ſine habito ad Platonicas & Philonianas phraſes reſpectu, Gnoſticorum doctrinis oppoſitum eſſe ſtatuit, quod tamen amplectendum non putat *Lampius* in Prolegom. p. 199. tum aliis de cauſis, tum ideo, quia Gnoſtici ipſi Evangelium Johannis maximi fecerunt, & Syzygias ſuas demum poſt illius ſcriptionem effinxerunt. Vitringæ tamen ſententiam calculo ſuo probavit *Amelius* in der Erörterung T. I. p. 336. ſqq. & in Opuſculis Sacris p. 648. Ante Vitringam *Elias Benedictus*, Delſenſis Eccleſiæ quondam miniſter, editis *tribus Diſſertationibus* Latinis de 18. verſibus eandem de λόγῳ Platonico ſententiam contra Jo. Clericum, de quo mox, oppugnavit, & verbis Johanneis lucem affudit. Conf. Acta Eruditorum Lipſienſ. an. 1697. p. 498. ſqq.

Ex *Anglis* poſt *Ant. Wottonum* & *Jo. Arrowſmith* initium Evangelii Johannei

hannei curatius expendit, atque ex eo divinitatem Christi adstruxit *Wilh. Lorimer* in *the Plain Explication of the first eigtheen verses of the first Chapter of the Gospel of St. John*, Lond. 1713. 8. Vide eadem Acta an. 1715. p. 438. sq. Nec ita pridem *Dan. Waterland*, in I. II. & III. concionibus ex octo illis, quas Arianis recentioribus Cantabrig. 1720. 8. opposuit v. 1. & 3. a pseudhermeniis Sabellianorum, Socinianorum & Arianorum vindicavit. Summam illarum habes in Memoriis Literariis Magnæ Britanniæ Tom. IV. p 420. sqq. Conferendus præterea est *Rob. Flemingius* in Christologia, Lond. 1705. quod ad T. I. edita, cujus lib. II. ad considerandum λόγον refertur, eo fine, ut appareat, phrasin hanc non ex Platonica, sed Judæorum schola derivandam esse. Nec minus *Joannis*, Archiepiscopi quondam Cantuariensis, Sermones quatuor Anglicani de divinitate & Incarnatione S. Salvatoris, *Lond.* 1693. 8. editi, huc spectant. Quamvis enim illi potissimum ad v. 14. hujus capitis I. referantur, vocis tamen λόγος notio ex antecedentibus commatibus edisseritur. Conf. *Clerici* Biblioth. Universal. Tom. XXIV. p. 430.

Ex Arminianis *Jo. Clericus* prima 18. commata paraphrasi & animadversionibus illustrata *Amstelod.* 1695. 8. primum edidit, ac deinde Commentario suo in Exodum inseruit. Consilium ejus est, ostendere, quod Johannis in scribendo Evangelio scopus fuerit, illis se opponere, qui varias voces Platonicas, ex scriptis Philonis potissimum haustas, nominatim λόγον &c. in religionem Christianam & Judaicam intulerant. Sed illa quidem hypothesis varios adversarios invenit, quos partim appellavimus, partim paulo post appellaturi sumus. Conf. idem *Clericus* in Arte Critica Part II. Sect. I. c. XV. & in Epistol. Criticis ep. IX. p. 247. sqq. nec non in Biblioth. Universali T. X. p. 410. sq.

Ex *Socinianis* industria hic sua abusi sunt *Socinus* uterque in Bibliotheca Fratrum Polonorum, *Georg. Blandrata*, & *Cælius Secundus Curio* Paraphrasi Principii Evangelii S. Johannis, Basil. 1544. 8. edita & in Memor. Literar. Magnæ Britanniæ Tom. IV. p. 263. sq. recusa, ut alios taceam, a Cl. *Lampio* p. 288. Prolegomenorum in Comment. super Johannem appellatos. Iis adde Anonymi Unitarii librum Gallicum: *Raisons des Scripturaires* i. e. *Argumenta Scripturariorum*; qui ex Anglica lingua translatus, & *Hamburgi* 1706. 8. editus fingitur. Huic libello subjicitur paraphrasis 14. priorum commatum Johannis, ad mentem Unitariorum instructa.

Ex *Pontificiis* præter eos, quos Cl. *Lampius* l. c. laudavit, huc spectant *Dionys. Petavius* in Dogmatibus Theologic. Tomo VI. Lib. XVI. de Incarnatione cap. I. sqq. & novissime Abbas *Mallemans* in *Pensées sur le sens literal des* 18. *prémiers versets de l'Evangile de St. Jean*, Paris. 1718. 12. Vide Auctores *Europæ Eruditæ* Tom. V. Part. I. p. 110. sq. & *Memoriarum Trivultinarum* an. 1718. April. n. 2. ubi utrinque auctor subtilius in hoc argumento versatus esse judicatur. *Rich.* quoque *Simonius* in Historia Critica N. T. passim de Prologo

 Johan-

Johanneo ex aliis commentatur v. c. ex *Basilii* homilia lib. III. ubi de Interpretibus N. T. c. 7. tum ex *Socinianis* ibidem p. 839. 853. 861. ſqq. &c.

Deſtinata opera omiſi hic eos, qui nuper admodum in Anglia præter *Waterlandum*, prologum Joanneum, contra Neo-Arianos diligenter urſerunt, quod & ex noſtratibus olim fecerunt B. *Abrahamus Calovius*, *Jo. Adamus Scherzerus*, & *Phil. Jac. Spenerus* in Tractatu vernaculo de divinitate Jeſu Chriſti p. 149. ſqq. & alias.

C A P. I.

VErſ. 1. Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος &c.) De variis Lectionibus, in hoc commate obviis, lege *Dionyſ. Petavii* Dogmata Theolog. Tom. II. lib. II. c. VIII. p. 95. *Jo. Crojum* in Obſervatt. Sacris c. XXV. p. 195. *Rich. Simonem* in Hiſt. Critica N. T. & *Millium* in Prolegom. ad N. T. §. 829. Ex integro hoc commate divinitatem Jeſu adſtruit *Henr. Morus* in Opp. Theol. p. 58. ſq. & *Guſſetus* in Confutatione τῦ Chiſſuck Emuna p. 71.

ἐν ἀρχῇ) Æternitatem hic ſtrictiſſime inferri, cum ὁ λόγος ante, quam quidquam fieret, exſtitiſſe dicatur, Interpretes tantum non omnes, ſi Socinianos exceperis, rectiſſime monuerunt. Contra Socinianos, *principium prædicati* a Chriſto Evangelii hic innui fingentes, lege poſt B. *Calovium* in Triga Exercitt. Select. Diſp. II. §. 19. ſqq. & alios, noviſſime Cl. *Starckium* in Notis Selectis p. 95. ſq. Veterum illi, qui principium de *Patre* bona quidem mente, ſed minus convenienter, acceperunt, appellantur a *Petavio* l. c. p. 95. ſqq. & *Suicero* in Theſauro Eccleſ. Tom. I. p. 530. qui tamen uterque meliorem aliorum Patrum interpretationem ibidem afferunt. Τὸ ἐν ἀρχῇ non idem hic eſſe, quod ἀπ' ἀρχῆς & τὸν λόγον aliud inferre, ſimpliciter dictum, quam λόγον τῆς ζωῆς, quæ phraſes exſtant 1 Joh. I. 1. contendit *Jac. Altingius* Tom. V. Opp. p. 352. epiſt. II. Ab Hebraiſmo hanc phraſin liberare conatur *Pſochenius* §. 86. repugnante *Gatackero* de Stylo N. T. p. 202.

ἦν ὁ λόγος) Λόγον hic de ſecunda perſona SS. Trinitatis accipi, manifeſtum eſt vel ex v. 14. Unde vero hæc appellatio hauſta ſit, jam pridem diſputatur. *Jo. Clericus*, quod paulo ante monuimus, ex Platonicorum, & ſpeciatim Philonis, ſcriptis phraſin hanc Johannem ad emendandam ejus notionem mutuam ſumſiſſe ll. cc. opinatur. Sed iſti quidem alii acrius, mitius alii, ſe jure merito oppoſuerunt. Ex noſtratibus in hanc cauſam inſpicere fas eſt B. *Ittigii* Selecta Capp. H. E. Sec. I. p. 443. Rev. *Jo. Guil. Jani* Diſſertat. de Trinitate Platoniſmi vere & falſo ſuſpecta, Celeb. *Deylingii* Obſſ. Sacras Part. I. p. 128. Cl. *Tob. Eckhardi* Technica Sacra p. 110. ſqq. B. *Herm. Elswichii* Philoſophumena Viris Sanctis afficta §. 29. Anonymi Progr. Lipſienſe an. 1720. in 4. ed. Cl. *Chriſtiani Schœtgenii* Diſſertat. de λόγῳ adverſus *Jo. Clericum*, Stargard. 1720. 4. Rev. *Jo. Franc. Buddei* Inſtitutiones Theolog. Dogmaticæ p. 431. & *Arnelii* Erörterung Tom. I. p. 349. ſq. & 1040. ſqq. ubi animadverſiones

ſiones Witſianas ſuis auctas repræſentat. Adde B. *Seeligmanni* Programmata p. 139. ſq. & *Jo. Alb. Bengelii* notas ad Gregor. Thaumaturgi Panegyr. p. 156. & 174. ſq. Ex *Reformatis* oppugnarunt eandem hypotheſin poſt *Eliam Benedictum* & *Campeg. Vitringam*, locis paulo ante citatis, *Jo. van der Wayen* in Diſſ. de λόγῳ, quæ cum *Rittangelii* libra Veritatis prodiit Franequeræ 1698. 8. *Herm. Witſius* in Exercitt. Academ. num. IV. & in Miſcellaneis Tom. II. n. III. & noviſſime Cl. *Lampe* tum in Prolegom. ad Commentar. in Evangel. Johannis p. 205. ſqq. tum in Notis ad ipſum Evangelium.

Alii rectius exiſtimarunt, Johannem imitatum eſſe phraſes Judaicas in ſcriptis Cabbaliſticis, præcipue vero Paraphraſibus Chaldaicis, (ubi מימרא דיי i. e. *Verbum Dei* frequens eſt) obvias. Ita fere ſentiunt *Angli* poſt *Henr. Morum* in Opp. Theologicis p. 58. & alios. Eandem ſententiam ornandam ſuſcepit *Pet. Allixius* in Judicio Eccleſiæ Judaicæ, & alii, a me Tom. II. Biblioth. Hebr. p. 1186. & ſq. appellati.

Alii denique Johannem ad Scripturam θεόπνευστον V. T. ſpeciatimque Pſ. XXXIII. 6. ubi *Verbo Jehovæ cæli facti dicuntur*, reſpectum habuiſſe exiſtimant. Ita ex noſtratibus permulti, interque eos Rev. *Deylingius* l. c. p. 132. ex Reformatis *Witſius* in Miſcellan. Tom. II. p. 102. & noviſſime *Lampius* in Commentar. ad h. l. p. 292. Atque his proxime accedunt, qui ad Moſaicam phraſin אמר, quæ in hiſtoria creationis exſtat, alludi hic arbitrantur. Atque horum plures ſunt, quam ut recenſeri a me poſſint.

Meo judicio tertia hæc ſententia ceteris præſtat. Negari enim non poteſt, Judæos ipſos vel Cabbaliſtas, vel Paraphraſtas, non ex ſuo ingenio, ſed præeunte Scripturæ Divinioris, ſecundam Trinitatis perſonam *Verbi* nomine deſignantis, exemplo adductos, eadem voce uſos eſſe, aut uti facile potuiſſe. Itaque veri eſt ſimilius, Johannem eandem appellationem ex primo potius fonte, quam ex rivulis, hauſiſſe. Accedit, Johannem de creatione, a λόγῳ facta, mox locuturum, nomen illud adhibere, cujus a Moſe æque ac Davide ll. cc. tam diſerta fit mentio, quemadmodum & vox ἀρχῇ Hebraico בראשית procul dubio reſpondet.

Ad Platonicos, & ſpeciatim Philonem, hic reſpexiſſe Johannem, ideo credi non poteſt, quod nullis vel exemplis, vel teſtimoniis conſtet, Chriſtianos naſcentis Eccleſiæ, ex Judæis aut Gentilibus ad Chriſtum converſos, librorum Philonis tam ſtudioſos fuiſſe, ut in eorum gratiam Johannes, quem ipſum eos legiſſe nemo præſtare poteſt, neceſſe habuerit, phraſibus ab eo adhibitis eo conſilio uti, ut vel iis placeret, vel eorum notiones emendaret. Taceo, voces illas phraſesque, quas Johannes cum Philone communes habet, in ſacris exſtare Scriptoribus, Philonem vero alias & plures ad idem argumentum adhibere, quas & in Veteri Teſtamento & in Johanne fruſtra requiras.

Ceterum, cur Johannes tum in Prologo hoc, tum vero alias λόγου nomen

nomen Christo dederit, nonnulli diligenter scrutati sunt. Lege huc ex nostratibus *Speneruni* l. c. p. 155. & ex Reformatis *Witsium* Tom. II. Miscellan. Exerc. III. §. 20. sq. & Rev. *Dan. Ernest. Jablonski* in Decade I. Concionum p. 4. sq. qui postremus observat, Christum esse λόγον 1) *objective*, quia est objectum verborum Propheticorum. 2.) *effective*, quia est verbum Patris ad nos, & nostrum ad Patrem. 3) *praceptive*, quia nos docet, ac denique 4) *essentialiter*, quia a Patre genitus est instar verbi.

Quæ alia hic de λόγῳ ex profanis, Sacris, & Ecclesiasticis Scriptoribus dici poterant, ea pridem præter citatos occuparunt *Balthas. Stolbergius* in Exercitatt. Gr. Linguæ p. 194. sqq. Diss. II quæ de λόγῳ & τῷ Platonico exponit, *Erasmus Schmidius* in Annotatt. ad h. l. *Jo. Saubertus* in Dissertat. de λόγῳ, *Altorf.* 1687. quæ in Thesauro Disputatt. super N. T. fol. 357. sq. recusa est, *Cornel. Sam. Schurzfleischius* in Disp. de eadem voce ibidem fol. 363. exstante, *Jo. Frid. Mayerus* de λόγῳ, *Kilon.* 1700. & Cl. *Tob. Eckardus* in Technicis Sacris p. 107. sq. & 148. sq. ut omittam, quæ *Suicerus* in Thesauro Tom. II. p. 253-258. *Petavius* in Dogmatibus Theolog. Tom. II. lib. VI. c. I. & *Radulphus Cudworthus* in Systemate Intellectuali hujus universi erudite commentati sunt. Nescio, an operæ pretium sit, addere his, quod monendum censuit *Boisius* in Collat. p. 277. τον λόγον rectius ad exemplum *Vulg.* & Patrum veterum per *Verbum*, quam cum *Erasmo* per *sermonem* verti. Lege in eandem sententiam *Petavium* Tom. II. Dogm. Theolog. p. 312. sq. nec non B. *Raithium* in Vindiciis Vers. German. Lutheri p. 412.

καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς Θεὸν) Phrasi hac coexistentiam Verbi cum Patre personalem atque æternam inferri, contra Socinianos post B. *Lyserum* hic ostendit Cl. *Starckius* in Notis Select. p. 96. Phraseos hujus singularis & emphaticæ exempla habes, ubi itidem de Christo sermo est, *Prov.* VIII. 30. & *Joh.* XVII. 5. Miror itaque, qui fieri potuerit, ut *Jac. Gussetus* in Addendis ad Lexicon Hebr. p. 950. eam in alia omnia raperet, vertens, *sermonem fuisse ad Deum, Deum nempe sumtum personaliter pro persona Spiritus, ad quem Deus direxerit sermonem, quo ad creandas res excitaretur.* Πρὸς τὸν Θεὸν idem hic esse, quod μετὰ τῦ Θεῦ ex *Moschopulo* περὶ σχεδῶν p. 25. commode observat *Boisius* in Collat. p. 278.

καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος) Vocem λόγος hic pro subjecto habendam esse, ex contextu ipso & Græcæ L. rationibus a multis ostensum est. Lege speciatim *Hackspanium* in Notis p. 378. & novissime *Starckium* in Notis Selectis p. 96. qui eadem opera Arianorum quorundam ferociam contundit, quos non puduit contra omnium exemplarium fidem verba Θεὸς ἦν, interposito commate, distinguere a sequentibus, & initium versus 2. facere a verbis: ὁ λόγος ὗτος &c. Vide quoque *Erasmi* Opera Tom. IX. p. 404.

Vers. 3. καὶ χωρὶς αὐτῦ ἐγένετο ὐδὲ ἕν) Emphatice dixit ὐδὲ ἕν, ut Paulus ad Rom. III. 10. ὐδὲ εἷς. Cujus dictionis frequens usus est apud Atticos, quan-

quando quid factum esse, vel fieri posse, plane negant: tumque aliquando in initio, sæpissime autem, ut hic, in fine periodi ponunt; interdum etiam inter utramque vocem inferitur particula potentialis ἄν. Hæc curate observat & idoneis veterum locis probat Cl. *Joh. Alberti* in Observatt. Sacris p. 205. & ante ipsum ex parte *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 51. *Socinianorum* φλυαρίαις, quas hic effundunt, occurrit *Hackspanius* in Notis p. 379.

Quod ad rem ipsam attinet, creationem λόγῳ quoque tribuit *Plato* in Epinom. Tom. II. p. 986. C. κοσμον, inquiens, ὃν ἔταξε λόγος ὁ πάντων θειότατος, ὁρατόν. Sic apud *Hieroclem* in Aurea Carmina Pythag. p. 14. edit. Cantabrig. δημιουργικὸς νόμος memoratur, ubi tamen Cl. *Needhamus* p. 360. in Notis observat, in MS. Mediceo pro νόμος legi λόγος. Gentiles, & speciatim Aristidem p. 17. Jovem fingere sine Minervæ consilio nihil fecisse, monet Cl. *Elsnerus* in Observatt. Sacris p. 308. sq. ἐγένετο οὐδὲ ἕν, ὃ γέγονεν.

Vers. 4. Ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν &c.) De varietatibus lectionum, quæ hic in MSS. præcipue vero in versionibus & Commentariis veterum occurrunt, lege *Millium* in Prolegom. §. 903. & 904. it. 769. 797. 826. Præcipua & frequentior occurrit in interpunctione, quam nonnulli veterum ita instruunt, ut post οὐδὲ ἕν ponant τελείαν στιγμὴν & v. 4. a verbis, ὃ γέγονεν, incipiant. Lege huc *Jo. Crojí* Observ. Sacr. c. 25. Cl. *Fabricium* ad Codic. Apocryphum N. T. Tom. I. p. 384. Benedictinos ad Ambrosium Tom. II. Opp. p. 494. & 504. *Jo. Ern. Grabium* ad Irenæum II. 2 p. 117. & *Petavium*, qui eam a librariorum aut Interpretum diversa sententia profectam putat, in Dogmat. Theolog. Tom. II. p. 90. Eandem ab *Arianis* alii, alii, & forte rectius, a *Gnosticis* & *Valentinianis*, alii denique a *Macedonianis*, seu Pneumatomachis, Spiritum S. hoc ipso inter creaturas referre annitentibus, repetunt. In hanc postremam sententiam lege *Jo. Saubertum* in Differt. singulari de initio Evangelii Johannis a Macedonianis corrupto, *Altorf.* 1679. & in Opp. Posthum. p. 279-286. Pro vulgata interpunctione recte & solide pugnant idem *Saubertus* & *Whitbius* in Examine p. 31. b. pluresque alii, quam satis tuentur tum communis Codicum consensus (unus enim Stephanianus tantum pro altera illa a Millio affertur) tum sensus, qui ex eadem flueret, inconcinnus. Mirum itaque est, *Hadr. Valesium* in Valesianis p. 3. eam suam facere potuisse.

Ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν) Patrum expositionem lege apud *Petavium* Tom. I. Dogmat. Theol. p. 318.

καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς ἀνθρώπων) Messiam in veterum Judæorum scriptis *Lucis* nomine appellari, ex antiquissimo libro פסיקתא patet, quem locum, ab aliis repetitum, affert *Jo. Jac. Cramerus* in Differt. de ara exteriore cap. XII. Conf. Cl. *Jo. Meyeri* Tractat. de Mysterio SS. Trinit. p. 111. seqq. Profanos utriusque linguæ Scriptores φῶς & *lucem* de *salute* & *felicitate* adhibere, atque adeo eo nomine illos vel Deos, vel homines mactare, qui aliis præsidio sint & emo-

& emolumento, ostenderunt *Lamb. Bos* in Exercitt. ad N. T. p. 52. *Jac. Elsnerus* in Obss. Sacr. p. 290. sq. & *Fridr. Christoph. Neubour* in Biblioth. Bremensi Cl. I. p. 247. quibus nonnulla addit Cl. *Lampe* in Comment. ad h. l. p. 306. Adde *Jo. Croji* Observatt. Sacr. p. 276. ubi τὸ φῶς pro *gaudio* Scriptoribus venire ostendit, atque hinc recte *Hesychium* per χαρὰν interpretari commonstrat. Alia ad hujus appellationis rationem pertinentia lege in *Jo. Theil* Disput. de Luce Budiss. 1661. & in Progr. Jenensi 1710. ed. de *Luce in Cunis*, *Lumine in Orbe*.

Vers. 5. *καὶ τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει*) Lege huc *Schotti* Adagialia N. T. p. 86.

καὶ ἡ σκοτία αὐτὸ οὐ κατέλαβεν) Ingeniosior, quam verior hic est *Lamb. Bos* interpretatio p. 55. Exercitatt. allata, & approbata ab *Amelio* Part. II. p. 139. Utriusque judicio hæc verba id sibi volunt, quod natura λόγου sanctissima & purissima sit, nec minimam cum impuritate habeat communionem. Τὸ *καταλαμβάνειν* itaque per *opprimere* converti volunt. Quæ notio quamvis in N. T. & apud ipsum Johannem nostrum cap. XII. 35. occurrat, ab hoc tamen loco aliena merito censetur, in quo non tam, quid tenebræ in Christum molitæ sint, aut moliri potuerint, quam quid Christus in tenebras molitus sit, exponitur. Conf. v. 10. & 11. ubi de hominibus, Christum non recipientibus, sermo est. Itaque rectius notio illa vocis *καταλαβεῖν* hic tenetur, quæ *receptionem* aut *agnitionem* infert. Hanc enim N. T. Scriptoribus inprimis familiarem esse, patet ex *Actor.* IV. 13. & *Rom.* IX. 30. Atque huc tendit *Alex. Morus* in Notis ad N. T. p. 74. ita verba reddens: *lux tenebras illuminat, sed tenebræ non illuminantur.* Idem vero subtilior est, & nimis argutatur, quando hæc subjungit: *Videtur autem obversatus fuisse Johannis, sæpe chaldaissantis, animo Chaldæus lepos, qui Græce reddi non potest. Illis enim* כבל Cabhal *est καταλαμβάνειν,* כבל Cebhel *vero σκοτία.* Præterea tenendum est, hic non scribendum esse כבל per כ, quod editiones exhibent, sed קבל per ק. Huic enim illa, quam Morus h. l. venatur, notio apud Chaldæos competit.

Vers. 6. Ἐγένετο ἄνθρωπος, ἀπεσταλμένος παρὰ Θεοῦ) *Rectius post ἄνθρωπος comma ponitur, ut τὸ ἀπεσταλμένος dirimatur ab ἐγένετο, quod male conjunxit Chrysostomus, quasi dictum esset, ἐγένετο ἀπεσταλμένος, pro ἀπεστάλη, quod jam improbavit Beza. Neque ἄνθρωπος h. l. ex idiotismo Hebræo exponendum esse existimem, quasi positum pro Hebræo* איש *significet* quidam, *cum potius idem sit quod ἀνὴρ, ut alias sæpissime, quod vero Græcis pariter ut Hebræis est* vir, quidam. Ita Cl. *Elsnerus* p. 291. Prius illud ex nostratibus jam ante monuerat *Erasmus Schmidius*.

Vers. 9. ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν) *Vitringa* Obss. Sacr. lib. III. c. 1. p. 3. alludi hac appellatione putat ad *Malach.* IV. 1. ubi Messias dicitur שמש צדקה *Sol justitiæ*, i. e. ut ipse quidem interpretatur, *Sol verus*. Sed rectius cum *Lampio* ad h. l. vox צדקה ibi propriæ suæ notioni, qua justitiam infert, relinquitur.

Nescio

Nescio quoque, an cum eodem Vitringa l. c. dici possit, in hoc capite Johannis primum illius reperiri complementum, quod apud Malachiam, Vatum ultimum promissum prædictumque erat. Interim non negaverim, per φῶς illud ad *Solem* nos revocari, cum quo scilicet Christus comparetur, quod, sicut Sol hominem natum *naturali*, ita Dominus eundem *spirituali* luce perfundit. Ita vero & profanos Scriptores de Diis loqui, ac præterea inter Solem ὁρατὸν & νοερὸν distinguere luculentis locis evicit Cl. *Elsnerus* p. 292. Illustris est *Jamblichi* locus de Mysteriis Sect. I. c. 9. p. 17. ubi de Deo ait: πάντα ἔσωθεν ἐπιλάμπει, καθάπερ ὁ ἥλιος ἔξωθεν φωτίζει πάντα ταῖς ἀκτῖσιν. Conf. quæ infra ad VIII. 12. dicentur. φῶς ἀληθινὸν Christus dicitur, tanquam qui vere & in sensu quoque eminentiori talis sit, in oppositione ad alios, qui nomen illud vel prorsus non mereantur, vel certe infra illius dignitatem longissime subsistant. Hinc Dominus ita in Sacris literis frequenter appellatur. Eodem sensu *Xenophon* de Expedit. Cyri lib. I. p. 211. στράτευμα ἀληθινὸν memorat, quod observavit Rev. *Raphelius* in Annotatt. Xenophonteis p. 119. ad h. l. quem confer, sis, p. 140. ad Joh. XV. 1. ubi Dominus vocatur ἄμπελος ἡ ἀληθινός. Sic ἵππος ἀληθινὸς opponitur ἵππῳ ἐν τῇ εἰκόνι i. e. *equo picto* ab Æliano V. H. II. 3. Speciatim h. l. Christum appellari opposite ad omnem lucem, qua is, ut Filius Dei in natura aut gratia adumbratus, aut figuratus fuerit, contendit *Vitringa* lib. V. Obss. Sacrar. p. 209. Rev. *Deylingius* Part. III. Obss. Sacr. p. 247. non præter rationem hic agnoscit oppositionem ad τὸ φῶς σκιατικὸν, seu *lumen* V. T. *umbratile*, ubi Messias, fatentibus ipsis Judæis, per mediam aurei candelabri lucernam, & per Urim ac Thummim præfigurabatur. Caussas hujus appellationis, a Patribus allatas, repetit *Suicerus* Tom. II. p. 1481.

ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον) atque adeo non instar columnæ, quæ Israëlitas solos lumine suo juvabat: quæ observatio est *Steph. le Moyne* in Dissert. ad *Jerem.* XXIII. 6. p. 44. De sententia ipsa ejusque veritate legè *Hackspanii* notas p. 382. seq. & *Spenerum* in Respons. Theolog. German. Tom. I. p. 213. Quæ *Henr. Todwellus* subtilius, & τῇ ὑποθέσει δουλεύων, ad hunc versum commentatur in Dissert. Epistol. *de distinctione inter animam & Spiritum*, p. 134. sqq. apud ipsum legi malim. Nec omittenda præterea, quæ *Petavius* in Dogmat. Theolog. Tom. VI. ubi de Incarnat. lib. XIII. c. I. §. 4. sqq. & c. III. §. 4. sqq. item c. V. §. 6. ex veteribus Doctoribus attulit.

ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον) i. e. ex Hebraismo הבא בעולם, quod de *nativitate* in Hebræorum scriptis frequenter adhiberi constat. Vide *Hackspanium* l. c. & in Miscellan. p. 176. 180. & 420. *Cellarium* in Institut. Rabbin. in not. p. 21. inter Analecta Rabbinica Relandi, *Jo. Vorstium* Part. II. p. 238. Philol. S. *Hottinger.* ad Disc. Gemaric. de Incestu p. 131. *Braunium* Comment. ad Hebr. X. 5. B. *Olearium* de Stylo N. T. p. 363. & Cl. *Starckium* Not. Select. in Ep. ad Hebr. p. 76.

Hoc ut apud plerosque Interpretes extra dubium ponitur, ita viciſſim de eo multum diſputatur, utrum phraſis hæc ad *τὸ φῶς* remotius, an ad *τὸν ἄνθρωπον* proxime antecedens ſit referenda? Pro priori pugnat ex recentioribus permulti, ex noſtratibus quidem *Calovius* in Bibl. Illuſtratis ad h. l. Anonymus apud *Fechtium*, qui nec ipſe diſſentire videtur, in Philocalia p. 28. Auctores **des freywilligen Heb-Opfers** Tom. II. p. 801. *Theophil. Alethaus* ſ. M. *Laur. Müllerus* **in der Erläuterung** Part. XXVI. num. I. ex ceteris vero *Jo. Marckius* in Exercitatt. Biblic. p. 747. *Vitringa* lib. V. Obſſ. Sacr. p. 209. & noviſſime *Lampius* in Comment. p. 333. Sed malim tamen cum Interprete Syro, & B. Luthero noſtro referre ad *ἄνθρωπον*, ut indicetur, hominem natum quemcunque hac luce colluſtrari. Primo enim phraſis ipſa accommodatior eſt ad *hominem*, de quo alias proprie uſurpatur, quod diximus, quam ad *φῶς*, ſeu lucem. Conf. *Hackſpanium* in Notis p. 384. Deinde contextus ſeries idem ſuadet. *Ante namque*, (utor verbis Cl. *Starckii* in Notis Selectis p. 97.) *& poſt hanc phraſin, ſiſtitur τὸ φῶς*, *lumen illud, ut jam φαῖνον ἐν τῇ σκοτίᾳ* lucens in tenebras, *licet ab iisdem non καταληφθὲν, receptum, v. 5. quod jam ἦν fuerit in mundo, & mundus δι' αὐτȣ͂ per ipſum factus ſit, v. 10. quod εἰς τὰ ἴδια (ad ſua coll.* c. XVI. 32. & *Actor.* XXI. 6. i. e. *εἰς τὴν κληρονομίαν αὐτȣ͂ Matth.* XXI. 38. & לנחלתו *vel* לסגולתו *ad poſſeſſionem ſuam, ad peculium ſuum, ut populus Iſrael paſſim appellatur)* venerit, *& οἱ ἴδιοι ſui non receperint αὐτὸν (ἑτέρωσις generis pro αὐτὸ coll. Not. Sel. ad Gen. XLIX. 25. p. 70. vel citra illum cum reſpectu ad primum λόγον.) Ergo noſtra phraſis ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον non poteſt accipi de eodem lumine venturo, ſeu incarnatione & apparitione Chriſti ad officium ſuum mediatorium.*

Verſ. 10. *καὶ ὁ κόσμος αὐτὸν ȣ̓κ ἔγνω*) i. e. *attamen, nihilominus tamen mundus eum non cognovit*; quomodo etiam *τὸ καὶ* ſumi poteſt in commate ſequenti: *καὶ οἱ ἴδιοι ȣ̓ παρέλαβον*. Ita Cl. *Elsnerus* p. 293. qui ſimilia exempla affert ex *Longi* Paſtoral. lib. IV. p. 128. & Philoſtrat. in epiſt. Apollon. n. 36. p. 394.

Verſ. 11. *Εἰς τὰ ἴδια ἦλθε*) *Τὰ ἴδια* Græci vocant loca illa, unde quis eſt oriundus, vel domum alicujus, ut *Jambl.* in Vita Pythag. c. XIX. *Ælian.* Hiſt. Anim. X. 23. & *Luc.* Actor. XXI. 6. quæ loca huc affert, tanquam ex quibus genuinus ſenſus peti poſſit, *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 56. qui & in libello de Ellipſi Gr. L. p. 139. ſubintelligi vult *τὰ οἰκήματα*. Sed hic quidem ſenſus non exhaurire videtur mentem Johannis, quod ex ſequentibus patebit. Itaque alii rectius vocem *ἴδιος* in nativa & primaria ſignificatione, qua *proprietatem* infert, relinquendam cenſuerunt, *τὰ ἴδια* convertentes per *peculium*. Conf. *Actor.* IV. 32. Id vero peculium interpretati ſunt de *Judæis*, tanquam ad quos venerit, Evangelium prædicaturus, quemadmodum ad illos miſſus erat. Ex his eſt B. *Gottfr. Olearius* in Obſſ. Sacris ad Matthæum p. 428.

p. 428. Alii vero accipere maluerunt de iisdem quidem Judæis, sed qui qualesque fuerunt sub Oeconomia V. T. quandoquidem illis variis modis se revelavit & præfiguravit. Ita Auctores des freywilligen Heb-Opfers Tom. I. p. 152. sqq. qui inter cetera inprimis urgent, Johannem in Prologo suo id ostendere voluisse, quomodo Filius Dei pedetentim & quasi per gradus mundo æque ac speciatim Judæis manifestatus sit, donec clarissime omnium, assumta carne, & iis & ceteris se conspiciendum præbuerit. Cum itaque de hac manifestatione v. 14. demum exponat, h. l. de incarnatione aut prædicatione, a λόγῳ suscepta, cogitari non posse censent. Applausit illis nuperrime Cl. *Starckius* in Notis Select. p. 97. & digna hæc sententia est, quæ amplius consideretur.

Alii, τὰ ἴδια & τοὺς ἰδίους distingui hic debere censentes, per τοὺς ἰδίους Judæos, per τὰ ἴδια vero non unum aliquid, sed plura, quæ Christi *propria* dici possunt, intellexerunt: puta, *terram Canaan*, quæ dicitur hæreditas Jehovæ 2 Sam. VII. 23. *urbem Hierosolyma*, quæ dicitur civitas Jehovæ Pf. XLVIII. 2. 9. & denique *templum*, quod Jesus ipse domum suam vocat *Matth.* XXI. 13. Ita nuperrime Cl. *Lampius* p. 339. Ex his ad *Templum* solum per ἴδια respici, & hic vaticinium *Malachiæ* III. 1. de Christo, ad templum suum appropinquaturo, impletum esse, existimat *Amelius* Part. I. p. 86. & Part. II. p. 753. sqq. ubi plura ad totum hoc comma illustrandum affert.

καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον) i. e. *& proprii*, h. e. Judæi (lege Patrum loca apud *Suicerum* Tom. I. p. 1436.) *eum non receperunt*, scilicet fide: ἡ πίστις est ἀποδοχή. Vide huc *Boisii* Collationem p. 279.

Verf. 12. ὅσοι δὲ ἔλαβον αὐτὸν) Lege huc *Erasmi* Opp. Tom. IX. p. 1506.

ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι) ἐξουσίαν *Vetus* vertit *potestatem*, Erasmus: *ut liceret*, Beza: *hanc dignitatem*, & postea *hoc jus*, quod etiam secutus est *Piscator*. Ex his *Boisius* p. 279. præfert *potestatem*, eo sensu, quem Erasmum ait in Paraphrasi sua exhibuisse. *Bezam* confutare conatur *Castellio* in Defensione suæ Versionis p. 488. *Rich. Simon* vero *Erasmum* in Historia Critica lib. III. p. 258. Potestatis notio, quam & B. Lutherus est amplexus, optima hic videtur, pro qua lege quoque *Hackspanium* in Notis p. 389. Cave tamen, eam potestatem cum Pontificiis & speciatim *Petavio* in Dogmatib. Theolog. Tom. V. p. 426. & Tom. III. p. 251. de *libera voluntate* interpreteris. Adde B. *Zimmermannum* ad dictum Tertulliani: *Fiunt, non nascuntur Christiani*, p. 474. sq. De phrasi γενέσθαι τέκνα Θεοῦ lege eundem *Hackspanium* p. 389. & *Suicerum* Tom. II. p. 1252. sq. τὸ γίνεσθαι pro *esse* accipit *Gussetus* in Vesperis Groningan. p. 83.

τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ) τὸ ὄνομα hic non pleonastice, quod *Vorstius* Part. I. c. 13. p. 348. & *Suicerus* Tom. II. Thesauri p. 493. cum aliis nonnullis existimat, sed cum emphasi poni, recte hic monet *Lampius*. Alioquin

quin negari non poteſt, etiam apud profanos τὸ ὄνομά τινος & τινὰ idem eſſe. Sic *Ælianus* V. H. XIII. 28. ὀνόματι τοῦ δεσπότου pro δεσπότῃ i. e. *Domino* ponit. Confer ibi notas *Jac. Perizonii* p. 836. & lege Cl. *Schwarzii* Obſervata ad Olearium de Stylo N. T. p. 269.

Verſ. 13. Οἳ οὐκ ἐξ αἱμάτων &c.) De hoc commate nonnihil difficiliori paucis, quæ inſtituti noſtri ratio tantum admittit, dici non poteſt. Itaque nos appellabimus tantum eos, qui hic ſigillatim, & data opera occupati fuerunt. Vide inprimis Rev. *Deylingii* Obſſ. Sacr. Part. III. pag. 248. ſqq. qui per θέλημα σαρκὸς cognationem cum Diis, a Gentilium Philoſophis tantopere jactatam, per θέλημα ἀνδρὸς vero, ἀποθέωσιν, inter Gentiles receptam, tangi exiſtimat. *Jo. Marckius* in Exercitatt. Textual. n. XXXIV. p. 352. ſqq. examinatis *Lightfooti*, *Hammondi*, aliorumque ſententiis pag. 360. verba hæc ita παραφράζει qui non tantum naturaliter a Parentibus (ex ſanguinibus) ſive illegitimo, ſive etiam legitimo partu (neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri) ſed qui inſuper ſpirituali & arcano modo naturam & vitam novam ac divinam a Deo, vero vitæ fonte, acceperunt. Quæ *Amelius* Part. II. p. 369. ſq. ad h. l. ex *Lightfooto*, *Whitbio* & *Witſio*, commentatur, ea apud ipſum legantur, comparatis ejusdem Opuſculis Sacris p. 778. Confer præterea *Jo. Henr. Dieterici* Antiquitates N. T. Tom. I. p. 55. & *Jo. Alba* Annotatt. Select. p. 341. ſq.

τὸ αἷμα ſemen hic ſignificare, etiam ex uſu profanorum utriusque Linguæ Scriptorum, oſtendit *Vorſtius* Philolog. Sacr. Part. I. p. 282. Vide etiam Guſſeti Lexicon Hebr, rad. דם lit. O. qui de Hebraiſmo hic cogitari poſſe penitus negat.

Verſ. 14. Καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο &c.) Integrum hoc comma illuſtrant ex noſtratibus, præter eos, qui ſingulares Diſſertationes huc retulerunt, a Wildeshauſenio in Bibliotheca Diſp. laudati, *Spenerus* in Tract. vernaculo de divinitate Chriſti pag. 350. ſq. Rev. V. E. *Læſcherus* in Decimis Evangelicis Dec. III. p. 357. Auctores des Heb-Opfers Tom. I. p. 56. &, quorum Programmata tria a *Gabr. Terne* in Sylloge I. Programmat. Exegetic. p. 522-531. recuſa ſunt. Ex *Anglis Wilh. Scherlockius* in libro Anglic. quo teſtimonia Scripturæ S. pro divinitate Salvatoris noſtri complexus eſt, Part. I. cap. IV. & *Joannes*, Archiepiſcopus quondam Cantuarienſis, in Sermonibus IV. Anglice Lond. 1693. 8. editis, de quibus paulo ſuperius diximus. Ex *Reformatis Jo. d'Outrein* in libro Belgico ſingulari, quem *de tabernaculo Dei inter homines* inſcripſit, *Amſtelod.* 1701. 8. *Altingius* Tom. IV. Opp. in calce p. 8–14. *Pet. du Boſc.* in Concionibus Gallice editis Tom. II. p. 45. & *Dan. Ern. Jablonsky* in Decade Concionum I. Conc. I. Ex *Pontificiis Dionyſ. Petavius* in Dogmat. Theologicis Tom. V. & VI. de Incarnat. lib. IV. cap. II. c. 8. §. 5. & c. XI. 14. item lib. IV. 2. 1. & VII. 1. 6. nec non. XVI. 1. 5.

σὰρξ ἐγένετο) De genuina hujus phraſeos notione lege poſt *Hackſpanium*

nium in Notis p. 343. sq. *Erasmum Schmidium* in Notis ad h. l. Vide etiam, quæ *Suicerus* in Thesauro Tom. II. p. 260. sqq. de mysterio Incarnationis ex Patribus ad hæc verba commentatur.

καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν) Verbum ἐσκήνωσεν hic cum Hebræo שכן recte confert *Boisius* in Collat. p. 279. ubi præterea probe notandum est, tum Paraphrastas Chaldæos, tum Judæos Scriptores alios vocem שכינה de Messia adhibere. Vide idonea & complura loca hanc in rem allata a *Cramero* in Theologia Israelis Part. II. p. 344. & *Jo. d'Outrein* in libro Belgico modo laudato aliisque a Cl. *Lampio* ad h.l. citatis. Iis adde *Coccejum* ad Sanhedrin p. 157. n.4. *Hackspanium* ad Nizzach.c.II. n.113. sqq. *Wagenseilium* ad Sota p.83. sq. *Hottingerum* de Usu Scriptorum Hebr. in N. T. §. 3. not. a. & doctissimi *Jo. Andr. Danzii* Programma Jen. 1720. editum, ac in Diario Salano p.251. recusum, ac qui præterea a *Pet. Zornio* in Opusculis Sacris p.253. laudantur. Innui hic *commorationem* in utero Mariæ, inprimis vero conjunctionem divinæ & humanæ naturæ existimat *Possinus* p. 71. & 89. Spicilegii Evang. *Schlichtingii* sententiam repetit *Rich. Simon* in Hist. Critic. Nov. Testam. Tom. III. pag. 804. Singularis est, sed subtilior *Jos. Mede* observatio, quam legis in Fragmentis ejus Sacris Tom. X. Opusculorum ad Histor. & Philolog. Sacr. spectantium p. 254. Christum nempe natum esse mense Septembri, circa Festum Tabernaculorum, atque hinc Johannem eo inprimis verbo uti. De Latina vocis versione disputat *Castellio* in Defensione suæ interpretationis p. 488. qui inter cetera scite monet, verbum σκηνῦν de Deo dici, inter homines habitaturo, *Apocal.* XXI. 3. Rev. *Raphelius* in Notis Xenophonteis p.119. sqq. cum, ex variis Xenophontis locis verbi hujus vim & notionem scrutatus, observasset, verba σκηνῦν, συσκηνῦν & διασκηνῦν de iis dici, qui eodem contubernio utantur, cibumque una capiant & conviventur, fieri posse monet, ut hoc quoque loco iste significatus obtineat, atque adeo sententia foret, Apostolos, ut Christi contubernales, cum eo bibisse & comedisse, id quod cum superioribus, quibus verbum caro factum dicitur, probe convenire putat, cum hominem cibi potusque usus vel maxime declaret. Quæ utut docte & convenienter afferantur, non crediderim tamen exhauriri ea, quæ scriptor divinus phrasi hac maxime efficaci exprimere voluit. Neque enim dubito eum ad σκήνωσιν Dei per columnam nubis in tabernaculo respexisse, ut λόγος in carne, tanquam in tabernaculo quodam commoratus, & sic inter homines familiariter versatus esse dicatur. Patrum cogitata de ista λόγυ inhabitatione leges apud *Petavium* in Dogmat. Theolog. T. V. ubi de Incarnatione, lib. IV. c. 2. 5. & c. XIII. 7. tum lib. VII. c. 11. §. 8. sq. & XII. 18. §. 13.

καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτῦ) Lege *Petavium* de Incarnat. lib. II. c. 16. §. 2. sqq.

δόξαν ὡς μονογενῦς) τὸ ὡς hic respondere τῷ כ Hebræorum, quod illi

illi לאמיתות five *veritatis* vocant, ut fcilicet innuatur gloria veri filii unigeniti, poft *Scaligerum* recte docuit *Drufius* in Animadverf. II. 47. & in Obfervatt. ad Jobum p. 558. *Suicerus* Tom. II. Thefauri p. 1600. *Boifius* in Collat. p. 279. & *Noldius* in Concordant. Particular. quod malim, quam cum *Lud. de Dieu* ftatuere, per ὡς hic proportionem inter perfonam & gloriam ipfi convenientem inferri, quamvis pofterius hoc placere videam *Jofua Arndio* in Mifcellan. Sacris p.3. Priori fenfu Græci quoque Scriptores externi particula ὡς utuntur, quemadmodum Scholiaftes *Sophoclis* ad *Oedip. Colon.* v. 555. docet, τὸ ὡς ἀντὶ τοῦ ὅτι fumi, & Triclin. ad *Electr.* v. 1188. ἀντὶ τοῦ ὄντως. Sic *Hefychius* per ἀληθῶς explicat. Conf. *Jo. Alberti* Obff. Sacr. p. 207. qui hic verti vult per *utpote*, quod ipfum B. *Lutherus* in verfione fua fcite expreffit. *Xenophontis* in eandem fententiam loca affert Rev. *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 125. Vide etiam *Petavium* Tom. II. Dogm. Theolog. p. 482.

ὡς μονογενοῦς παρὰ Πατρὸς) De voce μονογενὴς hic diligenter agit *Lampius* p. 372. Voces παρὰ Πατρὸς non ad μονογενοῦς, fed, facto hyperbato, ad δόξαν referri vult *Hombergius* in Parergis p. 156. ut fic defcribatur gloria, tanquam a Patre proficifcens, qui fcilicet, fi τῷ μονογενοῦς jungatur, dici debuiffet τοῦ Πατρός. Sed, fi voces has ordini fuo relinquas, vel fic commodus nafcetur fenfus, cum ita explicari poffint, ut unigenitus hic a *Patre* miffus intelligatur: nifi utramque notionem potius conjungere velis h. e. & *miffionem* unigeniti a Patre factam, & *gloriam* ab eodem Filio ab æterno datam, quod facit *Lampius* ad h. l.

πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας) Cum τὸ πλήρης ratione ftructuræ ad antecedentia minus quadrare videretur, *Erafmus* verba illa ab antecedentibus per punctum diftinguenda effe cenfuit; alii vero, fed perpauci, Codices πλήρη legerunt, quos appellat Millius. Sed neutra mutatione opus eft. Dantur enim ejusmodi ἀνακόλουθα in optimis quibusque utriusque linguæ Scriptoribus. Vide *Gatackerum* ad Antonin. III. 4. p. 92. inprimis autem *Stolbergium* de Barbarifmis & Solœcifmis N. T. p. 73. fq. qui multus eft in hoc loco.

Verf. 15. Ἰωάννης μαρτυρεῖ—καὶ κέκραγε) Ita *Plutarchus* in Catone minore p. 787. conjungit μαρτυράμενος καὶ κεκραγὼς, quod hic obfervat Cl. *Elsnerus* p. 294. quemadmodum *Ariftides* Orat. in Apellam p. 124. fimiliter ait: ἡ πόλις αὐτὴ συνομολογεῖ καὶ κέκραγε, quod a *Lamb. Bos* in Exercitt. p. 57. obfervatum eft. Innuitur vero geminata hac phrafi libera & aperta Johannis de Chrifto teftificatio.

ὃν εἶπον) i. e. περὶ οὗ εἶπον, ut infra v. 30. hujus capitis, & v. 46. ὃν ἔγραψε Μωσῆς. Sic vero & *Euripid.* Jone v. 779. τὸν παῖδ' ὃν εἶπας. Conf. dicta ad *Luc.* XX. 37.

ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, ἔμπροσθέν μου γέγονεν, ὅτι πρῶτός μου ἦν) Diverfas Inter-

Interpretationes affert *Boisius* in Collatione p. 283. ipse vero istam probat potissimum: *Is, qui post me venit*, sive *pone me venit*, *ante me fuit*, *quia me prior erat.* At aliam, eamque novam, amplexus est *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 57. *qui post me munus baptisandi & prædicandi auspicaturus est*, *multum me antecedet*, *quoniam me superior erat.* Sed merito aliena hæc a simplicitate & mente Johannea esse judicavit Cl. *Elsnerus*, ita rectius interpretatus: *ille*, *qui post me venit* (jam) *ante me fuit: nam prior me* (i. e. antequam ego essem) *erat.* Confer 1 *Regg.* III. 12. ubi dicitur: ὡς σὺ ὐ γέγονεν ἔμπροσθέν σε, καὶ μετὰ σὲ ὐκ ἀναστήσεται ὅμοιός σοι, & 2 *Regg.* XVIII. 5. In phrasi πρῶτός μυ ἦν, τὸ πρῶτος positum est pro πρότερος. Vide *Gatackerum* de Stylo N. T. p. 221. & *Relandum* Antt. Hebr. p. 423. In his acquiescere omnino malim, quamvis videam *Jo. Pearsonum* in Notis ad Symbol. Apostolicum p. 195. phrasin: ἔμπροσθέν μυ γέγονεν itidem de ampliore dignitate accipere, & per: *prælatus mihi est*; interpretari. Contra hanc expositionem vide quæ disputat *Hackspanius* in Notis p. 393. Lege præterea ad totum comma *Spenerum* de Divinitate Jesu Christi p. 364. sq.

Vers. 16-18. illustrat *Altingius* in Heptade Dissertt. Tom. V. Opp. p. 151.

Vers. 16. Καὶ ἐκ τῦ πληρώματος αὐτῦ) Pro καὶ nonnulli Codd. hic legunt ὅτι, probante *Millio* in Prolegom. §. 908. Sed vide *Whitbium* p. 47. Examinis. Per πλήρωμα Johannem hic pungere voluisse Gnosticos, qui eadem voce, sed alieno sensu, usi sint, existimant nonnulli, interque eos *Amelius* Parte I. p. 132. De voce ipsa lege ex Patribus-commentantem *Suicerum* Tom. II. Thesauri p. 755. & *Petavium* Tom. VI. Dogm. ubi de Incarnatione, p. 112.

ἡμεῖς πάντες ἐλάβομεν) Quam eminenti sensu hoc Johannes de se & Apostolis reliquis dixerit, & ad quas prærogativas hic respexerit, exponit *Lightfootus* in Horis Hebr. & Talmudic. ad h. l. & ex eo *Amelius* Part. II. p. 108. sqq. quæ admitti tantisper possunt, modo ne verba ipsa ad solos Apostolos restringantur, cum ex sequentibus facile appareat, Johannem non loqui hic præcise de donis, quæ postea singulari modo conferebantur Apostolis, sed de donis gratiæ in universum, quorum fructus ad omnes Christi confessores pervenerit. Hinc enim v. 17. loquitur de Lege cum Evangelio permutata. Ut taceam, nondum satis evictum esse, quod hæc sint verba Johannis Evangelistæ, quæ sententia est *Marckii* in Exercitatt. Scripturariis p. 670. & novissime *Lampii* p. 382. Ad testimonium enim Joannis Baptistæ ea adhuc pertinere ex veteribus Theophylacto, ex recentioribus autem non uni, nominatimque Rev. *Deylingio* in Obss. Sacr. Part. III. p. 241. visa sunt. Quod tamen nos nunc in medio relinquimus.

καὶ χάριν ἀντὶ χάριτος) Diversas harum vocum interpretationes diligenter collegerunt ex nostratibus B. *Glassius* in Philolog. Sacr. p. 1064. ed. noviss. *Jo. Henr. Michaelis* in Disp. de Usu LXX. Intt. p. 23. sqq. *Amelius* Part.,

Part. I. p. 132. *Starckius* in Notis Selectis p.98. & curatissime omnium, interposito de singulis judicio, Rev. *Deylingius* in Obss. Sacris Part. III. p. 242. sqq. Adde Rev. *Jo. Casp. Haferung* Disp. de Gratia pro Gratia, *Vitemb.* 1716. Patrum cogitata habes apud *Petavium* in Dogmat. Theol. Tom. I. p. 345. & 443. Ex Anglis legendus *Gatackerus* in Adversariis Posthum. c. XXVII. Ex Reformatis *Suicerus* in Thesauro Tom. II. p. 1497. *Jo. Marckius* in Exercitatt. Biblic. p. 760. sq. *Lampius* in Comment. ad h. l. & alii. Plerique Interpretes exponunt, præeuntibus inprimis *Gatackero* l. c. *Dounæo*, *Davenantio* & *Colomesio*, (qui utrumque horum affert,) in Obss. Sacr. p. 159. per *gratiam gratia cumulata.* Huc pertinent *Keuchenius* in Annotatt. ad h. l. *Hombergius* in Parergis p. 157. qui copiosus est in expedienda vocis ἀντὶ notione & novissime *Starckius* in Notis Selectis p. 98. Alii vero, antiquissimæ *Chrysostomi* interpretationi inhærentes, τὸ ἀντὶ per *pro*, *vice* aut *loco* convertunt, atque adeo *gratiam*, nempe Evangelicam *pro gratia* scilicet Legis datam innui contendunt. Ita ex nostratibus *Calovius* in Bibl. Illustratis, *Dorscheus* ad h. l. *Erasm. Schmidius* in Notis, *Sal. Deylingius* l. c. Celeb. *Fabricius* ad Sextum Empiric. p. 715. & Rev. *Henr. Scharbau* in Parergis Philolog. Theolog. Part. I. num. III. ex Reformatis *Heinsius* & novissime *Lampius.* Posteriorem hanc expositionem & mihi probari non diffiteor, inprimis ex v. 17. ubi Legis & gratiæ diserta fit mentio, tanquam talium rerum, quæ sibi invicem successerint. Vide præterea, si placet, *Campeg. Vitringam* in Comment. ad Jes. XL. 3.

Vers. 13. Ὅτι ὁ νόμος διὰ Μωσέως ἐδόθη &c.) Vide huc *Jo. Claudii* Opp. Posthum. Tom. I. p. 215. *Jo. Spencerum* de Legibus Hebr. Ritualibus p. 269. & *Henr. Morum* in Opp. p. 451. qui ex hoc & aliis Scripturæ dictis evincit, Christum venisse ad homines, ab onere legum cerimonialium liberandos.

ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐγένετο) Per *gratiam* & *veritatem* alludi hic ad *Urim* & *Thummim* V. T. existimat B. *Carpzovius* ad Schickardum de Jure Regio Hebr. p. 46. *Keuchenius* ad h. l. per *gratiam veram* & *solidam* in oppositione scilicet ad V. T. interpretatur, quemadmodum vox ἀλήθεια Scriptoribus Ecclesiasticis passim ad denotandum N. T. in oppositione ad umbras & cerimonias legales adhibetur, quam in rem lege *Suicerum* Tom. I. Thesauri p. 190. Alii tamen per ἀλήθειαν innui malunt Dei veracitatem in præstandis, quæ olim promiserat, per χάριν vero fœdus gratiæ in Christo cum hominibus sancitum. Lege *Amelium* Part. I. p. 122. & quos ille citat. Confer quoque de hoc loco *Petavium* Tom. II. Dogmat. Theol. p. 475.

Vers. 18. Θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε) Utrum hæc verba Johannis Evangelistæ, an Baptistæ sint, disputatur. Lege *Grabii* Spicileg. *Patrum* Sec. II. Tom. I. p. 235. Gentiles quoque Deum a nemine vel conspectum esse, vel conspici unquam posse, professi sunt. Vide eorum loca apud *Spanhemium* ad Callimachum p. 612. *Jo. Henr. Majus* F. in Obss. Sacr. Tom. I. p. 118. *Almelooveenium*

nium in Opufculis Sacr. p. 121. *Conr. Rittershufium* in Lectionibus Sacris p. 60. & *Thom. Gatackerum* ad Antonin. XII. 28. p. 435. Patrum enarrationes habes apud *Petavium* Tom. II. Dogmat. p. 449. fq. & Tom. I. p. 292. & 298. item apud *Suicerum* Tom. I. Thefauri p. 402. & T. II. p. 500.

ὁ μονογενὴς υἱὸς) Pro υἱὸς veterum nonnulli & Codex MSS. unus legunt Θεός. Sed vide *Whitbium* p. 48. Examinis.

ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς) Exftat de phrafi hac fingularis Cl. *Lampii* Differt. *de Sinu Patris*, Ultraj. 1721. habita, cujus fumma in ejusdem Commentario nunc legitur. Pro bafi hujus metaphoricæ locutionis is habet adorandum myfterium filiationis fecundæ perfonæ. Conf. in eandem fententiam B. *Chriftoph. Reuchlini* Difput. de Officio Chrifti Prophetico ad h. l. ubi p.6. tradit, non alium, quam effentialem Dei finum hic intelligi poffe, in quo Filius effe dicatur, quia, cum ex finu Patris ab æterno prodierit, & per intimam περιχώρησιν in Patre fit, ficut Pater in ipfo eft, *Joh.* XIV. 10. XVII. 21. in penetralibus pectoris paterni habitat, omnium ejus fecretorum perfectiffime confcius. Adde Cl. *Starckii* Notas Select. p. 99. Itaque omnino amplius aliquid infertur, quam fumma familiaritas & confiliorum cum aliquo communio; quæ alias phrafi ifta a profanis quoque Scriptoribus exprimi folet. Vide Cl. *Elsnerum* p. 295. fq. & adde, quæ de κόλπῳ hoc commentatur *Feffelius* in Adverfar. Sacris Tom. I. p. 382. & *Steph. le Moyne* in Not. ad Varia Sacra p. 530.

Verf. 19-52. illuftrantur a *Jo. Coccejo* in Opp. Pofthumis T. II. p. 456. fqq. Lege præterea *Jo. Frid. Mayeri* Differt. de Officio Chrifti Prophetico, *Gryphisw.* 1704. Patrum cogitata habes apud *Suicerum* Tom. II. Thefauri p. 138.

Verf. 19. αὕτη ἐστὶν ἡ μαρτυρία τοῦ Ἰωάννου) *Pifcatorem* hic τελείαν στιγμὴν poft vocem Ἰωάννου præter rationem ponere recte monuit *Boifius* in Collat. p. 282.

Ἱερεῖς καὶ Λευίτας) Quo fenfu Sacerdotes & Levitæ hic diftinguantur, oftendit *Saubertus* de Sacrificiis p. 661.

ἵνα ἐρωτήσωσιν αὐτὸν) Ex legatione rectiffime colligit *Jo. Pearfonus* in Notis ad Symbol. Apoftol. p. 146. generalem inter Judæos futuri Meffiæ exfpectationem fuiffe, cujus fundamenta idem in fequentibus edifferit. De legatione ipfa lege, quæ commentatur *Seldenus* de Synedriis p. 1048.

Verf. 20. καὶ ὡμολόγησε καὶ οὐκ ἠρνήσατο) Receptum eft Johanni eandem rem, cum oppofiti negatione addita, fortius affirmare, ut fupra v. 3. & 1 Ep. II. 4. 27. Id vero non fine exemplo externorum Græciæ Scriptorum fieri, poft *Pfochenium* §. 48. luculente oftendit Cl. amicus nofter J. H. *Majus* in Obff. Sacr. II. p. 55. fq. *Coccejus* Tom. II. Opp. Pofthum. p. 456. con-

fert hanc phrasin cum *Jes.* III. 9. Confer etiam Rev. *Wolfburgium* in Obss. Sacr. p. 430.

ὅτι ὐκ εἰμὶ ἐγὼ ὁ Χριςός) Τὸ ὅτι non Hellenisticum, sed pure Græcum esse, compluribus exemplis demonstravit *Jo. Vorstius* in Cogitatis de Stylo N. T. quæ exstant in Fasciculo I. eorum, quos Cl. *Crenius* excudi curavit p. 21. sqq.

Vers. 21. Ἡλίας εἶ σύ; καὶ λέγει· ὐκ εἰμί·) Negare omnino poterat & debebat Johannes, se esse *Eliam*: eo scilicet sensu, quo, an is sit, Judæi interrogabant. Illi enim vane exspectabant Eliam Thisbitem, eodem habitu aliquando ad ipsos venturum. Vide in hanc sententiam *Kidderum* in Demonstrat. Messiæ Part. II. p. 456. sqq. *Witsium* in Miscell. Tom. II. p. 522. *Gottfr. Olearium* in Tract. vernaculo de Jesu, vero Messia p. 202. sq. itemque *Gussetum* in Confutatione libri *Chissuck Emuna* p. 292. & 377. Atque id quidem malim, quam cum *Coccejo* l. c. statuere, Judæos hic quæsivisse de officio, de quo cum falsa somniarent, Johannem negasse, se esse Eliam.

ὁ προφήτης εἶ σύ;) i. e. *num tu es ille Propheta?* (articulus enim ὁ hic omnino emphaticus est, nec negligendus) a Deo scilicet *Deut.* XVIII. promissus. Conf. *de Prado* in Pentecontarcho p. 186. Neque vero objici hic potest, hac quæstione, eo sensu accepta, opus non fuisse, quippe ad quam, negatione Johannis prævia, se non esse Christum, eadem opera responsum fuerit, cum *Propheta ille* promissus, *ut Moses*, idem sit cum Messia. Nam recte pridem a Viris doctis observatum est, Judæos eo tempore dubios fuisse, utrum ille *Propheta* magnus de Messia simpliciter, an de alio quodam Propheta magno vel suscitando iterum, vel de novo largiendo, intelligi debeat. Lege in hanc rem *Gottfrid. Olearium* in Obss. Sacr. ad Matthæum p. 300. & in Tractatu vernaculo de Jesu, vero Messia p. 178. & *Hackspanium* in Miscellaneis p. 399. *Grotius* de *Jeremia* speciatim hanc legatorum quæstionem accipi vult, quemadmodum sane R. *Salomo Isaacides* oraculum Mosaicum *Deut.* XVIII. ad Jeremiam refert in commentario suo ad Jerem. c. I. Atque hæc sententia ex antiqua traditione fluxisse videtur *Lampio* p. 412. cum Jeremias ὁ τῦ Θεῦ προφήτης 2 *Macc.* XV. 14. κατ' ἐξοχὴν dicatur, quem exspectatum ea ætate fuisse, non obscura tantum in Gorionide traditio probet, sed & locus *Matth.* XVI. 14. quo Jesus a quibusdam Jeremias creditus dicitur. *Jo. Coccejus* Tom. II. Opp. Posth. p. 456. talem Prophetam hic Judæos putat imaginatos, qui par esset Mosi, & novam Legem conderet: qua de re quidquam esse in *Maccoth* c. III. exc. I. observat. Nescio, an hic apponere fas sit ridiculam eorum opinionem, qui *Henr. Nicolaum*, hominem fanaticum, his verbis præfiguratum esse somniarunt. Eos explosos lege ab *Henr. Moro* in Opp. Theolog. p. 235.

Vers. 22. ἵνα ἀπόκρισιν δῶμεν) Eadem prorsus phrasi utitur *Polybius* p. 459. l. 8. p. 611. lin. ult.

Vers.

Verſ. 23. Ἐγὼ φωνὴ βοῶντος) Vide, quæ diximus ad *Matth.* III. 3. Confer *Vitringæ* Comment. in Jeſaiam Tom. II. p. 355. & *Witſium* in Miſcellaneis Tom. II. p. 524. ſq.

Verſ. 25. ὅτι ὁ προφήτης) *Martianæus* in Conatibus ſuis Gallice editis p. 266. ſqq. præter rationem caſtigat Anonymum, qui hic intelligi voluit Prophetam quendam ſpecialem, quem Judæi ea ætate præter Eliam, ante Meſſiæ adventum, ſibi promiſerint. Sententiam enim hanc non exigua veri ſpecie ſe commendare ex antecedentibus patet.

Verſ. 26. Ἐγὼ βαπτίζω ἐν ὕδατι) De baptiſmo Johannis varia diſputata ſunt inter eruditos, qua de re nonnihil ad Matthæum a me dici memini. Confer quos citat Celeb. *Fabricius* in Bibliograph. Antiquaria p. 389. Num baptiſmus Johannis eandem vim habuerit, quam Chriſti, diſquirit B. *Jo. F. Mayerus* in Ecloga Evangel. ad Dom. IV. Adventus Quæſt. I.

μέσος δὲ ὑμῶν ἕστηκεν) *Heracleon* hæc olim ita interpretatus eſt: *eſt in mundo, & verſatur inter homines, & nunc omnibus ſe conſpiciendum præbet.* Eam interpretationem ab Origenis cenſura liberare contendit *Rich. Simon* in Hiſtor. Critica N. T. lib. III. p. 33.

Verſ. 27. ὃς ἔμπροσθέν μου γέγονεν) Verba hæc ex v. 15. huc irrepſiſſe videntur *Millio*, contra quem lege *Whitbii* Examen p. 48.

ἵνα λύσω αὐτοῦ τὸν ἱμάντα τοῦ ὑποδήματος) Lege huc *Gatackerum* in Cinno lib. II. c. 19. *Balduinum* de Calceo p. 108. & B. *Mayerum* in Ecloga Evangel. ad Domin. IV. Adventus Quæſt. III.

Verſ. 28. Ταῦτα ἐν Βηθαβαρᾷ ἐγένετο) Pro Βηθαβαρᾷ jam olim lectum fuiſſe Βηθανία, vel *Origenis* teſtimonio Tomo VIII. in Johannem conſtat; qui tamen, & cum eo veteres alii, vulgatam lectionem præfert. De altera illa poſt *Millium* lege *Rich. Simonem* lib. III. Hiſt. Crit. N. T. p. 327. 780. 812. & 896. itemque in *Novis Obſſ.* p. 239. ubi Βηθανίαν mavult, *Vulgati* auctoritate forte adductus. Pro noſtra lectione pugnat recte *Whitbius* in Examine p. 48. *Raithius* in Vindiciis Verſ. B. Lutheri pag. 413. & *Suicerus* Tom. I. Theſauri p. 682. Pugna omnis ſublata eſſet, ſi *Poſſini* p. 32. Spicilegii Evangel. admitteretur conjectura non improbabilis, exiſtimantis ſcilicet, nomen *Bethabara*, בית עברה (*domus tranſitus*) & *Bethania* idem eſſe, cum poſterius hoc æque ac prius idem ſignificet. *Bethanian* enim eſſe quaſi בית אניה i. e. *domum navis*, h. e. ubi navis erat *ad transfretandum*. De nominibus his, & locis lege *Scaligerum* de Emendat. Temporum p. 518. & *Relandum* in Palæſtina Sacra p. 627.

πέραν τοῦ Ἰορδάνου) Particulam πέραν in ſe conſideratam ad exemplum vocis Hebr. עבר & *trans*, & *cis* verti poſſe, poſt alios obſervavit *Lamius* in

Hhh hh 2 Appa-

Apparatu Geographico c. VII. §. 3. Hin nonnulli in medio relinquunt, quæ interpretatio pro potiori haberi debeat. Conf. *Amelium* Part. II. p. 64.

ἦν βαπτίζων) Phrasi hac *ἐνδελεχισμὸν* & assiduitatem quandam hic indicari, ut significetur, Johannem non temere alibi inventum fuisse, sed eum quasi ordinarium præconii locum habuisse, contendit *Jo. Coccejus* Tom. II. Opp. Posthum. p. 456. Rem ipsam non negarim: sed ex phrasi ipsa id confici posse non puto, cum periphrasis illa imperfecti in N. T. frequentissime occurrat, iis etiam in locis, ubi ejusmodi assiduitas locum non habet.

Vers. 29. *Ἴδε, ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου*) Hoc comma Disputationibus singularibus illustrarunt nostratium permulti, quos laudatos videbis a M. *Wildeshausenio* in Biblioth. Dispp. Ex illis *Frischmuthi* Dissertatio recusa exstat in Thesauro Disputatt. super N. T. fol. 365.

Cur Christus *ἀμνὸς Θεοῦ* appelletur, data opera disquirit Rev. *Deylingius* Part. III. Obss. Sacrar. p. 254. sqq. ostendens, respici hoc nomine ad sacrificia & agnos in V. T. immolatos, Christumque ut antitypum eorum declarari: qua quidem occasione varia similitudinis, quæ inter Christum, & sacrificia illa, ipsamque immolationem utrinque factam, intercedit, momenta exponuntur. Confer *Amelium* Part. I. p. 245. sq. Ex Patribus hanc in rem commentatur *Suicerus* Tom. I. Thesauri p. 231. & Tom. II. p. 613. Sunt, qui speciatim ad hircum, in Festo Expiationis pro peccatis immolari solitum, respectum hic a Johanne haberi, existimant, eo, quod tunc temporis, quo Johannes hæc loquebatur, Festum Expiationis immineret, opusque adeo esset, ut animus populi ab illo hirco ad Christum, verum agnum, revocaretur. Ita statuit *Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra p. 481. & 641. item in Dissert. ad Jerem. XXIII. 6. p. 196. sq. Adstipulatur illi l. c. *Amelius*. Sed, si Johannis cap. II. 13. inspicias, non tam hoc Festum, quam solennia Paschatos, tunc imminuisse, adeoque de agno Paschali a Johanne cogitatum esse senties. Conf. *Lampium* ad h. l. & *Coccejum* Tom. II. Opp. Posthum. p. 456. Alii ad sacrificium juge seu duos agnos, mane & vespere immolari solitos, alludi h. l. volunt, ut *Vitringa* lib. II. Obss. Sacr. p. 221. & *Toinardus* in Harmonia Evangelistarum Græco-Latina pag. 25. Si eundem *Lemoynium* in Diss. ad Jerem. audimus, Johannes præterea hac agni appellatione Pharisæis, fastu elatis, humiliores de se animos ingerere instituit.

ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου) i. e. qui *φέρει*, *ἵνα αἴρῃ*, *fert*, *ut auferat peccatum mundi*, quæ scita est observatio *Campeg. Vitringæ*, hoc ipso ad agnum Paschalem alludi existimantis, qui non sacrificium tantum, sed & sacrificium propitiatorium fuerit, cujus sanguine Israelitæ mundati & expiati *τὴν ἀπολύτρωσιν* obtinuerunt. Conf. 1 Pet. I. 19. & lege *Vitringa* Comment. ad Jes. LIII. 12. Tom. II. p. 681. Similiter Rev. *Deylingius* in Obss. Sacr. p. 261. interpretatur per: peccata omnium hominum eorumque pœnas portare tanquam

onus

onus grave, & portando auferre, quod alias βαςάζειν dicitur. Recte omnino *Coccejus* Tom. II. Opp. Posthum. p. 457. *Hic locus*, inquit, *jugulat Socinum. Nam Christus tollit peccata ut agnus. Agnus autem cade tollit. Ergo Christi mors proprie tollit peccata. Acceptat vero sanguinem Christi pro nostro Deus, eadem ratione, qua sanguis i. e. anima pecudum loco & vice animae & sanguinis peccatorum acceptabatur.* Conf. Notas *Hackspanii* p. 397. sq. phraseos hujus δεινότητα a Photinianorum exceptionibus vindicantis, nec non *Jo. Conr. Dieterici* Antiquitates Biblic. N. T. Tom. I. p. 57. & *Suiceri* Thesaurum Tom. I. p. 133. Nec omitte Cl. *Jo. Henr. Maji* Obss. Sacr. lib. III. p. 50. sq. ex sacris & profanis Scriptoribus vim ejus ita eruentis, ut pateat, verbum αἴρειν *grave onus*, manibus aut humeris sublatum, exprimere. Lege *Matth.* IV. 6. *Luc.* IV. 11. &c. item *Polyaenum* VIII. 44. II. 35. & V. 8. 2. Idem vero Johannem mortem Christi ex cruce respexisse existimat, quippe qui αἴρειν crucem dicatur *Matth.* XXVII. 32. Eam vero sustulit in conspicuo *instar signi*, secundum *Jes.* XI. 12. & ipse quoque Salvator dicitur αἴρεσθαι ἀπὸ τῆς γῆς *Act.* VIII. 33. Ceterum per κόσμον *Gentiles* hic speciatim intelligit tanquam τοῖς ἰδίοις, de quibus v. 10. 11. contradistinctos, *Altingius* Tom. V. Opp. p. 144. in Heptade Dissertt. ut idem hic innuatur, quod Joh. XI. 51. 52. dictum est, Jesum *moriturum pro populo*, seu gente Judaeorum, *nec tantum pro gente illa, sed ut etiam filios Dei diversos congregaret in unum.* Rectius omnino, quam nuper Cl. *Lampius* p. 431. Commentarii sui, qui de *universitate electorum* hic censet esse cogitandum, contra quam *Calvinus* ipse & *Coccejus* l. c. p. 457. qui voci κόσμῳ generalem & proprium suum significatum h. l. rectissime relinquunt. Ceterum *Petavius* Tom. VI. Dogmatum lib. XIII. de Incarnat. c. II. p. 153. sq. universalitatem Redemtionis hominum per Christum factam ex Patribus edisserit.

Vers. 31-33. illustrantur a *Marckio* in Exercitt. Biblicis p. 623. sqq.

Vers. 31. Κἀγὼ οὐκ ᾔδειν αὐτὸν) Qui igitur ad baptismum accedentem arcere potuerit, quem non novisset, disquirunt hic Interpretes. Lege inter ceteros *Coccejum* l. c. p. 457. qui triplici ratione nodum hunc solvit. Vel enim 1) negat hic tantum Johannes, notitiam, quam de Christo habuerit, fuisse sufficientem. Vel 2) id vult, quod non suo ingenio, sive ex se, sed divinitus ipsum noverit. Vel 3) sensus est: *ego non agnovissem pro me*, vel *mihi non innotuisset mea causa.* Simplicissimum forte & verissimum fuerit dicere, Johannem hic tantum negare, Jesum de facie sibi cognitum fuisse. Confer *Witsii* Miscellan. S. Tom. II. p. 539. sq. *Episcop.* Tom. I. Opp. Part. II. p. 9. sqq. & ex nostratibus B. *Gottfr. Olearium* in Obss. Sacr. ad Matth. p. 92. sq.

Vers. 32. Ὅτι τεθέαμαι τὸ Πνεῦμα καταβαῖνον &c.) Vide, quae diximus ad *Matth.* III. 16. Ceterum apparitionem hanc Spiritus S. ab illa, de qua Matthaeus l. c. distinguendam putat *Wilh. Whistonus* in Harmonia Evangelistarum p. 123. sq.

Verſ. 33. *μένον ἐπ' αὐτὸν*) Τὸ *μένειν* hic denotat *perſeverare*, quod recte obſervat *Coccejus* Tom. II. Opp. Poſthum. p. 458. b. Confer 1 *Cor*. XV. 6. & *Joh*. I. 39.

Verſ. 35. Τῇ ἐπαύριον) i. e. non poſtero die præciſe, ſed *poſtea*. Facta enim hæc ſunt poſt ſuſceptum baptiſmum, a quo Chriſtus ſtatim abductus fuit in deſertum. Vid. *Ludov. Cappellum* ad h. l.

Verſ. 37. *καὶ ἤκουσαν αὐτοῦ οἱ δύο μαθηταὶ λαλοῦντος, καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ*) De prima hac Apoſtolorum vocatione, & aliis, eam conſecutis, lege B. *Sandhagenii* Sendſchreiben Dec. I. p. 65. ſqq.

Verſ. 39. *ποῦ μένεις*) De diverſorio accepit B. Lutherus, quod alii de habitatione. Vide B. *Raithii* Vindicias Verſ. Lutheri p. 414.

Verſ. 40. *ἔρχεσθε καὶ ἴδετε*) Phraſis Hebræis in ſcriptis inprimis Cabbaliſticis paſſim obvia, v. c. in *Sohar*, ubi frequenter legis: תא וחזי i. e. *veni & vide*. Lege *Grelloti* Prodromum in Apocal. p. 74.

ὥρα δὲ ἦν ὡς δεκάτη) De horis Judæorum lege commentantes *Coccejum* ad *Sanhedrin* c. X. c. 1. §. 1. & Cl. *Georg. Eliez. Edzardum* ad cap. I. Berachoth p. 255. ſq.

Verſ. 42. *Εὑρήκαμεν τὸν Μεσσίαν*) Meſſiæ nomen poſt Prophetas V. T. ad futurum mundi Redemtorem indicandum Paraphraſtæ Chaldæi familiariter adhibent, משיחא eum vocantes. Unus Johannes in N. T. h. l. & IV. 25. utitur. Quod novum eſt argumentum, divinum hunc Scriptorem libenter delegiſſe phraſes in populo Judaico tunc receptas, quod idem de voce *λόγος* & aliis ſimilibus ab eo factum eſt. De ipſius nominis rationibus lege præter *Cheitomæum* de vocibus Græco-Barbaris B. *Pfeiferum* p. 491. Opp. Criticorum in Quinquagena Locorum Hebr. & Exotic. N. T. *Matth. Hillero* in Syntagmat. Sacris p. 356. Græcorum *Μεσσίας* non ex Hebr. משיח ſed Chaldæorum משיחא proxime videtur repetendum. *Paulus Riccius* a Caninio p. 63. de locis N. T. notatur, qui *Moſian* pro *Meſſia* dicat. Sed ſecutus ille procul dubio eſt receptam Judæorum pronunciationem, qui τὸ *Kametz*, quod eſt in משיח, per *o* exprimere amant.

Verſ. 43. *σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς*) Κηφᾶς ex Chald. כיפא *petra*, poſt Hieronymum ad Galat. II. recte repetitur. Confer *Poſſini* Spicilegium Evangel. p. 44. & vide, quæ de eadem voce commentantur *Bochartus* in Geographia Sacra II. 4. & *Caſaubonus* Exercitatt. Anti-Baron. XIII. 18. *Jo. Harduinus παραδοξολογεῖ*, quando in Opp. Selectis p. 928. ſq. affirmat, Chriſtum hic non id ſibi voluiſſe, quod Petrus *Cephæ* nomine ſemper ſit vocandus, ſed expoſitionem per Πέτρος ideo addidiſſe, ut appareret, Petrum pro varietate regionum, nunc *Petri* nunc *Cephæ* nomine debere appellari. Sed

frivo-

frivolum hoc esse, recte monet *Lampius* p. 459. Commentarii sui, cum explicatio illa nominis Κηφᾶς non a Christo, sed ab Evangelista profecta sit. Ceterum de precaria hypothesi Harduini, Cepham 1 *Cor.* I. & *Gal.* II. memoratum, alium esse a Petro, alibi in his Curis diximus.

Vers. 46. Εὑρίσκει Φίλιππος τὸν Ναθαναὴλ) *Nathanaëlis* hujus exemplo ostendere instituit *Witsius* in Miscellan. Tom. II. Exerc. XVII. §. 29. sqq. quomodo comparatus esse debeat usus rationis genuinus in capitibus fidei. Vide etiam *Tillotsoni* commentationem de *Nathanaele sincero*, ex Anglico Germanice versam & notis *Marpergeri* instructam, *Norimb.* 1716. 8.

Vers. 47. Ἐκ Ναζαρὲτ δύναταί τι ἀγαθὸν εἶναι;) Plerique omnes verba hæc præ contemtu vilis oppiduli, ejusque in Galilæa, Judæis parvi æstimata, siti, dicta putant a Nathanaële. Confer, quæ hanc in rem afferuntur ad Joh. VII. 52. Atque id malim & ipse, quamvis *Coccejus* in Tom. II. Opp. Posthum. p. 459. neget ad vilitatem vel Nazarethæ vel Galilææ generatim hic haberi respectum, eo quod in hac re διακρίσεως aliquid καὶ προσωποληψίας esset futurum. Id itaque potius offendiculo Nathanaëli fuisse existimat, quod sciret, Messiam ex tribu Juda, atque adeo stirpe Regia, & urbe Bethlehemo oriturum. Hoc præstructo τὶ ἀγαθὸν idem ipsi est, ac si diceretur: *num quippiam inde erit, quod faciat ad salutem Israëlis.* Subtilitus hæc videntur cogitata, quamvis non sine exemplo etiam veterum, *Chrysostomi*, *Theophylacti* & *Ammonii* in Catena, quos ex recentioribus sequitur *Montacutius* Origg. II. p. 17. *Schottus* pro formula proverbiali habet in Adagial. N. T. p. 86.

Ἔρχου καὶ ἴδε) Vide ad v. 40.

Vers. 48. Εἶδεν ὁ Ἰησοῦς τὸν Ναθαναὴλ ἐρχόμενον) Per Nathanaëlem Apostolorum aliquem hic indicari ex eo Interpretibus nonnullis recte effici visum est, quod *Joh.* XXI. 1. 2. recensetur inter discipulos, quibus Dominus *se revelavit apud mare Tiberiadis.* Quæritur itaque, quis ille sit Apostolus? Plerique Interpretum, & alii, a *Lampio* diligenter laudati, de *Bartholomæo* non sine maxima veri specie cogitant, eo quod *Matthæus*, *Marcus* & *Lucas* nusquam *Nathanaëlis*, *Johannes* vero vicissim *Bartholomæi* nusquam fecerit mentionem, ut alia argumenta omittam. Ita statuentibus adde ex nostratibus B. *Jo. Conr. Dannhauerum* in Hagiologio Festivali, *Alethæum* in der Erläuterung Tom. II. p. 688. ex Anglis *Montacutium* Origg. Eccles. I. p. 347. & II. p. 18. & *Wilh. Caveum* in Vita Bartholomæi: ex Reformatis *Witsium* in Meletem. Leidens. Diss. III. p. 291. & novissime *Lampium* ad h. l. ex Pontificiis *Pet. Possinum* in Spicileg. Evangel. p. 379. & *Menagium* Tom. II. Menagianorum contra Augustinum disputantem. Dissentiunt vero hic Cl. *Fabricius* ad Codic. Apocr. N. T. Tom. II. p. 737. *Eberh. Rud. Roth* in discussione Qu. illustrium Histo-

Historicarum Qu. 5. & *Jo. Kindlerus* in Disput. de Nathanaële vere Israelita, *Witteb.* 1683. Conf. Thesaurum Theol. Philolog. Tom. II. p. 370. Dubie vero affirmat idem B. *Ittigius* in Selectis Capp. H. E. Sec. I. p. 459.

Vers. 49. εἴδόν σε) i. e. *novi* te, ut interpretandum censet *Drusius* lib. X. Quæst. per epistolas, ideo scilicet, quia antecessit quæstio: πόθεν με γινώσκεις; Sed rectius in communi notione persistimus.

Vers. 50. sqq. usque ad finem capitis singulari dissertatione expendit *Petrus Boschius*, quæ cum Vita ejus in Appendice III. edita est *Roterod.* 1694. 8. Lege summam ejus in Actis Erudit. Lips. an. 1694. p. 175. sqq. Potiora ejus cogitata, quippe quæ a *Lampio* in Commentario ad h. l. neglecta esse vidi, hic repetam. Putat ille, Dominum ad asserendum sibi titulum duplicem, nempe *Filii Dei* & *Regis Israëlis*, quo a Nathanaële affectus erat, duo allegasse miracula, fidem ejus rei, quod talis vere sit, factura: unum, quod visuri sint cœlum apertum super ipsum ut Regem, alterum, quod visuri sint adscendentes super ipsum Angelos, tanquam super Regem. Apertionem cœli de augustis e cœlo testimoniis, signisque, & miraculis, inposterum a Christo patrandis, interpretatur, quæ scilicet mundo clarissime testatura sint, Christum esse Filium Dei. Conf. *Matth.* III. 17. 1 *Pet.* I. 18. *Joh.* XII. 28. ubi de testimoniis cœlestibus & Matth. III. 16. XVII. 3. ubi de miraculis. Deinde observat idem, Christum se appellare *Filium hominis*, idque nomen respondere putat titulo *Regis Israëlis*, cum desumtum sit ex *Dan.* VII. 14. ad quem locum Nathanaëlem Christus quasi amandarit, ut intelligeret, eum se esse Filium hominis, cui Deus apud Danielem imperium dederit. In ejusdem vero rei argumentum afferre *Angelorum adscensionem & descensionem* super se, non quidem respectu habito a scalam Jacobæam, sed ad *Dan.* VII. 10. quasi dicere voluisset: posthac apparituros sum pro filio hominis, Rege illo admirabili, de quo vaticinatus est Daniel, quod quidem ex eo manifestum fiet, quod illi ipsi Angeli, quos Daniel circa Filium hominis conspicatus fuit, me circumstabunt veluti ministri, ituri redituríque, & in conspectu totius mundi mihi inservituri. Quod ipsum postea in passione, in sepulchro, ad sepulchrum, & in ipsa Christi adscensione factum fuisse constat. Digna hæc *Boschii* cogitata mihi videntur, quæ ad animum revocentur, & in majori luce collocentur ab iis, quibus in hoc argumento prolixius, quam mihi quidem nunc integrum est, versari allubescat.

Vers. 51. & 52. illustrandos sibi sumsit *Witsius* in Meletemat. Leidens. Exerc. III. Dodecadis Dissertatt. Exegetic. & *Alethæus* in der Erläuterung Tom. II. p. 687. sqq. Diversas vero Interpretum de ultimo inprimis commate sententias collegit Rev. *Kochius* in Observatt. Miscellan. Tom. I. p. 415. sq. & 1022.

Vers.

Verf. 51. πιστεύεις) Quædam exemplaria interrogandi notam heic adhibent. Sed ea mihi quidem cum particula ὅτι antecedente, quæ caufam fidei Nathanaëlis ftatim fecum fert, ftare non poffe videtur, quamvis alioquin quod ad fenfum nihil interfit. Verbo, eadem hic phrafis eft, quæ non interrogative, fed affertive occurrit *Joh.* XX. 29. ubi Dominus ita ad Thomam: ὅτι ἑώρακάς με, Θωμᾶ, πεπίστευκας.

μείζω τούτων ὄψει) *majora* hic dicuntur figna & prodigia poft adfcenfionem Chrifti in prædicatione verbi edenda, item miraculofa dona Spiritus S. interprete *Vitringa* ad Jefaiæ VI. p. 166. Tom. I.

Verf. 52. Ἀπ' ἄρτι ὄψεσθε τὸν οὐρανὸν ἀνεῳγότα, καὶ τοὺς ἀγγέλους τοῦ Θεοῦ ἀναβαίνοντας καὶ καταβαίνοντας &c.) Vide huc ex noftratibus B. *Glaffii* Philolog. Sacr. lib. V. Tract. I. c. 13. p. 1886. *Joh. Mich. Langii* Differt. de vifione Apoftolica Scalæ Jacobææ, Altorf. 1699. quæ recufa eft in Decade Diff. Theolog. item Auctores des Heb-Opfers Tom. II. p. 811. ex Reformatis præter *Boifium* & *Witfium* ll. cc. *Jo. Marckium* in Exercitatt. Scripturariis num. X. Nonnulli eorum totum hoc comma non accipiunt literaliter, fed apertionem cœli de miraculis fingularibus in locis mundi fuperioribus a Deo, ad teftandum de Filio fuo, editis v. c. in transfiguratione Chrifti, accipiunt cum *Witfio*, defcenfionem vero & adfcenfionem de minifterio Angelorum Chrifto, in terris verfanti, præftito, cum eodem *Witfio* & *Marckio*, ut ceteros taceam. Plerique vero fimul ad Scalam Jacobæam alludi volunt, ut *Rivetus*, *Marckius*, & ex noftratibus *Langius*, qui poftremus eam ita hic in mentem revocari exiftimat, ut innuat Dominus, fe eum effe, qui per fcalam illam Jacobo repræfentatus fuerit, Angelos vero fimul putat commemoratos, ut indicaretur, per Chriftum aditum in paradifum, qui ab Angelis olim præclufus erat *Gen.* III. 24. iterum apertum effe. Alii vero, ut im Heb-Opfer l. c. per *defcenfionem* Angelorum *ftatum Exinanitionis* Chrifti, per *afcenfionem* autem *Exaltationis ftatum* indicatum effe volunt, fimulque minifterium ipfi ab Angelis utrinque præftitum. Nec tamen defunt, qui literalem fenfum hic tuentur. Inter hos eft *Jo. Spencerus* de Legibus Hebr. Ritualibus p. 1366. *Et certe Angelos*, inquit is, *vere & proprie*, (*non typice tantum & umbratice*, *prout in Jacobi fomniantis fcala*) *fuper Chriftum adfcendiffe*, *& defcendiffe*, *nulli dubium effe poteft*, *cum toties ei miniftrarint. Nec minus a quæftione omni remotum eft*, *Chriftum efficere potuiffe*, *ut difcipuli fui fpectaculum tam divinum oculis fuis contrectarent. Vidit enim Elifæi famulus exercitum Angelicum*, *Stephanus cœlum apertum*, *& Chriftum a Dei dextris; Jefaias*, *Ezechiel & Daniel Seraphim & Cherubim fibi advolantes confpexere. Chrifto autem*, *hoc futurum affirmanti*, *tuto credamus*, *quamvis difertam ejus rei hiftoriam* (*neque enim omnia de Chrifto fcriptis traduntur*) *defideremus.* Nihil video, quod prohibeat, quo minus hanc fententiam, tanquam fimpliciffimam, & ad rem, quæ probanda erat, apprime pertinentem, falvis tamen aliorum judiciis, amplectamur.

CAP. II.

AD caput hoc integrum lege obſervata *Jo. Cocceji* Tom. II. Opp. Poſthum. p. 460. 461.

Verſ. 1. *γάμος ἐγένετο*) De ſponſo in his nuptiis varias veterum & recentiorum ſententias collectas vide a *Jo. Paulo Hebenſtreitio* in ſingulari Diſſert. Jen. 1693. edita, & in Pentade Diſſertatt. ejus num. II. recuſa. *Johannem* noſtrum eum fuiſſe cum *Haymone*, ad traditionem provocante, nonnulli affirmant. Sed vide contra hos ex *Pontificiis Baronium* ad A. C. XXXI. num. 31. & *Jo. Molanum* lib. IV. de Imaginibus cap. XX. ex *Reformatis Sam. Basnagium* in Annalibus Politico-Eccleſiaſt. A. C. 30. p. 268. *Pet. Bælium* in Dictionario ſub *Johanne*, & noviſſime *Lampium* in Prolegom. ad Commentar. in Johannem c. I. §. 13. ex noſtratibus autem *Jac. Thomaſium* Præfat. LXXVIII. Venerab. *Jo. Andr. Schmidium* de Apoſtol. Uxorat. p. 29. ſq. & Celeb. *Fabricium* ad Codic. Apocryph. N. T. p. 587. De miraculis, quæ Chriſto in his nuptiis tribuuntur, exſtat ſingularis Diſſertat. B. *Mayeri*, Gryphisw. 1703.

ἐν Κανᾶ τῆς Γαλιλαίας) De hac urbe lege inprimis *Relandi* Palæſtinam p. 679. ſq.

Verſ. 2. *ἐκλήθη δὲ*) Proprium hoc in iſto quidem argumento verbum eſt. Vide, quæ diximus ad *Luc.* XIV. Conf. *Stuckium* in Antiquitatt. Convival. lib. II. c. I. & alias.

Verſ. 3. *ὑστερήσαντος οἴνου*) Id *Xenophon* VI. Cyropæd. dixit: *οἰνῶν αὐτῶν γενομένων.*

οἶνον οὐκ ἔχουσι) Verba hæc B. *Sebaſt. Schmidius* in Paraphraſi ſua ſuper Evangel. Johannis ingenioſe, ut ſolet, ita interpretatur, quaſi Maria monuiſſet Chriſtum, ut cum diſcipulis ſuis abiret, ne defectu vini turpiter darentur Neogami, qui vero ipſi reſponderit, *horam ſuam*, nempe ſurgendi & abeundi, *nondum veniſſe.* Sed aliud quidem Mariæ hic fuiſſe conſilium, quod ad opem Domini implorandam pertinuerit, mihi ex verbis ejus ad famulos patere videtur, quibus ſcilicet præcipit, *ut faciant*, *quæcunque Dominus juſſerit.* Itaque exſpectabat mandatum aliquod a Domino ad præſentem neceſſitatem faciens, quale exſpectare non poterat, ſi de maturando & promovendo Chriſti abitu cogitaſſet. Itaque hæc expoſitio merito diſplicuit B. *Ittigio* in Selectis Capitibus H. E. Sec. I. p. 382. probata tamen eſt *Trillero* in der Unterſuchung etlicher Oerter Neues Teſtaments p. 96. & ex parte, nec ſine temperamento, *Pfeifero* in ſuis ad eam animadverſionibus p. 9.

V. 4 *Τί ἐμοὶ καὶ σοὶ γύναι;*) Phraſis hæc uſurpatur etiam externis Scriptoribus,

bus, ut *Herodoto* lib. V. p. 155. & totidem verbis, nisi quod γύναι absit, ex *Arriano* affertur a *Gellio* Noct. Attic. I. c. 2. quod commode observat Cl. *Schwarzius* in Notis ad Olearium de Stylo N. T. p. 261. ut proinde pro mero Hebraismo, qui 1 *Regg.* XVII. 18. & 2 *Sam.* XVI. 10. occurrere plerisque visus est, haberi non debeat. Confer, quæ scripta sunt ad *Marc.* I. 24. & *Matth.* XIII. 29. itemque *Wolfburgium* in Obss. Sacris p. 156. ut *Pfochenium* §. XL. *Erasm. Schmidium* in Annotatt. ad Matth. VIII. 29. & alios omittam.

Ipsam hanc Christi responsionem plerique omnes, si Pontificios, nominatim *Petavium* Tom. VI. Dogmat. lib. XIV. c. I. p. 212. de Incarnatione excipias, (quorum tamen nonnulli aliqua parte idem tuentur) pro reprehensione matris acceperunt, tum ex verbis ipsis, tum ex ceteris rei circumstantiis. Vide huc singularem *Georg. Vechneri* Tractatum *de austeritate Christi erga matrem*, Lesnæ Polon. an. 1640. editum, cujus summam habes apud B. *Ittigium* l. c. p. 382. Nonnulli, ut idem magis adstruant, provocant ad vocem γύναι. Sed illam quidem compellamentum & honestissimum & ὑποκοριστικώτατον feminarum fuisse, ostendunt alii, nominatim *Wilh. Baxterus* ad Anacreont. Od. XX. & *Menagius* in *Amœnitatibus Juris Civilis* c. XXV. cum quibus facit Cl. *Trillerus* in Notis MSS. ad h. l. qui & comparari vult *Joh.* XIX. 26. & XX. 15. atque ita παραφράζει· *quid mea & tua refert, æstimatissima femina, vinum deficere? Imo defecerit: auxilio meo suo tempore succurretur.* Sic & *Coccejus* in Opp. Posthum. ad h. l. Tom. II. p. 460. non tam objurgationem hic agnoscit, ad dignitatem & majestatem suam, in quam injuria visa sit Maria, asserendam, quam aversationem & rejectionem nimiæ solicitudinis & animi nimium abjecti: quasi diceret Christus: *apage cum tua solicitudine & diffidentia tua: ego hoc curabo. Non places mihi nimis timida.* Quem hujus phraseos sensum esse putat 2 *Sam.* XVI. 10.

Qui objurgationem, vel aversationem hic agnoscunt, de eo jam soliciti sunt, ut adsequantur causam, quæ Christum eo perduxerit. Eas alii alias afferunt, quas velim apud Cl. *Lampium* legas. Inter eas tamen omissam video illam, quam *Vechnerus* singulari libro, quem modo appellavi, ornandam suscepit. Is scilicet vult, ægre tulisse Dominum, quod Maria se, in nuptiali convivio convivas, & in his discipulos suos, recens adscitos, salutaribus monitis instruentem, tempore minus opportuno interpellaret. Quam parum vero hæc conjectura veri similis sit, satis puto ostendisse *Ittigium* l. c. Mihi quidem Dominus vere hic objurgasse Matrem videtur, tum ob nimiam solicitudinem, tum ob importuniorem auxilii postulationem, quam ipsis quoque gestibus & voce concitatiore præ se tulisse videtur. Ceterum ineptiunt omnino, qui ex voce γύναι cum Judæis quibusdam Mariæ virginitatem in dubium vocant, contra quos lege *Gusseti* Confutat. libri *Chissuck Emuna* Part. I. cap. XXXIX. n. 20. & Part. II. cap. 42. vel qui cum *Helvidio* hinc colligunt, Mariam non mansisse Virginem. Contra

tra hos diſputat *Hackſpanius* in Notis p. 402. Vide etiam *Suicerum* Tom. I. Theſauri p. 811.

ὄυπω ἥκει ἡ ὥρα μου) Præſens hic ponitur pro Præterito, ut apud *Xenophontem* Cyropæd. lib. I. p. 17. & *Luc.* XV. 17. Sententiam verborum ita cepit *Hammondus* ad h. l. quaſi Chriſtus negaret, tempus adhuc veniſſe, *quo miraculis publice ſe manifeſtum faceret*, unde & putat, ipſum illud miraculum non omnibus, ſed tantum Mariæ, architriclino & famulis innotuiſſe. *Clericus* viciſſim in animadverſionibus pro ſimplici & pura auxilii denegatione habet. Contra utrumque lege *Wolfburgium* in Obſſ. Sacris p. 156. qui recte arbitratur, hic tantum a Chriſto negari, tempus nunc quidem opportunum ad miraculoſam opem præſtandam adeſſe. Similiter ὥραν de tempore opportuno accepit *Steph. Morinus* de Horis Paſſionis p. 47. Atque hanc ſententiam toti ſermonis feriei apprime reſpondere exiſtimo, quemadmodum & Chriſtus, interjecto aliquo tempore, nec novis monitis excitatus, ſed ſua ſponte, deſideratam opem præſtitit, & hoc ipſo oſtendit, nunc demum tempus illud opportunum veniſſe. Fuerunt, qui hic de tempore paſſionis & abitus ſui ad Patrem, quo demum gloria Chriſti plene manifeſtari debebat, Chriſtum cogitaſſe cenſent. Ita video ſtatuere *Jac. Basnagium* in Hiſtoria N. T. p. 44. & data opera *Lampium* p. 504. ſq. Sed iſta quidem, fateor, ſubtiliora & obſcuriora mihi videntur, quam ut vel ad Mariæ poſtulationem, vel miraculum manifeſtationemque gloriæ, paulo poſt ſubſecutam, ſatis accommodari poſſint. Nec puto ſententiam hanc fulciri eo poſſe, quod eadem vocis ὥρα notio conſtanter in ſequentibus apud Johannem obtineat. De eo enim dubitandi cauſa eſt. Nam, ut de ceteris locis non dicam, ipſum comma 23. capitis IV. aliud credere jubet. Ibi enim Sanctiſſimus Servator ait: ἀλλ᾽ ἔρχεται ὥρα καὶ νῦν ἐςι. Hic certe vox ὥρα non tam abitum Chriſti, quam tempora eum ſubſecuta infert, & præterea *tempus* illud, quo Pater adorandus ſit ubique, jam *actu* adeſſe dicitur. Itaque nec eo loco vox ὥρα id infert, ad quod ſignificandum allegatur.

Verſ. 5. λέγει τοῖς διακόνοις) διάκονοι ii Græcis paſſim dicuntur, qui menſis miniſtrant. Vide *Jac. Rhenferdii* Diſſertatt. junctim editas p. 375. ſqq.

Verſ. 6. Ἦσαν δὲ ἐκεῖ ὑδρίαι λίθιναι) Hydrias ejusmodi lapideas fuiſſe, non ſine certis cauſis oſtendit ex Hebræorum ſcriptis Cl. *Danzius* in Diſſert. de baptiſmo Proſelytorum pag. 68. ſq. Marmoreas fuiſſe, nunquam probabunt ex venditatis earum reliquiis Pontificii, de quibus vide *Huetium* apud Tilladetum Diſſertatt. Gallice editarum Tom. I. p. 187. Figura hydriæ ejusmodi exſtat in limine der Unſchuldigen Nachrichten An. 1718. p. 357. quam tamen Muhamedano potius cuidam ad quotidianas lotiones inſerviiſſe Auctores earum non vane conjiciunt.

Ad lotionem eas adhibitas fuiſſe, contendit *Eduard. Pocockius* in Notis ad

ad Portam Mosis p. 359. easque præterea vel siphonibus instructas fuisse suspicatur, quos sibi quivis, manus mundaturus, recluderet, vel majora saltem vasa fuisse, e quibus in minora aqua in convivarum usum depromeretur. Vicissim carnibus detergendis inserviisse, existimat B. *Cnollenius* in laudatis modo Relationibus Innoxiis an. 1712. p. 829. De baptismo proselytorum hic cogitavit *Altingius* Tomo V. Opp. in Heptade VII. 7. Dissertatt. §. 32. minus verisimiliter, quod recte ostendit *Lampius* p. 506.

κατὰ τὸν καθαρισμὸν) i. e. *ad purificationem*, quæ notio τῦ κατὰ est ad *Tit.* I. 1. quod observavit Rev. *Raphelius* in Semicenturia Annotatt. Philologic. p. 9. & in Annotatt. Polybian. pag. 264. In eandem sententiam nonnulla externorum Scriptorum, *Arriani* de Expedit. VI. 17. & *Antonini Liberal.* Fab. 24. & 38. affert Cl. *Elsnerus* p. 297.

χωρῦσαι) *capientes.* Vide *Ælian.* V. H. II. 41. & Hist. Anim. V. 3. De vasta earum capacitate lege *Possinum* in Spicileg. p. 90. & *Andr. Reyherum* in Mathesi Mosaica p. 789. sqq.

ἀνὰ) i. e. *singulæ* : conf. *Matth.* XX. 9. Eodem sensu profani, ut *Polybius* lib. I. c. 16. p. 21. & alii apud *Elsnerum* l. c.

μετρητὰς δύο ἢ τρεῖς) De mensuræ hujus ratione lege *Waserum* de antiquis Mensuris lib. III. c. V. & *Hosium* in Tom. IX. Crit. Anglic. p. 3658. Nuper *Eisenschmidius* de Ponderibus & Mensuris Sect. II. c. 4. capacitatem earum ita computavit: *Si singulæ hydriæ binas metretas ceperunt, proveniunt pro sex hydriis* 10. *Ohmæ*, 10. *Mens. Argent. seu Pintæ Parisienses* 505. *Sin ternas* 15. *Ohmæ*, 16. *Mens. Argent. seu Pintæ Paris.* 757. *Medium est* 13. *Ohmæ*, 1. *Mens. Argent. seu Pintæ Paris.* 631.

De voce *μετρητὴς* lege interpretes ad *Pollucem* lib. X. c. 20. §. 70. 71. p. 1233. & *Montacutium* II Origg. p. 30. qui vertit per *cadum*, eumque cepisse ait 10. congios, 60. sextarios, 120. heminas & 720. cyathos.

Vers. 8. *Φέρετε τῷ ἀρχιτρικλίνῳ*) De nomine hoc & officio lege ex Inscriptionibus Latinis & antiquitate Hebræorum differentem *Ursinum* in Appendice ad Ciacconium de Triclinio p. 344. sq. Ille confert cum *προγεύστῃ*, quem Latini *prægustatorem* dicunt. Alii cum *Tricliniarche*, quem *Petronius* Sat. c. XXII. vocat, conferunt, ad quem vide *Wowerium*. *Dougtæus* in Analect. N. T. Exc. XXXIX. pro convivii moderatore habet, ab ipsis convivis sortito electo. Adde in eandem sententiam *Suicerum* in Thesauro Tom. I. p. 536. Lege præterea *Bulengerum* de Conviviis lib. IV. c. 4. ubi de Architriclino & cap. V. ubi de prægustatore: nec non *Stuckii* Antt. Convivales II. 7. Ex Antiquitatibus Hebraicis hoc explicari non posse, ipsa nominis ratio evincit.

Vers. 9. *καὶ ὐκ ᾔδει πόθεν ἐςὶν*) Parenthesin ab his verbis minus recte inchoari, quæ post ea demum auspicanda erat, existimat Cl. *Elsnerus* pag. 298. & proinde vertit: *neque sciret, unde esset.* Hanc enim addit fuisse rationem, cur verbis, sequenti commate commemoratis, compellaret sponsum, tanquam qui nesciret, unde vinum esset?

Ceterum Gentiles Diis ſuis eandem facultatem, aquam in vinum convertendi, tribuiſſe, docet idem l. c. Conf. B. *Olearii* notas ad Philoſtratum in Vita Apollonii p. 106.

Φωνεῖ τὸν νυμφίον) Non eum ad ſe arceſſit, ſed elatiori voce tantum compellat, ut fieri neceſſe eſt in convivali ſtrepitu, præſertim ſi quis ex intervallo alterum alloquatur. Ita *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 126. qui id illuſtrat ex *Xenophonte* in Conviv. p. 692.

Verſ. 10. *Πᾶς ἄνθρωπος πρῶτον τὸν καλὸν οἶνον τίθησι* &c.) Verba hæc *Georg. Vechnerus* ad calcem libri de auſteritate Chriſti in Mariam expendit, & ex more Græcorum libandi ſub finem conviviorum poculi illuſtrat.

ὅταν μεθυσθῶσι) Non *ebrietatem* hic, ſed *ſatietatem* inferri, oſtendunt *Hackſpanius* in Notis p. 403. & *Feſſelius* in Adverſariis Sacris Tom. I. p. 248. & 250. nec non *Boiſius* in Collatione p. 286. qui etiam præ ceteris obſervat, ipſum verbum *inebriari* molliore & latiore ſignificatione minus quiddam denotare, quam ſit illud, quod vulgo hoc verbo denotari putatur.

Verſ. 11. *Ταύτην ἐποίησε τὴν ἀρχὴν τῶν σημείων*) De horum verborum emphaſi lege *Vechnerum* ad calcem libri modo laudati. Huc pertinet diſputatio de eo, num Chriſtus ante hoc tempus miracula ediderit, quæ ex ipſa hac divini Scriptoris aſſertione facile conficitur. Confer tamen Cl. *Fabricium* ad Apocrypha N. T. paſſim, & *Pitſchmannum* in Dubiis Vexatis Hiſt. Eccleſ. Faſcic. II. p. 126. ſq. item B. *Mayeri* Diſſert. in limine hujus capitis memoratam.

ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν) i. e. confirmati ſunt in fide. Confer *Petavii* Dogmata Tom. I. p. 355.

Verſ. 12. *καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ*) Quo ſenſu hic *fratres Jeſu* appellentur, diximus alias. Confer, ſi placet, *Jo. Pearſonum* ad Symbolum Apoſtol. p. 312.

Verſ. 14-17. illuſtratos vide a *Guil. Saldeno* in Diſſert. ſingulari *de Jure Zelotarum*, quæ addita eſt ejus Concionatori Sacro, & recuſa in Otiis p. 612 ſqq. ubi tota hæc res tanquam ingens miraculum ex veterum Doctorum ſuffragiis repræſentatur, & contra *Seldenum* de Jure Naturæ & Gent. IV. 5. oſtenditur, Dominum noſtrum non ex mero Zelotarum jure hoc impune tuliſſe. Conf. dicta ad *Matth.* XXI. 12.

Verſ. 14. *ἐν τῷ ἱερῷ*) ſenſu latiore, de quo vide *Conſt. Lempereur* ad Cod. *Middoth.* p. 48. & 139.

τοὺς πωλοῦντας βόας καὶ πρόβατα) Phœnicas hos fuiſſe mercatores, non Judæos, ex *Zach.* XIV. 21. contendit Cl. *Maſſonus* in Hiſt. Critica Reipubl. Literar. Tom. VIII. p. 38. Sed non eſt veriſimile, Judæos eos ad mercaturam in his rebus loco ſacro faciendam admiſiſſe.

καὶ

καὶ περιστερὰς) Confer huc *Jo. Wulferum* ad *Schekalim* c. V. §. 1.

τὰς κερματιστὰς) Vide *Waserum* II. 13. de Numis Hebræorum.

Verf. 15. *καὶ ποιήσας φραγέλλιον*) De voce hac vide, quæ fcripfimus ad *Matth.* XXVII. 26. *Suldenum* in Otiis Theolog. p. 618. *Jof. Arndium* in Mifcell. Sacr. p. 65. nec non *Jo. Schefferum* de re vehiculari lib. I. c. XIV. qui fpeciatim probat, flagella ex juncis plecti folita fuiffe.

καὶ τὰς τραπέζας ἀνέστρεψε) *Lamb. Bos* in Exercitt. ad N. T. p. 60. legi mavult *ἀνέτρεψε*, ideo quod verbum *ἀνατρέπειν* in hoc negotio proprium effe variis exemplis, ibi allatis, conftare putat. Sed receptam lectionem recte vindicavit Cl. *Jo. Alberti* in Obff. Sacr. p. 209. Ita enim in Fragmentis Æliani p. 967. V. *περιέσπασας* legitur: *τὸν βωμὸν ἀνέστρεψαν*, *aram fubverterunt*: & *Hefychius ἀνατρέπειν* explicat per *ἀναστρέφειν*, & *ἀναστρέφειν* per *ἀνατρέπειν*, quemadmodum *Diogenes Laërtius* lib. VI. p. 384. *τὰ κάτω* ait *ἀναστρέφεσθαι*. Accedit, unum tantum Codicem Montfortianum apud *Millium* ita, ut *Boifius* voluit, legere.

Verf. 16. *τοῖς πωλοῦσιν εἶπεν*) Codex unus *Cypr.* *τῷ πωλοῦντι*, ex quo *Millius* alteram illam lectionem jam olim factam fufpicatur ob fequentia verba in plurium numero *ἄρατε* & *μὴ ποιεῖτε*. Non folicitanda, puto, erat lectio univerfali Codd. & verfionum confenfu ftabilita, & ferie fermonis fuffulta.

Verf. 17. *Ὁ ζῆλος τοῦ οἴκου σου κατέφαγέ με*) Verba hæc cum *Pf.* LXIX. 10. confert Cl. *Surenhufius* in libro *Καταλλαγῆς* p. 346. fq. De re ipfa lege *Bofcii* Sermones Gallice editos Part. I. p. 285.

Phrafis *κατέφαγέ με* emphatica eft, & externis quoque Scriptoribus non ignota, qui affectus vehementiores animum hominis accendere dicunt. Sic Pythagoras apud *Laërtium καρδίην μὴ ἐσθίειν* jubet. Vide etiam Paulum Silentiarium apud *Stobæum* Serm. III. p. 51. *Catullum* Carm. 66. 23. & *Virgilium* Æn. IV. 66. quæ loca affert Cl. *Trillerus* in Notis MSS. Plura ejusmodi loca lege in Cl. *Lampii* Comment. ad h. l. & in *Mart. de Roa* Singularibus IV. 4. *Domum Dei* hic non de *templo* ipfo, quippe quod parum cordi fuerit Domino, fed de Ecclefia ex fidelibus & infidelibus conftante, accipi hic vult *Guffetus* in Lexico Hebr. p. 680. radice פלל. Putem tamen in præfenti commate per *οἶκον templum* inprimis una cum cultu, qui Deo in illo præftari debebat, refpici, quod vel ex commate 16. apparet. Pro *κατέφαγε* Millius cum Codd. nonnullis mavult *καταφάγεται*. Sed vide *Whitbium* p. 48.

Verf. 18. *Τί σημεῖον δεικνύεις ἡμῖν;*) *Σημεῖον* primum per *exemplum* verterat *Caftellio*, fed ideo notatus, deinde *fignum* maluit, recte quidem, ut patet ex *Defenfione* ejus p. 442.

Verf.

Verf. 19. *Λύσατε*) λύειν hic ponitur pro καταλύειν i. e. *destruere*, ut *Matth.* XXVI. 61. & XXVII. 40. ut & *Esdr.* I. 55. in Apocryphis, & apud *Herodianum* VII. 1. obfervante Cl. *Elsnero* p. 299. Interim Chriftus hic non *imperavit* id fieri, fed, fi fieret, quid eventurum effet, docuit. Similiter infra ad Judam XIII. 27. *quod facis, fac cito.* Senfus eft: *si me interfeceritis, excitabo corpus meum.* Confer *Hackspanii* Notas p. 404. & *Seldenum* de Synedriis II. 7. p. 231. Ceterum gloriofa & majeftatica dicendi ratio hic a nonnullis recte obfervatur. Vide *Petavii* Dogmata Tom. II. p. 117.

τὸν ναὸν τοῦτον) i. e. τοῦτο τὸ σῶμα v. 20. quæ loquendi forma δεικτικὴ *Sophocli* frequens eft, ut in Ajace v. 83. τῷ δ' ἀνδρὶ, ubi Schol. ait ἀντὶ τοῦ ἐμοί. Conf. *Jo. Alberti* Obff. Sacr. p. 209. Patrum cogitata lege apud *Suicerum* T. II. Thefauri pag. 386. & apud *Petavium* T. V. Dogmatum lib. VII. c. 10. de Incarnat. p. 357. & p. 364. Adde *Pet. Zornii* Opufcula Sacra p. 395.

ἐγερῶ αὐτὸν) *Lucianus* in Pfeudomant. p. 874. ναὸν dixit ἐγείρεσθαι, nec minus alii, de quibus lege *Elsnerum* l. c. Ex phrafi hac recte conficit *Fesselius* Tom. II. Adverfarior. Sacr. p. 390. Chriftum fe ipfum excitaffe. Conf. *Joh. Pearson.* ad Symbol. Apoftol. p. 455. & 461. Alia loca his fimilia ex *Herod.* VIII. 1. & 5. item c. 2. ubi πύργους καὶ ἐπάλξεις ἐγεῖραι ait, addit Cl. *Trillerus* in Notis MSS. Ita *urbem excitare* Livius & Florus dicunt. Conf. *Ezech. Spanhemium* ad Callimachum. Sententiam, hoc commate propofitam, diligentiffime, ut folet, expofuit B. *Dorscheus* in Difp. fingulari, *Argentor.* 1643. quæ ibidem 1686. recufa eft. Confer etiam Programma fingulare a Rectore Univerfitatis Lipfienfis an. 1722. de h. l. promulgatum.

Verf. 20. Τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν ᾠκοδομήθη ὁ ναὸς οὗτος) Diffentiunt Interpretes in computo hoc ex temporum ratione eliciendo, quorum alii de templo fecundo, prout ab ipfo Zorobabele exftructum eft, alii de eodem ab Herode ornato & amplificato fermonem effe contendunt. Diverfas utriusque partis fententias enarratas videbis ex noftratibus a B. *Dorscheo* in Difputat. de Templi perfonalis Jefu Chrifti folutione & excitatione, ex Reformatis vero a *Jo. Marckio* in Exercitatt. Scripturariis num. XI. & noviffime *Lampio* ad h. l. *Marckius* omnes illos annos in computum cooptandos ftatuit, quos tum Zerobabel, tum Pontifices quidam & ipfe denique Herodes exftruendo & ornando illi Templo impenderunt. Quomodo utrinque computus hic fibi conftet, five de Templo Zerobabelis ipfius, five de amplificatione ab Herode fufcepta accipias, oftendit *Coccejus* Tom. II. Opp. Pofthumorum p. 461. Confer præterea *Possinum* in Spicilegio p. 134. & *Witsium* in Mifcellan. Tom. II. Exerc. XI. §. 49. fqq. & qui a Cl. *Fabricio* in Bibliographia Antiquaria p. 286. laudantur. Nonnulli recte obfervant, nos quidem de hac re prorfus folicitos effe non debere, tanquam a Judæis five vere five falfo tradita. Lege huc *Rich. Kidderi* Demonftrationem Meffiæ Part. II. p. 121. fqq. & *Gusseti* Confutationem libri Chiffuk Emuna p. 401. qui pofterior,

sterior, postquam contra auctorem illius ostendit, Johannem in sermone, quem Judæis tribuit, nihil mutasse, nec causam mutandi habuisse, observat Judæos locutos esse de templo Zorobabelis, & præ impetu contradicendi tanquam homines plebejos, & historiæ sacræ parum gnaros, *duorum operum circumstantias*, templi nempe restituti & Urbis instauratæ, confudisse, per errorem, si de mendacio cogitare nolis.

Coactam Augustini expositionem horum verborum recte notat & improbat *Joh. Mich. Dilberrus* in Electis Sacris lib. III. c. 26.

Vers. 22. καὶ ἐπίστευσαν τῇ γραφῇ) γραφὴ hic de tota Scriptura Sacra, de Christo testante, accipienda est. Vide *Suiceri* Thesaurum Tom. I. p. 784.

Vers. 23. ἐπίστευσαν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ) De phrasibus πιστεύειν τινὶ & εἴς τινὰ, tanquam promiscue adhiberi solitis, diximus in hoc Opere alias. Inspice, si placet, *Coccejum* in Opp. Posth. p. 461. ad h. l. & *Jo. Pearsonum* ad Symbolum Apostol. in limine. Hic tamen phrasis πιστεύειν εἰς τὸ ὄνομα emphasin habet, & de fide non mere historica, sed salvifica accipienda videtur, respectu scilicet habito ad plerosque eorum, de quibus hic sermo est. Nonnulli enim in hac fide non permanebant, nec sinceri erant, quod patet ex v. 24.

C A P. III.

VErsus 1-21. illustrantur a *Jo. Coccejo* in Opp. Posthumis Tom. II. p. 6-17. totum vero caput ibidem p. 462—473. Adde B. *Sever. Walth. Sluteri* Disput. de Colloquio Christi cum Nicodemo, Rostoch. 1672.

Vers. 1. Νικόδημος) Talmudici passim appellant quendam נקרימון filium *Gorionis*, quem nonnulli cum nostro eundem, nescio, quam recte, statuunt. Vide inprimis *Jac. Altingium* in Schilo lib. IV. c. XXIII. & XXIV. & B. *Mayeri* Eclogam Evangel. ad Festum Trinitatis Qu. I. aliosque, quos laudavi in Biblioth. Hebr. Tom. II. p. 854. Alia de Nicodemo, vel vere, vel falso, tradita lege apud B. *Ittigium* in Hist. Eccles. Sæc. I. p. 388. & Cl. *Fabricium* in Notis ad Codicem Pseudepigr. N. T. passim. Adde quoque *Sixti Aspach* Disput. de Nicodemo, Hafn. 1696. habitam.

ἄρχων τῶν Ἰουδαίων) Ex hac appellatione colligunt nonnulli, Nicodemum fuisse Synedrii Judaici assessorem. Ita *Alex. Morus* in Axiom. Theolog. I. *Coccejus* Tom. II. Opp. Posth. p. 462. & alii. Sed videtur vox hæc latius patere in N. T. ita, ut *doctores publicos*, solenniter constitutos, & pro talibus habitos, inferat, ex quibus deinde in Senatum cooptari poterant & solebant, quemadmodum etiam capita Synagogarum ex iis eligebantur. Atque

que hi appellantur nunc ἄρχοντες τῦ λαῦ, ut *Act.* III. 17. IV. 8. XIII. 27. nunc ἄρχοντες τῆς συναγωγῆς *Luc.* VIII. 41. nunc ἄρχοντες simpliciter, quod patet ex *Matth.* IX. 18. 23. si cum Lucæ loco citato comparetur. Ex his *Doctoribus* fuisse Nicodemum, merito statuimus, inprimis ideo, quod qui ἄρχων hic appellatur; idem v. 10. a Christo vocatur διδάσκαλος i. e. רב τῦ Ἰσραήλ. Caussam hanc, & simul sententiæ nostræ argumenta plenissime cognosces, si legeris, quæ *Campeg. Vitringa*, de Synagoga vetere lib. II. c. 10. & lib. III. Part. I. c. 1. itemque *Rhenferdius* in Investigatione Præfectorum & Ministrorum Synagogæ erudite disputarunt. Adde quoque *Serarium* in Trihæresio, p. 56. Fieri itaque potuit, ut Nicodemus non solum esset Doctor & Præfectus Synagogæ, sed etiam membrum Synedrii, tanquam in quod cooptari ejusmodi doctores solebant. Sed ex voce ipsa per se id non conficitur, cum ἄρχοντες hi a Synedrii membris distinguantur *Luc.* XXIII. 13. & XXIV. 10. Quicquid hujus erit, multum certe valet, & ad gloriam Domini facit, quod Nicodemus, Doctor publicus, Jesu doctrinam requirat, & mansuete audiat, ministerioque ejus tam præclarum testimonium, quod v. 2. exstat, conferat. Longius a vero sensu abire mihi videntur, qui cum *Alex. Moro* p. 75. sq. ad natales tantum & dignitatem externam hunc titulum referunt. Huc tendit quoque *Martianaus* in *Essais* p. 275. vertens: *un des principaux Juifs;* & *Rich. Simon:* qui interpretatur, *homme du premier rang.*

Vers. 2. οἴδαμεν) Vocem hanc, in plurium numero positam, strictissime hic accipi vult *Wakius* in Disputat. de Curatione Christi Sabbatica, præside Cl. *Danzio*, habita, p. 18. quod scilicet Nicodemus non suo solum, sed Synedrii, & Collegarum suorum nomine hic profiteatur, se nosse & convictos esse de vocatione Christi divina potentiaque miracula edendi. Si quidem id admittamus, quod libenter ego fecerim, pateret omnino, quantopere conscientiæ suæ repugnarint ipsi illi doctores, qui se tanta animi contentione & acerbitate Domino opposuerunt; pateret etiam, non obscure hic a Nicodemo malæ fidei, & imposturæ eos insimulari.

Vers. 3–10. illustratos lege a *Jo. Marckio* in Sylloge Dissertationum Roterod. 1721. 4. edita Exerc. XII. nec non a B. *Zimmermanno* in Tractatu ad Dictum Tertulliani: *Fiunt, non nascuntur Christiani* p. 182. sq.

Vers. 3. ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν) Τὸ ἄνωθεν ab aliis hic redditur *superne*, vel *sursum*, ab aliis vero: *denuo*, *iterum*. Pro priori significatu pugnant loca fere omnia N. Test. in quibus eodem sensu occurrit, & Patres nonnulli, de quibus *Suicerus* Tom. I. p. 396. Sed posterior tamen hic ideo præferendus videtur cum B. Luthero nostro, quia Nicodemus ipse vocem Syriacam, qua Dominus tunc usus est, ita accepit, quando v. 4. memorat τὸ δεύτερον γεννηθῆναι, sicut & regeneratio alias in Sacris literis ἀναγέννησις & παλιγγενεσία vocatur 1 *Pet.* I. 3. & *Tit.* III. 5. Itaque recte istam notionem

tionem hic tuentur *Gatackerus* in Cinno p. 50. *Suicerus* Thesauri Tom. I. p. 397. *Alex. Morus* ad h. l. p. 75. *Jo. Boisius* in Collat. p. 287. *Coccejus* l. c. p. 462. & novissime *Lampius*, apud quos etiam alia hujus significationis exempla inveneris. Inter eos *Morus* Nicodemum a Christo non solum ad suscipiendum baptismum excitatum putat, sed altioris insuper nobilitatis admonitum, atque a nimia sui generis & prosapiæ admiratione deductum. Sed posterius hoc precaria illa de splendore natalium Nicodemi hypothesi nititur.

ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ) Hebraica potissimum phrasis est, quando τὸ videre de fructu usurpatur, quem quis ex re aliqua capit. Vide hanc in rem *Gatackerum* de Stylo N. T. cap. XXXVIII. ubi præterea ostendit, sensuum reliquorum objectis visum, tanquam sensuum omnium nobilissimum, ab Auctoribus accommodari solere. Confer præterea ad hoc comma *Andr. Mulleri* notas ad Azizi Tartari Fragmentum n. 11. sqq. & *Wallium* in Historia Pædobaptismi Anglice edita p. 354. sq.

Vers. 4. *πῶς δύναται ἄνθρωπος γεννηθῆναι γέρων ὤν*) Non improbo Interpretes, qui Nicodemum, commemorata *senili* ætate ad se ipsum speciatim, in illa ætate jam constitutum, respexisse opinantur. Quæ alia hic habet Auctor quæstionum de revolutione animarum Qu. 194. nemini se facile probabunt.

μὴ δύναται εἰς τὴν κοιλίαν τῆς μητρὸς αὐτοῦ δεύτερον εἰσελθεῖν) Id usu venire cani marinæ, *Oppianus* Halieut. I. v. 737. nescio qua fide affirmat. Vide locum apud Cl. *Elsnerum* p. 300. qui & *Hesychium* voce *δευτερόποτμος* huc advocat.

Vers. 5. *Ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ Πνεύματος*) Baptismum tanquam regenerationis spiritualis principium, hic indicari nostrates inprimis Theologi tum in Institutionibus Dogmaticis, tum in singularibus Dissertationibus, inter quas *Ittigii* de baptismo fidelium, Lips. 1678. *Sonntagii* de pædobaptismo, Henneberg. 1689. & *Zeidleri* de regeneratione, Regiom. 1693. eminent, unanimi consensu recte tradiderunt, quos huc legi velim. Adde *Hackspanium* in Notis pag. 404. sq. & *Wolfburg.* in Obss. Sacr. pag. 571. Atque ita quoque Patres statuisse diligenter ostendit *Wilh. Wall* in Historia Pædobaptismi Part. II. c. 6. & *Gerh. Joh. Vossius* in Tom. VI. Opp. p. 268. sqq. Atque eam quidem interpretationem tum vocis *aqua* notio nativa, non sine gravibus causis unquam deserenda, tum *baptismus Johannis* eo tempore jam receptus, tum exemplum Apostolorum, qui baptismo ad homines regenerandos utebantur, satis firmant, ut mirum sit, nonnullos in alia omnia hic abire, & ad metaphoricam significationem dilabi potuisse. Ita ex Reformatis *Coccejus* Tom. II. Opp. Posthum. p. 463. ænigmaticam & symbolicam locutionem hic invenit, ut per *aquam* intelligatur gratia Dei, sordes & vitia abluens, per *Spiritum* autem spiritus vivificans ad sanctimoniam & amorem Dei vivum. Conf. ejusdem ope-

Kkk kk 2 ra

ra Tom. VI. inter Epiſtolas p. 72. *Witſius* in Oeconomia divina lib. III. c. VI. §. 24. per *aquam & Spiritum* unam eandemque rem, ut *Matth.* III. 11. per Spiritum & ignem indicari affirmat. Alii ad *aquas adſperſionis*, in V.T. tam ſæpe memoratas, alludi opinantes, *obedientiam Chriſti* hic innui, contendunt, inter quos noviſſime hoc egit *Lampius* ad h. l. Ei ex parte præivit *Campeg. Vitringa* in Typo Pietatis, germanice converſo p. 31. notatus ideo in Relationibus Innocuis an. 1718. pag. 826. *Marckius* l. c. per *aquam* intelligit doctrinam Evangelii, quippe quæ & pura ſit, & homines a peccatorum ſordibus mundet eosque ad bonos fructus edendos idoneos efficiat. Ipſa illa diverſarum ſententiarum, (quibus *Jac. Bernardi* cogitata in Novis Reip. Literar. anni 1708. Tom. II. pag. 572. ſqq. jungi poſſunt) recenſio per ſe oſtendit, quam periculoſum & dubii plenum ſit literam deſerere, & remotiora venari. Ab hoc ſcopulo parum quoque ex noſtratibus ſibi cavit *Amelius* Part. I. pag. 174. qui ſcilicet aquam per *εὐφημισμὸν* de ſemine humano, generationis naturalis principio, allegato hanc in rem Hottingero in Primitiis Heidelbergenſ. Diſp. III. p. 78. *πνεῦμα* autem de Evangelio interpretatur, plurium propterea cenſuram expertus, a quibus frigidiuſcule ſe tuetur in der Ablehnung einiger Schwierigkeiten p. 10. Tu vide, quæ contra *Hottingerum* hac in parte jam pridem monuit *Laur. Odbelius* in Synagoga Bifronte p. 45. *Primo*, monet is, טפה סרוחה *ab Hebræis quidem per* שכבת זרע *in illo antiquo R. Akabiæ dicto* (vide *Pirke Avoth.* cap. III.) *explicari, non vero ob id præciſe vel aquam, vel hominem ſignificare, ut Hottingero viſum eſt: deinde aquam κατ' εὐφημίαν ſemen in Scriptura notare, perſpicuo aliquo exemplo demonſtrari oportere, cum ex loco Jeſaiæ XLVIII. 1. id perobſcurum ſit.* Lege cetera ibidem. Supereſt a nobis per tranſennam memoranda ſententia Anonymi apud *Sandium* in Interpretationibus paradoxis ad h. l. allata, &, ut propria, ab eodem de origine animæ pag. 97. defenſa, ſed exploſa quoque ut abſurdiſſima a B. *Ittigio* in Hiſt. Eccleſ. Sec. I. p. 296. & *Amelio* Part. II. p. 602. Putat ſcilicet, Chriſtum id velle, quod homines regni cœlorum capaces non ſint, niſi animæ eorum, ante mundum conditæ, & poſtea lapſæ, cum carne ſeu corporibus, quæ per aquam, tanquam generationis carnalis principium, hic indicari ſomniat, uniantur.

Nec prætereundum hic eſt, in Conſtitut. Apoſtol. VI. 15. pro *γεννηθῇ* legi *βαπτισθῇ*, quam in rem confer *Dallæum* in Pſeudepigraphis p. 203. Scilicet gloſſema hoc eſt verbi, in contextu exſtantis, quod Auctor Homiliarum Clementinarum diſertius explicare his verbis conatus eſt: *Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ ἀναγεννηθῆτε ὕδατι ζῶντι εἰς ὄνομα Πατρὸς, Υἱοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος.* Confer *Millii* Prolegomena §. 671. Patrum nonnullos præter *Vulg.* & *Æthiop.* verſionem *Πνεύματος ἁγίου* hic meminiſſe, *Toletus* monuit, quem vide ſis.

Verſ. 6. *Τὸ γεγεννημένον — πνεῦμά ἐστι*) *Hilarius* lib. VII. de Trinitate aliquoties, & *Ambroſius* de Spiritu S. lib. III. c. 11. hunc locum citant, additis verbis: *quia Deus Spiritus eſt.* Et *Ambroſius* quidem ea ab *Arianis* deleta eſſe contendit,

tendit, quod & nuper *Barthol. Germonius* de veteribus hæreticis, Ecclesiasticorum Codicum corruptoribus, propugnavit lib. I. c. 13. p. 110. Sed rectius cum *Simonio* in Hist. Crit. N. T. lib. I. p. 356. & *Millius* tum ad h. l. tum in Prolegomenis passim illa pro glossemate habent, ex *Joh.* IV. 24. desumto, & a nonnullis textui temere illato. Nisi approbare malis B. *Jo. Henr. Maji* sententiam in Exam. Hist. Criticæ Simonianæ c. 29. cui Ambrosius non ad hunc, sed ad laudatum Johannis locum IV. 24. qui vere ab Arianis corruptus fuerit, respexisse videtur. Confer den Bücher-Saal Part. XXXVIII. p. 99.

Τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς σάρξ ἐστι) Per σάρκα hic vitiositatem & labem naturalem intelligi, apud Interpretes tantum non omnes in confesso est, quod & perpetua vocis hujus in N. T. notio, ubi τῷ πνεύματι opponitur, & contextus ipse hic satis evincunt. Conf. *Hackspanii* Notas p. 406. Hujus vero significatus exempla & rationes fuse edisserunt *Gatackerus* de Stylo N. T. c. V. & X. *Vitringa* Obss. Sacr. lib. III. p. 158. & *Vorstius*, in Philolog. Sacr. Part. I. c. 4. p. 127. Nihil igitur agunt, qui vocem σάρξ vel de homine, in quantum homo est, vel de membro speciatim genitali, accipi volunt, inter quos est *Amelius* Part. I. p. 175. & *Jo. Alba* in Annotatt. Selectis p. 348. *Caro*, inquit hic, *ponitur pro homine, quod aliquando contingit in Scripturis Sanctis. Vox autem carnis, cum hoc loco repetitur, significat fragile, vile, infirmum & abjectum. Spiritus etiam secundo loco significat idem, quod forte, magnum, potens, & sublime. - - Aliter ergo caro & Spiritus accipiuntur priori loco, aliter vero cum repetuntur. - - Hæc autem verba Christus dixisse videtur, ut invitaret Nicodemum ad desiderium hujusmodi spiritualis generationis, qua filii Dei per adoptionem efficiuntur, dum intelligeret, quantæ esset dignitatis, & quantæ felicitatis, regenerari in filium Dei.*

Vers. 8. Τὸ πνεῦμα ὅπου θέλει, πνεῖ) Quatuor diversæ sunt Interpretum de voce πνεῦμα sententiæ. Alii enim de Spiritu S. ejusque in hominis anima operationibus accipiunt post *Augustinum* & alios quosdam Patres, de quibus videatur *Suicerus* Tom. II. Thesauri p.780. *Whitbius* in Diss. de Sanctarum Scripturarum interpretatione secundum Patres p. 209. ex nostratibus B. *Dannhauerus*, & novissime *Pet. Sigismundus Papen* in Zennorenna sive commentatione singulari vernacula ad h. l. edita *Berol.* 1713. 4. his inprimis rationibus adductus, quod paulo ante de Spiritu S. sermo fuerit, articulus ὁ sit præfixus, prædicata ad Spiritum S. probe sint accommodata, ventus in toto N. T. ἄνεμος, non πνεύματος nomine veniat, nec denique a sensu literali, sine gravi causa, sit recedendum. Conf. Relationes Innoxias an. 1713. p. 312. sq.

Alii cum *Maldonato* de anima hominis accipiunt ejusque in corpore motibus, eo sensu, si ne naturalis quidem generatio intelligi possit, quomodo supernaturalem unquam poteris adsequi? Ita ex nostratibus nuper Rev. *Wolfburgius* in Obss. Sacris p. 490.

Alii, nominatim *Jo. Alba* in Annotatt. Selectis p. 352. sine ulla veri

ſpecie *Solem* hic, quamvis dubie, intelligit. Accipe verba ejus: ***Fortaſſe Spiritus pro Sole accipitur, ut*** Eccleſ. 1. a. *Proponit enim exemplum Chriſtus Jeſus de Sole, nobiliſſima creaturarum, quæ carent ſenſu, & per Proſopopoeiam illi tribuit voluntatem, quaſi dicat: Si ſolis effectus & opera tam magna ſunt, ut admiranda hominibus videantur, nec ejus virtutem ſatis comprehendant; quid ſentiendum eſt de operibus ipſius conditoris?* Idem p. 351. Spiritum de Deo interpretatus erat, quaſi diceret Dominus, Deum facere, quæ velit, & omnia poſſe. Idem urgetur p. 355. ſqq.

Alii denique in propria *venti* notione rectiſſime acquieſcunt. Ita Patres nonnulli apud *Suicerum* Tom. II. Theſauri p. 780. noſtrates tantum non omnes, nominatim *Hackſpanius* in Notis pag. 420. & in Miſcellaneis pag. 174. ſq. ex Reformatis *Coccejus* Tom. II. Opp. Poſthum. pag. 465. & noviſſime *Lampius*, ex Pontificiis *Martianæus* in Conatibus p. 277. Atque illi idonea ita ſentiendi præſidia inveniunt in Particula οὕτως, quæ ut comparationem infert; ita omnino prius πνεῦμα de alia re, quam de Spiritu Sancto, de quo phraſis γεγεννημένος ἐκ τοῦ Πνεύματος agit, accipere jubet, quia alioquin deeſſet, ex quo tertium comparationis eliceretur. Accedit, Dominum hic procul dubio alludere ad Eccleſiaſt. XI. 5. כאשר אינך יודע מה דרך הרוח h. e. *quemadmodum tu neſcis, quæ ſit via venti, ut oſſa in ventre pleno exiſtunt, ſic non cognoſces opus Dei, qui facit omnia.* h. e. ut nemo novit viam venti, neque conceptionem fœtus in utero, ita in omni opere Dei eſt quædam ratio & ſapientia ἀκαταλήπτος. Confer *Coccejum* l. c. & *Boiſium* in Collat. p. 287. *Papenius* quidem in libello modo citato דרך הרוח de *via animæ* accipit, ſed nove, & præter contextum.

Contra primam illam ſententiam, quæ de Spiritu S. hic ſermonem eſſe ſtatuit, lege præter *Corvinum* contra *Molinæum* cap. 36. *Lampium* l. c. Argumentum illius ſpecioſius ceteris illud eſt, quod πνεῦμα ſub notione *venti* in N. T. nuſquam occurrat. Sed vide in contrarium Hebr. I. 7. ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα & *Jac.* II. 26. Profanos quoque Scriptores τὸ πνεῦμα de vento adhibere, patet vel ex *Ariſtotele*, vel, quicunque ejus Scriptor eſt, in lib. de Mundo: ἄνεμος οὐδέν ἐστι, πλὴν ἀὴρ πολὺς ῥέων καὶ ἀθρόος, ὅστις ἅμα καὶ πνεῦμα λέγεται. Λέγεται δὲ μὴ ἑτέρως πνεῦμα ἢ ἐν φυτοῖς. *Plutarchi* ſimilia loca affert ad h. l. *Eraſmus Schmidius* in Notis. Nec incommode, puto, dici poteſt, primariam & nativam vocis πνεῦμα notionem eam eſſe, qua *ventum* infert, quod vel ex verbo primitivo πνεῖν apparet. Confer Auctorem Hiſt. Critic. Reip. Literar. Tom. I. p. 88. ſq. &, cum ſelectu, *Jo. Clerici* Artem Critic. Tom. I. Part. II. p. 256. ſqq.

Quæ ex h. l. pro gratia ſufficiente Moliniſtarum elicere conatus eſt *Malletus* contra auctores verſionis Montenſis, ea aliena eſſe, oſtendit *Arnaldus* in Continuata Defenſione illius verſionis p. 266. ſqq.

Sen-

Sentententiam verborum, tanquam adagialium, illuſtrat nonnihil *Schottus* in Adagialibus N. T. p. 87.)

ἀλλ' ὐκ οἶδας πόθεν ἔρχεται) Vide huc *Voglerum* de rebus naturalibus ac Medicis pag. 331. ſqq. Scilicet cauſæ ventorum tum in genere, fatentibus modeſtioribus naturæ ſcrutatoribus, non ſatis adhuc patent, aliis alias afferentibus; tum in ſpecie non definiri poteſt, unde præciſe ventus hoc vel illo temporis articulo, ſæpe præter exſpectationem, ortus ſit? Confer freywillige Heb: Opfer Part. I. p. 111. Eadem prorſus comparatione utitur *Xenophon* in Memorabilibus Socratis lib. IV. p. 634. *Καὶ ἄνεμοι αὐτοὶ μὲν ὐχ ὁρῶνται, ἃ δὲ ποιῦσι, φανερὰ ἡμῖν ἐςι, καὶ προσιόντων αἰσθανόμεθα. ἃ χρὴ κατανοῦντα μὴ καταφρονεῖν τῶν ἀοράτων, ἀλλ' ἐκ τῶν γινομένων τὴν δύναμιν αὐτῶν καταμανθάνοντα, τιμᾶν τὸ δαιμόνιον. Nec venti videntur, quamquam eorum effecta nobis conſpicua ſint, & accedentes ſentiamus. Quæ conſiderantem te nequaquam ea, quæ cerni nequeunt, contemnere decet: ſed de iis, quæ accidunt, eorum poteſtate animadverſa, Numen ipſum honore proſequi.*

Verſ. 10. *Σὺ εἶ ὁ διδάσκαλος τῦ Ἰσραὴλ*) i. e. רב ישראל. Confer quæ alias de conſueta illa Doctorum רבי רב &c. appellatione in hoc Opere diximus, & vide Interpretes ad Joh. I. 39. Præ ceteris hic conſulendi ſunt *Georg. Urſinus* in Antiquitatibus Hebræorum Scholaſticis & Academic. & *Campeg. Vitringa* de Vetere Synagoga.

καὶ ταῦτα ὐ γινώσκεις;) Nonnulli exiſtimant, Dominum Nicodemo ignorationem regenerationis ex eo, cum admiratione, exprobrare, quod circa baptiſmum Proſelytorum, quem ea ætate receptum jam fuiſſe autumant, doctores ſimili phraſi uterentur. Ita in Gemara *Jevammoth* p. 22. 1. & 48. 2. item 62. 1. dicitur גר שנתגייר כקטון שנולד i. e. *proſelytus, ubi ſacris initiatus eſt, habetur pro infante recens nato.* Ita ex noſtratibus illi omnes, qui pro iſto baptiſmo Proſelytorum Judaico pugnant, de quibus diximus ad *Matth.* III. p. 53. Adde *Joſ. Arndii* Miſcellan. Sacra p. 11. ſqq. qui ita Domini noſtri verba *παραφράζει*: *An ignoras tu ſolus, quod omnes Rabbim ſciunt, qui per aquam i. e. baptiſmo veſtro regenerari proſelytum putant, & patriam & parentes & conſanguineos omnes ſuos exuere, & quaſi nova ex matre inſtar parvuli naſci denuo?* Confer in eandem ſententiam *Alex. Mori* notas p. 76. *Guſſeti* Veſperas Groningan. pag. 98. *Selden.* de Jure Nat. & Gent. p. 158. *Adriani Relandi* Antiquitates Hebr. p. 247. & *Wilh. Wall.* Hiſtoriam Pædobaptiſmi in Prolegomenis p. LVIII. & in Opere ipſo p. 354. ſqq. At cum illa baptiſmi Proſelytorum antiquitas nondum ad liquidum deducta ſit, ceu ſupra ad Matth. III. profeſſi ſumus, præſtat cum aliis dicere, Dominum hic reſpicere ad illa loca V. T. quæ de neceſſaria hominis naturalis regeneratione ſatis diſerte exponunt, quæque proinde non decebat ignorare Magiſtrum.

Verſ.

Verf. 11. ὅτι ὃ οἴδαμεν, λαλοῦμεν) Sunt, qui Dominum hic, Magnatum more, de fe uno in plurium nomine loqui autumant. Sed illis fua merito relinquimus, cum ifta loquendi ratio ex Sacris literis nondum idoneo exemplo fit comprobata, atque illud hic præterea repugnet, quod Chriftus hic dicat: ἀμὴν, ἀμὴν, λέγω σοι, non vero λέγομεν. Itaque de aliis hic cogitavit Servator Optimus, quos fermone fuo comprehenderet; five de Deo Patre & Spiritu S. tanquam cum Chrifto teftantibus, (conf. *Joh.* VIII. 17. 18.) five de Johanne Baptifta verba hæc interpretemur. Prius illud placet B. *Glaffio* noftro in Grammatica Sacra lib. III. Tract. III. can. LI. pofterius poft alios *Jo. Chrift. Herzogio* in Difput. de Certitudine Hermeneutices in Lingua Fœderis Novi §. 36. Johannem, ait is, baptifmum jam exercere cœpiffe cum annunciatione regni cœlorum appropinquantis, adeoque de eodem argumento, de quo hic agebatur, teftatum effe. Cum vero phrafes οἴδαμεν & ἑωράκαμεν maxime emphaticæ fint, quæ alias de Chrifto, ut Johan. VIII. 50. & de Spiritu S. 1 Cor. II. 10. 11. fenfu efficaciffimo ufurpentur, ad priores partes malim accedere.

Verf. 12. Εἰ τὰ ἐπίγεια εἶπον ὑμῖν) Dubii hic hærent Interpretes, quo fenfu ea, de quibus dixerat hactenus Servator, ἐπίγεια appellentur. Plerique, nec incommode, poft veteres nonnullos & *Mufculum* ἐπίγεια dici hic cenfent *myfteria & beneficia falutis, quæ peraguntur & conferuntur in terra, & fiunt in homine, dum ille eft terræ incola, quæ, fi quis non credit, nec intelligit, multo minus affurget ad fidem, & intelligentiam eorum, quæ funt omnino fupracœleftia, & fua fublimitate captum noftrum magis fuperant.* Ita *Jac. Guffetus* in Vefperis Groninganis p. 94. fqq. qui plura in hanc fententiam differit, allata quoque veterum auctoritate, fimul vero ad locutiones e terra, & rebus ac confuetudinibus hominum, petitas, quibus h. l. Chriftus ufus eft, refpiciendum effe contendit. Conf. eundem in Confutat. libri *Chiffuk Emuna* p. 43. Adde ἐμὲ ψῆφον *Jo. Albam* in Annotatt. Select. p. 367.

τὰ ἐπουράνια) i. e. res, de quibus paulo poft locuturus erat v. 13. fqq. & inprimis de afcenfione fua in cœlum, unde venerat. Conf. infra v. 62.

Verf. 13. Καὶ οὐδεὶς) Τὸ καὶ hic commode per *nam*, ut fic arctior cum præcedentibus nexus fit, vertitur, quam in rem vide Rev. *Raphelii* Semicenturiam Annotationum p. 9. vel per: *certe*, quod fit a *Jo. Alba* in Annotatt. Selectis p. 368.

ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν) Diverfas de adfcenfione & defcenfione Chrifti hic memorata fententias expofitas lege a noftratibus in fingularibus Differtatt. v. c. inter Difputatt. Gieffenf. Tom. I. Difp. XII. & a B. *Jo. Guil. Baiero* de raptu Chrifti in cœlum, *Jen.* 1688. Simpliciffime & phrafi ipfi convenientiffime agunt, qui ut defcenfum literaliter de nativitate

Chrifti,

Christi, assumtaque in ὑποστάσει τοῦ λόγου humanitate accipiunt; ita ascensum de futura humanæ naturæ in cœlum exaltatione interpretantur, qualis nemini hominum unquam contigerit. Conf. *Calovii* Biblia illustrata ad h. l. Socinianorum detorsiones lege apud *Sandium* in App. p. 140. & *Rich. Simonem* in Hist. Critica N. T. lib. III. p. 854. qui idem de h. l. agit lib. I. p. 364. Easdem vero depulsas vide apud *Spenerum* in Tractatu de Deitate Christi p. 371. sqq. & 383. sqq. Ex veteribus Doctoribus ad h. l. disserit *Petavius* in Dogmatibus Theolog. Tom. V. lib. III. p. 143. & lib. IV. p. 207. item T. VI. lib. X. p. 28. Lege præterea ad h. l. ex nostratibus *Hackspanium* in Notis p. 411. & B. *Feldenium* de Enallage Scripturæ Sac. p. 25. sq. novissimeque *Starckium* in Notis Selectis p. 99. qui ita vertit: *Et vero, (atqui,) nemo adscendit in cœlum,*) ut scilicet τὰ ἐπουράνια supra-cœlestia illa de regeneratione, redemtione & salute æterna hominum perfecte cognoverit, indeque ut αὐτόπτης deduxerit) *nisi qui descendit ex cœlo.* In eandem sententiam hic commentatur *de Prado* in Pentecontarcho p. 264. ita verba Christi παραφράζων: *Ne credas, o Nicodeme, illis, qui tibi philosophantur de rebus cœlestibus: nemo enim adhuc subiit cœlum aut in cœlum avolavit, i. e. cœlestia callet, nisi qui loquitur tecum; qui venit de cœlo, & nunc est in cœlo.* Non abit hinc *Alba* l. c. p. 360. Nemo ascendit in cœlum i. e. *nemo intelligit cœlestia, nemo ad tantam intelligentiam evehi potest, ut intelligat, quæ sunt in cœlis.* Eodem inclinant ex nostratibus B. *Dannhauerus* in Hodosophia p. 710. *Hackspan.* l. c. *Feldenius* l. c. & *Herzogius* in Disput. modo citata §. 31. ex Reformatis vero *Gussetus* in Lexico Hebr. p. 600. b. qui cum loco hoc confert Proverb. XXX. 4. מי עלה שמים וירד.

ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ) *Camerarius* & cum eo *Raphelius* in Semicenturia Annotationum p. 9. interpretantur per: *qui erat.* Cum vero Sociniani hac interpretatione abutantur, præstat, ut, strictiori significationi inhærentes, dicamus, Christum vere & actu se in cœlo *esse* dicere, unde descenderit, quia alioquin nihil præcipui dixisset. Quis enim negaret aliquem eo in loco fuisse, unde descendit?

Vers. 14. καὶ καθὼς Μωσῆς ὕψωσε τὸν ὄφιν ἐν τῇ ἐρήμῳ) Patet hinc clarissime, serpentem *Num.* XXI. 9. divino jussu a Mose in salutem Judæorum suspensum, fuisse typum Messiæ, ut in tam diserta affirmatione securissime acquiescere possimus, si vel mille afferri possent difficultates, quas paucissimas hic nonnulli nectunt. Tutius enim foret, ignorantiam in illis solvendis aperte profiteri, quam de verbis Christi tam claris aliorsum detorquendis temerariam operam suscipere. Inter has ea præcipua est, quod serpens ille emblema diaboli fuerit, adeoque nefas sit, eundem cum Christo comparare. Eam urgent inprimis post *Espagneum* & *Burmannum*, *Campeg. Vitringa* Obss. Sacr. lib. II. num. XI. & *Cremerus* in Prodromo Typico Diss. III. Sed illis erudite & solide occurrit ex nostratibus Rev. *Deylingius* in Obss. Sacr. Part. II. p. 169. ostendens, nihil omnino esse causæ, cur serpen-

tem illum, e pertica ſuſpenſum, Diaboli imaginem retuliſſe dicamus, quemadmodum nec quicquam ſit, quod ſerpentis typum Servatore indignum faciat. Conf. *Trillerum* **in der Untersuchung etlicher Oerter Neues Testaments** p. 45. ſq. ubi contra *Eſpagneum* diſputat. Adde idem ſentientes ex Reformatis *Suicerum* Tom. II. Theſauri p. 534. *Leydeckerum* de Republica Hebræorum lib. IV. c. XV. p. 243. *Ruard. ab Andala* in Exegeſi illuſtrium Locorum p. 147. ſq. *Jo. Marckium* in Exercitatt. Scripturariis Exercit. VIII. & noviſſime Cl. *Lampium* ad h. l. Judæos ipſos ſimile quid in illo ſerpente vidiſſe, ex variis eorum teſtimoniis apparet; quæ collecta videbis a *Buxtorfio* in Hiſtoria Serpentis ænei c. V. §. 5. *Jo. Sauberto* in Palæſtra p. 348. *Hackspanio* in Miſcellan. p. 286. *Lud. Cappello* in Spicilegio p. 61. (cum quo tamen comparandus eſt *Wagenſeilius* in Sota p. 1003. ſq.) & *Rich. Kiddero* in Demonſtrat. Meſſiæ Part. I. p. 210. ſq.

Ceterum, quam commode Salvator optimus cum ſerpente illo comparari poſſit, ediſſeruerunt præter laudatos *Bochartus* Part. II. Hierozoici lib. III. c. 13. *Witſius* in Oeconomia Fœder. lib. IV. c. 10. *Huetius* in Demonſtrat. Evangel. p. 1153. & alii a Rev. *Deylingio* l. c. p. 174. laudati.

Mirum eſt, *Jac. Rhenferdium* in diſput. de Fictis Judæorum hæreſibus p. 193. Opp. Philolog. ſtatuere potuiſſe, Sethianos *Ophitarum* nomine ideo eſſe appellatos, quod typos V. T. atque inter eos illum de ſerpente æneo ex mente Chriſti & Cabbaliſtarum dextre fuerint interpretati. Sequitur tamen eum *Pet. Zornius* in Opuſculis Sacris p. 634.

Ad totam hanc cauſam amplius cognoſcendam conſuli meretur *Jo. Doppertus* in Diſſert. de Chriſto per ſerpentem æneum præfigurato, quæ exſtat in Miſcellaneis Lipſienſibus Tom. I. Obſerv. VII. *Ahasv. Fritſchius* in Analectis Sacr. p. 3. ſqq. *Jac. Altingius* Tom. V. Opp. p. 144. & noviſſime *Jo. Sigism. Kirchmaierus*, Theologus Marpurgenſis, in Diſſert. de typo Serpentis ænei, *Marpurgi* 1715. 4. nec minus *Henr. Morus* in Opp. Theologicis p. 361. ſq. qui ſerpentem illum omnino ad Chriſtum pertinuiſſe clare demonſtrant, nihilque præterea cum inanibus illis teleſmatibus, de quibus *Gaffarellus* & *Gregorius* tam multa tradant, commune habuiſſe, oſtendit.

Cavillis Judæi Anonymi, comparationem hanc Chriſti cum ſerpente æneo in lib. MS. qui in Biblioth. Uffenbachiana Tom. I. p. 160. recenſetur, ſugillantis, occurrere operæ pretium non eſt, cum per ſe ruant, & riſum, quem aliis movere inſtituunt, in ſe convertant.

οὕτως ὑψωθῆναι δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου) Reſpici hic ad crucifixionem Chriſti per ſe patet. Cur vero hoc inprimis verbo uſus ſit Dominus ex mente Patrum, lege apud *Suicerum* Tom. II. Theſauri p. 1407.

Verſ. 15. ἀλλ᾽ ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον) De phraſi hac lege *Vitringam* in Obſſ. Sacr. lib. II. c. VII. p. 121.

Verſ.

Verſ. 16. οὕτω γὰρ ἠγάπησεν ὁ Θεὸς τὸν κόσμον &c.) Inſignem hunc locum, pro univerſali Chriſti merito tam clare loquentem, accuratius expenderunt, & a diſſentientium exceptionibus vindicarunt ex noſtratibus ſingularibus Diſſertationibus, nominatim *Abrah. Calovius* in brevi enodatione dicti hujus contra Calvinianos *Witteb.* 1655. (quem & confer in Bibliis Illuſtrat. ad h. l.) *Jo. Meiſnerus* de κοσμοφιλίᾳ καθολικῇ, *Vitemberg.* 1662. & *Frider. Ulricus Calixtus* de Catena Aurea Salutis, *Helmſtad.* 1689. nec non Auctores Programmatum quatuor, quæ *Gabriel Terne* Syllogæ I. Programmatum inſeruit p. 540–572. præterea vero *Mich. Waltherus* in Harmonia ſua p. 593. ſq. contra quem miror, *Lampium* noviſſime hanc veritatem tanto conatu oppugnare inſtituiſſe, p. 617. Noſtri inſtituti ratio non permittit, in hoc argumento diligentius verſari, quod tamen videri poterat penitus ad liquidum perductum. Sufficiat tantisper meliorem *Cocceji* interpretationem opponere, quæ exſtat in Opp. ejus Poſthumis Tom. II. p. 466. b. *Per κόσμον, inquit is, non poſſumus intelligere, niſi quod claſſe ſexta indigitavimus*, HOMINES. *Id conſtat apud pleroſque Interpretes.* Adde *Petavii* Dogmata Theolog. Tom. I. lib. 10. p. 404. qui & de *miſſione* Filii a Patre ex veteribus commentatur Tom II. p. 441. Ceterum ſimilis huic noſtro oraculo locus exſtat in *Midraſch Ruth* fol. 49. 2. ubi de Meſſia hæc leguntur : כל שהוא מאמין לו וחיה ומי שאינו מאמין לו הולך לאומות העולם והן ממיתין h. e. *quicunque credit in eum, vivet, &, quicunque non credit in eum, vadit ad gentes hujus mundi : quæ interficiunt eum.*

Verſ. 19. καὶ ἠγάπησαν οἱ ἄνθρωποι μᾶλλον τὸ σκότος ἢ τὸ φῶς) h. e. ſimpliciter : *dilexerunt tenebras, non lucem.* Vide *Hackſpanii* Notas p. 412. Ita τὸ מ Hebræorum & μᾶλλον ἢ Græcorum uſurpari, oſtendit *Noldius* in Concord. Particul. p. 556. cujus notas confer. Græcorum profanorum loca ſimilia affert ad h. l. *Lampius* p. 638.

Verſ. 20. Πᾶς γὰρ ὁ φαῦλα πράσσων μισεῖ τὸ φῶς) Vide *Schotti* Adagialia N. T. p. 88. & ſimilia hujusmodi dicta, malæ conſcientiæ opprobrium minitantia, apud *Gatackerum* ad Antoninum p. 107. & 111. & *Elsnerum* p. 301. item *Suicerum* Tom. II. Theſauri p. 1486.

ἵνα μὴ ἐλεγχθῇ τὰ ἔργα αὐτοῦ) h. e. *ne manifeſta fiant opera ejus*, ut ſcite Cl. *Elsnerus* convertit. Hinc commate ſequenti : ἵνα φανερωθῇ αὐτοῦ τὰ ἔργα. Hunc vero ſenſum phraſin iſtam apud profanos obtinere, oſtendit *Elsnerus* l. c. Sic *Artemidorus* Onirocrit. lib. I. c. 68. τὰ κρυπτὰ ἐλέγχει, i. e. *occulta manifeſtat.*

Verſ. 21. ὁ δὲ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς) Vide *Schottum* l. c. p. 88. Exemplum præbet Ageſilaus, de quo Xenophon in Oratione de ipſo habita pag. 530. ita teſtatur : Ἀγησίλαος τῷ ἀεὶ ἐμφανὴς εἶναι ἠγάλλετο, νομίζων

αἰσχρουργία μὲν τὸ ἀφανίζεσθαι πρέπειν, τῷ δὲ εἰς κάλλος βίῳ τὸ φῶς μᾶλλον κόσμον παρέχειν. Sic *Euripides* Iphigenia in Tauris v. 1026.

> κλεπτῶν γὰρ ἡ νὺξ, τῆς δ' ἀληθείας τὸ φῶς
> *Nox furum est: lux autem veritatis.*

Verſ. 22–36. tanquam ſermonem περὶ τοῦ καθαρισμοῦ illuſtrat *Coccejus* Tom. II. Opp. Poſthumor. p. 18. ſqq.

Verſ. 22. εἰς τὴν Ἰουδαίαν γῆν) h. e. *in Judæam*. Ita vero optimi quoque ex Romanis Scriptoribus loqui amant. Sic *Varro terram Italiam* dixit lib. I. de Re Ruſtica c. 9. *Gellius* item III. 8. & 9. *terram Italiam* & *terram Græciam*. Vide Cl. *Maji* Obſervatt. Sacr. lib. II. p. 104. & *Elsnerum* p. 302. Cum vero Hieroſolyma in Judæa ſita fuerit, territorium Judææ hic indicari pleriſque videtur, metropoli ejus contradiſtinctum, ut *Joſ.* VIII. 1. quemadmodum hic cap. XI. 55. Ἱεροσόλυμα & χώρα ſibi invicem opponuntur. Niſi cum Cl. *Majo* l. c. p. 105. eique adſtipulante *Elsnero* p. 302. dicere malis, quod, obſervante *Maimonide*, Hieroſolyma cum templo מקדש i. e. *ſanctuarium*, ſed reliqua Iſraëlitarum terra מדינה i. e. γῆ ſive χώρα appellari conſueverit. Malim ego prius, tanquam ſimpliciſſimum, amplecti.

διέτριβε μετ' αὐτῶν) *degebat ibi una cum eis*, quod præſtat quam cum *Ludov. de Dieu*, eo ſenſu accipere, quaſi Chriſtus hic *cum diſcipulis occupatus* fuiſſe dicatur. Vide contra eum *Coccejum* Tom. II. Opp. Poſthum. p. 469.

καὶ ἐβάπτιζεν) ſcilicet *per diſcipulos*. Vide infra IV. 1. 2. & confer *Coccejum* l. c. p. 469. & *Sperlingium* de Baptiſmo Ethnicorum p. 69.

Verſ. 23. ἐν Αἰνὼν) Diſtabat illa, teſte *Euſebio*, octo milliaribus a Scythopoli verſus meridiem, juxta Salim & Jordanem. Lege plura de nomine (quod ab עין i. e. *fons* rectiſſime videtur derivari) & ratione hujus loci apud *Druſium* in Commentar. priore ad voces Hebraic. p. 11. *Caſaubonum* Exercitt. Anti-Baronian. pag. 249. ſq. *Lamium* in Apparatu Geograph. *Cellarium* in Diſſert. Academic. p. 382. & *Deylingium* in Obſſ. Sacris P. III. p. 199.

ἐγγὺς τοῦ Σαλείμ) Hanc urbem cum *Salem* Melchiſedeci nonnulli conferunt, de qua *Geneſ.* XIV. 18. Sed recte monet *Relandus* in Palæſtina p. 976. terminationem τοῦ Σαλείμ eſſe pluralis numeri, cum viciſſim vox Σαλήμ, qua regia Melchiſedeci indicatur, ſecundum epiſt. ad Hebræos *pacem* ſignificare debeat. Non magis illi audiendi ſunt, qui urbem Salem cum *Sichem* faciunt eandem. Contra hos diſputat idem *Relandus* Part. I. Diſſertatt. Miſcellan. p. 144. ſqq. qui & in Palæſtina pag. 977. de noſtra Salem, tanquam ab ills omnibus diſtincta commentatur.

Verſ. 24. οὔπω γὰρ ἦν βεβλημένος εἰς τὴν φυλακὴν) De carcere Johannis Baptiſtæ diximus ſatis ad *Matth.* XIV. & *Marc.* VI.

Verſ.

Verf. 25. Ἐγένετο ἐν ζήτησις—μετὰ Ἰουδαίων) Hic & Codices complures, & verfiones nonnullæ, ipfaque Syriaca facile antiquiffima, & Patres quoque legunt: μετὰ Ἰουδαίων. Atque hanc lectionem præfert *Coccejus* Tom. II. Opp. Pofthumorum p. 470. a. qui hinc difputationem iftam non publicam, fed privatam fuiffe, cenfet. *Maftrichtius* in Novo fuo Teftamento vulgatam illam in plurium numero potiorem effe judicat, nec alienus eft *Lampius* p. 660. qui obfervat, vocem Ἰουδαῖος, absque verbo pofitam, amare nomen ἀνὴρ, ut *Act.* X. 28. & XXII. 3. Accedit, plures hic Johannis difcipulos memorari, quibus probabile eft, plures ex Judæis adfuiffe.

περὶ καθαρισμοῦ) Difficulter definitur, quodnam præcife difputationis hujus fuerit argumentum, quamvis in genere ad baptifmum Chrifti & Johannis pertinuiffe non dubitem. Non male, meo judicio, *Coccejus* l. c. p. 470. a. judicat, *difcipulos Johannis, inftituto præceptoris fui, homines ad baptifmum pœnitentiæ vocaffe. Cum igitur inciderent in aliquem, qui vel effet baptifatus a difcipulis Chrifti, vel etiam, quod malo, objiceret, ipfis ad baptifmum & verum καθαρισμὸν follicitantibus, a quo tandem baptifari deberet, cum duo effent, qui baptifarent, ita eos difcipulos ambiguos fuiffe, ac fortaffe præceptorem fuum extuliffe, quod ipfe Jefus voluerit ab eo baptifari.*

Verf. 27. Οὐ δύναται ἄνθρωπος λαμβάνειν τι &c.) *Martianæus* in Conatibus fuis p. 278. non incommode ita convertit: *homo, qualis ego fum, nihil fibi vindicare poteft, nifi quod ipfi e cœlo eft commiffum.* Τὸ οὐ δύναται recte hic nonnullis idem effe videtur, quod: *non debet: non decet: non fas eft*; ut *Actor.* IV. 20. & V. 39. Conf. *Erafmi* Opp. T. IX. p. 1509. C. Amolitur fcilicet Johannes ampliorem illam dignitatem, quam in ipfum devolvere inftituebant Johannis difcipuli.

Verf. 29. Ὁ ἔχων τὴν νύμφην, νυμφίος ἐστὶν), i. e. qui fponfam uxorem fibi ducit, vel cum ea rem habet, ut interpretatur *Keuchenius* ad h. l. p. 153. Malim tamen hic refpici ad dominium maritale in fponfam, quod Hebræi verbo בעל exprimunt, quam in rem lege *Lampii* Exerc. IX. in Pf. XLV. §. 19. fqq. & in Comment. ad h. l. Ceterum & profani Scriptores non minus ac facri (v. *Marc.* VI. 18.) dicunt ἔχειν γυναῖκα. Vide eundem *Lampium* in Pf. XLV. Exerc. XIII. §. 19. *Raphelium* in Notis Xenophonteis p. 36. & *Feffelium* Adverfar. Sacr. II. 20.

νυμφίος ἐστὶν) Chriftus hic innuitur, tanquam fponfus Ecclefiæ, qua phrafi Judæos veteres de Meffia ufos effe, præter alios oftendit idem *Lampius* ad Pf. XLV. Exerc. VIII. p. 342. fqq.

ὁ δὲ φίλος τοῦ νυμφίου) Talem fe hic repræfentat, & credi vult Johannes, amicum fcilicet Chrifti, alludens forte ad morem Hebræorum, apud quos שושבנים feu paranymphi dicebantur, qui fponfo adeffent, fponfam ad thalamum nuptialem deducendi. Vide hanc in rem *Buxtorfii* Lexicon

con Talmudic. voce שושבינים, *Paul. Fagium* in notis ad Paraphrasin Chald. Onkelosi p. & inprimis *Seldenum* in Uxore Hebraica lib. II. c. 16. ex nostratibus vero *Amelium* Part. I. pag. 108. & 587. ubi ritus illos amplius huc accommodat.

χαρᾷ χαίρει διὰ τὴν φωνὴν τοῦ νυμφίου) *Seldenus* l. c. per *vocem sponsi* mutuos conjugum seu sponsorum affectus, sermonibus significatos, hic putat indicari, quos sermones audire paranymphis fas fuerit. Atque illud hoc loco malim innui, quam cum *Casp. Theodoro Summermanno* in Parte I. Pandectarum T. V. p. 137. statuere, significari hic vocem sponsi, repertum a se virginitatis signum declarantis. Quod ad rem ipsam attinet, Johannes testatur, se & amicitia Christi, & sermonibus ejus, ad homines fieri solitis, vehementer delectari: quo ipso se Christo longe inferiorem esse declarabat.

Vers. 30. Ἐκεῖνον δεῖ αὐξάνειν, ἐμὲ δ' ἐλαττοῦσθαι) h. e. *illius auctoritas & fama indies magis debet augeri & illustrari, meum contra nomen minui, atque obscurari, & denique cum morte mea penitus exstingui, ut, me sublato, ille unus pro Messia agnoscatur.* Ita *Raphelius* in Notis Polybian. p. 265. Quod ad verba, simillime Cœnus ad Alexandrum M. nomine militum, apud *Curtium* IX. 3. *Virtus tua semper in incremento erit, nostra vis in fine jam est.* *Augustinus* & veterum alii verba hæc, ingeniosius quam verius, referunt ad dies Christi & Johannis natales. Illum enim mense Januario natum, quo dies crescere incipiant, hunc autem eo tempore, quo deficere incipiant. Confer *Seldenum* de die Christi natali p. 8. Non magis scopum feriunt, qui genus supplicii hic subinnui censent, utrique inflictum, quandoquidem Christus creverit exaltatus in cruce, Johannes vero decreverit, capite mulctatus. Sed vide *Jo. Sauberti* Opera Posthuma p. 30. sq.

Vers. 31. Ὁ ἄνωθεν ἐρχόμενος, ἐπάνω πάντων ἐστίν· ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς, ἐκ τῆς γῆς ἐστι &c.) Hæc scite ita παραφράζει B. *Gottfr. Olearius* in Obss. Sacr. ad Matthæum p. 326: *Merus homo qui sit, intra humanæ conditionis limites subsistat, oportet, neque adeo ea manifestare potest, non loqui ea, quæ humanam supergrediantur sortem, cujus sui sunt etiam in recipiendis gratiæ donis limites quidam, ac veluti termini. Ejus vero, qui de cœlo descendit, hac parte summa facultas,* ἐπάνω πάντων ἐστί. *Nempe solus ille Deum vidit, quod mortalium nunquam datum est cuipiam.* Conferatur idem p. 399.

καὶ ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ) Τὸ καὶ idem hic esse, quod ἐπειδή, putat *Coccejus* Tom. II. Opp. Posthum. p. 630. quia alioquin ταυτολογίαν hic fore opinetur.

Vers. 32. οὐδεὶς λαμβάνει) i. e. *pauci recipiunt*, ut v. 26. πάντες, i. e. *multi.*

Vers. 33. Ὁ λαβὼν αὐτοῦ τὴν μαρτυρίαν) *Chrysostomi* hæc, tanquam a Christo ipso profecta, referentis, errorem notat *Rittershusius* lib. V. c. 16. Var. Lect.

Vers.

Verſ. 33. Ὁ λαβὼν αὐτοῦ τὴν μαρτυρίαν, ἐσφράγισεν ὅτι ὁ Θεὸς ἀληθής ἐστιν) h. e. qui in Chriſtum credit, ejusque doctrinam recipit, is ſuo teſtimonio & exemplo *obſignat*, & confirmat, Deum veracem eſſe, eaque præſtitiſſe, quæ promiſerit. Conſentientem Patrum nonnullorum interpretationem lege apud *Suicerum* Tom. II. Theſauri p. 1197. Verbum ἐπισφραγίζεσθαι hoc ſenſu a *Polybio* p. 1477. I. 7. adhiberi, obſervavit *Raphelius* in Notis Polybianis p. 265. Nec negaverim reſpectum hic haberi ad חתימת העדים i. e. *obſignationem teſtium*, in foro olim receptam, quam huc advocat *Petitus* Var. Lect. I. 10. cum quo compara animadverſiones *Vitringæ* in Obſſ. Sacr. III. 1. In alia omnia, atque adeo longiſſime a ſcopo, abit *Jo. Alba* in Annotatt. Selectis ad h. l. p. 371. ita ſenſum repræſentans: *Qui acceperit teſtimonium, ſive prædicationem Chriſti, ſignavit, elegit, & prædeſtinavit hunc, videlicet Deus, ad vitam æternam, quia verax eſt, i. e. fidelis in promiſſis. Pollicitus eſt vero Deus ſempiternam beatitudinem iis, qui recipiant teſtimonium Chriſti. Ergo, qui receperit, deſignatus eſt ad illam, quia Deus verax eſt.* Facile apparet, quam contorta hæc ſint, & per quas ambages auctor in ſequentibus interpretationi ſuæ conſulere conetur eo in loco, qui ſua luce radiare videtur. Monet enim poſtea, pronomen *cum* hic eſſe ſubintelligendum, & propoſitionem illam: *ſignavit, quia Deus verax eſt;* ita eſſe invertendam: *ſignavit Deus, quia verax eſt.*

Verſ. 34. Ὃν γὰρ ἀπέστειλεν ὁ Θεὸς, τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ λαλεῖ &c.) Vide huc *Petavii* Dogmata Tom. II. lib. VI. p. 354. & T. VI. lib. XI. p. 43. & p. 51. *Jo. Marckii* Exercitatt. Exeget. XXXIV. p. 600. ſq. & *Amelium* Part. II. p. 221. ſq. qui poſt alios exiſtimat, per phraſin: οὐ γὰρ ἐκ μέτρου δίδωσιν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα, alludi ad unctionem Pontificum V. T. largiſſime fieri ſolitam. Phraſin ἐκ μέτρου cum Hebraica לבלי חק *Jeſ.* V. 14. & עד בלי די *Malach.* III. 10. confert *Hackſpanius* in Notis p. 411. Simile quid ex *Xenophonte* affert *Raphelius* p. 127. Ex Hebr. Scriptoribus de ea formula commentatur *Druſius* in Proverb. Cl. 2. I. 3. n. 99. & 100.

Verſ. 36. Ὁ πιστεύων εἰς τὸν υἱὸν, ἔχει ζωὴν αἰώνιον &c.) Vide ad hoc comma *Hackſpanii* Notas p. 413. Grotium Tom. III. Opp. p. 351. & *Petavium* Dogmat. Theolog. Tom. II. p. 116.

CAP. IV.

VErſ. 1–43. illuſtrat *Paulus Antonius* in Diſſert. de Converſione Samaritanorum ad Chriſtianiſmum, *Hal.* 1696. & auct. ib. 1704. 4. Conf. B. *Calovii* Diſput. de Samaritanorum vero credendi principio, *Witteb.* 1656. & 1705.

Verſ. 2. καίτοιγε Ἰησοῦς αὐτὸς οὐκ ἐβάπτιζεν) Hic ſatis clare indicari videtur, non ipſum Jeſum, ſed per alios tantum baptiſmum adminiſtraſſe. Vide

Vide hanc in rem B. *Feustkingii* Sermonem baptismalem huc pertinentem, qui ſub titulo *Feustkingii Redivivi* a *Casp. Eman. Geiero*, *Jenæ* in 8. recuſus eſt, cum præfatione, in qua plures Scriptores huc pertinentes citantur. Conf. B. *Mayeri* Eclogam ad Domin IV. Adventus Quæſt. II. & *Voſſii* Opera Tom. VI. p. 281. Patres nonnulli Jeſum ipſum hac opera perfunctum contendunt, de quibus lege *Sam. Basnagii* Annales ad A. C. XXX. §. 50. Petro vero id uſu veniſſe, Pontificii tradunt, contra quos lege *Caſaubonum* in Exercitatt. Anti-Baron. XIII. n. XL. p. 249. & B. *Mayerum* in Diſput. de eo, an Chriſtus Petrum baptiſarit? Lipſ. 1672. Nonnulli nihil in hac cauſa definiri poſſe cenſent, quia h. l. forte non in genere, ſed tantum reſpectu illius temporis & loci, de quibus hic ſermo eſt, baptiſmi exercitium Chriſto denegetur.

Verſ. 3. *καὶ ἀπῆλθε πάλιν*) *τὸ πάλιν* a variis Codd. abeſt, atque hinc ſcholion videtur *Millio* in Prolegomen. §. 1371. Sed vide *Whitbii* Examen p. 48. & *Maſtrichtium* ad h. l. qui pro *γνησιότητι* ejus ad *Syrum* & *Latinum*, itemque Codicum plurium auctoritatem & ipſum denique iter Chriſti provocat. Inſtitutum hujus profectionis eo refert *Coccejus* Tom. II. Opp. Poſthum. p. 473. a. ne Phariſæos ante tempus in ſe concitaret.

Verſ. 5. *Ἔρχεται οὖν εἰς πόλιν*) i. e. non *in urbem*, ſed *ad urbem*. Jeſum enim non ipſum, ſed diſcipulos tantum urbem intraſſe patet ex v. 8. & 30. Ita igitur explicat cum *Janſenio*, *Wilh. Lyſero* & *Dorſcheo* nuperrime Cl. *Starckius* in Notis Selectis p. 100. Alii cum *Grotio*, eodem ſenſu de territorio urbis accipere malunt. Alterutrum horum malim, quam cum aliis dicere, Chriſtum introiiſſe vere *Sichar*, tanquam ſuburbium *Neapoleos*, quam, quippe vicinam, intrarint diſcipuli. In hanc ſententiam lege *Lampium* p. 706.

τὴν λεγομένην Σιχὰρ) *Sichem* hic indicari, *Hieron.* ad Euſtachium ep. XXVII. recte obſervat, ubi tamen *per errorem Sichar* h. l. legi præceps contendit. Judæi enim, more ſuo, data opera, facta levi literarum mutatione, nomen hoc ita refinxiſſe videntur. Placet *Relandi* conjectura, quam Parte I. Diſſ. Miſcell. p. 141. attulit. *Ego exiſtimo*, inquit, *dictam eſſe urbem illam, quam pro idololatrica habebant, a Judæis (nam non ſine emphaſi textus ſacer habet τὴν λεγομένην, quæ ita appellabatur tunc temporis & vulgo nota erat)* שקר, Schecar, *cujus primam literam cum puncto Sche deflexerunt in Σι, uti in vero nomine* שכם *Schekem, Σιχὲμ. Atque ita Σιχὰρ,* שקר, *notabit mendacium, falſum, quod vel de toto cultu Samaritico, qui in illa metropoli vigebat, vel de idolis, quorum cultum objiciebant Judæi Samaritanis, poteſt intelligi.* Certe, cui deſunt exempla conſuetudinis Judaicæ, nomina propria levi literarum mutatione in ſequiorem ſenſum deflectendi, magnam eorum copiam in *Eiſenmengeri* Judaiſmo detecto

cto, & inprimis in pestilentissimo libro *Toldoth Jeschu* invenerit. Plura de urbe hac, si placet, leges apud *Masium* ad Josuam p. 331. *Cellarium* in Differt. Academic. p. 121. *Casaubonum* Exercitt. Anti-Baron. XIII. 28. & *Wagenseilium* ad Sota p. 667.

Vers. 6. ἐκ τῆς ὁδοιπορίας) *ex itinere*, quod non per Hebraismum, sed pure Græce ita dici, ostendit post *Pfochenium* §. 84. melioribus etiam veterum locis allatis *Gatackerus* c. XXX. p. 229.

ἐκαθίζετο οὕτως) Otiosam h. l. particulam οὕτως esse, sicut Germanice dicere solemus: er saß so beym Brunnen, nonnulli existimant. Vide *Elsnerum* p. 303. qui in exemplum affert *Actor.* XXVII. 17. & *Arrian.* Expedit. lib. II. c. 10. aliosque, quale quid etiam vide apud *Raphelium* in Notis Polybian. p. 266.

Alii pro *illativa* habent, ut idem sit, quod *itaque*, cum *Erasmo Schmidio* ad h. l. Alii idem esse volunt, quod *simpliciter*, *neglectim*: quod Germanice diceres: wie sichs schickte. Ita ex vett. *Chrysostomus* & *Theophyl.* quem secuti sunt *Grotius*, *Lyserus*, *Glassius*, & novissime *Starckius* in Notis Selectis.

Alii denique idem esse volunt, quod *eo facto*, *postea*. Ita cum *Perizonio* ad Æliani Var. Hist. I. 16. *Jo. Alberti* in Observatt. Philolog. p. 211. Mihi penultima sententia præplacet.

ἐπὶ τῇ πηγῇ) i. e. *ad fontem*, ut *Act.* III. 20. καθήμενος ἐπὶ τῇ Ὡραίᾳ πύλῃ. Sic *Herodianus* l. c. ἐπὶ τῷ ποταμῷ, *juxta fluvium*. Plura veterum loca lege apud *Elsnerum* p. 304. & *Jo. Alberti* l. c. p. 211.

Vers. 7. γυνὴ ἐκ τῆς Σαμαρείας) Eam Græci *Photinam* appellant. Vide *Bollandum* in Actis Sanctorum d. 20. Martii p. 80. & Tom. I. Maji p. 211. *Tillemontius* Tom. I. Memor. Eccles. p. 458. magnas de illa, quæ apud Græcos extent, historias magnis difficultatibus & fabulis scatere recte judicat. Ceterum τὸ ἐκ τῆς Σαμαρείας rectius jungitur voci proximæ γυνὴ, ut patria feminæ indicetur, quod ad caput causæ omnino pertinebat, quam remotiori verbo ἔρχεται. Conf. *Casaubonum* ad h. l. & *Starckium* p. 200. Compara versum 9.

ἀντλῆσαι ὕδωρ) Hoc scilicet erat mulierum. Vide *Gen.* XXIV. 11. & 1 *Sam.* IX. 11. Ex profanis autem *Homerum* Odyss. η. v. 20. & alios ab *Elsnero* p. 304. sq. diligenter laudatos. Confer præterea *Almeloveenii* Antiquitates Profan. ex sacris p. 30. sq.

Δός μοι πιεῖν) Ita *Xenophon* Cyropæd. IV. p. 83. ὄψον δὲ μὴ πέμπετε, μηδὲ πιεῖν, & alibi. Vide *Raphelii* Annot. Xenophonteas p. 128.

Vers. 9. Πῶς σὺ, Ἰουδαῖος ὢν) Ex habitu Christi, vel loquela crediderim feminam hanc adsecutam esse, quod sit Judæus. Nec cum *Cocceio* Tom. II. Opp. Posthum. p. 473. statuerim, Christum notam quandam, v. c. φυλακτήρια in veste gestasse, ex qua id quidem appareret.

 παρ'

παρ' ἐμȣ̃ πιεῖν αἰτεῖς;) Id enim nefas habebatur Judæis, ſi audimus *Raſchium* ad Sota c. III. ita tradentem: כותי אסור לאכל פתו ולשתות יינו i. e. *Hominis Samaritani panem comedere, vinumque ejus bibere, nefas eſt.* Confer *Wagenſeilium* ad Sota p. 515. Huc reſpici rectius puto, quam quod *Cappellus* p. 44. ad h. l. monet, eam fuiſſe feminæ mentem: *Judæus Samaritano ne frigidam aquam dare velit: cur igitur tu aquam a Samaritana poſcis?*

ȣ̓ γὰρ συγχρῶνται Ἰȣδαῖοι Σαμαρείταις) De illo Judæorum in Samaritanos odio, ceteriſque, quæ ad illuſtrandum hunc Chriſti ſermonem pertinent, legendi ſunt, qui de Samaritanis diligentius commentantur. Eos a me appellatos vide Part. II. Biblioth. Hebr. p. 434. De odio ſpeciatim præterea lege *Seldenum* de Jure Naturæ & Gentium p. 177. & *Amelium* Part. II. p. 259. qui poſt *Boſium* in Diſſert. de *νεωτερικαῖς ἐπιθυμίαις* ad 2 Tim. II. 22. p. 49. recte obſervat, per conſuetudinem, quæ hic inter Judæos & Samaritanos interceſſiſſe negatur, indicari ſpeciatim convictum & alia interioris familiaritatis momenta. Alioquin enim conſtat in rebus ceteris, v. c. emtionis & venditionis, commercia utrique genti fuiſſe, quod vel ex eo hic intelligitur, quia diſcipuli Jeſu in urbem abibant ad cibos emendos. De formula hac lege inſuper *Schottum* in Adagial. N. T. p. 89. Dubium hic nonnullis viſum eſt, utrum hæc verba ſint Samaritidis, an Johannis? Vide *Witſium* in Diſſert. de X. Tribubus p. 339. Ægyptiacorum. Equidem pro Johannis verbis, interpretandi cauſa additis, habenda eſſe non dubito, cum femina illa opus non habuerit, Jeſum, tanquam probe gnarum, de more tunc receptiſſimo inſtruere; Johannes autem ea admonitione in Lectorum uſum opus eſſe facile prævideret.

Verſ. 10. Sermone quodam illuſtrat *Altingius* Tom. V. Opp. p. 14. ſqq. in calce.

σὺ ἂν ᾔτησας αὐτόν) De phraſi hac lege *Hackſpanium* in Notis ad h. l. p. 413.

ὕδωρ ζῶν) i. e. *ζωοποιȣ̃ν*, *vivificans*, quo ſenſu vocem Græcam frequenter adhibent *οἱ* LXX. Confer *Guſſeti* Lexicon Hebr. p. 923. Niſi potius, quod malim, ad perennitatem hic reſpectum habendum eſſe cenſeas. Ita certe profani Latini paſſim *fontes vivos* appellant. Vide huc *Elsnerum* p. 305. & *Lampium* p. 719.

Verſ. 12. *μὴ σὺ μείζων εἶ;*) *Num felicior, fortunatior es, ut aliunde aquam habeas in proximo, quam ex hoc puteo, & eam jugiter manantem?* Ita *Coccejus* Tom. II. Opp. Poſthum. p. 474.

πατρὸς ἡμῶν Ἰακὼβ, ὃς ἔδωκεν ἡμῖν τὸ φρέαρ) Utrumque hoc falſo dicebatur. Nam nec Pater Samaritanorum Jacobus erat, nec illis, ſed tribui Joſephi, puteus ille erat adſignatus. Vide *Feſſelii* Adverſar. Sacra Tom. I. p. 373.

p. 373. Interim *Josephus* Antt. Judaic. IX. 14. auctor est, Samaritanos genus suum ad Jacobum inprimis referre solitos fuisse. Patrum hanc in rem loca vide apud *Suicerum* Tom. II. Thesauri p. 927.

καὶ τὰ θρέμματα αὐτοῦ) Per θρέμματα hic non *pecudes*, sed *alumnos* sive *domesticos* intelligi vult Cl. *Majus* Obss. Sacrar. lib. IV. p. 7. sqq. eo quod ignobilem putat putei fuisse commendationem, si Jacobus inde cum pecudibus suis aquam hausisse dicatur. Simile quid in mentem videtur venisse *Coccejo*, l. c. p. 474. qui ad h. l. Platonis affert verba: δύσκολον τὸ θρέμμα ἄνθρωπος, & Sophoclis in Electra: ὦ θρέμμ' ἀναιδές. Manifestum quidem est, veteres vocem θρέμμα in isto significatu adhibuisse; sed incertum admodum, imo parum probabile, eam notionem, Sacris Scriptoribus alias non receptam, locum hic obtinere, præcipue cum domestici illi sub υἱῶν nomine, in familiæ significatione sumto, jam comprehendantur.

Vers. 14. οὐ μὴ διψήσῃ) i. e. nunquam carebit eo, quo desiderium satiare possit. Vide *Suiceri* Thesaurum Tom. I. p. 929.

εἰς τὸν αἰῶνα) i. e. *nunquam*, Hebraica loquendi ratione, de qua *Vorstius* Part. II. Philolog. Sacr. p. 258.

πηγὴ ὕδατος ἁλλομένου εἰς ζωὴν αἰώνιον) Per aquam hic *gratiam sanctificantem Spiritus* intelligit *Vitringa* in Obss. Sacr. lib. II. cap. VII. pag. 120. additque, hanc gratiam, semel communicatam menti, non esse in mente otiosam, sed in continuos se exserere actus, qui sint ad superandam mortem, & obtinendam vitæ æternæ felicitatem. Ex Patribus hic commentatur *Suicerus* Tom. II. Thesauri p. 1350. Fontem ejusmodi Græci dicerent πηγὴν ἀέναον. Vide huc *Elsnerum* p. 305. sq. Spectat hic res ad *animum*, nec profanis insueta hoc sensu phrasis est, ut patet ex *Antonino* VII. 59. & VIII. 51. ubi comparandæ sunt notæ *Gatackeri*. Adde similia loca *Philostrati* & aliorum in notis *Gottfr. Olearii* ad Philostr. p. 162. Ceterum veteres Judæos Messiam, ut fontem, homines irrigaturum, sibi repræsentasse constat ex *Midrasch Koheleth* fol. 90. b. Vide locum apud *Relandum* in Palæstina p. 352.

Fontes *salire* & ἅλλεσθαι a Scriptoribus dici inter ceteros ostendit *Jo. Pearsonus* ad Ignatii Epistolas p. 56. Vide etiam ad hoc comma *Ursinum* in Analectis I. p. 225.

Vers. 16. φώνησον τὸν ἄνδρα σου) Ἀνὴρ *maritum* significat. Vide ad *Matth.* I. 16.

Καλῶς εἶπας) Ironice hoc nonnulli dictum putant, quod Latini exprimere solent: *belle dixisti*. Modeste sic redargueretur mulier, tanquam quæ æquivoce responderit. Ita statuunt, post *Erasmum* & *Knatchbullum*, *le Cene* in *Projet d'une nouvelle Version* p. 467. & novissime *Lampius* ad h. l.

Vers. 17. ὅτι ἄνδρα οὐκ ἔχω) Τὸ ὅτι hic videtur pleonasticum, ut alias sæpe. Vide *Hackspanii* Notas p. 414. Conf. *Joh.* I. 20.

Verſ. 18. Πέντε γὰρ ἄνδρας ἔσχες, καὶ νῦν ὃν ἔχεις, οὐκ ἔστι σου ἀνήρ) Rationes hic illi omnium optime inſtruere videntur, qui cum *Heinſio* arbitrantur, feminam hanc olim quinque habuiſſe maritos, legitimo thoro ſibi junctos, quibus defunctis ſextus ille ſucceſſerit, ſine juſti matrimonii legibus, concubinæ inſtar ea uſus. Diſplicuit id quidem non ita pridem *Georgio Schaubio* in Bibliotheca *Bremenſi* Claſſ. V. p. 1005. ſqq. cui femina hæc ab omni vel adulterii vel concubinatus nota, ex variis probitatis documentis, abſolvenda viſa eſt, ita ut omnis culpa in viro hæreat, qui feminam hanc vel malitioſe deſeruerit, vel indignis modis tractarit. Sed vide, quæ Cl. *Lampius* p. 732. ſq. contra argumenta Viri docti ſcite attulit.

Verſ. 20. Οἱ πατέρες ἡμῶν ἐν τούτῳ τῷ ὄρει προσεκύνησαν) *Joſ. Mede* p. 263. Opp. exiſtimat, feminam per *Patres* intelligere *Ephraimitas* veteres, quibus ſe ortos Samaritani jactarint, cum potius genus ſuum ab illis gentibus habuerint, quas *Salmanaſer* in urbes Samariæ colonorum inſtar deduxerit; per montem vero indicaſſe montem *Ephraim*, ubi *Schilo* exſtiterit, olim vero arca & tabernaculum domicilium invenerit. De monte illo *Garizim* multa ad h. l. Intt. quod nomen recte hodie pro *Ebal Exod.* XX. 17. & *Deut.* XXVII. 4. in Pentateucho Samaritano legi, temere contendit *Guilh. Whiſtonus* in Conatu Codicem Hebr. reſtituendi p. 168. Sed hæc ab aliis pridem perorata eſſe conſtat. Quam lepide & inconſulte Pontificiorum nonnulli ex verbo προσκυνεῖν ſacrificium Miſſaticum adſtruere conati ſint, oſtendit ad h. l. *Hackſpanius* in Notis p. 414.

Verſ. 21. ὅτι ἔρχεται ὥρα) De hoc tempore vaticinatus ante erat *Malachias* I. 11. quem locum veteres Hebræos de precibus, ubique locorum fundendis, accepiſſe, oſtendit *Vitringa* de Vetere Synagoga p. 46.

ὅτε οὔτε ἐν τῷ ὄρει τούτῳ) Per montem Dominum hic Diabolum intelligere ſtatuit olim *Heracleon* apud Origenem Tom. XII. p. 209. quem idem conſentientem ſibi nactus eſt homilia XII. in Jerem. Confer *Huetii* notas in Matthæum c. XVII. p. 312. ubi ſimilia Patrum loca afferuntur. Ceterum his verbis & ſequentibus abolitionem cultus cerimonialis, qualis olim erat, prædici, recte obſervat Rev. *Moſheimius* in Vindiciis Anti-Tolandinis p. 273. ſq.

Verſ. 22. Ὑμεῖς προσκυνεῖτε, ὃ οὐκ οἴδατε &c.) Non idola hic innui per *illud, quod adorarent Samaritani,* cum convenientiſſime & iis oppoſite ad gentem Judæorum, ſobolem Patriarcharum, & ſolam hactenus Eccleſiam Dei, dicatur, illos adorare, quod non noverant, recte oſtendit *Relandus* Differtt. Miſcell. Part. II. p. 61. ſq. Neque enim noverant Deum Samaritani tali cognitione, qua oportebat, & qua ſalus acquiri poterat, cujusmodi homines, ſive Judæi illi ſint, ſive Ethnici, Deum non noſſe dicuntur. Viciſſim tum alii, tum & *Joſ. Mede* in Opp. p. 49. cultum ſub imagine columbæ Deo vero exhibitum, Samaritanis exprobrari exiſtimant, contra quos lege *Relandum* l. c. p. 60.

ὅτι

ὅτι ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰυδαίων ἐςί) Per σωτηρίαν Chriſtum ſe ipſum intelligere tanquam mundi Servatorem, quo ſenſu etiam Samaritis verba hæc accipere ſe teſtatur v. 25. non inconvenienter exiſtimat *Keuchenius* ad h. l. Σωτηρία enim & σωτὴρ promiſcue ponitur.

ἔρχεται ὥρα ϰ̀ νῦν ἐςι) Similiter *Polybius* p. 430. l. 20. ἔςαι δὲ ϰ̀ περὶ τὸν Πόντον παραπλήσιον, ϰ̀ γίνεται νῦν: *Fiet idem etiam in Ponto, & jam quoque fit.*

Οἱ ἀληθινοὶ προσκυνηταὶ) i. e. adoratores tales, quales eſſe decet, quo ſenſu ſæpe voce ἀληθινὸς utuntur Scriptores externi. Vide Cl. *Raphelium* in Notis Polybian. p. 266.

Verſ. 23. Totum hoc comma interpretatur *Joſ. Mede* in Opp. p. 46. ſqq. ubi ſpeciatim oſtendit, non inferri hinc poſſe, quod cultus, Deo in N. T. præſtandus, omnibus cerimoniis & ritibus externis deſtitutus eſſe debeat. Cultum itaque in *Spiritu* & *veritate* opponi h. l. putat cultui in V. T. ubi cum typis, umbris & cerimoniis multa Judæis res erat; vel etiam illi Samaritanorum conſuetudini idololatricæ, qua Deum ſibi ſub corporea ſpecie repræſentabant & colebant. Sed cum poſterius hoc, prout modo monuimus, non ideo evictum ſit, in priori malim acquieſcere, cum veteribus nonnullis, de quibus *Suicerus* Tom. I. Theſauri p. 290. b. ſed ita, ut *veritas*, non ſolum umbris illis V. T. verum etiam omni hypocriſi, quæ inter Judæos frequens erat, opponatur, *Spiritus* vero ut principium omnis veri in Deum cultus commemoretur. Lege, ſed cum ſelectu, *Amelium* Part. I. pag. 458. ſq. Non diſplicent præterea B. *Gottfr. Olearii* cogitata in Diſput. de adoratione Dei Patris per Jeſum Chriſtum p. 49. approbata nuper a *Starckio* p. 201. Notarum Selectar. *Fore jam, ut ſublata σαρκικῇ illa Sacerdotii utriusvis ſive Sionitici, ſive Garizitani, λειτυργίᾳ & umbratili cultu, non per Sacerdotium illud* carnale *amplius acceſſum quæſituri ſint homines, ſed per verum illum Pontificem, qui non κατὰ σκιὰν in umbra, ſed ἀληθῶς, non σαρκικῇ oblatione, ſed διὰ πνεύματ© αἰωνίυ per Spiritum ſuum æternum ſeſe oblaturus ſit Deo.*

Verſ. 24. Πνεῦμα ὁ Θεὸς) Hinc recte conficit *Grotius*, de Jure Summ. Poteſtat. circa Sacra p. 11. falſum eſſe, quod *Xenophon* dixit, ad mores non pertinere, ſive Deum corporeum, ſive incorporeum credamus.

Verſ. 25. Οἶδα, ὅτι Μεσσίας ἔρχεται) Unde hoc noverit femina, dubium eſt apud Interpretes. Ad Jeſaiæ II. 23. quæ *Keuchenii* eſt ſententia, reſpicere non potuit, eo quod ex Sacris Scripturis nihil niſi Pentateuchum Moſis admittebant Samaritani. Itaque de Deuteronomii XVIII. vel quacunque alia Moſis prophetia cogitaſſe videtur, niſi potius fama hoc ex Judæorum

Mmm mm 3 ſer-

ſermonibus ad eam perveniſſe exiſtimes. Magnam enim tunc temporis Meſſiæ exſpectationem inter Judæos fuiſſe, ex N. T. tabulis apparet. Confer, quæ ad h. l. affert *Vitringa* Obſervatt. Sacrar. lib. V. p. 317.

Verſ. 26. Ἐγώ εἰμι) *Ego ſum*, ſcilicet Meſſias ille, ut proinde τὸ *ſum* non ſit ſecundi, ſed tertii adjecti. Vide *Moſis Solani* Differt. de Stylo N.T. §. 58.

Verſ. 27. καὶ ἐθαύμασαν, ὅτι μετὰ γυναικὸς ἐλάλει) Miror, nonnullos admirationis diſcipulorum cauſas has reddidiſſe, quod cum *muliere* ſermones Jeſus miſceret, vel etiam cum tali, quæ malignam ſuſpicionem ingerere animis aliorum potuerit. Quamvis enim doctores Judæorum de feminis, reſpectu ſapientum, hinc inde contemtim loquantur, easque ſermone familiari indignas judicent, quam in rem lege inſolentia eorum judicia in *Lightfooti* Horis Hebr. ad h. l. diſcipulis tamen facile conſtare poterat, Dominum nec in hac parte, quemadmodum in ſimilibus aliis, judicio horum hominum ſtare. Itaque hoc unum mirati, credo, ſunt, quod cum Samaritide, & quidem tam humaniter, loqueretur, vel forte, quod Samaritis cum Domino ſermones miſceret. Nec neceſſe puto cum *Coccejo* Tom. II. Opp. Poſthumorum p. 474. ut τὸ, ὅ, τι per hypodiaſtolen legatur, eo ſenſu; *mirati ſunt*, *quid tandem Chriſtus cum ipſa loqueretur.* Requiro enim adhuc exemplum, quod evincat, verbum θαυμάζω hoc modo cum ὅ, τι conſtrui ſolere.

Verſ. 28. λέγει τοῖς ἀνθρώποις) id eſt, τοῖς πολίταις, *civibus*, *incolis*, ut *Judic.* VIII. 8. quod hic obſervat Cl. *Trillerus* in Notis MSS.

Verſ. 29. εἶπέ μοι πάντα ὅσα ἐποίησα) Forte hinc non inepte colligas, Dominum plura cum femina hac collocutum eſſe, quam ab Evangeliſta narrata ſunt. Nam unum tantum conditionis ejus momentum, cum τὰ πάντα plura inferant, in ſuperioribus erat commemoratum.

μήτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστός) Rectiſſime hæc B. *Lutherus* in verſione ſua junxit verbo ἴδετε, eo ſenſu: *videte*, *num hic ſit Chriſtus?* ita quoque *Beza*, & cum illo nuper *Hombergius* in Parergis Sacris p. 160. Conf. v. 42. & VII. 26. Ita omnia cohærent rectius.

Verſ. 32. Ἐγὼ βρῶσιν ἔχω φαγεῖν) De *oblectamento* aut *recreatione* accipit *Coccejus* l. c. Sed eo non eſt opus. Ceterum ſimili verborum ambiguitate *Cyrum* apud Xenophontem lib. IV. p. 83. Cyropædias uti, obſervat *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 128.

Verſ. 34. Ἐμὸν βρῶμά ἐστιν, ἵνα ποιῶ τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με) Quo ſenſu animæ cibus ſeu pabulum voluntas Dei eſſe dicatur, oſtendit *Henr. Morus* in Diſſertatt. ſuper variis Scripturæ S. locis, Anglice *Lond.* 1692. 8. editis p. 141. ſqq. demonſtrans eadem opera, eadem animæ rationali ex voluntate

divi-

divina, si eam perficiat, accedere, quæ ex cibi effectis ad corpus adferantur. Missionem, quam hic memorat Dominus, fraudi non esse divinitati Messiæ, veteres recte ostenderunt apud *Suicerum* Tom. II. p. 1370.

Vers. 35. ὅτι ἔτι τετράμηνόν ἐστι) Τὸ ἔτι a pluribus Codd. abest, quos laudat *Millius*. Hinc *Heinsio* in Aristarcho c. XX. delendum videtur, qui præterea per Hebraismum idem hic indicari vult, ac si diceretur: τετράμηνός ἐστιν, ἐν ᾧ θερισμός· τετράμηνον autem esse ait tempus illud, in quo duo רגלים Pascha scilicet & Pentecoste concurrerent, quorum altero initium, altero finem messis sumserit. Sed vide contra eum B. *Glassii* Grammat. Sacr. lib. III. Tract. V. Can. X. & *Lyserum* ad h. l. §. 76. Τὸ ἔτι pro ἤδη hic adhiberi *Casaubono* visum est, quod monui in Casaubonianis p. 76. Sed vereor, ut exemplum hujus significatus ex idoneo scriptore afferri possit. Itaque nec admittenda, quæ ab ipso additur, *Loiselli* interpretatio: *jam quartus est mensis & instat messis.* Neque satisfecit illa ipsi Casaubono, neque satisfacere potuit, a Linguæ quippe rationibus aliena. Nonnulli Codd. pro τετράμηνον habent τετράμηνος, quibus & unus ex meis accedit. Sed utrumque idem valet, & est ellipticum. Diversas aliorum sententias tum de phrasibus hic adhibitis, tum de sensu genuino & temporis, quod tunc erat, ratione diligenter enumerat *Gatackerus* in Cinno II. 7. cujus potiora repetit *Suicerus* Tom. II. Thesauri p. 1270. sq. Inprimis vero Interpretes exercet supputatio temporis, præterea vero id, quomodo dici possit messis per quadrimestre adhuc remota esse, & tamen jam flavescere aristas. Mihi illi præ ceteris rationes suas probant, qui verba hæc, ut proverbialia, & inter Judæos, messem exspectantes, admodum frequentata, interpretantur, quibus Dominus hic eo fine usus sit, ut animos discipulorum a messe illa corporali & externa ad spiritualem, quæ ipsorum erat, avocaret. Sensus itaque est dicere vos alias soletis: *quadrimestre adhuc superest, & veniet messis.* Ego vero dico vobis: aperite oculos vestros, & videbitis, messim a vobis faciendam cum maxime instare, & omnia ad eam esse matura. Vide in hanc sententiam *Hombergium* in Parergis p. 160. Quæ præterea inter Cl. *Jo. Meyerum*, Theologum Harderovicensem, & *Dan. Gerdesium* de hoc argumento non ante multos annos disputata sunt, ea in summam relata & expensa videbis a Cl. *Lampio* ad h. l. Id addere fas sit, quod *Jo. Harduinus* in Opp. Selectis p. 627. in hoc argumentum excurrens, post alios observat, duplicem inter Judæos messim fuisse, & sationem, alteram, triticeam, mense Martio exeunte, alteram, hordeaceam, exeunte Augusto: posteriorem hanc ipse h. l. vult intelligi. Lege præterea *Gerh. Joh. Vossii* Opera Tom. VI. p. 83. b. & *Jo. d'Outrein* in Biblioth. Bremens. Class. I. p. 603. sqq.

Vers. 37. ἄλλος ἐστὶν ὁ σπείρων, καὶ ἄλλος ὁ θερίζων) Proverbium hoc inter Hebræos fuisse, vox λόγος proxime antecedens infert, quam de *adagio*

gio adhiberi, ostendit *Jo. Vorstius* de Adagiis N. T. c. V. qui idem c. XII. ejusdem Proverbii exempla ex profanis affert Scriptoribus, qualia etiam legi possunt apud *Andr. Schottum* de Adagialibus N. T. p. 90. Conf. *Zebneri* Adagia I. 98. & III. 45. item *Spanhemium* ad Callimachum p. 750.

Vers. 42. ὁ σωτὴρ τῦ κόσμυ) Per *κόσμον gentiles* hic iterum intelligi, vult *Altingius* in Heptade Dissertt. Tom. V. Opp. p. 144. a. hac addita ratione: *Nam cum Samaritani Judæis invisi essent, bosque odissent vicissim v. 9. mutuum etiam damnarent cultum, quem loco sibi displicente alii exercebant v. 20. exspectarent autem Messiam, magistrum seu doctorem consummatum v. 25. postquam Jesum illum esse agnovissent, salutem ex Judæis quidem prodeuntem v. 22. attamen non solis Judæis peculiarem, profitentur eum Servatorem mundi, sive gentium, eoque & suum, qui Gentiles, non Judæi, quomodo suum in eo interesse & jus declararunt.* Recte hic quidem Christus pro Messia Gentilium & Judæorum, adeoque universali ex mente Samaritanorum & re ipsa esse judicatur. Sed magis hic respici debet ad vocem κόσμ☉, quam ad illud, quod Samaritani se ipsos ex Gentilibus esse agnoverint. Id enim non fecisse illos, vel ex feminæ sermone apparet, v. 12. quo de Jacobo, tanquam Patre suo, gloriatur.

Vers. 44. Ἀυτὸς γὰρ ὁ Ἰησῦς ἐμαρτύρησεν, ὅτι προφήτης ἐν τῇ ἰδίᾳ πατρίδι τιμὴν ὐκ ἔχει) Mirum hic videri possit, cur vel sic in Galilæam abierit Dominus, quæ erat ipsius patria, de qua id pronunciaverat. Ad hunc nodum solvendum *Altingius* Tom. V. Opp. in Epistolis p. 373. τὸ γὰρ per *quamvis* verti vult hoc sensu: *quamvis ipsemet testatus esset, nullum in patria Prophetæ locum esse.* Sed rectius illi agunt, qui Galilæam a Nazaretha, tanquam ἰδίᾳ πατρίδι distinguunt. Eam adibat Christus, non item hanc speciatim. Vide huc B. *Joh. Winckleri* nostri, τῦ δυνατῦ ἐν ταῖς γραφαῖς, Sermonem Inauguralem ad h. l. Hamburgi in 8. editam, in qua & alia huc pertinentia deprehendes. De adagio illo vide, quæ diximus ad *Matth.* XIII. 57.

Vers. 46. Καὶ ἦν τις βασιλικὸς) Diversas interpretationes Latinas postremæ vocis attulit *Boisius* in Collatione p. 290. Conf. *Suicerum* Tom. I. Thesauri p. 671. Dubium hic inprimis est, utrum a *prosapia*, an a *ministerio* dicatur regulus? Utroque enim respectu a profanis adhiberi constat. Prius amplectitur *Lamb. Bos* in Exercitt. ad N. T. p. 61. qui agnatum quendam Herodis hic innui censet. Cum eo facit *Amelius* Part. II. p. 178. Conf. *Valesium* ad Ammian. XVI. 12. & Cl. *Fabricium* in Codice Pseudepigrapho N. T. Tom. I. p. 254. Posterius mavult ad h. l. *Starckius* in Notis Selectis p. 201. & *Schœtgenius* ad *Lamb. Bos* de Ellipsi p. 214. qui intelligi hic vult ὑπηρέτης. Et sic olim *Syrus*, qui vertit עבד מלכא i. e. δῦλ☉ βασιλικός. Rev. *Raphelius* in Notis Polybian. p. 267. ubi varios Polybii de hac voce locos affert, rem in medio relinquit. *Vulgatus*, vertens *Regulus*, legisse nonnullis videtur βασιλίσκ☉, quam vocem Codex unus itemque alter exhibet. Interim tamen Glossarium

rium Græco Latinum Vetus apud *Boiſſuan* l. c. ita: βασιλικός, *reguliofus, regius, regalis, imperialis, principalis, regillus, regulus*. Adde, quæ contra lectionem βασιλίσκος attulit *Caſaubonus* in Exercitatt. Anti-Baronian. p. 356. Conf. *Raithii* Vindicias Verſionis B. Lutheri p. 416.

Verſ. 47. ἤμελλε γὰρ ἀποθνήσκειν) Eadem phraſi utitur *Xenophon* Cyropæd. lib. III. p. 56.

Verſ. 48. Ἐὰν μὴ σημεῖα ϗ τέρατα ἴδητε) De differentia inter σημεῖον & τέρας lege *Suicerum* Tom. II. Theſauri p. 949. & 1268.

Verſ. 50. ὁ υἱός σου ζῇ) i. e. *convaluit*, quæ notio Hebræo חיה frequenter tribuitur, ut *Joſua* V. 8. & *Jeſ.* XXXVIII. 1. Ita quoque οἱ LXX. 2 *Regg.* I. 2. Conf. *Druſium* ad h. l. & *Poſſinum* in Spicilegio Evangelico p. 158. Ita *Martialis:*

Non eſt vivere, ſed valere, vita.

Ceterum Judæos in *Berachoth* VI. 5. ſimile quid de R. *Chanina* teſtari, quod, factis ad Deum precibus pro ægrotis, dicere conſueverit: *hic vivit, iſte morietur*; obſervavit ad h. l. *Ludov. Cappellus.*

Verſ. 52. κομψότερον ἔσχε) *melius habuiſſet. Cicero* hoc ſenſu dixit: *ſpero, tibi melius eſſe:* ad Famil. lib. XVI. ep. 22. & alias. Noſtra hac phraſi utitur *Epictetus* Diſſert. lib. III. c. 10. p. 306. ὅταν ὁ ἰατρὸς εἰσέρχηται, μὴ φοβεῖσθαί τι εἴπῃ· μὴ δ᾽ ἂν εἴπῃ, κομψῶς ἔχεις, ὑπερχαίρειν. *Quando medicus ingreditur, non verendum, quid dicturus ſit; neque, ſi dixerit, belle habes, ſupra modum lætandum.* Vide *Raphelii* Notas Polybian. & *Boiſii* Collation. p. 290.

ἀφῆκεν αὐτὸν ὁ πυρετός) Eadem phraſi de febri utitur *Hippocrat.* Epidemic. VII. 28. ἀφῆκε δὲ αὐτὴν ἐκλαίην ſcil. πυρετός. & VII. §. 21. 26. ἀνῆκεν ὁ πυρετός. Debeo hæc Cl. *Trillero.*

CAP. V.

COmmata hujus capitis priora, quibus de ſanatione hominis, per triginta annos paralytici, exponitur, data opera illuſtrata ſunt ex noſtratibus a *Jo. Friſchmutho* in diſſert. de piſcina Bethesdea, *Jen.* 1671. *Davide Wendelero* in Diſſ. de eadem, *Witteb.* 1676. quæ utraque recuſa exſtat in Theſauro Theolog. Philolog. N. Teſt. fol. 374. & 378. *Sam. Schelguigio* in Diſput. de Bethesda & miraculo ibi edito, *Gedani* 1681. & *Val. Henr. Voglero* de rebus naturalibus &c. p. 336. Addantur *Th. Bartholinus* de Paralyticis N. T. in Tom. V. Opuſculorum ad Hiſtoriam & Philolog. Sacr. ſpectantium p. 313. ſq. & 390. ſqq. *Amelius* in der Erörterung Part. I. p. 394. & 1065. noviſſime autem B. *Gottfr. Olearius* in Cogitationibus de miraculo piſcinæ Bethesdæ, *Lipſ.* 1714. ex Reformatis *Coccejus* Tom. II. Opp. Poſthum. p. 475. ſq. *Herm. Witſius* in

Miſcellaneis Tom. II. Exerc. XI. p. 315. ſqq. & *Jo. d'Outrein* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. I. p. 597. ſqq. quam etiam vide Claſſ. VI. p. 962.

Verſ. 1. *Μετὰ ταῦτα ἦν ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων*) Feſtum hoc alii de Paſchate, de Pentecoſte alii, alii de Scenopegia, aut Purim, accipi volunt, alii nihil definiunt, ut *Coccejus* l. c. Diverſarum iſtarum ſententiarum patronos, eorumque argumenta recenſet & examinat *d'Outreinius* in Bibl. Brem. Claſſ. I. p. 597. qui ipſe in *Bernh. Lamii* ſententia perſiſtit, feſtumque *Purim* & *Sortium* minus, quod agebatur die XV. menſis *Adar*, quæ dies anno Aeræ Chriſti 32. Sabbatum fuerit, hic innui arbitratur, primum ideo, quod feſtum hoc, quo Chriſtus paralyticum ſanavit, inciderit in Sabbatum, vid. v. 9. a Paſchate vero *primo* ad *ſecundum* toto illo tempore nullum aliud feſtum, quam quidem hoc, cum Sabbato fuerit conjunctum; deinde quod Dominus eodem die de Johanne, præcurſore ſuo, ut de defuncto, locutus ſit v. 35. Johannes vero circa illud tempus, paulo ante XV. menſis Adar vitam amiſerit.

Verſ. 2. *Ἔςι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα* &c.) Varietates lectionum, quæ hic occurrunt, refert *d'Outreinius* l. c. p. 611. ſq. & communiorem noſtram ceteris præferendam recte judicat. Præcipua earum eſt, quod verſiones quædam, & veteres Doctores nonnulli, hic, omiſſis vocibus *ἐπὶ τῇ*, legunt *προβατικὴ κολυμβήθρα*, in nominandi caſu, atque adeo vocem *προβατικὴ* non ad loci deſignationem, *portam* ſcilicet *probaticam*, ubi fuerit piſcina illa, ſed ad deſcriptionem ipſius piſcinæ referunt. Illos ex recentioribus ſecutus erat *Dan. Whitby* in Annotationibus Anglican. ad N. Teſt. Sed idem poſtea in Examine Novi Teſtamenti Milliani p. 48. ſententiam hanc recte mutavit, & in communiori lectione perſiſtendum eſſe docuit. Ex noſtratibus B. *Olearius* poſt *Hammondum*, in Cogitationibus de hoc miraculo p. 19. retinet quidem voces *ἐπὶ τῇ*, ſed *κολυμβήθρα* in *dandi* cauſa jungi proxime vult voci *προβατικῇ* his adductus rationibus: *Sane*, inquit, *niſi προβατικῇ & κολυμβήθρᾳ in dativo caſu conjungas, βηθεσδὰ nomen tribui κολυμβήθρα erit intelligendum. Abſonum autem aquas* בית *ſive domum vocari. Ad eandem ςοαὶ pertinere erunt cenſendæ, quæ ad domum rectius, quam lacum referuntur.* Sed erudite ad hæc in Notis MSS. Cl. *Trillerus* monuit, piſcinam ovariam nusquam memorari, viciſſim vero portæ illius mentionem fieri a Nehemia & alias: præterea languere ſententiam, ſi verba *ἡ ἐπιλεγομένη Ἑβραϊςὶ Βηθεσδὰ* non referantur proxime ad *κολυμβήθρα*, quam omnino reſpiciunt. Nec abſonum omnino eſſe, *aquas* בות ſive *domum* vocari, aut *ςοὰς* ad *lacum* referri. Hebræos enim vocem בירת de quovis loco, alterius rei capace, adhibere, ut in nominibus *Bethlehem*, *Bethel*, *Bethphage* &c. Similiter *Frontinum* de Aquæductibus vocem *conceptelæ* in eadem notione uſurpare. Ita tres cellulas in balneis Romanorum, *frigidiariam*, *tepidiariam* & *caldariam*, in quas aquæ ex majore *κολυμβήθρᾳ*, ut expreſſe lavacrum illud appel-

appellabatur, per canales derivari solebant, οἴκυς, i. e. ædiculas, Hebr. בתים appellatas fuisse, quod ex *Galeno* X. pag. 149. de methodo medendi, & *Luciano* in Descriptione balnei Hippiæ constet. Quod ad ςοὰς sive *porticus* spectat, fieri omnino, eodem observante, poterat, ut lavacrum Bethesdæ circa se haberet quinque portas, ceu totidem οἴκυς aut porticus, in quibus delitescerent ægroti, commotionem aquarum Angelicam exspectantes. Erudite & sapienter hæc ita dici arbitror.

Ex his vero conficitur, ad vocem προβατικῇ subintelligi rectissime πύλῃ, *porta*. Hujus enim nominis portam, Hierosolymis exstantem, memorat *Nehemias* III. 1. 12. & XII. 11. 16. quam *oi* LXX. diserte πύλην προβατικὴν appellant. Conf. *Relandi* Palæstinam p. 855. *Lamb. Bos* de Ellipsi p. 172. & *Rich. Simonem* in Hist. Crit. N. T. 427. Cetera, quæ ab aliis afferuntur, supplementa ab h. l. alienissima sunt.

ἡ ἐπιλεγομένη ἑβραϊςὶ) de dialecto Syro-Chaldaica, ea ætate Hierosolymis recepta, id accipiendum esse, recte monuit *Hackspanius* in Notis p. 417.

Βηθεσδὰ) Varias vocis etymologias lege apud *Drusium* in Commentario de Vocibus N. T. pag. 37. sq. & 196. sq. item Part. II. Notarum in N. T. pag. 84. *Leusdenium* in Philologo Hebræo mixto pag. 124. *Montacutium* Origin. Eccles. II. pag. 111. & *Jo. Conr. Hottingerum* in dissertat. de hac piscina, *Tiguri* 1705. 4. præside *Jo. Bapt. Ottio* habita. Ex nostratibus confer B. *Aug. Pfeiferi* Opera Critica p. 492. *Museum* noviter apertum Part. X. p. 823. & Cl. *Jo. Reinhard. Russium* in Dissertat. de Linguæ Syriacæ usu in N. T. p. 65. sqq. Postremus hic vocem κολυμβήθρα per *natatorium*, quam per *piscinam* convertere mavult. Βηθεσδὰ autem cum aliis plerisque quasi בית חסדא i. e. *domum gratiæ* seu *misericordiæ* dici contendit, id quod convenientissimum videtur, & a *Syro*, *Beth Chesdo* hunc locum appellante, apprime confirmatur. Confer in eandem sententiam post B. *Lutherum* nostrum in Gloss. ad h. l. collatis *Raithii* Vindiciis pap. 417. *Andr. Masium* in Commentar. ad Josuam pag. 100. *Possinum* in Spicilegio Evangel. pag. 33. *Grotium* ad h. l. *Scaligerum* de Emendat. Temporum pag. 519. & *Jo. d'Outreinium* l. c. pag. 618. Eam amplecti omnino malim, quam alteram illam, non paucis, nec ineruditis, probatam, qui Βηθεσδὰ quasi בית אשדא i. e. *domus effusionis*, dici volunt. Ita vero statuit *Bochartus* Tom. II. Opp. pag. 614. *Wagenseilius* in Notis ad *Sota* pag. 308. cum *Calvino*, *Gomaro*, aliisque, aquas præterea illas eas fuisse autumat, quibus Sacerdotes manus suas pedesque aut victimas abluerent, & quæ e labro æneo quotidie evacuabantur, ex templo manantes, & hinc in urbe alicubi stagnantes. Non alienus hinc est *Adrian. Relandus* in Palæstina pag. 857. *Posset*, inquit is, *aliquis suspicari, aquas, quæ lavandis victimis inservierunt, in conclavi lavantium, collectas fuisse certo loco, & illas pro sanctis habitas, adeoque salubribus.* Si quidem ista aquarum τῆς κολυμβήθρας tanquam ex Templo manantium origo

admittatur, invenisse se putat *Wagenseilius* l. c. locum *Joma* fol. 77. b. ubi hujus piscinæ fiat mentio. Enimvero, si quod hic divini subesse crediderimus, quod variæ circumstantiæ, mox enarrandæ, poscunt; non existimo, huic conjecturæ multum esse tribuendum, sed idem potius hic usu venisse credendum fuerit, quod ab omni retro memoria factum constat, ut scilicet passim divino beneficio medicamina non exspectata ægrotis & adflictis orirentur. Sed de his paulo post.

Interim longissime a scopo aberrant, qui *Bethesda*, cum *Bethsaida*, S. Petri patria, confundunt. Contra eos lege *Possinum* l. c. Majore veri specie se commendat Cl. *Trilleri* conjectura in notis MSS. opinantis, Βηθεσδὰ dici quasi בית אשתא, *Beth eschta*, i. e. *domus* sive receptaculnm *caloris*, τῷ ת, Græcorum more per δ expresso, quod fieri solere *Bochartus* l. c. ostenderit. Atque ex hoc deinde conficit, *thermas salutares* has aquas fuisse, quales circa *Tiberiadem* & *Tinaumtem* plures exstitisse ex *Lightfooto* & *Relando* (vid. Palæstin. p. 301.) constare possit. Tales vero fuisse thermas addit, ad quarum vim naturalem supernaturalis alia, ab aliis temere hic negata, accesserit. De his diligentius se idem egisse testatur in Tractatu de *Thermis veterum*, & *Calidæ usu ac potu*, ad prelum fere parato, quem cupide exspectamus. Atque illa quidem ut erudite observata sunt, ita non ab omni exceptione libera mihi videntur. Probandum, puto, fuerit, vel *Syros* vel *Chaldæos* phrasi illa בית אשתא, quæ *domum* seu *receptaculum ignis* proprie infert, de *thermis* sive *aquis calidis* usurpare consuevisse. Hujus vero rei exemplum frustra hactenus quæsivi. Vicissim vero constat, Talmudicos & alios Hebræorum Scriptores in hoc argumento vocibus חמי, חמות, מוי דמוקר, רימיכן, דכסן, טרים, & forte aliis similibus, uti. Præterea etymologia hæc inniti potissimum videtur isti hypothesi, quæ naturalem quandam medicandi facultatem his aquis tribuit. Hanc vero alii cur aversentur, causam afferunt non unam, quod mox apparebit. Interim aliorum de usu & conditione hujus piscinæ sententias relatas lege a *d'Outreinio* l. c. p. 613.

πέντε στοὰς ἔχουσα) De στοαῖς illis, de quibus paulo ante diximus, lege inprimis Biblioth. Bremensem Class. I. p. 619.

Vers. 3. Ἐν ταύταις κατέκειτο πλῆθος πολὺ τῶν ἀσθενέντων) Τὸ κατακεῖσθαι de ægrotis decumbentibus adhiberi Cl. *Elsnerus* ostendit ad *Marc.* I. 30.

ξηρῶν) Unus alterque Codex hic legit παραλυτικῶν, quod ex glossemate vocis insolentioris natum esse nemo non videt. Paralytici enim vere sunt ξηροὶ, *aridi*, tanquam in quibus succus vitalis exaruit.

Vers. 4. Ἄγγελος γὰρ κατὰ καιρὸν κατέβαινεν &c.) Totum hoc comma a Codd. nonnullis, sed paucis, itemque versionibus, abesse, eruditi pridem monuerunt. Lege inprimis *Lamium* in Harmonia Evangel. ad h. l. *Hammondum*,

mondum, *Simonium* in differt. de MSS. N. T. p. 69. *Millium* in Notis, & in Prolegom. §. 433. & *Ludolphum Kusterum* in præfatione ad novam editionem N. T. Milliani p. 5. In Codd. MSS. Copticis paucis desiderari quidem, sed in uno antiquissimo, & compluribus aliis, exstare, testatur Cl. *Wilkinsius* in Præfat. ad N. T. Copticum p. 26. Itaque fuerunt, qui ex margine in textum tandem irrepsisse crederent. Inter hos est *Jo. Jac. Cramerus*, in Bibl. Brem. l. c. p. 626. citatus, & *Millius* qui speciatim ex Evangelio secundum Hebræos huc relatum putat. Alii hærent dubii, inter quos est *Kusterus* & *Lamius* ll. cc. quorum ille tamen largitur, si recentiori ætate hæc pericope accesserit, necesse esse, ut Tertulliani ævo sit antiquior, quippe qui in lib. de Baptismo diserte hujus loci meminerit.

Alii γνησιότητα commatis hujus recte tuentur, ad antiquissimorum plurimque Codicum auctoritatem, versionum quoque antiquissimarum, v. c. *Syriacæ*, *Vulgatæ*, *Arabicæ* & *Æthiopicæ* consensum, denique vero *Tertulliani*, *Augustini* & *Ambrosii* exemplum provocantes. Lege ex his *Whitbium* in Examine p. 48. b. & *d'Outreinium* l. c. p. 627. Et sane veri est similius, ex uno alteroque Codice verba hæc excidisse, quam circumstantiam aliquam singularem, & ad rei conditionem insigniter facientem, a sciolo aliquo confictam, ac tandem in contextum illatam esse. Vix etiam mihi persuaserim, hodie Codicem Græcum N. T. illum exstare, qui Tertulliani ætatem superet. Hujus proinde auctoritas potior nobis esse debet paucis illis membranis, quæ hic mutilæ esse deprehenduntur. Omitto, occasionem indicari posse lapsus librarii, qui comma hoc primus per negligentiam omisit, ceterisque similiter errandi præbuit exemplum. Vide *Jac. Hasæi* in hanc rem cogitata in Biblioth. Bremensi Class. II. p. 1043. Videtur scilicet ipsi librarius a voce ἐκδεχομένων, quæ exstat v. 3. & a qua nonnulli Codices ad v. 5. dilabuntur, convertisse oculos in voces primas commatis quinti. ἦν δέ tanquam primis syllabis vocis ἐκδέχου. admodum affines, atque hoc modo interjecta verba temere omisisse. Præterea glossema marginale, quod in Codice MS. Novi Testamenti Syriaci in Bibliotheca Altorfina obvio, ad hanc historiam occurrere post *Hackspanium* in Interprete Errabundo num. XX. monuit *Wagenseilius* ad Sota p. 306.

Cum igitur γνησιότητι horum verborum satis sit consultum, facile jam confici potest, utrum aquæ illæ naturalem an supernaturalem medicandi ægrotis vim habuerint? Prius illud asseverarunt superiori memoria *Thom. Bartholinus* l. c. & *Henr. Hammondus*, diversam tamen & ipsi viam sectantes. Prior enim *thermarum* illis facultatem tribuit, posterior vero, præeuntibus veteribus nonnullis, a *Theophylacto* laudatis, medicam illam vim repetendam judicat a visceribus victimarum, quæ, ut quotidie in iis, inprimis tempore festo, lota aquam tingere, atque hanc virtutem in eam effundere valuerint. Non est, ut in argumentis utriusque examinandis operam collocemus, qua jam perfunctos esse meminimus *Witsium* l. c. *Olearium* in Cogitationibus citatis, *Wolfburgium*

in

in Observatt. Sacris p. 336. & *d'Outreinium* p. 629. sqq. Placet *Herm. Witsii*, contra Hammondum nervose disputantis, verba adscribere: *Physici & Medici*, inquit is, *viderint, an ex mactatarum pecudum extis tam medicata vis aquæ conciliari queat. Nam, quæ ut similia ab Hammondo laudantur, prorsus dissimilia sunt, neque omnibus morbis curandis idonea, quantumvis in suo genere, ad certam quandam ægritudinis speciem pellendam valida censeantur. Tum, si aquæ ea vis ex victimis inest, quid obstat, cur non perpetua fuerit? Tantumne etiam turbatio aquæ medicatæ valet, ut turbata efficiat facile, quod tranquilla nullo pacto potest? Tum, si turbari ad eum modum potuit a nescio quo officiali; quæ dementia, quæ impietas exagitavit templi præfectos, ut non, quotiescunque lota fuerunt victimarum intestina, mox officialem suum istuc miserint, ad salubrem istam aquæ turbationem, in miserorum solatium, procurandam? Denique, quæ naturalis causa fingi potest, cur is solum, qui primus post turbationem ingressus fuerat, curaretur? Si enim mox subsideret aqua, quid impedivit bonum istum officialem, ut iterum eam moveret? Si tanta fuerit loci illius angustia, ut non nisi unum simul caperet hominem, qui fieri potuit, ut tot millenarum pecudum viscera, eodem tempore, eodemque loco lavarentur? Apage ergo istas insanientis sapientiæ ineptias, viro prudente atque homine Christiano prorsus indignas: & quæ non nisi ad Evangeliorum ludibrium conjicta esse videntur.*

Equidem, rationibus omnibus probe subductis, ita de hoc momento statuendum esse intellexit: quicquid hic actum sit, divino nutu actitatum esse. Hinc pendebat Angeli motitantis accessus, quem, ut certo tempori non alligatum, ægroti quovis tempore exspectabant: hinc vis aquæ; hinc unius tantum hominis, qui primus descendisset, sanatio &c. In conjecturam præterea venio, hunc salutis fontem sub temporibus Messiæ adventantis demum ideo apertum esse, ut intelligerent Judæi, sui rerumque suarum curam Deo adhuc esse, & eadem opera de Messia, promisso illo *salutis fonte*, *Jes.* XII. 2. cogitare occiperent. *Josephi* de hoc fonte silentium fraudi esse non potest aut debet narrationis Evangelicæ veritati. Quot enim alia indicta præteriit Josephus, quæ temere propterea in dubium vocarentur, cum non constet, quæ, ut sileret, eum ejusve similes causæ adduxerint? Nonnullorum judicio de Christo ipso tacuit, quem ignorare certe non poterat, & quem Talmudica scripta non tacuerunt. Qui enim in Josepho locus de Christo exstat, is quibusdam, (quam recte id fiat, nunc non disputo) νοθείας vestigia habere visus est. Quod ad rem præsentem spectat, illius a Josepho & aliis prætermissæ causam in eo *Lamius* ad Harmoniam Evangelicam quærit, quod medicatrix aquarum virtus advenientis Messiæ typus haberetur. Et quis novit, num Josephi, qui post adscensionem Christi demum scripsit, ætate eadem piscina adhuc superfuerit? Si *Tertullianum* audimus, id fuerit inficiandum. Is enim in libro adversus Judæos cap. 13. diserte ita: *Piscina Bethsaida, usque ad adventum Christi, curando invaletudines ab Israel desiit a beneficiis deinde, quam ex perseverantia furoris sui nomen Domini per ipsos blasphemaretur.* Certe simile quid fonti Siloam exarescenti accidisse testem habe-

habemus Josephum ipsum lib. V. de Bello Judaico c. XXVI. *Nam nostis*, inquit ille ad Judæos, *ut ante ejus (Titi) adventum Siloam, atque omnes circa urbem fontes defecerint, ita ut aquæ coëmerentur per amphoras.*

κατὰ καιρὸν) Omittitur hoc a Copto Wilkinsiano, quod tamen Codices Græci omnes habent.

κατέβαινεν) Codex unus alterve & versio quoque *Æthiopica* habet *ἐλούετο*, quod præ altero illo probare potuisse *Grotium*, miror.

καὶ ἐτάρασσε) Codd. nonnulli habent *ἐταράσσετο*, quibus & unus meorum adstipulatur. Sed manifestum est, terminationem passivam ex sequente articulo *τὸ* natam esse. Præterea utrinque sensui nihil decedit.

ᾧ δήποτε κατείχετο νοσήματι) Distinguunt Medici, inprimis *Hippocrates*, de Morbo Sacro, de morbis mulierum, de morbis Epidemicis lib. V. & alibi, inter *ἔχεσθαι νόσῳ* & *κατέχεσθαι*. Per prius morbos incipientes, & quasi instabiles, per posterius vero contumaces & chronicos indicant. Sic Latini distinguunt inter *morbo corripi*, & *obsideri*, ut apud *Cælium Aurelianum*. Itaque h. l. intelliguntur ægroti, morbis chronicis & desperatis laborantes. Debes hanc observationem Cl. *Trillero* in Notis MSS.

Vers. 8. *καὶ περιπάτει*) i. e. *abi*, ut explicandum censet Anonymus in Novis Reip. Literar. an. 1702. T. I. p. 38. Sed vide, quæ scripsi ad *Matth.* IX. 6.

Vers. 9. *Καὶ εὐθέως ἐγένετο ὑγιὴς ὁ ἄνθρωπος*) Quoniam hæc in duobus Codd. MSS. desiderantur, suspicio subnata est *Millio* in Prolegomenis, ea desumta esse ex v. 4. hujus capitis, qui ipsi *νοθεύσεως* est suspectus. Sed eodem jure, & majore omnino veri specie *γνησιότης* commatis quarti potest adstrui, eo quod hic de eodem argumento eadem usurpatur phrasis. Et quemadmodum v. 4. generatim dicitur, usu venisse, ut, qui primus in piscinam descenderet, valetudinem recuperaret, ita hic speciatim paralytico isti idem accidisse convenientissime recitatur. Hiulca insuper & deficiens foret Evangelistæ oratio, si verba ista inducere & expungere libeat, quæ, illis admissis, egregie sibi constant. Dominus enim v. 8. ait ad paralyticum: *ἔγειραι*, *surge:* hinc respondet v. 9. *καὶ εὐθέως ἐγένετο ὑγιὴς*, ut scilicet *surgere* posset. Pergit Dominus: *ἆρον τὸν κράββατόν σου.* Atque id factum refert Johannes: *καὶ ἦρε τὸν κράββατον αὐτοῦ.* Jubet Dominus: *περιπάτει.* Hoc fecisse paralyticum, testis est Johannes, dicens: *καὶ περιεπάτει.* Absit itaque, ut lectionem contextu orationis, perpetuo Codicum, si duos exceperis, consensu, ac versionum insuper omnium exemplis confirmatam, in dubium vocemus.

Vers. 10. *οὐκ ἔξεστί σοι ἆραι τὸν κράββατον*) Id per instituta Doctorum facere non licuisse patet ex *Schabbath* VII. 2. ubi inter אבות מלאכות, *patres operum*,

operum, h. e. opera præcipua, Sabbato prohibita, ultimo loco occurrit, τὸ abducere aliquid ex רשות dominio uno in aliud e. c. è loco privato in pu- blicum. Ita Hieronymus epist. ad Algasiam ex Pharisæorum sententia refert, *jussum esse*, *ut diebus Sabbatorum sedeat unusquisque in domo sua, & non egrediatur, neque ambulet de loco*, *ubi habitat* &c. Confer *Serarium* in Trihæresio lib. II. c. 3. p. 36. & *Relandum* in Antiquitat. Hebraic. p. 483. At Domini nostri ætate non omnes placitis his stricte indulsisse, observavit *Jac. Triglandius* in Diatri- ba de Karæis p. 90. Confer, quæ scripsimus ad *Matth.* XII. 2. Adde, *Mai- monidem* in Hilcoth *Schabbat* c. XIX. 17. præcipere, *pulvinar & pulvillum*, *si mollia fuerint & parva*, *instar vestium*, *etiam Sabbato more vestium capiti imposita ex- portari posse.*

Vers. 11. *ὁ ποιήσας με ὑγιῆ, ἐκεῖνός μοι εἶπεν· ἆρον* &c.) Emphatice hic vox ἐκεῖνος adhibetur, cum sine illa orationi ratio sua constitisset. Confer *Joh.* XII. 48. Id scilicet sibi vult, se non potuisse aliter agere adversus Dominum, cui valetudinem debeat, quam dictis ejus audientem esse. Hujus enim non minus eam esse potestatem, ut cerimoniam Sabbaticam abroget, quam fue- rit, ut se a morbo pertinace liberaret.

Vers. 13. ἐξένευσεν) *Erasmus* verbum hoc a ξενεύω, *peregrinum & ignotum fieri*, deducendum putavit, quæ propius & rectius secundum alios ab ἐκνεύω repetitur, voce non minus profanis quam LXX. Interpretibus, ut *Judic.* IV. 18. XVIII. 26. 2 *Regg.* II. 24. & XXIII. 16. recepta. Atque ab his notio- nem h. l. mutuam sumendam esse censuit *Gatackerus* cap. XXXII. de Stylo N. T. contra *Pfochenium*, loca nonnulla ex *Euripide* producentem §. 87. mi- nus quidem feliciter, cum apud illum idem sit, quod *evadere*, *emergere*, ex magno scilicet periculo, quod cum hic aut leve aut nullum fuerit, de alio significatu cogitandum esse recte statuit *Moses Solanus* de Stylo N. Test. contra Pfochenium p. 304. sq. Syntagmatis Rhenferdiani. Et talis significatio con- venientissima huic loco dari potest. Nam profanis quoque Scriptoribus idem est ἐκνεύειν, quod *declinare ex via*, ἐκκλίνειν τῆς προκειμένης ὁδοῦ, ut Schol. *Thu- cyd.* lib. II. p. 163. explicat. Ita *Plutarchus* de Genio Socratis p. 577. ἐκνεύσας τῆς ὁδοῦ, *cum a via declinasset*: *Ælianus* vero Hist. Animal. II. 2. ὅταν ἔξω τοῦ πυ- ρὸς συντρόφου ἐκνεύσωσι, i. e. *quum ex igne nutricio egrediuntur*, ut alios omittam, a Cl. *Elsnero* p. 307. excitatos. Itaque rectissime B. *Lutherus* noster: JEsus war gewichen, i. e. *secesserat* sc. a turba. Confer in eandem sententiam B. *Glassium* in Grammat. Sacr. p. 881. & *Starckium* in Notis Select. pag. 102. nec minus *Jo. Boisium* in Collatione pag. 291. Atque hoc omnino malim, quam quod nuper placuisse video *Samueli Battierio* in Biblioth. Bremensi Class. VI. p. 90. sq. Is enim τὸ ἐξένευσεν ὄχλου ὄντος ἐν τῷ τόπῳ ita interpretatur: *Nam Jesus nutu capitis locutus fuit e populi turba*, *quæ in illo loco erat*: ut indicetur, Dominum e medio populo, undique ipsum

ipsum cingenti, exerto per multitudinem capite, cum ægroto illo fuisse locutum, ut is proinde benefactorem suum cognoscere certo non potuerit. Non nego, idoneis locis probatum esse, *τὸ νεύειν* & *ἐκνεύειν* idem Scriptoribus esse, quod *nutu* aliquid *significare*, quemadmodum verbo illo de *turturibus*, loquela alias destitutis, utitur *Theocritus* Idyll. XV. v. 88. Sed id quidem hoc loco non sufficit. Hic enim non *nutu* res agebatur, sed verbis, & colloquio familiariori, de quo *τὸ ἐκνεύειν* usurpari nunquam probaverit Vir doctus. Accedit, *τὸ ἐκ* in *ἐξένευσεν* construi hoc modo debere cum *ὄχλου*, quod certe nove & Græcæ linguæ rationibus minus convenienter fieret. Porro, ubicunque *τὸ νεύω* vel *ἐκνεύω* sensu aliis annuendi usurpatur, is, cui nutu significatur quicquam, dandi casu exprimitur, quem hic frustra quæro. Nec obstat nostræ interpretationi, quod nulla dari possit causa, cur Dominus hic secesserit, cum idem paulo post homini sanato in Templo se conspiciendum præbuerit, præsente procul dubio cœtu hominum non minore. Enimvero ratio secessus verbis: *ὄχλου ὄντος ἐν τῷ τόπῳ* satis clare innui mihi videtur. Nolebat Salvator Optimus se plausu vulgi excipi, quemadmodum alia vice eundem, facto secessu, evitabat. Vide *Joh.* VI. 15. *ἀνεχώρησε πάλιν εἰς τὸ ὄρος*. Ubi forte per *πάλιν* illud respicitur ad hunc Christi secessum, altero illo priorem. Fortasse & turbas & dissensiones, inter præsentes exorituras, aut Pharisæorum insidias prævertere voluit Dominus. Confer infra X. 39. Alii, inter quos est *Boisius* in Collatione p. 291. istam populi multitudinem hic allegari putant, tanquam in qua latere securius potuerit Dominus. Sed hæc alieniora mihi videntur. Unum poterat excipi: qui scilicet homo sanatus dici posset, Christum non novisse, si sermones cum ipso præsente & vicino miscuisset. Sed facile quidem patet, illam cognitionem non ad faciem & habitum Christi, sed ad nomen & personam referendam esse.

Vers. 14. *μηκέτι ἁμάρτανε*) Fuerunt, qui hominem a Domino de vitando peccato admonitum censerent, quod ipsi imminere præviderit, quandoquidem illum ad Pharisæos sciverit abiturum, ut se cum illis committeret. Sed hæc subtilius, imo & sinistre cogitata puto. Rectius itaque alii homini in memoriam revocata censent peccata, quibus hunc morbum sibi olim conciliaverit.

Vers. 15. *ὁ ποιήσας αὐτὸν ὑγιῆ*) Similiter *νεκρὰς ποιεῖν* pro *interficere* dixit *Polybius* p. 170.

Vers. 16. *καὶ ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι*) Ex v. 18. ista huc assumta credit *Millius* in Prolegom. §. 429. quia scilicet in Codd. paucis & Vulgato quoque Interprete (in cujus gratiam eadem *Rich. Simon* in Vers. Gall. omisit) non exstant. Verum, ut cetera taceam, ipse v. 18. horum verborum *γνησιότητα* adstruit, in quo non simpliciter dicitur: *ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι*, sed cum addito

addito μᾶλλον, hoc, puto, ſenſu, quod libido eorum, Chriſtum occidendi, quæ ante illos invaſerat, aucta fuerit, poſtquam Chriſtum ſe cum Patre comparaſſe audiiſſent.

ὅτι ταῦτα ἐποίει ἐν Σαββάτῳ) Codd. pauci hic addunt ἰάματα, i. e. ſanationes, quibus & unus meorum accedit. Scholiaſtæ vero hæc vox eſt, qui indicare volebat, quid per ταῦτα intelligi deberet. At Judæi non ſolum reſpiciebant hic *ſanationem* a Chriſto factam, ſed & præceptum, quod dederat ſanato, de lectulo ſuo aſportando.

Verſ. 17. ὁ Πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται &c.) Confert hæc cum *Proverb.* VIII. 22. *Jac. Cappellus* in Operibus p. 666. Veterum Patrum cogitata lege apud *Petavium* in Dogmatibus Theolog. Tom. I. p. 317. & Tom. II. p. 99. & *Suicerum* Tom. I. Theſauri p. 1205. unde patebit, eos verba hæc de providentia Dei continuata & ſtabili accepiſſe. Nervus apologiæ Chriſti in eo repoſitus videtur, quod, quemadmodum Deus Pater, non habita ratione Sabbati, quo olim a condendis rebus externis quieverat, hominibus benefacere pergat ſingulis diebus; ita ipſe quoque, tanquam ipſi æqualis, & cum ipſo agens, legi illi & inſtituto non ſit ſubjectus. Hæc ſcopo Chriſti, & ipſi argumento propius accedere mihi videntur, quam quod nuper Cl. *Georg. Ludov. Oedero* in Part. II. Obſſ. Sacrar. p. 28. ſeq. in mentem venit. Is enim ita verba Domini noſtri παραφράζει. *Hactenus quidem cœleſtis pater meus ſpeciali ratione ſanctorum cœtum rexit, agrum, inquam, ſuum tractavit, atque ob durius ſoli ingenium aliiſque ex cauſis prægnantibus, ſacrificiorum, & quæ ad Leviticum cultum pertinent, Sabbatique item moleſtiſſima obſervatione, vomeris & occæ loco uſus eſt, quibus obdurata hominum corda ad recipiendum cum fructu Evangelii ſemen, præpararet, redderetque molliora. Jam me ordo tangit ex æterno SS. Trinitatis decreto, ut ejusdem Eccleſiæ directioni rationi ſpecialiori ratione præſim, ubi multa, quæ ad externa Eccleſiæ ſpectant, ceſſare jubeo.* Pater, *inquam*, meus hactenus operatus eſt: ego quoque jam operor. Præcipuum hujus interpretationis robur Vir doctus quærit in phraſi ἕως ἄρτι, quam id velle putat p. 32. *quod Pater aliquid hactenus fecerit, quod facere jam deſinat.* Sed id nemini puto perſuaſum iri. Eadem enim phraſis aliquoties in N. T. v. c. *Matth.* XI. 12. *Joh.* II. 20. XVI. 24. 1 *Cor.* IV. 13.. VIII. 7. XV. 6. & 1 *Joh.* II. 9. occurrit, ſed nunquam eo ſenſu, ut ea res, de qua ſermo eſt, a ſequentibus temporibus excludatur. Sic *Matth.* XI. 12. regnum Dei inde a temporibus Johannis ἕως ἄρτι *usque ad eam ætatem vim pati* dicitur. Num vero idem ipſi inpoſterum uſu venturum negatur? Imo vero eadem *vis* prorumpebat indies magis magisque, & poſt adſcenſionem Chriſti ſe inprimis exſerebat, 1 *Cor.* XV. 6. nonnulli eorum, quibus Chriſtus vivus apparuerat, adhuc ſuperſtites eſſe dicuntur. Num inde confeceris, eos ſtatim morituros? Omitto loca reliqua, quorum eadem eſt ratio. Præterea non video, quomodo communis interpretatio repudiari poſſit, quam Domi-

Dominus ipse audientibus v. 19. ingeſſit, dicens; ἃ γὰρ ἂν ἐκεῖνος ποιῇ, ταῦτα καὶ ὁ υἱὸς ὁμοίως ποιεῖ. Ibi iterum in præſenti tempore loquitur Salvator, confirmans, *nihil ſe cum maxime facere, quod non faciat & pater.* Nec excipi valide poteſt quod facit Vir doctus p. 34. ſi Dominus nihil aliud hic indicaſſet, quam, *ſe cum patre agere*, Judæos hinc non potuiſſe conficere, Jeſum ſe facere æqualem Deo. Prona enim & liquida eſt conſecutio, quod, qui eandem ſibi in agendo *auctoritatem* & *poteſtatem* vindicet, is pro eo haberi velit, qui alteri ſit æqualis. Denique Judæi ipſi hic aperte diſtinguunt *neglectionem Sabbati* ab illa Chriſti profeſſione, ſe *cum Patre ſuo agere*. Illam damnabant, ut inſtitutis ſuis contrariam, hanc, ut ſententiam, quæ blaſphemiæ proxima ſit. Conf. *Matth.* XXVI. 65. Quomodo igitur vel Chriſtus vel Judæi cenſeri poſſunt ad ſolam *externorum in Eccleſia immutationem* hic reſpexiſſe?

Quæ *Ezech. Spanhemius* in Notis ad Callimachum p. 643. ex profanis Scriptoribus, quibus Minerva reſpectu Jovis πατρῴια πάντα φέρεσθαι dicitur, attulit, apud ipſum legat, cui volupe eſt. Adde *Elsnerum* p. 307.

πατέρα ἴδιον ἔλεγε τὸν Θεόν) Vide, quomodo hanc phraſin contra Socinianos recte urgeat *Hackſpanius* in Notis ad h. l. p. 417. Rectiſſime olim *Auguſtinus* ex h. l. obſervat, *Judæos verba Chriſti rectius intelligere, quam Arianos, quia manifeſta verba ſcripturæ depravant, ut filium faciant inæqualem Patri.* Ad quæ verba non video, cur iſtam epicriſin attulerit *Oederus* l. c. p. 33. *Noſtro equidem ævo non ſequitur, eum, qui Deum* patrem ſuum *vocat, ſe ſtatim Deo æquare velle: iſta vero ætate, cum hæc locutio inſueta eſſet, imo fere inter Judæos hodie adhuc, (cum vix aliter quam ſuffixo plurali* ארני אלהינו *Dominus Deus noſter, & ſimili ratione Numen compellent,) merito exinde conficiebant, Chriſtum ſe* ἴσον τῷ Θεῷ *feciſſe.* Crediderim equidem, omni tempore id valere, quod qui Deum Patrem ſuum *quod ad eſſentiam* appellet, is ſe Deum ſeu Deo æqualem profiteatur. Atque hoc modo Judæi recte accipiebant Domini phraſin. Iſta vero ætate non receptum fuiſſe, ut Judæi Deum Patrem ſuum (ſcilicet quod ad gratiam) appellarent, nemo ſibi perſuaſerit, qui recordetur, Prophetas ſæpiſſime olim, & Chriſtum quoque, Deum Judæis ut Patrem h. e. conditorem & conſervatorem benigniſſimum repræſentaſſe. Nec hodie Judæis eandem phraſin ignotam eſſe, non ignorant, qui receptas eorum preces non neſciunt.

ἴσον ἑαυτὸν ποιῶν τῷ Θεῷ) Futilis eſt illa Arianorum exceptio, qui, ut ὁμουσίαν Filii inficiari ſecurius poſſint, contendunt, Judæos non vi phraſeos hujus, ſed ex calumniandi libidine, hic dixiſſe, Chriſtum ſe facere æqualem Deo. Si hæc fuiſſet calumnia, nec potius ſententia veritati & menti Chriſti conformis, num veri eſt ſimile, Chriſtum ad hæc taciturum fuiſſe? Confer, quæ jam pridem hanc in rem a noſtratibus dicta ſunt, & quæ in Anglia nuper de eodem hoc loco acta ſunt inter *Robert. Nelſonum*, Anonymum item & *Samuelem Clarckium*. Lege, ſpeciminis cauſa, Acta Eruditorum

torum Lipsiens. Tom. VI. Supplem. Sect. IX. p. 398. Adde similia his Patrum judicia ex *Petavii* Tom. II. Dogmatum Theologic. p. 99. qui & ipse silentium Christi ad illam Judæorum sententiam & ratiocinationem urget. Adde ibid. lib. V. c. 5. p. 288. sq. & passim alias.

Vers. 19. *ὐ δύναται ὁ υἱὸς ποιεῖν ἀφ' ἑαυτῦ ὐδὲν*) Phrasin *ὐ δύναται Coccejus* hic Tom. II. Opp. Posthum. p.470. a. interpretatur per *non licet*, *non rectum est.* Nec nego, eam significationem passim in N. T. locum habere. Confer, quæ scripsimus ad *Marc.* VI. 5. Hic tamen ad robur argumentationis Domini phrasis ista nativæ suæ significationi relinquenda est, ut negetur *fieri id posse* ullo modo, propter *ὁμουσίαν* cum Patre. Conf. B. *Calovii* Anti-Crellium p. 1050. & *Isidori Pelusiota* lib. III. epist. 335. ac *Chrysostomi* ex Homilia XXXVIII. in Johannem loca apud *Petavium* Tom. I. Dogmat. p. 221. Adde eundem Tom. III. p. 243. & *Suicerum* Tom. I. Thesauri p. 965. *Keuchenius* in Notis ad h. l. ita *παραφράζει· non potest Dei præceptum transgredi, & loqui, quæ Deus non est locutus*: comparatque locum *Num.* XVI. 28.

ἀφ' ἑαυτῦ) *Heinsius* ad h. l. *τὸ ἀφ' ἑαυτῦ* idem esse censet, quod *χωρὶς*, seu *καθ' ἑαυτὸν*, i. e. *solus*, ex Hebraismo, qui occurrat *Gen.* XXX. 4. XLIII. 31. & *Zach.* XII. 12. 13. Sed vide contra hæc disputantem *Hackspanium* in Notis p. 418. & cum eo *Starckium* in Notis Selectis p. 102. Recte illi urgent, non dici hic *καθ' ἑαυτὸν*, sed *ἀφ' ἑαυτῦ*, quod posterius nusquam eo quidem sensu in N. T. exstet. Vid. *Joh.* VII. 18. XV. 4. & XVI. 13. item XII. 49. Verba hæc minime omnium Arianis patrocinari, veteris Ecclesiæ Doctores pridem ostenderunt; quorum cogitata in summam retulit *Petavius* in Dogmatibus Theologic. Tom. II. lib. II. c. IV. p. 81. Eorum alii & quidem plerique ad *divinam*, alii ad *humanam* Christi naturam, sed diverso explicandi modo, hæc referenda contendunt. *Simon Episcopius* in Responsione ad LXIV. Quæstiones Quæst. XXIII. de hoc loco differens, existimat, Dominum hic negare, se quidquam facere posse, nisi quod videret Patrem facere, scilicet, *quatenus sit filius hominis.*

ἐὰν μή τι) *Τὸ ἐὰν μὴ* hic idem est quod *ἀλλά*. Vide *Hackspanii* Disput. III. de Locutionibus Sacris §. 8. 9. & *Starckium* l. c.

Vers. 20. *πάντα δείκνυσιν αὐτῷ*) Illud *δεικνύειν* nonnulli veterum & recentiorum cum *Grotio* de informatione, qualis sit Præceptoris in Filium, acceperunt. Minus recte, atque ita, ut Ariani id in fraudem *ὁμουσίας* Christi cum Patre abripere potuerint. His autem ab aliis jam pridem est objectum, *τὸ δεικνύειν* in V. & N. T. idem sæpe esse, quod *exhibere*, *dare* & *facere*. Vide v. c. Ps. LX. 5. & LXXI. 20. *Job.* X. 32. & 2 *Tim.* IV. 14. Adde ad h. l. B. *Leyserum*, *Calovium* & *Starckium* pag. 103. Apprime huc pertinet Ps. XLV. 5. ubi itidem de Messia sermo est, & dicitur: ותורך נוראות ימינך *& docebit te terribilia dextra tua*, nempe per doctrinam experimentalem, quod idem

idem eſt, ac ſi dicatur, *præſtabit*, *patrabit dextra tua*. Conſ. Cl. *Lampii* Exercitatt. ad h. l. p. 192. Alia nuper ratione Cl. *Oederus* Arianorum φλυαρίαις occurri poſſe cenſuit, nempe, ſi τὸ αὐτῷ non in *dandi*, ſed *auferendi* caſu accipiatur, ſubintellecto ἐν, eo ſenſu, quod Pater omnia, quæ velit, *in filio* atque *per filium* oſtendat. Conſueta quidem eſt ellipſis τῆ ἐν, ſed vereor, ut adverſarii eam hic admittant in verbo ejusmodi, quod cum dandi caſu alias ſemper conſtruitur. Neque tamen diffiteor, ſenſum probum & convenientiſſimum eſſe, ſed qui ex vi vocis δεικνύω ante explicata ſequatur.

μείζονα) Hæc cum נוראות de quibus Pſ. XLV. 5. *Lampius* l. c. confert. Interim per μείζονα intelligenda puto opera, quæ Chriſtus inpoſterum patraturus erat, majora quippe ſanatione illa, qua tunc erat perfunctus. Atque huc ſpeciatim pertinet excitatio mortuorum, ſive ζωοποίησις, de qua v. 21. & executio judicii extremi v. 22. Conſ. v. 36. ubi de operibus a Chriſto patrandis.

Verſ. 21. ὅτω κ̀ ὁ υἱὸς, ὃς θέλει, ζωοποιεῖ) Hanc ζωοποίησιν de excitatione hominum, v. c. *Lazari*, *juvenis Nainitici* &c. inpoſterum futura cum plerisque Interpretibus accipiendam puto. Ea enim eſt ſignificatio verbi hujus propria, a qua non temere recedendum. Hic quoque τὸ ζωοποιεῖν reſpondet phraſi proxime antecedenti, ἐγείρειν τὰς νεκρὰς, quod de hominum mortuorum excitatione communiter accipi conſtat. Præterea Chriſtus in ſequentibus tum de excitatione mortuorum corporali, tum de conſecuturo extremo judicio, quæ duo v. 21. & 22. conjunxerat, amplius diſſerit. Denique ad talia hic opera provocare neceſſe erat Salvatorem Optimum, quæ in oculos incurrere hominum poſſent, ad eſſentiam & potentiam ſuam divinam rectius perſpiciendam. Novi, nonnullos etiam inter noſtrates, nec contemnendos illos Interpretes, de vivificatione ſpirituali per Chriſtum hæc accipere, quibus noviſſime quoque acceſſit Cl. *Oederus* l. c. p. 38. Nec ignoro, in aliis locis N. T. hanc verbi vim eſſe, nec proinde ſententiam hanc damno. Sed proprium tamen verbi ſignificatum h. l. magis ſe tueri, ex dictis conſtat. Confer etiam *Pearſonii* Notas ad Symbolum Apoſtolicum p. 457. ubi efficaciam verbi ζωοποιεῖν perſequitur. Ceterum commata 21. & 22. eorumque δυνότητα diligentius inter Anglos excuſſit *Robertus Flemingius* in Chriſtologia, Anglice edita Volum. I. lib. I.

Verſ. 22. ἀλλὰ τὴν κρίσιν πᾶσαν δέδωκε τῷ υἱῷ) Chriſto ſcilicet, ut homini, ſed divina auctoritate & poteſtate inſtructo, data eſt iſta judicandi poteſtas. Vide huc Patrum loca apud *Petavium* Tomo VI. Dogmatum lib. XII. c. 16. de Incarnatione p. 135. Eorum tamen alii, ibidem appellati, ut *Cyrillus* & *Chryſoſtomus*, τὸ *dare* de communicatione per generationem ab æterno interpretantur. Patrem hic non omni modo excludi, veteres Doctores recte obſervarunt. Vide eos apud *Suicerum* Tom. I. p. 162.

Verf. 23. *καθὼς τιμῶσι τὸν πατέρα*) Per *καθὼς* æqualitatem hic inferri, Patres recte monuerunt. Vide eos apud *Suicerum* Tom. II. p. 17.

Verf. 24. *ἔχει ζωὴν αἰώνιον* &c.) Fuit, qui ex his & fequentibus verbis evincere conaretur, fideles a morte etiam corporis immunes effe. Sed vide in contrarium Vefperas Groninganas p. 307. Manifeftum fane eft, Domino hic fermonem effe de eorum conditione, qui aliquando tempore judicii extremi a condemnatione liberi fint futuri, nempe ii, qui fermonem fuum recipiant, atque adeo fpe certiffima jam vitam poffideant æternam. Verba hæc fpeciatim refpicere incredulitatem & inobedientiam Adami, atque judicium eidem poftea irrogatum, contendit *Allixius* in Confiderat. fuper libros N. T. p. 255. ed. Germ.

Verf. 25. *εἰς κρίσιν οὐκ ἔρχεται*) Simili phrafi uti *Platonem* lib. X. de Republ. & ex eo *Plutarchum* in Confolatione ad Apollon. prope finem obfervat Cl. *Trillerus* in Notis MSS. *Κρίσιν* hic *condemnationem* inferre per fe patet. Confer tamen *Suicerum* Tom. II. Thefauri p. 161. & T. I. p. 360.

μεταβέβηκεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωὴν) Verbum *μεταβαίνειν* de morte etiam profanis ufurpatur Scriptoribus. Vide *Ritmeieri* difput. de Nomenclaturis mortis emphaticis p. 28. fq. Adde *Suicerum* l. c. p. 347.

οἱ νεκροὶ ἀκούσονται τῆς φωνῆς τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, καὶ οἱ ἀκούσαντες ζήσονται) Nolim hæc cum nonnullis accipere de mortuis corporaliter, eorumque excitatione, de qua v. 21. fermonem effe oftendi. Sed de mortuis, fpiritualiter talibus, iisque ad vitam fpiritualem revocandis accipienda puto, qui nempe a Chrifto audituri fint verba vitæ, de quibus v. 24. quique hac ratione in extremo quoque judicio aliquando, corporaliter refufcitati, æternæ vitæ futuri fint participes. Confer quæ pro hac fententia recte differit *Oederus* l. c. p. 44.

Verf. 26. *Ὥσπερ γὰρ - - οὕτως ἔδωκε καὶ τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ*) Ad hoc comma lege *Jo. Marckii* Exercitt. Scripturarias num. XII. qui illud explicat de æterna Filii generatione, & Calvinum Bezamque, aliter fentientes, confutare conatur. Atque ita quoque Patres nonnullos olim accepiffe, oftendit *Voffius* Tom. VI. Opp. p. 407. b. & ipfe ab iis diffentiens. Vi contextus nihil aliud, credo, hic infertur, quam Chriftum æque ac Patrem effe vitam, & vitæ omnis fontem, feu *αὐτοζωὴν*, ut a Patribus appellari folet. Hujus vero dignitatis Filii fundamentum in æterna ejus a Patre generatione pofitum eft. *Τὸ ὡς* hic non *fimilitudinem* aliquam, fed *æqualitatem*, & plenitudinem ad exemplum Hebraici כ inferre, recte monet *Guffetus* in Lexico Hebr. p. 930.

Verf. 27. *κρίσιν ποιεῖν*) Eadem prorfus phrafi utuntur externi quoque Scriptores, ut *Xenophon* Hift. Græc. lib. V. p. 436. & *Polybius* p. 522. Confer

Rev.

Rev. *Raphelii* Notas ex utroque Scriptore diligenter collectas pag. 129. & 269.

ὅτι υἱὸς ἀνθρώπȣ ἐςὶ) Verba hæc nonnulli a præcedentibus diſtinxerunt & jungenda contendunt commati 28. hac omnino ſerie: Ὅτι υἱὸς ἀνθρώπȣ ἐςὶ, μὴ θαυμάζετε τȣ̃το. Atque ita Interpres *Syrus*, tum *Chryſoſtomus*, *Theophylactus* & *Euthymius*, quorum primus pro hac interpunctione tam graviter contendit, ut *Paulum Samoſatenianum*, τῇ ὑποθέσει δȣλεύοντα, alterius illius, quam hodie ſequimur, auctorem faciat. Sed non eſt, cur in hac ὑπȣλόν τι ſuſpicemur, quod ex dicendis conſtabit. Altera vero a ſerie ſermonis ipſa convelli penitus videtur. Reddenda enim erat ratio, cur Pater Filio judicandi homines provinciam tradiderit: atque hæc redditur in verbis: ὅτι υἱὸς ἀνθρώπȣ ἐςί. Deinde inconvenienter diceretur: ὅτι υἱὸς ἀνθρώπȣ ἐςὶ, μὴ θαυμάζετε τȣ̃το. Quid enim ſibi vult τȣ̃το, quandoquidem res ipſa, quæ admirationis objectum futura erat, proxime anteceſſit. Et quomodo ſequens ſententia: ὅτι ἔρχεται ὥρα &c. ſatis bene cum iſto ſermonis filo cohærebit, niſi τὸ, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπȣ ἐςὶ ad prius comma referatur. Placet itaque *Jo. Pearſonii* judicium in Notis ad Symbolum Apoſtolic. p. 525. *In vetuſtioribus exemplaribus*, inquit is, *aliam interſtinctionem non reperimus. Neque Patres Latini veteres aliter unquam hæc verba legerunt. Non igitur eſt, ut agnoſcamus diſtinctionem aliam, præter communem illam, Deum ſcilicet filio ſuo poteſtatem judicandi dediſſe, quia eſt filius hominis. Neque opus eſt, ut argumentum Chryſoſtomi evitaturi* τὸ ὅτι *in* καθότι *mutemus, h. e.* τὸ quia *in* quatenus. *Non enim affertur, ut abſoluta ratio in ſeſe, ſed reſpectu Dei perſonarumve Trinitatis. Pater non judicaturus eſt, neque Spiritus Sanctus, quod hæ duæ perſonæ tantum ſint Deus, ſed omne judicium traditum eſt Deo Filio, quia eſt ſimul Filius hominis.* Confer pro communi interpunctione pugnantem *Whitbium* in Examine p. 48. b. His præſtructis jam de ipſarum vocum ſenſu venit diſpiciendum. Atque illi placent, qui τὸ ὅτι in communiori ſignificatu accipiunt, ut reſpondeat Latinorum *quod*, *quia*: ſed ita, ut reſpectus habeatur ad *certum aliquem filium hominis*, nempe eum, cui dominatum in omnia tradendum eſſe prædixit Daniel VII. 12. 13. Iſtum enim locum poſt *Grotium* recte huc advocant alii, v. c. *Hackſpanius* in Notis p. 420. Neque excipi poteſt, hoc modo articulum ὁ addi debuiſſe τῷ υἱός. Quemadmodum enim articulus ὁ, ubi adeſt, non ſemper eſt δεικτικὸς, ita nec, ubi deeſt, τὴν δεῖξιν, ſeu *demonſtrationem*, ſi quidem aliunde ea pateat, tollit. Hinc interpretationem veteribus quoque Patribus arriſiſſe, oſtendit *Voſſius* l. c. p. 407. b.

Proinde nec opus eſt, ut illud ὅτι hic accipiamus pro καθότι, *quatenus*, quanquam propterea non habuit *Enjedinus*, cur Bezam ſic explicantem falſarium pronunciaret. Vide *Rich. Simonis* Hiſt. Critic. N. T. p. 87. *Keuchenius* ad h. l. τὸ ὅτι per *quamvis* vertit, minus, meo judicio, convenienter.

Scilicet,

Scilicet, ut caufam hanc tandem conficiamus, conveniens Deo vifum eft, ut per θεανθρωπον judicarentur homines, qui, affumto hominis habitu, judicium imminens non folum annunciaviffet, fed hominibus etiam viam oftendiffet, recepta in fe fide, condemnationem a fe amoliendi, quique adeo hoc ipfo jus fibi acquifiviffet, credentes abfolvendi, & condemnandi incredulos ac pertinaces.

Verf. 28. ὅτι ἔρχεται ὥρα, ἐν ᾗ πάντες οἱ ἐν τοῖς μνημείοις ἀκούσονται τῆς φωνῆς αὐτοῦ. Καὶ ἐκπορεύσονται &c.) Verba hæc de refurrectione corporum futura Interpretes in univerfum omnes hactenus acceperunt. Nuper autem *Herm. Deufingius*, JCtus, facta ab illis feceffione, ea ad fufcitationem & refurrectionem fpiritualem, de qua v. 25. fermo fit, referri debere contendit in *Dubio* adverfus *Ant. Drieffenii* hypothefes quafdam edito, p. 46. Refpondit poftea, & in contrariam fententiam pronunciavit *Drieffenius* in *Refponfionibus* ad *Dubium* illud datis pag. 67. atque ea occafione *Lampius*, in Biblioth. Bremenfi Claff. I. p. 147. invictas illas rationes, quas pro hac fententia dare fe poffe affirmaverat *Deufingius*, amice expofcit. Has itaque daturus, obfervationem is fingularem de hoc argumento ibidem p. 805. fqq. exhibuit. Inftituti noftri ratio non permittit omnino, ut rationes Viri docti fub examen vocemus, inprimis, cum hac opera procul dubio defuncturus fit Cl. *Lampius* in Commentario fuper Johannem, quem ad priora IV. capita tantum adhuc vidimus. Id tamen affirmo, me argumentis ibi allatis permoveri non potuiffe, ut communem explicationem defererem. Ea certe cum *Danielis* vaticinio XII. 2. ad quod hic omnino refpicitur, nititur, tum contextu orationis. Refufcitatio enim, de qua v. 28. fermo eft, aperte diftinguitur ab illa, de qua v. 25. Hujus enim tempus jam actu *effe* dicitur: illius vero in futurum promittitur. Hic v. 28. commemorantur μνημεῖα i. e. *fepulchra*, ut appareat, de iis mortuis fermonem effe, qui vitam corporaliter amiferint, & in fepulchris exfpectent refurrectionem: Ibi vero νεκροὶ i. e. *mortui fpiritualiter* fimpliciter memorantur.

Prætereo, quæ *Henr. Dodwellus* in Differtat. Epiftolica de Difcrimine animæ & fpiritus Anglice edita p. 18. fqq. nove & inconvenienter ad h. l. ad hypothefin fuam de hominibus non omnibus aliquando refufcitandis ornandam monuit. Ejus enim judicio οἱ πάντες de *nonnullis* funt accipiendi, quia alias quoque hæc univerfitatis nota non generaliter accipiatur. Sed hæc ratio nemini temere fraudi erit. Servator Optimus hominum genus fat clare in duos ordines diftinguit, bonorum alterum, alterum malorum. Ad alterutrum eorum unusquisque pertineat neceffe eft. Itaque nec quisquam his excipiendus venit.

Verf. 31. Ἐὰν ἐγὼ μαρτυρῶ περὶ ἐμαυτοῦ, ἡ μαρτυρία μου οὐκ ἔστιν ἀληθής.) Difficulter hæc conciliari poffe vifa funt cum *Joh.* VIII. 14. ubi Chriftus ait:

ait: *si testaturus sit de se ipso, testimonium suum esse verum.* Ex Hebraismo nodi solutionem repetit *Hackspanius* in Notis p. 421. observans, *τὸ esse* idem hic significare, quod *haberi, censeri*, ut היה 1 *Regg.* I. 21. *τὸ ἀληθὴς* autem respondere Hebræo נאמן, quod non solum *verum* denotet, sed etiam *firmum, certum, ratum.* Id itaque sibi Dominum velle, testimonium de se suum non habitum iri ratum & certum a Judæis, etiamsi in se sit verissimum. Confer in eandem fere sententiam *Simonem Episcopium* Tom. I. Part. II. p. 6. *Hoc loco*, inquit is, *affirmat Christus, testimonium suum, si solus de se ipso testaretur, qualecunque tandem esset, imo, etiamsi verissimum esset, non tamen validum ac sufficiens futurum convincendis Judæis de contumacia, quod ei fidem non haberent, aut conscientiis eorum ad fidem testimonio isti habendam constringendis. In secundo autem loco affirmat, testimonium suum, quando de se ipso testabatur, etiamsi validum ac sufficiens per se non esset convincendis ipsis, verum tamen esse.* Lege plura l. c. Patrum cogitata habes apud *Suicerum* Tom. II. p. 316.

Vers. 33. *καὶ μεμαρτύρηκε τῇ ἀληθείᾳ*) Ad hæc & sequentia nonnulla verba lege *Vitringa* Observatt. Sacr. lib. III. c. I. p. 7. sqq. ubi ostendit, rationem testimonii, de Christo variis modis, quos ipse hic explicat, perhibiti, ita comparatam fuisse, ut Judæi vi principiorum & rituum suorum illi omnino fidem habere potuissent. Confer ex eo *Amelium* Part. II. p. 641. sq.

Vers. 34. *Ἐγὼ δὲ οὐ παρὰ ἀνθρώπου τὴν μαρτυρίαν λαμβάνω*) i. e. non accipio testimonium ab homine & ne a Johanne quidem, ut, si absque eo foret, actum de me putarem: aut ut necessarium, & præcipui alicujus ponderis; aut, ut in eo acquiescam. Ita *Boisius* in Collatione p. 294. verba Domini non inscite interpretatur.

Vers. 35. *ὁ λύχνος καιόμενος καὶ φαίνων*) Ad prædicationem, a Johanne factam, vocem *φαίνων* refert *Harduinus* in Opp. Select. p. 399. Alii non incommode *καιόμενος* de *Spiritu & zelo* ejus, *φαίνων* vero de *doctrina & vita* accipi volunt. Patrum sententias exponit *Suicerus* Tom. I. p. 1468. & Tom. II. p. 1484.

ὑμεῖς δὲ ἠθελήσατε) i. e. ἐστέρξατε, ἠγαπήσατε, h. e. *satis habuistis, contenti fuistis, acquievistis in eo*, ut splendore ejus oblectaremini, bonamque spem caperetis, nec ulterius processistis, ad signa temporum dijudicanda, & recipiendum illum, quem ipse nunciabat. Vide huc *Cocceji* Opp. Posthuma Tom. II. p. 480. & inter Epistolas p. 630. b.

Vers. 36. *τὰ γὰρ ἔργα-αὐτὰ τὰ ἔργα μαρτυρεῖ*) Ejusmodi repetitione, in argumento majoris momenti, externi quoque Scriptores utuntur. Vide *Ælian.* V. H. VIII. 9. Ἀρχέλαον Κρατεύας-ἀπέκτεινε τὸν ἐραστὴν, ὁ Κρατεύας Ἀρχέλαον, item IX. 4. & X. 22. Conf. *Hombergii* Parerga p. 161.

Ppp pp Vers.

Verſ. 37. *Καὶ ὁ πέμψας με Πατὴρ, αὐτὸς μεμαρτύρηκε περὶ ἐμοῦ· οὔτε φωνὴν αὐτοῦ ἀκηκόατε πώποτε, οὔτε εἶδος αὐτοῦ ἑωράκατε*) Referunt hæc nonnulli Interpretum ad vocem Dei & apparitionem Spiritus S. quæ, cum Chriſtus baptizaretur, hinc audita, hinc viſa ſit a Judæis, *Matth.* III. 16. 17. Atque hoc ajunt teſtimonium eſſe, quod Pater de Chriſto tulerit, eo modo, cujus antea non exſtiterit exemplum. Vide in hanc ſententiam copioſe diſſerentem Cl. *Jo. Andream Danzium* de Inauguratione Chriſti ad docendum haud obſcuriore Moſaica, Jen. 1717. 4. Confer Acta Eruditor. Lipſienſ. an. 1717. p. 399. ſqq. Alii vero ad illud in baptiſmo teſtimonium reſpici negant, ideo, quod illud, quippe ab aliquibus tantum exceptum, eſſe non poterat omnium fidei univerſale fundamentum. Cogitari itaque h. l. volunt de teſtimonio, quod Pater de Chriſto ediderit per Prophetas, ſecundum id, quod ſtatim ſubjicitur v. 39. *Scrutamini Scripturas.* Atque iidem ſequentia ita interpretantur: *etiamſi vos maxime jactetis & gloriemini, Deum illum, quem ego Patrem meum appello, ad patres veſtros de monte Sinai locutum eſſe, iisdemque ſpeciem ſuæ gloriæ conſpiciendam dediſſe, tum in monte illo, tum in deſerto ſuper oſtium tentorii conventus; vos tamen, quales eſtis, ad omnem ſenſum divinæ voluntatis ſtupidi, vere dici non poteſtis, vocem ejus unquam audiviſſe, aut vidiſſe ſpeciem, quia præjudiciis obſeſſi carnalibus vera ſenſa divinarum illarum* Vocum, Oraculorum, Revelationum *aſſecuti nunquam eſtis.* Ita *Campeg. Vitringa* lib. VI. Obſervatt. Sacrar. p. 408. qui ſententiæ ſuæ argumentum inprimis ex v. 38. repetit, ubi Judæi negantur *ſermonem Dei in ſe manentem habere*, h. e. percepiſſe veram loquentis Dei mentem ejusque revelationum ſcopum. Cl. *Lampius* in Exercitatt. Pſalm. XLV. p. 118. ex eo, quod Judæi negentur, Patris vocem unquam audiviſſe, colligit, *verba*, quæ, ut Patris, olim in viſionibus & apparitionibus divinis prolata fuerint, non fuiſſe *vocem* Patris, ſed Filii.

Verſ. 39. *Ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς* &c.) Ad hoc comma plures exſtant noſtratium diſſertationes, quas diligenter, more ſuo, enumerat Venerabilis Wiburgenſium Præſul, *Severinus Lintrupius*, cujus utinam Dubia Vexata N. T. in publicam lucem prodeant, in Lineamentis Protheoriæ Theologicæ. Inter illas eminet B. *Jo. Fechtii* de Scrutinio Scripturarum legitimo, *Roſtochii* 1704. edita & 1711. recuſa. Adde Rev. *Georg. Fridr. Schræeri* Programma de eodem loco *Witteb.* 1712. promulgatum, & *Seb. Schmidii* Collegium Biblicum Poſterius Loc. I.

Per *γραφὰς* hic Codex V. T. innuitur. Vide *Suicerum* Tom. I. Theſauri p. 784. Quod moneri vix opus fuiſſet, niſi *Th. Bruno* in Diſſert. de Therapeutis p. 194. *γραφὰς* de ſcriptis Judæorum veterum allegoricis accipiendas eſſe contenderet, addita hac ratione, quod Scripturæ litera de Chriſto pauca teſtetur in ſuo cortice. Hoc enim ut nemini probabitur, Scripturam diligenter ſcrutanti; ita a Chriſti mente omnino alienum eſt. Nam ipſe Judæos ad Moſen ablegat, tanquam de ſe teſtantem v. 46.

Ver-

Verbi ἐρευνᾶτε vim & δεινότητα diligenter expreſſit *Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra p. 345. cujus hæc verba ex libro rariore accipe. Ἐρευνᾷν, inquit is, *notat inquiſitionem, quæ fit maxima cum* ἀκριβείᾳ, *& animi contentione. Hebræi dicunt* דרש, *quod notat quærere, ſed cum magno animi conatu. Hinc* דרשנים, *&* בית מדרש *&* מדרש *domus inquiſitionis, inquiſitiones, inquiſitores, qui in ſenſus myſticos & allegoricos, maxima qua poterant animi diligentia, inquirebant, illosque ſcrutabantur. Chryſoſtomus exiſtimat alludi ad foſſores metallorum, qui profundiores terræ cavernas inveſtigant & explorant, ut auri venas tandem poſſint invenire. Tales Paulinus vocat auri legulos, aurum ex terræ cavernis maxima cum cura & induſtria legentes.* Et eo videtur etiam alludere Damaſcenus, cum dicit alicubi: ὀρύσσοντες τὸν θησαυρὸν τῆς γνώσεως εὑρήσομεν. Ζητήσωμεν, ἐρευνήσωμεν, ἀνακρίνωμεν, ἐρωτήσωμεν &c. Confer *Amelium* Part. II. p. 216. ſq. & *Vitringam* in Archi-Synagogo pag. 196. Eodem verbo de ſimili argumento, nempe in libris diligenter inquirendo, utitur *Polybius* p. 931. quod obſervavit Rev. *Raphelius* in Notis Polybianis p. 270. Atque iſta quidem extra diſputationem poſita ſunt.

Non vero æque certum videtur nonnullis, utrum h. l. *imperandi* an *indicandi* modo accipienda vox ſit, & Dominus non tam ad ſcrutinium Scripturæ Judæos exhortatus, quam idem illud, tanquam cum nullo fructu apud ipſos conjunctum, exprobraſſe cenſeri debeat? Pro priori pugnant noſtrates tantum non omnes, ex quibus inprimis legantur B. *Raithius* in Vindiciis verſionis B. Lutheri p. 418. ſqq. Cel. V. E. *Laſcherus* in Comment. de Cauſis Linguæ Hebr. p. 79. Auctores commentationis præſtantiſſimæ de Rebus antiquis & novis an. 1703. p. 587. *Schönlandius* in Apologia verſionis B. Lutheri adverſus Trillerum p. 241. ſq. & Rev. *Deylingius* Obſervatt. Sacr. Part. I. p. 152. Ex ceteris vero, & quidem Pontificiis, quod mireris, in has partes concedunt *Eraſmus* Tom. IX. Opp. p. 1301. *Bellarminus* Tom. I. Part. I. Controverſ. & *Rich. Simon* in verſione Gall. ex Reformatis *Caſaubonus* in Caſaubonianis p. 98. ubi confer notas meas p. 297. & *le Moyne* l. c.

Viciſſim pro indicativa notione pugnant Interpretum recentiorum plerique, nominatim *Clericus*, *Lenfantius* & *Beauſobrius*, tum vero *Vitringa* in Archiſynagogo p. 196. de Synagoga Vetere p. 671. & in Obſſ. Sacr. l. c. nec non *Hombergius* in Parergis p. 161. ex noſtratibus vero *Hackſpanius* in Notis p. 422. *Eraſm. Schmidius* ad h. l. *Trillerus* in der Unterſuchung etlicher Oerter Neues Teſtaments p. 274. ſq. Rev. *Raphelius* in Notis Polybian. p. 270. & *Joach. Langius*, Theologus Halenſis, in ſcripto, Relationibus de rebus in Theologia antiquis & novis oppoſito, Tom. III. p. 45.

Nonnulli rem in medio relinquunt, utramque interpretationem locum tueri commode poſſe exiſtimantes, inter quos eſt B. *Jo. Guil. Baierus* in Theol. Hiſt. Loc. I. pag. 77. & *Amelius* Part. II. pag. 215. Meo quidem judicio

cio *imperandi* significatus hic præferendus est. Habebat enim omnino causam Dominus, cur Judæos, quorum non Doctores solum, sed & alii tum præsentes erant, ad diligens Scripturæ studium excitaret. Illud enim eo tempore frigebat, quod ex tabulis N. T. constat. Inhiabant enim potius majorum traditionibus vel explicandis, vel augendis. Ubi de divinis sententiis agebatur, in subsidium advocandi erant οἱ γραμματεῖς, tanquam quibus hæc opera esset propria. Christus sæpe eos ut indiligentes Codicis Sacri lectores alloquitur: οὐκ ἀνέγνωτε, οὐδέποτε ἀνέγνωτε; Vide *Matth.* XII. 3. XIX. 4. XXI. 16. & alias. Imo ignorationem Scripturæ ejusque genuini sensus iis exprobrat *Matth.* XXII. 29. πλανᾶσθε, μὴ εἰδότες τὰς γραφάς. Quod si *Vitringæ* sententiam amplectimur, qui testimonium Patris, ad quod v. 37. Christus provocat, de vaticiniis Propheticis accipit, ipsa sermonis series evincit, Christum hic ad scrutanda illa vaticinia, adeoque ad sacras literas cohortari. Verbi ἐρευνᾶτε formam hunc sensum admittere posse, dubitari non potest, & utrinque admittitur. Imo sunt, qui post *Seb. Schmidium* in Disp. citata Imperativum hic necessario statuendum arbitrantur, ex eo, quod alioquin ab initio sententiæ vel pronomen ὑμεῖς vel particula quædam alia indicativis præmitti soleat, ut Joh. VIII. 15. 41. & XIII. 13. Sed canonem hunc Exegeticum locorum inductione probari non posse, *Raphelius* l. c. recte observavit, provocans ad *Jac.* IV. 2. ubi secunda pluralis indicativi quater in fronte orationis posita est, sine addito ὑμεῖς. Similiter 1 *Thess.* II. 9. Accedit versionum veterum, nominatim Syriacæ, tum vero & antiquissimorum Interpretum consensus. Ita *Cyrillus*, indicandi notionem præferens, fatetur, omnem antiquitatem sibi adversari. Vide *Rich. Simonis* Hist. Critic. N. T. lib. III. pag. 303. Pro Imperativo olim vulgo in Ecclesia Latina habitum esse vel ex *Augustini* Sermone in hæc verba Tom. X. Opp. pag. 171. sq. probat *Casaubonus* in Casaubonianis l. c. cum quo consentit *Tertullianus* de Præscript. pag. 391. Recte *Boisius*, nobis ὁμόψηφος, in Collatione pag. 295. *Si paucos duntaxat excipis, vix aut ne vix quidem reperies aliquem, non dicam inter antiquos Patres, sed ne inter recentiores quidem Theologos, qui aliter hæc verba quam προςακτικῶς acceperit.* Et talia quidem exempla ipse affert: plura vero *Suicerus* Tom. I. p. 1209. sq. Nec obstant sequentia, inprimis v. 40. qui objici solet. Ibi enim Christus ita: καὶ οὐ θέλετε ἐλθεῖν πρός με. Hæc proxime cum antecedentibus verbis: καὶ ἐκεῖναί εἰσιν αἱ μαρτυροῦσαι περὶ ἐμοῦ, ita cohærent: *Sunt illæ, quæ de me testantur.* Sed vel sic *non vultis ad me venire,* de quo eas testari scire debebatis. Sensus denique totius commatis planissimus ex hac interpretatione is orietur: *Inquirite in Scripturas, in quibus creditis, vitam æternam vos habere*, (quæ ratio vos eo magis ad lectionem ejus excitare debebat,) *& sunt illæ omnino, quæ de me testantur.*

Interim ultro fateor, non invenire vel Pontificios, vel Fanaticos nostræ ætatis, quorum illi a lectione Scripturæ vulgus prohibent, hi eam non necessariam putant, in altera illa interpretatione erroris sui præsidium. Pone enim,

enim, Dominum hic exprobrare Judæis lectionem Scripturæ, tanquam cum fructu non institutam, num propterea eam in genere damnasse existimabitur? Confer quæ contra posteriores illos recte observantur in Relationibus de rebus antiquis & novis l. c.

ὅτι ὑμεῖς δοκεῖτε ἐν αὐταῖς ζωὴν αἰώνιον ἔχειν) Verbum δοκεῖτε pro pleonastico hic habet *Casaubonus* in Casaubonian. p. 98. & pro tali habuisse monet *Tertullianum*, qui vertit simpliciter: *in quibus salutem speratis.* Sed convenientius contextui τὸ δοκεῖν *judicium* Judæorum & *sententiam* de Scriptura inferre hic aliis videtur, ex quibus lege *Hackspanii* Notas ad h. l. pag. 423. qui verbum hoc confert cum Syriaco *sebbar*, quod alias conveniat cum Hebræo חשב notetque non tantum incertam cognitionem, sed etiam rem compertam, ut 1 *Cor.* VII. 40. Superfluum certe h. l. esse non potest, cum Servator aperte in eo sit, ut Judæos proprio suo judicio convincat, diligentius evolvendam esse Scripturam, quam quidem factum sit hactenus.

Vers. 41. *Δόξαν παρὰ ἀνθρώπων ὐ λαμβάνω*) *Beza* bene vertit: *gloriam ab hominibus non capto.* Atque ita Interpretes, quos sciam, omnes cum B. *Luthero* nostro. Sed nuper *Hombergius* in Parergis p. 162. maluit δόξαν interpretari de *testimonio*, quia δόξα alias *opinionem*, quam alii habent de nobis, *existimationemque* inferat, præterea vero Christus v. 34. dicat: *Ἐγὼ δὲ ὐ παρὰ ἀνθρώπυ τὴν μαρτυρίαν λαμβάνω.* Quæ utut scite & erudite observentur. malim tamen voci huic communiorem significatum relinquere. Primo enim Dominus amplius quid v. 41. per δόξαν inferre videtur, quam v. 34. Volebat Judæos permovere, ut in fide ad se venirent, non sua causa, sed in proprium commodum, ut scilicet vitæ fierent participes. Propterea statim amolitur suspicionem, in quam pro malignitate sua adduci facile poterant, cogitantes, Dominum gloriam in hac re aliquam captare, per illum Judæorum concursum quæsitam. Eodem fine v. 44. Judæorum, gloriæ studiosorum, mores suis opponit, dicens: *πῶς δύνασθε ὑμεῖς πιστεῦσαι, δόξαν παρὰ ἀλλήλων λαμβάνοντες, καὶ τὴν δόξαν τὴν παρὰ μόνυ τῦ Θεῦ ὐ ζητεῖτε*; In his verbis non potest vox δόξα alio, quam *gloriæ* & existimationis sensu, accipi, inprimis si de δόξῃ τῇ παρὰ τῦ Θεῦ cogitetur. Atque id inprimis manifestum fit ex XII. 43. *ἠγάπησαν γὰρ τὴν δόξαν τῶν ἀνθρώπων μᾶλλον ἤπερ τὴν δόξαν τῦ Θεῦ.* Ibi enim v. 42. causa, cur multi Procerum fidem, quam Christo habebant, non aperte professi sint, ex eo redditur, quod noluerint a cœtu Judæorum removeri, atque adeo ignominia affici. Omitto alia Johannis nostri loca, in quibus Christus profitetur, se non suam, sed Patris, qui se miserit, gloriam quærere. Vide v. c. VII. 18. & VIII. 50. & 54. A quibus ut aliena est ista *testimonii* significatio, ita hoc quoque loco merito exsulat.

Vers. 43. *Ἐγὼ ἐλήλυθα ἐν τῷ ὀνόματι τῦ πατρός μυ*) Phrasin hanc ex stylo Judæorum Talmudico illustrat *Hottingerus* ad Discursum Gemaricum de In-

Inceſtu p. 6. Ibi ſcilicet Judæis *τὸ* אתא i. e. *venire* in ſignificatu *docendi* adhibetur, quotiescunque dicitur כי אתא רב *cum veniret Rabbi.* Conf. *Lightfootum* ad Luc. XIII. 35. Ubi præterea notandum, interdum addi huic verbo בשם i. e. *in nomine*, eo quidem ſenſu, ut, quæ ab alio proferuntur, ea a Magiſtro ſuo didiciſſe dicatur. Senſus itaque eſt, ſe ad *docendum veniſſe in nomine Patris*, in cujus ſinu ita ſit, ut voluntatem ejus pleniſſime annunciare poſſit. *Joh.* I. 18. Conf. *Alethæi* Erörterung Part. I. p. 176. ſqq.

ἐὰν ἄλλος ἔλθῃ ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ, ἐκεῖνον λήψεσθε) Per *τὸν ἄλλον Steph. Jaworowsky*, Vice-Patriarcha Moſcus in tractatu, an. 1705. edito, quem inſcripſit *Signa Adventus Anti-Chriſti*, intelligit Anti-Chriſtum, in poſterum & proxime ante mundi finem venturum. Confer Acta Erudit. Lipſienſ. an. 1706. p. 92. ſqq. Eum ſequitur Anonymus Anglus in tractatu de tribus malis ultimorum temporum, Anglice an. 1711. edito. Enimvero cum Dominus ad Judæos loquatur, a quibus, qua talibus, Anti-Chriſtus iſte nec exſpectari, nec metui poterat, rectius illi agunt, qui de Pſeudo-Meſſiis tum temporis imminentibus, & vanam Judæorum ſpem proxime eluſuris, cogitandum hic eſſe cenſent. De Pſeudo-Meſſiis vero illis dixi abunde in Bibliotheca Hebræa.

Verſ. 44. *τὴν δόξαν, τὴν παρὰ τοῦ μόνου Θεοῦ οὐ ζητεῖτε;*) Solam Patris perſonam hic innui, temere contendunt Sociniani. Lege contra eos *Petavium* in Dogmatibus Tom. II. lib. III. cap. 2. §. 11. Ceterum *Piſcator* interrogandi notam ex fine verſus, ubi recte communiter collocatur, ad medii commatis vocem *λαμβάνοντες* transferens, recte caſtigatur a *Boiſio* l. c. p. 297.

Verſ. 45. *Ἔστιν ὁ κατηγορῶν ὑμῶν Μωσῆς*) Placent hic verba *Campeg. Vitringæ* de Vetere Synagoga p. 999. *Accuſare utique eſt aliquem in publico coram Judice criminari, & reum agere. Crimen maximum Judæis omnibus intentat Moſes., quotiens in Synagoga publice prælectus vaticinia de Meſſia, quæ implementum ſuum in Chriſto ſortita ſunt, illorum conſcientiæ ad plenam convictionem quaſi coram Deo, (qui in Sacris religionis, ubi colitur, adeſſe concipitur) quam clariſſime affert.*

Verſ. 46. *Εἰ γὰρ ἐπιστεύετε Μωσῇ*) *Cyrilli* interpretationem lege apud *Rich. Simonem* lib. III. Hiſtor. Critic. N. T. p. 303.

περὶ γὰρ ἐμοῦ ἐκεῖνος ἔγραψε) Scripſit Moſes de Chriſto, ſcilicet in bonum & honorem. Vide huc *Keuchenium*, qui comparat *Eſth.* VII. 9. Teſtatus autem is de Chriſto eſt, tum typis, tum cerimoniis cultus Levitici, tum diſertis vaticiniis, v. c. *Geneſ.* XLIX. quem locum hic inprimis innui putat *Colomeſius* in Obſſ. Sacr. p. 52. & *Deuter.* XVIII. 15. &c. Nec diffitentur id Judæi cordatiores, quorum teſtimonia in hanc rem afferunt *Allixius*

xius in Judicio veteris Ecclesiæ Judaicæ p. 25. ed. German. *Rhenferdius* in Differt. II. de Sæculo futuro §. 15. *Grellotus* in præfat. Prodromi §. 16. Confer *Amelium* Part. II. p. 359. sq.

CAP. VI.

AD caput hoc integrum illuſtrandum ſpectat *Paraphraſis* ejus, ab Anonymo cum notis & præfatione edita *Londini 1696.* 4. cujus Auctor ſpeciatim ex Patribus oſtendit, hic non agi de SS. Euchariſtia. Conf. *Jo. Clerici* Bibliothec. Univerſal. Tom. V. p. 50. ſq. Vide etiam *Cocceji* Opera Poſthuma Tom. II. p. 481. ſq. ubi miraculi, hic narrati, ſeries ex omnibus Evangeliſtis nectitur, ſubjuncta ejusdem Analyſi. Conferri quoque, ſed habito ſelectu, merentur *Jo. Cameronis* conciones ſeptem, Gallice in aliquot hujus capitis verſus editæ, & *Thomæ Goodwini* Cogitata, quæ exſtant in Collectione Scriptorum ejus Germanice edita, p. 906.

Verſ. 1. πέραν τῆς θαλάσσης τῆς Γαλιλαίας, τῆς Τιβεριάδος) Lacus hic variis nominibus in N. T. appellatur, nunc *mare Galilææ*, nunc *mare Tiberiadis*, de nomine ſcilicet urbis clariſſimæ, ei adſitæ; ut alia taceam in aliis Scriptoribus obvia. Vide *Adriani Relandi* Palæſtinam Sacram p. 259. ſq. & *Salmaſium* ad Solinum p. 408. & 433. Atque hic quidem priori loco inter cetera ita: *Notandum, lacum Tiberiadis dici, ut ab oppido nomen ſumſiſſe palam ſit. Sic lacus Lemannus*, Genevæ lacus & Lauſannæ lacus *vulgo cognominatur. Joanni in Evangelio vocatur* θάλασσα τῆς Τιβεριάδος, *Philoſtorgio* λίμνη τῆς Τιβεριάδος. *Quod non ita dicitur, ut* πόλις Ῥώμης, πόλις Ὀρχομένε. *Norunt Græce periti, quid ibi valeat articulus appoſitus.* Ptolemæo *tamen etiam* Τιβεριὰς λίμνη *appellatur*, *&* Pauſaniæ Τιβερὶς λίμνη. *Improprie, nam urbs hoc nomen habebat.* Stephanus: Τιβεριὰς πόλις τῆς Ἰεδαίας πρὸς τῇ Γεννησαρίτιδι λίμνῃ. *Ita &* Γεννησαρῖτις *appellabatur hic idem lacus a regione Genneſara, cujus apud Matthæum & Marcum mentio*, καὶ διαπεράσαντες ἦλθον εἰς τὴν γῆν Γεννησαρέτ. *Ab ea igitur parte, qua regionem* Genneſaram *attingebat, dictus eſt* Genneſaritis *lacus; ab eo latere, quo* Tiberiadem *oppidum habebat, vocabatur lacus* Tiberiadis. Θάλασσαν pro lacu poni, Patres quoque obſervarunt: v. *Suicerum* Tom. I. p. 1336.

Verſ. 4. Ἦν δὲ ἐγγὺς τὸ Πάσχα) Vocem *Paſcha* hic ex gloſſemate natam eſſe a ſciolo, qui de Paſchate hic ſermonem eſſe exiſtimarit, cum Feſtum Tabernaculorum innui ex cap. VII. 3. conſtet, nonnulli autumant, quos confutat recte *Voſſius* Tom. VI. Opp. p. 84.

Verſ. 6. τῦτο δὲ ἔλεγε πειράζων αὐτόν) Ita *Xenophon* de Cyro lib. IV. p. 73. Cyropædias: τῦτο δὲ ἔλεγε βυλόμενος αὐτὺς ὡς μέγιστον φρονεῖν ἐπὶ σφίσιν.

Verſ.

Verf. 9. δύο ὀψάρια) De voce hac lege *Bocharti* Hierozoic. p. 41. fin. de primitiva vero ὄψον *Boisii* Collation. p. 298. qui ex *Athenæo* lib. VII. pifces ita appellari monet, eo quod inter τὰ ὄψα emineant, & principatum quendam teneant. Adde *Suiceri* Thefaurum Tom. II. p. 539. Pifces faliti valde amabantur a Judæis, adeo, ut, fi cujusmodi pifces apponerentur cum panibus, vocarentur fundamentum prandii, panis autem adjunctum prandii: imo fi falita non adeffent in prandio, non dicebantur fatiari, qui aderant, ut docetur in *Aruch* fol. 31. col. 3. Ita B. *Daffovius* in Corollar. III. Difputat. de Modis feminandi diverfa femina Hebræorum veterum.

Verf. 11. διέδωκε τοῖς μαθηταῖς, οἱ δὲ μαθηταὶ τοῖς ἀνακειμένοις) Defunt hæc in MSS. nonnullis: Sed vide *Whitbii* Examen p. 48. & *Marefchalli* Obfervatt. ad Verf. Gothic. p. 463.

ὅσον ἤθελον) Ita Codd. MSS. plerique omnes, pro quo nonnulli, tefte *Beza*, ἤθελεν. Horum tamen nullum affert *Millius*. Pofteriorem lectionem fecutus eft B. *Lutherus* nofter, vertens: wie viel Er wolte, ut fcilicet res ad Chriftum referatur. In plurali legit *Theophylactus*, & *Vetus*, & *Bafilienfis*, & *Tigurina*, & *Erafmus* edit. 1522. *Stephanus* item & *Cafaub.* *Argentina* & *Emferus*. *Syrus* quoque hanc lectionem firmat, per quam illuftrius redditur Chrifti miraculum, notante ad h. l. *Erafmo Schmidio*, quod de duobus tantum ὀψαρίοις omnes tamen acceperint, ὅσον ἤθελε θυμός. Conf. Heb: Opfer Tom. III. p. 42.

Verf. 13. ἐκ τῶν πέντε ἄρτων τῶν κριθίνων) Una itemque altera verfio Latina addit: *& ex duobus pifcibus;* perperam, & contra omnium Codd. Græc. itemque antiquarum verfionum fidem. Unde B. Lutherum ut omiffionis reum temere notavit *Emferus*. Conf. B. *Raithii* Vindicias Verfionis Germ. p. 418.

Verf. 15. ἵνα ποιήσωσιν αὐτὸν βασιλέα) *ut eligerent, conftituerent ipfum Regem*. De phrafi hac lege, quæ fcripta funt ad *Marc.* IV. 14.

Verf. 17. ἤρχοντο) *proficifcebantur*, ut *Joh.* VI. 17. *Act.* XXVIII. 14. Verbum hoc dicitur de iis, qui iter tantum ingreffi, non vero emenfi funt. Ita quoque *Xenophon* Cyropæd. VI. p. 121. & 125. Proinde de Hebraifmo, ad exemplum verbi הלך expreffo, hic non eft cogitandum. Conf. *Raphelii* Notas Xenophonteas p. 30.

Verf. 19. Ἐληλακότες οὖν) i. e. *cum remigaffent*, ut *Vulg.* Nam ἐλαύνειν eft *remis navem propellere*. Ita *Ifocrates* de Pace p. 400. τοὺς πολίτας ἐλαύνειν ἀναγκάζομεν i. e. *cives remigare cogimus*. *Ariftophan.* Ranis v. 207. & 205. *Ifocrates* in Areopagitico plene p. 356. dixit: ἐλαύνειν τὰς ναῦς. Vide *Elsnerum* p. 310. Solent enim Græci quoque dicere ἐλαύνειν ἵππον, ἅρμα, δρόμον &c. quod oftendit

dit *Ezech. Spanhemius* ad *Aristophan.* Nubes v. 25. ex quo etiam constabit usus verbi ἐλαύνειν & ἐλᾷν sine addito Substantivo.

ὡς σαδίυς εἰκοσιπέντε) Τὸ ὡς idem est, quod *ferme, circiter*, ut apud *Xenophontem* lib. VII. Hist. Gr. p. 617. *Thucydid.* lib. V. p. 409. & alios. Vide *Elsnerum* l. c.

Vers. 23. εὐχαριστήσαντος τῦ Κυρίυ) In nonnullis Codd. hæc desiderantur, unde *Millius* pro glossemate habet, ex margine tandem in contextum relato. Sed vide *Whitbii* Examen p. 49.

Vers. 26. Ζητεῖτέ με, ὐχ ὅτι εἴδετε σημεῖα) Viderant tamen illi miraculum, atque ex eo, admirationis pleni, Christum magnum illum Prophetam esse collegerant. Itaque Christus id sibi vult, non vidisse illos oculo spirituali, nec per ea hactenus vere affectos & conversos esse, aut ad veram in se fidem perductos: non recte de se & miraculis suis judicare, sed esse adhuc totos in carne. Ita judicat *Vitringa* Observatt. Sacr. lib. VI. p. 409. Codex *Cantabrig.* hic legit σημεῖα καὶ τέρατα, & sic quoque *Gothus*, aliique nonnulli Interpretes. Scilicet duæ hæ voces alias solent conjungi, ut *Marc.* XIII. 22. Conf. *Mareschalli* Observatt. ad Vers. Gothic. p. 464.

Vers. 27. Ἐργάζεσθε μὴ τὴν βρῶσιν τὴν ἀπολλ: μένην) Verbum ἐργάζεσθαι hic ad exemplum Hebraici עשה idem est, quod *acquirere & comparare* sibi cum labore, ut *Genes.* XXXI. 1. & *Deuter.* VIII. 17. ut sensus sit: *videte, ut participes fiatis illius cibi.* Vide *Hackspanii* Notas p. 424. Conf. *Gusseti* Lexicon Hebr. p. 649. Interim propterea phrasis hæc pro hebraizante non est habenda. Ita enim & *Hesiodus* loquitur in Opp. & Diebus v. 43. βίον ἐργάζεσθαι & *Plato* in Lachete p. 247. πλεῖς' ἂν εἰργάζοντο χρήματα. Conf. *Grævii* Lectiones Hesiodeas p. 9. & *Elsnerum* p. 311. Ceterum recte huc monuit *Fesselius* Adversar. Sacror. Tom. I. p. 325. τὸ μὴ hic poni pro μὴ μόνον i. e. *non solum soliciti estote de cibo pereunte, sed etiam &c.*

τῦτον γὰρ ὁ πατὴρ ἐσφράγισεν) *Chrysost.* homil. 43. in Johannem duplici modo τὸ σφραγίζειν interpretatur. Putat enim vel respici ad literas, legato a Principe dari solitas, & sigillo ejus munitas, quibus fides ipsi concilietur; atque adeo Patrem hic repræsentari, tanquam eum, qui Filio suo, concessa miraculorum edendorum facultate, plenissimam apud homines fidem fecerit. Vel τὸ ἐσφράγισε idem esse censet, quod ἀπέδειξε h. e. *demonstravit, manifestum fecit testimonio suo.* Conf. *Suiceri* Thesaurum Tom. II. p. 1197. Posterius præplacet *Rittershusio* lib. V. Sacrar. Lection. p. 411. Alii τὸ ἐσφράγισε interpretantur per: *sigillum & imaginem suam ei impressit*, adeo, ut, qui Christum videret, etiam Patrem vidisset, ut dicitur Joh. XIV. 9. quippe qui sit εἰκὼν τῦ Θεῦ τῦ ἀοράτυ *Col.* I. 15. & חותם seu σφραγὶς Jehovæ, *Hagg.* II. 24. Ita Cl. *Elsnerus* p. 312. quæ interpretatio & significatui vocis σφραγίζειν i. e. *signare, annulo sigilla imprimere, ut Apocal.* VII. 3. & rei ipsi magis respondet,

ac præterea a priore Chryſoſtomi explicatione, concinna admodum, non multum recedit. Eam certe malim, quam cum notis MSS. Anonymi, quas hic affert *Elsnerus*, ſtatuere, alludi hic eo, quod ubi olim δεῖπνον ἀπὸ συμβόλων i. e. *convivium ex ſymbolis* parandum eſſet, ei ſodalium, qui cœnam parare jubebatur, annulus aut etiam imago ceræ impreſſa, ut apud *Plautum* ſæpe, arrhæ loco dari ſoleret, qua de re *Caſaubonus* ad Athenæi lib. III. cap. 31. p. 224. ut proinde Chriſtus h. l. profiteretur, ſe a Patre conſtitutum eſſe, ad ſuppeditandum Eccleſiæ ſalutarem cibum. Τὸ σφραγίζειν enim non ſignificat *annulum tradere*, ſed *ſignare* & *annulo ſigillum imprimere*. Ad eam, quam amplexi ſumus, expoſitionem multum facit *Joh.* XVII. 3. ubi ita Chriſtus: καθὼς ἔδωκας αὐτῷ ἐξουσίαν πάσης σαρκὸς, ἵνα πᾶν, ὃ δέδωκας αὐτῷ, δώσῃ αὐτοῖς ζωὴν αἰώνιον. Confer præterea ad h. l. *Urſini* Analecta I. p. 63. ſq. ejuſdemque Paſſionalia p. 294. ubi Ægyptiorum veterum morem huc affert, quorum Sacerdotes, teſte Plutarcho, rufos boves immolandos, ſigillo impreſſo, ſignaverint. Similiter Chriſtus pro victima ἐσφραγισμένη καὶ ἡγιασμένη merito habetur. Lege B. *Sountagii* Diſput. de duodenis millibus obſignatorum *Apoc.* VII. 29. p. 8. & Cl. *Starckii* Notas Select. ad h. l. Johannis p. 104.

Verſ. 29. Τοῦτό ἐστι τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ) Vide huc *Caſtellionis* Defenſionem verſionis ſuæ p. 488. ubi contra *Bezam* diſputat, & male hæc interpretantem, & male explicantem, quonam pacto fides hic dicatur opus Dei. Conf. *Val. Erneſt. Læſcheri* Decimas Evangelic. Tom. VI. p. 304.

Verſ. 31. Οἱ πατέρες ἡμῶν τὸ μάννα ἔφαγον ἐν τῇ ἐρήμῳ) Id ſibi volunt homines immature dubii: Moſen in deſerto vaſtam Iſraelitarum multitudinem per 40. annos cœleſti pane inſtruxiſſe, Chriſtum vero una vice multos homines paucis panibus cibaſſe, atque adeo cum Moſe comparari hactenus non poſſe. Itaque vel *ſignum ex cœlo*, ad quod nulla humana opera pertingat, dari debere, vel tale quid præſtari, quod cum totius populi Judaici ſalute externa ſit conjunctum. Conf. *Vitringæ* Obſervatt. Sacras Tom. II. p. 254.

καθώς ἐστι γεγραμμένον) Reſpicitur hic inprimis ad *Exod.* XVI. 4. 14. 15. tota vero commentatio Chriſti alludit etiam ad alia loca V. T. in quibus de manna exponitur. Confer *Surenhuſii* librum Καταλλαγῆς p. 348. ſq. & *Guſſeti* Lexicon Hebr. voce לחם c. 2. De *manna* dicetur ad v. 49.

ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ) cœleſtis panis vocatur, tum ratione loci, aëris ſcilicet, unde pluebat, tum, quia cibus erat excellentiſſimus. Confer *Suicerum* Tom. II. p. 299.

Verſ. 32. τὸν ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ τὸν ἀληθινὸν) Quæritur hic, quo ſenſu panis cœleſtis, isque ſpiritualis, dicatur *verus*? Verum ſcilicet opponitur inter-

interdum *falso*, ut *Eph.* IV. 25. tum *figura*, ut tabernaculum N. T. illi, quod erat in Vetere, *Hebr.* IX. 24. tum illi, quod est verum per participationem. Denique vero idem est, quod *excellens*, vel *permanens*, quodque perpetuo tale est. Ita *Deuter.* XXVIII. 59. מכות נאמנות i. e. *plagæ veræ* a τοῖς LXX. redduntur per πληγὰς θαυμαστὰς, i. e. tales, quæ magnitudine sua rapiant in admirationem. Hoc sensu panis verus diceretur, qui esset *excellens* & altero illo deserti longe præstantior; nisi de *perpetuitate* ejus interpretari malis, sicut יציב i. e. *firmus, stabilis* a LXX. redditur per ἀληθινὸς, *Dan.* VI. 12. Compara huc *Hackspanii* Notas p. 426. sq. *Henr. Morus* p. 451. Opp. *verum* panem ideo ait dici, quod a manna typico fuerit repræsentatus.

Vers. 33. ὁ γὰρ ἄρτος τῦ Θεῦ ἐςιν ὁ καταβαίνων ἐκ τῦ ὐρανῦ) Manifestum est, Christum se hic *panem* vocare, respectu habito ad *Manna*. Momenta comparationis lege apud *Bochartum* Tom. I. Opp. pag. 874. & B. *Abrah. Hinckelmannum* in Concionibus Germanice editis pag. 703. sqq. Sunt tamen, qui ad *panes facierum* in V. T. simul alludi contendunt, quos scilicet oleo unctos fuisse ita, ut figuram crucis referrent, traditur in *Menachoth.* cap. VI. §. 3. Vide huc *Braunii* Selecta Sacra pag. 482. & *Amelium* Part. I. pag. 375. sq. Christum vero in universum per *panes facierum* repræsentatum esse, ostendunt ex nostratibus *Jo. Lundius* in Jüdischen Heiligthümern lib. I. c. 24. & Rev. *Sal. Deylingius* in Observatt. Sacr. Part. II. pag. 123. ex Reformatis autem *Witsius* in Miscellan. Tom. I. pag. 418. & *Franc. Burmannus* in Synopsi Theolog. Tom. I. pag. 656. Denique & ad urbem patriam, *Bethlehemum*, a *pane* appellatam, respexisse Christus videtur *Allixio* in *Considerationibus* super libros N. T. Part. II. pag. 309. Patrum cogitata lege apud *Suicerum* Tom. I. pag. 519. sq. Participium præsentis temporis καταβαίνων nonnulli Interpretes per *Præteritum* convertunt: *qui e cœlo descendit.* Inter hos est *Arnaldus* in Versione Gall. Montensi, quam idem contra *Malletum* tuetur in *Nova Defensione* p. 491. sq. Totum hoc comma interpretatus olim est B. *Frid. Balduinus* Dispp. tribus de Pane vitæ, *Vitemb.* 1619.

Vers. 35. ὁ πιςεύων εἰς ἐμὲ, ὐ μὴ διψήσῃ πώποτε) Idem de piscina sua temere pollicitus est *Muhamed.* Vide *Pocockium* ad Portam Mosis p. 292. Sensus vero est, credentem nunquam cariturum esse eo, quo *sitim*, i. e. desiderium suum expleat. Conf. *Suicerum* Tom. I. pag. 929. & adde ad *Joh.* IV. 14.

Vers. 36. ὅτι καὶ ἑωράκατέ με) B. *Lutherus* τὸ καὶ in Versione sua omisit, tanquam redundans & ad sensum nihil faciens. Sed id quidem perperam factum putat Auctor der Untersuchung etlicher Oerter N. T. pag. 20. qui verti vult: Daß ihr mich auch gesehen habt. Sed vide *Schönlandii* Vindicias B. Lutheri pag. 57. τὸ καὶ illud h. l. ut alias, & proxime v. 51. παρέλκειν ostendentis.

Atque idem confirmatur ex parte, per Codices nonnullos, qui τὸ καὶ, quamvis temere, prorsus omittunt.

ἑωράκατέ με) MS. *Alexandr.* unum & solum τὸ μὲ omittit, quod recte fieri videtur *Jo. Clerico* in Notis ad Versionem suam Gallicam, quia Christus id hic indicare voluerit, Judæos panem cœlestem verum oculis suis vidisse. Enimvero Christum non amplius in genere loqui de pane cœlesti, ut v. 32. & 33. sed in applicatione ad se ipsum patet ex v. 35. ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς, ὁ ἐρχόμενος πρός με &c. Nihil itaque causæ est, cur particulam μὲ, refragantibus omnibus, si unum hunc excipias, Codicibus, deseramus, præcipue cum v. 37. & sequentibus semper de se Christus loquatur. Accedit, Dominum nostrum Judæorum incredulitatem, tanquam rem indignissimam, hic castigare, quippe qui, quamvis ipsum videant loquentem & miracula patrantem, cujusmodi paulo ante oculis eorum objectum erat, tamen vel sic in ipsum non credant, cum alias oculorum usus hac in parte etiam efficax esse soleat. Vide *Matth.* XI. 4.

Vers. 37. *Jo. Buniani* ad hoc comma meditationes Asceticæ Germanice prodierunt *Hamb.* an. 1698. 12. Conf. Relationes Theolog. Innocuas an. 1702. p. 1095.

οὐ μὴ ἐκβάλω) Codd. quidam & editi, & MSS. legunt ἐκβάλλω. *Curcellaeus* in Var. Lection. affert aliam ἐκβαλῶ, quæ tamen, saltem a *Millio*, non annotatur, unde conjectura mihi fit, eam forte ex *Vulg.* Interprete, qui vertit: *non ejiciam*, ab ipso depromtam esse. Sed non opus est, ut abjiciamus lectionem communem. Sæpissime enim subjunctivum Aoristi primi vel secundi pro Futuro Indicativi poni, frequenter annotavimus. Ita v. 35. οὐ μὴ πεινάσῃ, οὐ μὴ διψήσῃ i. e. οὐ μὴ πεινάσει, *non esuriet.* Latinis eadem loquendi ratio recepta est, qui modo potentiali passim utuntur, ubi Indicativus sufficeret. Dicerent illi: *non ejecerim.*

Vers. 38. Ὅτι καταβέβηκα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ &c.) Auctori libri *Chissuk Emuna*, inepte hic cavillanti, responsum est a *Gusseto* in Confutat. pag. 402. Nempe descensus Christi non ad *animam* ejus, nec ad *corpus*, prout ex Maria natum est, quorum alterutrum intelligi hic cupit Verpus, refertur, sed ad divinam Christi naturam, in quantum humanam naturam assumsit.

Vers. 39. ἵνα πᾶν, ὃ δέδωκέ μοι &c.) Quomodo Patres hanc phrasin interpretati sint, ostendit *Grotius* in Pietate Ordinum Hollandiæ, Tom. III. Opp. pag. 106. b.

Vers. 40. Τοῦτο δέ ἐστι τὸ θέλημα &c.) Vide huc *Grotii* Opp. Tom. III. pag. 351. a.

ὁ θεωρῶν τὸν υἱὸν καὶ πιστεύων εἰς αὐτὸν) θεωρῶν i. e. *confidens*, ut interpretatur *Keuchenius* ad h. l. ex LXX. Interpretibus, qui passim eam notionem

nem huic verbo tribuunt. Alii *τὸ καὶ* hic per, *id est*, interpretantur, hoc ſenſu: *videns filium, id est, credens in eum.* Ita Biblioth. Bremenſ. Claſſ. V. p. 472. Præſtat autem, ut in propria *videndi* ſignificatione perſiſtamus. Chriſtus enim auditores docere vult, non ſufficere ad ſalutem vel ſpiritualem, vel æternam, *vidiſſe* ſe, tanquam panem cœleſtem, (quod pro ſtupore ſuo ex antecedentibus forte collecturi fuiſſent) ſed requiri potiſſimum fidem, qua recipiatur. Ad ſerpentem æneum hic alludi, non inepte obſervat *Vitringa* in Comment. ad Jeſaiam Tom. II. p. 680. Conf. *Joh.* III. 14. 15. & *Zach.* XII. 10.

Verſ. 43. *μὴ γογγύζετε μετ' ἀλλήλων*) *Ne murmurate inter vos.* Hinc colligas, diſſenſionem inter Judæos ortam eſſe de Chriſto, ejusque ſermone hic habito, aliis rectius & mitius, aliis ſiniſtre & abjecte de eo judicantibus. Id enim inſert *murmurare inter ſe invicem.* Conf. v. 52. ubi dicitur: *ἐμάχοντο οὖν πρὸς ἀλλήλους οἱ Ἰουδαῖοι.*

Verſ. 44. *οὐδεὶς δύναται ἐλθεῖν πρός με, ἐὰν μὴ ὁ πατὴρ ὁ πέμψας με ἑλκύσῃ αὐτὸν*) Vide huc *Jo. Schmidii* Diſſert. de tractu Patris ad filium ſalutari, *Argentor.* 1685. recuſam, & aliam Rev. *Jo. Georg. Abichtii*, Gedani 1721. Per *tractionem* non intelligitur *phyſica*, ſed *moralis*, adeoque non *coactio*, ſed *perſuaſio*, quæ fit verbo Dei, ſecundum v. 45. quod efficax eſt, & ad rem hanc perficiendam, ſi pertinacia non prohibeat, per ſe idoneum. Confer phraſin ſimilem *Proverb.* VII. 21 - 23. *Cantic.* I. 4. & *Hoſ.* XI. 4. Adde *Hackſpanii* Notas ad h. l. p. 427. Quomodo Patres verba hæc acceperint, patebit ex *Arnaldi* Continuata Defenſione Verſionis Gall. Montenſis p. 251. ſq. & *Rich. Simonis* Hiſt. Crit. N. T. lib. III. p. 456. Vide etiam ad h. l. *Urſini* Analecta I. p. 300. ſq. Ceterum per *tractionem* illam fortaſſe alluditur ad phraſin Talmudicam, per quam *Proſelyti juſtitiæ* vocantur גרים גרירים i. e. *proſelyti tracti*, in *Avoda Sara* 24. 1. & *Jevamoth* 79. 1. Conf. *Relandi* Antiquitt. Hebr. p. 246. & *Deylingii* Obſervatt. Sacr. Part. III. p. 252.

Verſ. 45. *ἐν τοῖς προφήταις*) Sunt, qui locum hic allegatum in uno Jeſaia LIV. 13. exſtare, atque adeo ad eum ſolum hic a Chriſto reſpici cenſentes, plurium numerum pro ſingulari, per conſuetam enallagen, poni exiſtimant. Ita *Plutarchus*, Ariſtophanem citans, ait: *ὡς οἱ Κωμικοὶ λέγουσιν.* Vide *Gatackeri* Adverſaria p. 82. Alii, enallage valere juſſa, phraſin repetunt ex conſueta Judæorum *τριχοτομίᾳ* Sacri Codicis, ſecundum quam claſſis prima *Legis*, ſecunda *Prophetarum*, & tertia *Ketuvim* i. e. Hagiographorum nomine veniebat. Senſus itaque foret, legi hoc in ea Codicis S. parte, quæ *Prophetarum* nomine appelletur. Alii denique re vera ad plurium Prophetarum loca, eandem ſententiam complexa, ſpeciatim *Jeſ.* LIV. 13. & *Jerem.* XXXI. 34. imo & *Mich.* IV. 1 - 4. reſpectum hic haberi contendunt. Inter hos eſt *Surenhuſius* in libro *καταλλαγῆς* p. 350. ſq.

διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ) *docti a Deo*, vel *discipuli Dei.* Ita Hebræorum למודים sub adjectivi notione usurpatur *Jes.* VIII. 16. & L. 4. item *Jerem.* II. 4. Similiter Paulus 1 *Cor.* II. 13. *διδακτοὺς πνεύματος ἁγίου*, & *θεοδιδάκτους* vocat 1 *Thess.* IV. 9. Conf. *Vorstium* Philolog. Sacr. Part. I. c. 18. & *Suicerum* Tom. I. p. 900. R. *Mardochæus* doctores *Karæos*, qui uni Scripturæ Sacræ, neglectis traditionibus, vacabant, למודי יהוה vocat in *Notitia Karæorum*, quam ipsemet edidi, p. 60. *Limborchius* Theolog. Christ. lib. I. c. V. §. 18. intelligere hic mavult *doctos de Deo*, h. e. voluntatis divinæ notitia imbutos. Sed id adducta ex N. T. loca non admittunt, quamvis *Rich. Simon* in Notis ad Vers. Gall. N. T. eodem modo accipiat. Idem vero recte observat, si *docti a Deo* intelligantur, non necesse esse, ut *immediata* institutio hic cogitetur, cum *mediata* sufficiat secundum 1 *Cor.* III. 5. 9. Dicuntur enim hic doceri per auditum, dicuntur discere a Patre, quod institutionem ore traditam, & auribus haustam præstruit. Confer de phrasi hac *Vorstii* Philolog. Sacr. Part. I. p. 338.

Πᾶς οὖν ὁ ἀκούσας παρὰ τοῦ Πατρὸς καὶ μαθών) *Τὸ μαθεῖν* accuratiorem cognitionem simul & assensum infert. Ita *Polybius* p. 259. *Ἀλλ' οὐκ ἔστι τούτων οὐδέν· ἀλλ' ὅσῳ διαφέρει τὸ Μαθεῖν τοῦ μόνον Ἀκοῦσαι, τοσούτῳ καὶ τὴν ἡμετέραν ἱστορίαν ὑπολαμβάνω διαφέρειν τῶν ἐπὶ μέρος συντάξεων.* Conf. Rev. *Raphelii* Annotatt. Polybian. p. 272. & Xenophonteas ad 1 *Cor.* XIV. 31. Atque hæc emphasis verbi innuitur commate, quo ab antecedentibus distinguitur. Ideo cave, ne abesse posse putes cum *Alex. Moro* in Axiomat. Theolog. p. 428. Quid Patres, & nominatim *Augustinus*, de his verbis senserint, intelligetur ex *Arnaldi* Defensione continuata Versionis Gall. Montensis p. 258. sqq. Quid vero Theologi nostrates, ex *Joach. Langii* Antibarbaro Tom. I. p. 281. sq.

Vers. 49. *Οἱ πατέρες ὑμῶν ἔφαγον τὸ μάννα*) De etymologia vocis *Manna* lege *Drusium* I. 62. Quæst. Hebr. *Cappell.* in Opp. p. 406. *Leusdenum* in Notis ad Jonam Illustratum pag. 128. sq. *Cheitomæum* de Vocibus Græco-barbaris, *Suicerum* Tom. II. pag. 298. sq. *Schudtium* in Memorabilibus Judaicis Part. I. pag. 7. sqq. & novissime Anon. in Histor. Crit. Reip. Liter. Tom. II. pag. 125. sq. qui ex Sinensium Lingua repetit, in qua *man tsu* panem denotet. Ei se recte opponit Cl. *Olavus Rudbeckius* in specimine Usus Linguæ Gothicæ pag. 143. sqq. forte tamen altero illo non felicior, in Lingua Gothica origines ejus quærens, tandemque pag. 149. affirmans, vocem מן significare aliquid minutum, & esse semen *oryzæ*. De re ipsa & ejus proprietatibus præter Interpretes ad Exod. XVI. 31. commentantur *Salmasius* in singulari Comment. de Manna, qui exstat in calce Tomi II. Exercitatt. ad Solinum pag. 245. *Bochartus*, qui Salmasium, passim hic hallucinantem, sequitur, Tom. II. Opp. pag. 872. *Gaffarellus* in Curiositatibus Inauditis pag. 238. & *Bartoloccius* Tom.

Tom. IV. Biblioth. Rabbin. p. 151. Ex noſtratibus lege *Jo. Frid. Stapelii* Diſſertationem in Theſauro Diſputatt. Tom. I. f. 308. recuſam, item *Mich. Waltheri* in calce Officinæ Biblicæ exſtantem p. 141. ſq. *Mich. Liebentanzii*, Witteb. 1662. *Jo. Brunsmanni* in Hendecade Diſſertt. Miſcellan. p. 42. ſqq. & *Car. Ludolph. Hobeiſel* de Vaſculo Mannæ; præter hos autem *Voglerum* de rebus naturalibus p. 87. ſq. *Reinhardum* in Pentade Conatuum Sacrorum p. 197. ſqq. *Paulinum* in Philoſophiſchen Luſt-Stunden cap. 78. & Auctores des Heb-Opfers Tom. I. p. 491. ſqq.

Fuerunt, qui in cibo illo nihil ſingulare agnoſcerent, ſed haberent pro Manna ordinaria, in Arabiæ deſertis decidua, & pro humore roſcido, ex rore in ſuperficie terræ reſiduo, inſtar pruinæ, & qui mature, antequam Solis æſtu colliqueſceret, collectus, ſiccatus, vel toſtus, ad omnes uſus adhiberi potuerit. Ita de Manna more ſuo jùdicat *Herm. Hardtius* in Ephemerid. Philolog. cap. VII. contra quem poſt *Calvœrium* in Gloria Moſis p. 56. ſq. lege diſputantem *Deylingium* Obſſ. Sacrar. Part. III. p. 58. ſq. ubi de Manna data opera & erudite commentatur.

Cum Manna *Angelorum cibus* vocetur *Sapient.* XVI. 20. de eo variorum ſententias affert *Siricius* de Angelorum linguis §. 11. Confer *Feſſelii* Adverſar. Sacra Tom. II. lib. VIII. c. IV. §. 4.

De triplici genere Mannæ naturalis lege *Biblioth. Anglicanam* Tom. IV. Part. I. p. 5.

Vocem ipſam per caſus flecti poſſe, contra diſſentientes oſtendit Cl. *Jo. Clericus* in Biblioth. Selecta Tom. XXI. p. 307. Confer *Bochartum* l. c. p. 875. ſq.

Ex Judæis recentioribus Manna deſcribit R. *Petachias* in Itinerario ſuo, quod exſtat apud *Wagenſeilium* in Exercitatt. varii argumenti num. IV. pag. 191.

καὶ ἀπέθανον) Non leguntur hæc verba in locis V. T. ubi de Manna agitur. Itaque Chriſtus ea illuſtrationis cauſa ad veterum Doctorum exemplum videtur addidiſſe Cl. *Surenhuſio* l. c. p. 348. At enim vero Dominus h. l. non tam allegat oraculum aliquod V. T. quam repetit Judæorum objectionem ſupra v. 31. ab iis allatam; ſed ita repetit, ut eadem opera intelligere poſſent, quantum diſcrimen inter manna V. T. & panem ſpiritualem, antitypum ejus, intercedat.

Verſ. 50. *καὶ μὴ ἀποθάνῃ*) Elegantem antanaclaſin, reſpectu v. 49. *καὶ ἀπέθανον*, hic obſervat *Vorſtius* Philolog. Sacr. Part. II. p. 253. ubi ſimul oſtendit, per poſterius mortem improprie dictam, ut per prius proprie dictam, intelligi.

Verſ.

Verſ. 51. Ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος ὁ ζῶν) Vox ζῶν, teſte *Gusseto* in Lexico Hebr. p. 923. idem hic eſt, quod ζωοποιῶν i. e. *vivificans*. Nam LXX. Intt. verbum ζῶ interdum ponunt pro ζωοποιῶ, ut *Pſalm*. XLI. 2. & CXIX. 17. & 40. aliisque in locis a *Kirchero* enumeratis. Sed rectius puto retineri ſignificationem communem, qua *vivum* quid infert, ut ſcilicet pani naturali & proprie dicto, ſed vitæ in ſe experti, quanquam eam conſervet, opponatur, ne ſcilicet auditores in eo cogitationibus ſuis defixi hærerent. Hinc ſtatim additur, *qui hunc panem ederit*, ζήσεται εἰς τὸν αἰῶνα h. e. *æternæ vitæ particeps erit*, ſicut ipſe vivo.

ἣν ἐγὼ δώσω) Deſunt hæc in Codd. quibusdam MSS. ſed paucis, & *Vulg*. quoque verſione. Hinc inſerta putat *Millius* ex proxime præcedentibus ad abſolvendam ſententiam. Vide Prolegomena ejus §. 641. At iſta quidem non *ad abſolvendam ſententiam* a librario poſtliminio inſerta, ſed a Chriſto ipſo ad majorem lucem, qua in hoc argumento omnino opus erat, conciliandam pronunciata eſſe, mihi ſatis manifeſtum videtur. Certe, ſi omittantur, hiulca redditur oratio, quæ ita flueret: καὶ ὁ ἄρτος δὲ, ὃν ἐγὼ δώσω, ἡ σάρξ μου ἐστὶν, ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς. Veri etiam ſimilius eſt, verba illa a librariis omiſſa eſſe ex textu, in quo proxime ante iſta ſimilia exſtabant, nempe ὃν ἐγὼ δώσω, quam impetu quodam non decente inſerta eſſe. Accedit, Chriſtum etiam alias eadem phraſi uti, ubi de perpeſſione ſalutari & morte ſermo eſt, v. c. *Luc*. XXII. 29. τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον. Nec mirum videri debet, Chriſtum eadem phraſi in eodem commate repetitis uti vicibus. Idem enim fit *Joh*. XIV. 27. εἰρήνην τὴν ἐμὴν δίδωμι ὑμῖν, οὐ καθὼς ὁ κόσμος δίδωσιν, ἐγὼ δίδωμι ὑμῖν.

Verſ. 53. ἐὰν μὴ φάγητε τὴν σάρκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου &c.) Patrum non pauci verba hæc, & ſequentia, de ſacramentali comeſtione accipiunt, quam in rem vide *Maldonatum* ad h. l. & *Petavium* cap. V. Diſſertat. de Cœnæ adminiſtratione. Sed Theologi noſtrates poſt B. *Lutherum*, qui paſſim iſtam ſententiam impugnat, tantum non omnes de ſpirituali manducatione ea accipienda eſſe, variis argumentis contenderunt. Vide huc B. *Dannhaueri* Hodoſophiam p. 1140. ſqq. *Sebaſt. Schmidium* in Collegio Biblico Poſteriori p. 321. ſqq. & in ſingulari Diſput. de ſpirituali manducatione corporis & bibitione ſanguinis Chriſti, *Argentor*. 1681. Conf. *Hug. Grotii* Diſſertat. de eo, an ſemper per Symbola ſit communicandum, p. 29. ſq. Interim B. *Jo. Pet. Grünenbergius*, Profeſſor quondam Roſtochienſis, de ſpirituali manducatione caput hoc inprimis exponere, ſed ita, ut ad Sacramentalem fruitionem, eamque cum ſpirituali ſecundum intentionem Domini conjungendam, commata nonnulla, atque adeo etiam hoc noſtrum, referantur, exiſtimat, & adductis nonnullorum noſtratium Theologorum teſtimoniis confirmare conatur, in præfatione ad Diſput. de *S. Cœnæ Neceſſitate*

tate a *Gerhardo Gerlingio* sub ejus præsidio ex hoc commate, *Rostoch.* 1710. habitam. Nos in communi nostratium sententia acquiescimus, quam ab exceptionibus satis vindicatam leges in commentationibus Dogmaticis. Interim hic observasse suffecerit, *Calvino* ipsi in comment. ad *Joh.* VI. 54. *ineptum videri & intempestivum, si Christus tum de S. Cœna differere voluisset, quam nondum instituerat.* Conf. *Gatackeri* Adversaria Miscellan. cap. XXVIII. Ceterum Pontificios, qui caput hoc de Sacramentali fruitione interpretantur, non posse eludere arte sua necessariam corporis comestionem, cum sanguinis bibitione conjungendam, quæ commate hoc diserte injungitur, ostendit *Hackspanius* in Notis ad h. l. p. 436.

Vers. 56. Ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα &c.) Integrum hoc comma illustratum lege ab *Alethæo* in der Erläuterung Tom. I. p. 319. sqq.

κἀγὼ ἐν αὐτῷ) Post hæc verba Codices *Cantabrig.* & *Stephan.* addunt ista: Καθὼς ἐν ἐμοὶ ὁ πατὴρ, κἀγὼ ἐν τῷ Πατρί. Ἀμὴν, ἀμὴν, λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ λάβητε τὸ σῶμα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ὡς τὸν ἄρτον τῆς ζωῆς, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν αὐτῷ. Atque ista ab ipso Johanne profecta esse, contendit *Jo. Millius* in Notis ad h. l. quia nihil in se habeant Evangelistæ sensibus non plane congruum, imo quod non partim alibi, partim v. 53. hujus capitis totidem fere verbis reperiatur, cujusmodi repetitionibus delectetur Johannes: quia præterea habeat *Vulg.* in genuinis exemplaribus, ac denique a librariis facile omitti potuerint, ex eo, quod versus proxime antecedens iisdem verbis ἐν αὐτῷ claudatur, quæ alterum illum, de quo nobis sermo est, finiunt. Adde ejusdem Prolegom. §. 779. 780. Confer in eandem sententiam *Jo. Ernestum Grabium* in notis ad *Georg. Bulli* Defensionem Fidei Nicænæ fol. 139. Vicissim pro infertis habet *Whitbius* in Examine pag. 49. *Agnoscit illa*, inquiens, *nullus Pater, nulla versio; nullus Commentator; atque iis omissis citat hoc caput a v. 53. ad v. 58.* Origenes περὶ Εὐχῆς pag. 88. 89. *Nec Christus per totum hoc caput vocabulum σῶμα usurpat, nec loquitur de corpore suo sacramentaliter capiendo, ut alibi fusius ostensum est.* Idem sentit *Beza* in Notis ad h. l. quia nullibi mentio fiat sumendi corporis, prætcrito sanguine, exemplar vero illud, unde hæc desumta sint, in Italia fuerit collatum, ubi facile aliquid in Bohemorum, i. e. Evangelii odium, addi potuerit. Quæ ratio posterior quamvis *Rich. Simoni* minus se probet, in re tamen ipsa is cum Beza consentit in Histor. Critica N. Test. lib. I. p. 371. Idem statuit ex nostratibus B. *Jo. Henr. Majus* in Examine Historiæ Criticæ Simonianæ p. 426. & Rev. *Pfaffius* in Dissert. de Variantibus Lectionibus N. T. p. 171. Rationes Millianæ contrariæ sententiæ parum præsidii afferunt. Quamvis enim Dominus noster alibi apud *Johannem* v. c. X. 38. XIV. 10. 11. 20. XVII. 21. &c. iisdem phrasibus, inprimis quod ad priorem partem horum verborum, utatur; mirum tamen est, *Millium* non hoc loco, quod alias facere frequenter solet, potius de eo cogitasse,

gitasse, quod ex ejusmodi locis ista a Scholiasta quodam huc interpretationis causa translata sint. Quænam vocet genuina *Vulgati* Interpretis, in quo hodie non leguntur communiter, exemplaria, in quibus olim exstiterint, non docet Millius. Respexisse tamen videtur ad citationem *Victorini Afri*, quam affert in Prolegomenis §. 779. Sed de ejus allegationibus ipse eodem loco fatetur, nonnullas esse interpolatas. Atque illa quoque, quæ ad hæc verba pertinet, ita comparata est, ut plura adhuc afferat, quam quæ supra ex Codice *Cantabrig.* allata sunt: ut ex utrisque conjunctis genuinam, quam vocat, lectionem restituere ausus sit Millius. Librarium ista omnia facile omittere potuisse per ὁμοιοτέλευτον asserit Vir doctus. Sed quid si ostendamus, æque facile fieri potuisse, ut pericope illa, de qua disputatur, a sciolo quodam postliminio adderetur? Atque hoc ita contigisse suspicor. Comma 57. καθὼς ἀπέστειλέ με ὁ ζῶν Πατὴρ &c. non satis cohærere forte cum antecedente v. 56. videbatur, quippe in quo non de *vita*, sed tantum de *permanentia* in Christo sermo fuerat. Consultum itaque visum fuit, aliqua ad marginem referre, de pane vitæ atque vita hinc exspectanda, ut nexus eo magis in oculos incurreret.

Vers. 57. κἀγὼ ζῶ διὰ τὸν Πατέρα) *Et ego vivo per Patrem.* Τὸ διὰ, casui accusativo junctum, idem hic est quod *per*: non sine exemplis Scriptorum externorum, ut *Longini* περὶ ὕψους Sect. III. ex Timæo, ubi in notis *Tan. Fabri* plura ejusmodi invenies. Adde vero citata a Cl. *Jo. Alberti* in Obss. Sacr. p. 211. sq. Idem Atticismus occurrit *Apoc.* IV. 11. & XII. 11. *Gravius* in Lectionibus Hesiodæis p. 2. διὰ τὸν Πατέρα verti vult: *Patris beneficio.*

Vers. 58. οὐ καθὼς ἔφαγον οἱ πατέρες ὑμῶν τὸ μάννα) Ultimam vocem pro adventitia habet *Millius* in Prolegomenis §. 1493. quia scilicet a Codicibus nonnullis abest. Sed vide *Whitbium* in Examine p. 49.

Vers. 60. Σκληρός ἐστιν οὗτος ὁ λόγος) Durus sermo *est molesta & odiosa oratio, qua audientis animus ita offenditur, ut eam audire nolit.* Ita *Raphelius* in Notis Polybian. p. 273. qui sententiam firmat ex *Cicer.* Philipp. VIII. p. 894. Hinc additur: τίς δύναται αὐτοῦ ἀκούειν; i. e. *quis possit, quis velit, quis sustineat eum audire?* Illa enim quisque audire posse dicitur, quæ libenter audit, ut apud *Arrianum* Epictet. lib. II. cap. 24. ubi ita Epictetus ad eum, qui se auditurus venerat: περὶ τίνος ἀκοῦσαι δύνασαι; περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν τινος. Conf. Joh. VIII. 43. Varia autem sunt, quæ discipulos Domini ab ejusmodi sermonibus audiendis alienos reddere poterant. Difficilia enim erant & captui eorum adversabantur, cum ita forte cogitarent: *Christus, filius Josephi & Mariæ, notissimæ originis, illene descendit e cœlo? & ipsiusne carne vescemur, quandoquidem humana interdictum est, & pariter interdictum potu sanguinis? Difficilia ista sunt, & qui-*

& quibus non possumus adsentiri, quæ partim impossibilia, partim prohibita sunt a Deo? Ita *Altingius* Tomo IV. Opp. in calce p. 17. a. De phrasi confer quoque *Gatackerum* ad Antoninum p. 231. & 380.

Verſ. 61. & 62. data opera explicat *Altingius* l. c.

Verſ. 62. Ἐὰν οὖν θεωρῆτε &c.) Elliptica eſt oratio, quæ varie a variis ſuppletur, v. c. *quid erit? quid tum cogitabitis*, aut *dicetis? Rich. Simon* in Notis ad Verſ. Gall. ſupplet: *ce ſeroit bien autre choſe.*

ἀναβαίνοντα) Fuerunt, qui hinc colligerent, Chriſtum præter aſcenſum in Cœlum poſt Reſurrectionem, corpore raptum fuiſſe in cœlum, atque ibi ad prædicandum Evangelium inſtitutum fuiſſe. Sed, ut alia taceam huic ſententiæ vehementer adverſantia, recte *Henr. Morus* in Opp. Theolog. p. 67. iſti opponit, rem tam notabilem, ſiquidem a Chriſto peracta fuiſſet, non prætermiſſuros fuiſſe reliquos Evangeliſtas, nec tam obſcure obiterque h. l. a Chriſto ſubindicatam. *Eduard. Fowlerus*, Epiſcopus quondam *Gloceſtrienſis*, in Diſſert. de Deſcenſu hominis Jeſu Chriſti ex Cœlis & regreſſu ejus in Cœlum, aſcenſionem illam ad animam Chriſti ſolam refert, quæ in cœlo præexſtiterit ante, quam in hunc mundum veniret, ab initio ſcilicet mundi creata. Sed vide, quæ inſolenti opinioni huic opponit *Wilhelmus Scherlock* in *Examine Diſſertationis* hujus, quod una cum *Teſtimoniis Scripturæ Sacræ pro divinitate Chriſti* Lond. 1706. 8. prodiit. Summam hujus diſputationis habes in *Actis Erudit. Lipſ.* Tom. IV. Supplement. p. 19. & 52.

Verſ. 63. 64. illuſtrat *Altingius* l. c. p. 19. ſqq. ſed ita, ut paſſim hypotheſi Calvinianorum, ut fidei ſociorum, indulgeat, contra quam, præter Theologos noſtrates Dogmaticos, lege inprimis poſt B. *Auguſti Varenii* Diſputat. *Roſtoch.* 1677. in 4. habitam, Rev. *Val. Erneſti Læſcheri* Decimas Evangelic. Part. II. p. 2. ſqq. Is enim ex tota capitis hujus ſerie oſtendit, verba

ἡ σὰρξ οὐκ ὠφελεῖ οὐδέν) nihil quicquam facere pro deſtruenda orali manducatione Corporis & Sanguinis Chriſti, quam illi adeo abominantur, ſed opponi tantum exceptioni auditorum v. 42. allatæ. Ex ea vero intelligitur, ipſos carnem Chriſti pro mere humana adeoque invalida & inefficaci vitæque ſuppeditandæ non idonea habuiſſe. Hos itaque moneri, *carnem* non Chriſti, ſed talem, quam illi fingebant, *nihil valere:* ſe vero locutum eſſe de *ſua carne*, h. e. tali, quæ divinæ naturæ juncta, vi ineffabili, ſpiritualique & vivifica facultate inſtructa eſſet. Id enim ſibi volunt verba: τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ ζωοποιοῦν. Confer, præter B. *Aug. Varenii* Diſputat. ſingularem ad h. l. modo citatam, Cl. *Henr. Bened. Starckii* Notas Selectas pag. 104. ſq. Atque iſta rectius tenentur, nec opus eſt, ut cum Patribus nonnullis *carnem*

hic de sensu literæ Scripturarum exteriori, *spiritum* autem de sensu spirituali accipiamus, quæ interpretatio se probavit *Martianao* in *Conatibus* pag. 281. Lege tu rectiora aliorum Patrum apud *Petavium* in Dogmatibus Theologic. *de Incarnatione* lib. X. c. II.

τὰ ῥήματα—πνεῦμα καὶ ζωή ἐστιν) Lege huc *Wolfburgii* Observatt. Sacras pag. 490.

Vers. 65. ἐκ τοῦ πατρός μου) i. e. *a Patre meo*, ut *Act.* V. 39. Idem sensus est τοῦ ἐκ apud *Xenophontem* Cyropæd. lib. VIII. p. 182. & de Expedit. Cyri lib. I. p. 192. πόλεις ἐκ βασιλέως δεδομένας, itemque alibi. Vide *Raphelii* Notas Xenophonteas pag. 131.

Vers. 66. ἐκ τούτου) scilicet χρόνου, ut *Xenophon* plene ait Cyropæd. lib. I. p. 6. alias vero itidem elliptice, ut lib. I. p. 4. Interdum tamen eadem phrasis etiam de *causa* usurpatur ab eodem, ut Cyropæd. lib. I. pag. 22. ut sensus sit: *hinc factum est, ut* &c. Utrumque hic intelligi & conjungi debere, recte arbitratur Rev. *Raphelius* l. c. p. 131. Conf. *Joh.* XIX. 12.

Vers. 70. οὐκ ἐγὼ ὑμᾶς τοὺς δώδεκα ἐξελεξάμην, καὶ ἐξ ὑμῶν εἷς διάβολός ἐστιν;) Interrogandi notam tollendam hic putat Cl. *Elsnerus* p. 313. & vertendum: *Non ego vos* (omnes) *duodecim elegi, sed unus ex vobis diabolus est.* Ita infra XIII. 18. οὐ περὶ πάντων ὑμῶν λέγω, οἶδα οὓς ἐξελεξάμην, ἀλλ' &c. ubi itidem mentio fit Judæ. Vocula καὶ idem est, quod *sed* cap. VII. 4. VIII. 55. X. 39. & apud profanos quoque, de quibus *Gatackerus* ad Antoninum II. 7. Malim ego acquiescere communi interpunctioni. Sermo enim hic est de *electione* & cooptatione in numerum Apostolorum, de qua idem verbum usurpatur *Luc.* VI. 13. προσεφώνησε τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, καὶ ἐκλεξάμενος ἀπ' αὐτῶν δώδεκα, οὓς καὶ Ἀποστόλους ὠνόμασε. Similiter *Act.* I. 2. & alias de aliorum ad munus sacrum destinatione, v. c. Act. I. 24. VI. 5. Neque obstat *Joh.* XIII. 18. ἐγὼ οἶδα, οὓς ἐξελεξάμην. Ista enim ita vertenda puto: *ego cognitos* (penitus) *illos habeo, quos elegi*, nempe in Apostolos, ut sciam, quid de singulis exspectandum sit.

διάβολός ἐστιν) Judas hic diabolus appellari videtur nonnullis, quia pertinuit ad regnum diaboli, ac in proditionis scelere organum ejus se præbuit *Joh.* XIII. 2. Ita vicissim diabolus nominatur homo nomine membrorum suorum, *Matth.* XIII. 28. Vide *Fesselii* Adversaria Sacra Tom. II. p. 501. Similiter fere *Borremansius* in Var. Lection. p. 79. διάβολον ideo hic dictum autumat Judam, quod mores ejus imitaretur. *Syrus* & *Arabs* vertit per *Satanam* i. e. *adversarium* seu ἀντίδικον 1 *Pet.* V. non inconcinne, quemadmodum in simili causa Petrus *Matth.* XVI. 25. a Domino Σατανᾶς appellatur. Ob defectionem hoc nomen eum tulisse, ἀποστάτην ideo vocandum, autumat *Heinsius* in Aristarcho Sacro p. 399.

CAP.

C A P. VII.

VErs. 1. οὐ γὰρ ἤθελεν) *Chrysost.* & *Cyrillus* locum hunc afferunt ita, ac si legerint οὐ γὰρ εἶχεν ἐξουσίαν, quemadmodum & *Vulg.* olim habuisse videtur: *non valebat*, pro *non volebat*, quod nunc in editis exstat. Hinc *Erasmus* & *Grotius* communem istam lectionem a delicatis repetit, qui injuriam hoc modo Christi potentiæ fieri crediderint. Consentit *Millius* in Prolegom. §. 876. Sed obstat conjecturæ isti universalis Codicum omnium & versionum quoque consensus, quem recte hic urget *Whitbius* in Examine p.49. Et probabilius est, phrasin, οὐ γὰρ εἶχεν, ex glossemate natam esse, quo causa innuatur, cur Jesus in Judæa viam persequi noluerit, quam τὸ ἤθελε in textum illatum esse.

Vers. 4. Οὐδεὶς γὰρ ἐν κρυπτῷ τι ποιεῖ, καὶ ζητεῖ αὐτὸς ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι) Synchysin hic nonnulli statuunt, legique debuisse censent ita, ut sensus evaderet iste: *nemo volens inclarescere occulte sua facit.* Ita ex nostratibus *Friedliebius*, *Glassius* & alii. Idem placet *Heinsio*. Sed ea nihil hic opus esse ostendit *Wolfenius*, Part. II. Pietatis Criticæ p. 188. Nec agnoscit B. *Lutherus*, qui scite vertit: und will doch offenbahr seyn. In eandem sententiam *Grotius* τὸ καὶ pro relativo *qui* per Hebraismum positum arbitratur. Forte etiam καὶ illud recte verteris per *sed*. Vide ad VI. 70. hoc sensu: *nemo* (mirabilia præstans,) *ea in occulto facit*, *sed vult in ore hominum versari.*

Vers. 5. οὐδὲ γὰρ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ ἐπίστευον εἰς αὐτὸν) Auctor τοῦ *Chissuk Emuna* fratres Christi in ipsum non credidisse blasphemat, quod fraudes in ipso agnoscerent. Sed vide *Gussetum* in Confutat. ad Part. II. c. 32. 45. & 88.

Vers. 6. ὁ καιρὸς ὁ ἐμὸς οὔπω πάρεστιν) Nolebat scilicet Jesus per totum festum Hierosolymis versari, ut Judæis occasionem præcideret, mali quidquam in se moliendi.

Vers. 8. Ἐγὼ οὔπω ἀναβαίνω) MS. *Cantabrig.* unum ex omnibus habet οὐκ, ex versionibus autem *Syr. Pers.* & *Copt.* itemque *Vulg.* (cujus tamen MS. quædam exemplaria habent *nondum*) ex Patribus *Chrysost. Cyrillus* & *Augustinus* eandem lectionem sequuntur, quos maximam partem attulit *Millius.* Atque hanc veterem scripturam fuisse, contendunt *Grotius* ad h. l. *Millius* item ad h. l. & in Prolegom. §. 803. *Clericus* in Arte Critica Part. III. p. 232. in Notis ad Vers. Gallic. & in Bibliotheca Antiqua & Nova Tom. VII. Part. I. p. 202. item *Rich. Simonius* in Vers. Gallica N. T. Adstipulatur iis C. M. *Pfaffius* de Variantibus Lection. N. T. p. 237. Plerique eorum præcipuum opinionis suæ argumentum ex eo repetunt, quod *Porphyrius* ita legerit, quem *Hieronymus* lib. II. adversus Pelagianos fol. 203. testetur, ex hoc loco

Christum inconstantiæ & mutationis accusasse. Hinc Grotius: *Si ὔπω fuisset Porphyrii tempore, nunquam hinc Christum calumniatus esset de mendacio; nam in voce ὔπω fuisset modi solutio, quem ut evaderent, alii ὔπω scripserunt, alii ὐκ ἀναβαίνω νῦν, alii rursum deleverunt ταύτην.* Mutationem itaque in textu factam Christianis imputat. Sed recte jam regessit B. *Calovius* in Bibliis Illustratis: *At esto, varietas fuerit Codicum, & Porphyrius legerit* pure negative, *num ideo illa, quæ in Codd. omnibus jam reperitur, lectio, reprobanda? Verum enim vero etiamsi negativa retineatur*, non ascendo, *sensus adhuc in vado est, nimirum non ascendere Christum* cum discipulis, *vel non ascendere* palam, *aut* motu progressivo communi, *quum non ignorarit adversariorum suorum occultas molitiones.* Addam his *Whitbii* Examen pag. 49. Millius *ait ὐκ ἀναβαίνω, ex* Chrysostomo, Cyrillo, (Cyrillus *ille est Clichtovæus quidam, homo nuperus,*) *esse legendum;* Chrysostomus *tamen habet* (*quod* Millium, *parum ingenue id celantem, non fugit*) *ὐκ ἀναβαίνω ἄρτι, & deinde addit, Christus non locutus est καθάπαξ ὐκ ἀναβαίνω, ἀλλὰ νῦν, τυτέςι μεθ' ὑμῶν*: ego jam non ascendo, i. e. non vobiscum. *Porphyrius non calumniatus est Christum de mendacio, sicut* Grotius & Millius *opinantur, sed solummodo condemnavit eum inconstantiæ & mutationis.* Conferatur idem in Notis ad N. T. Tom. I. pag. 497. In his non satis intelligo, cur *Clichtovæum* huc advocet Vir doctus, nec idem, cur in Notis ad N. T. suspicetur, Porphyrium exemplar Latinæ versionis corruptum adhibuisse, qui tamen & Græce peritus fuit, & Græce scripsit. Ceterum ex illis, quæ allata sunt, patere puto, non esse, cur nonnulli lectioni ὐ, in uno Codice Cantabrig. obviæ, tam multum tribuant. Id præterea certum est Christianos recte sentientes habuisse, sine facta contextus immutatione, quod opponerent Porphyrio, si vel maxime simplicem illam negationem, vel ex ingenio, vel ex Codice suo haustam contra Christianorum doctrinam ursisset. Manifestum enim est, τὸ ὐ idem hic esse, quod ὔπω, ex ipso Christi sermone ad cognatos suos v. 6. habito. Ibi enim diserte ait Dominus: ὁ καιρὸς ὁ ἐμὸς ὔπω πάρεςιν i. e. *tempus meum*, quo scilicet proficiscar Hierosolymam, imminens festum celebraturus, *nondum adest.* Hinc enim consequitur, iter illud a Christo dilatum, non autem, tanquam penitus non ingrediendum, commemoratum esse. Item patet ex v. 8. ὁ καιρὸς ὁ ἐμὸς ὔπω πεπλήρωται, i. e. *tempus meum nondum maturum est.* Hæc enim verba non de passione Christi, quam volunt hic nonnulli, sed opportunitate itineris ejus accipienda sunt. Eo enim festo, nempe Tabernaculorum, passurus non erat. Itaque phrasis hæc idem sibi vult, quod innuit illa, quæ *Joh.* II. 4. legitur: ὔπω ἥκει ἡ ὥρα μυ.

Vers. 9. Ταῦτα δὲ εἰπών) Eadem digrediendi formula Polybio usitata est, v. c. p. 580. 996. 1057. &c. Vide *Raphelii* Notas Polybian. p. 275.

Vers. 10. ὡς ἐν κρυπτῷ) i. e. *occulte.* Τὸ ὡς enim hic respondet Hebræorum

rum *Caph*, quod illi *veritatis* vocant, vel לאמתת הדבר i. e. *ad rem confirmandam*. Conf. *Luc.* XXII. 44. & *Hackspanium* in Notis p. 433.

εἰς τὴν ἑορτὴν) *Harduinus* in Opp. Select. p. 628. b. ita interpretatur, Christum ivisse ad festum diem, non quidem eum, ad quem proficiscebantur fratres; sed ad diem festum unum e quatuor, qui in illa solemnitate occurrebant. Scenopegia enim festum septem fuit dierum, & inter eos *primus, septimus* & *octavus* festi habebantur. Enimvero ex v. 8. apparet, vocem *ἑορτὴν* hic sumi de toto festi ambitu.

Vers. 12. *ἀγαθός ἐστιν*) i. e. חסיד *Vir pius & probus.* Vide *Vitringam* de vetere Synagoga p. 799. & *Relandi* Antiquitatt. Hebr. p. 266.

Vers. 13. *παῤῥησίᾳ ἐλάλει*) i. e. *publice, palam loquebatur. Hebræi dicunt* בפרהסיה. Conf. *Col.* II. 15. & adde *Vitringam* de Decem Otiosis p. 192.

Vers. 14. *τῆς ἑορτῆς μεσούσης*) Afferam hic *Jos. Scaligeri* verba de Emendatione Temporum p. 513. *Μεσοῦσαν ἑορτὴν*, inquit, *vocat, quod Judæis dicitur* חול מועד. *Nam dies Septimanæ sex, quibus opus fit, inter duo Sabbata interjecti, dicuntur Hebræis* חול *h. e. dies profestus, ἐργάσιμος ἡμέρα, τὸ μεταξὺ τοῦ σαββάτων. In illis autem solemnibus, quæ per octo aut septem dies obeuntur, semper primus & ultimus eorum est festus, ut in solenni σκηνοπηγίας, de quo loquimur. Intermediis opus fit. Itaque illi dies vocantur* חול, profani, profesti: *Quod si Sabbatum in illos intermedios dies incidit*, dicitur שבת בחול *σάββατον ἐν τῷ μεταξὺ ἑορτῆς*. Ita ille. Ex his manifestum est, verba hæc non de *die* quodam festi, ut olim *Beza* in prima Versionis editione, sed de *festo toto*, eoque medio, intelligenda esse, quod recte monuit *Pocockius* in Notis ad Portam Mosis 82. qui idem conferri vult *Maimonidem* in *Jad chasaka* Tract. *Jom. Tobh.* c. VI. §. 22. & c. VII. §. 1. & §. 11. ex quo intelligi possit, quæ opera intercisis festæ solennitatis diebus licita aut illicita habeantur. *Harduinus* in Opp. Select. p. 395. vertit: *die festo medio interjecto*, sive festo die medio inter duos festos: ubi simul adstruere conatur, Sabbatum hic designari, inter reliquos illius festi dies occurrens.

Vers. 15. *πῶς οὗτος γράμματα οἶδε*) Vide huc Cl. *van den Honert* Differt. de Stylo N. T. p. 381.

μὴ μεμαθηκώς) Verbis his ridicule opponit R. Isaac in *Chissuk Emuna* Part. II. c. 46. Talmudis auctoritatem, in quo Jesus dicatur doctorem habuisse R. *Josuam Parachidem*. Sed vide fabulam illam explosam a *Wagenseilio* in Confutat. libri *Toldoth Jeschu* p. 15. & *Gusseto* contra *Chissuk Emuna* p. 403.

Vers. 16. *ἡ ἐμὴ διδαχὴ οὐκ ἔστιν ἐμή*) i. e. *doctrina mea non est* (tantum, *μόνον*) *mea*,

mea, sed (etiam) *ejus*, *qui misit me*. Vide *Fesselii* Adversaria Sacra T. I. p. 328. qui variis N. T. exemplis ostendit, particulam hanc subinde intelligendam esse, ac præterea contra Arianos, loco hoc abutentes, observat, Christum hic loqui ut hominem, & juxta ὑπόληψιν auditorum, ut admonerentur, eos Christi doctrinam, si vel maxime nudus esset homo, rejicere non debere, cum non humana proferat somnia, sed doctrinam Patris cœlestis. Confer huc *Suiceri* Thesaurum Tom. I. p. 904. sq. & *Erasmum* Tom. V. Opp. p. 441.

Vers. 17. Ἐάν τις θέλῃ τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιεῖν) i. e. *si quis fecerit voluntatem ejus*. Nam verba θέλω, βούλομαι, *volo* &c. apud utriusque Linguæ Scriptores frequenter abundant. Vide *Gatackerum* ad Antonin. X. 8. p. 356. sq. Conf. *Actor*. II. 12. & *Jac*. IV. 4.

γνώσεται περὶ τῆς διδαχῆς) Vulgo vertunt: *cognoscet de doctrina*; sed Cl. *Elmerus* p. 315. mavult ita: *intelliget, utrum doctrina mea a Deo sit*. Ita enim observat loqui *Antonium Liberalem* Fab. 23. ἔγνω περὶ τῶν βοῶν, ὅτι κλοπημαίας ἄγει, h. e. *cognovit*, *eum boves furto ablatas agere*. Τὸ γινώσκειν emphatice hic poni videtur pro *investigatione argumentorum*, ex quibus divinitas doctrinæ constare possit. Vide B. *Schomeri* Theologiam Moralem c. VII. §. 6. & Rev. *Raphelii* Semicenturiam Annotatt. Philologic. p. 9. Totum hoc comma explicat D. *Jo. Gottlieb Stoltze* in den Erstlingen guter Gedancken Fascic. I.

Vers. 18. ἀδικία ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν) i. e. *mendacium in eo nullum est*. Ita interpretatur *Hombergius* p. 163. atque hanc vocis Græcæ significationem patere ait ex opposito, οὗτος ἀληθής ἐστι. Similiter *Platonem* ait in Apologia Socratis dicere: πιστεύω γάρ, δίκαια εἶναι, ἃ λέγω i. e. *confido*, *me vera dicturum*. Antea enim dixerat: ὑμεῖς δέ ἀκούσεσθέ μου πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν. De eadem re jam ante monuerant *Grotius* & *Clericus* ad h. l. Conf. 1 *Cor*. XIII. 6. & 2 Thess. II. 2. ubi itidem ἀλήθεια & ἀδικία opponuntur.

Vers. 20. δαιμόνιον ἔχεις) δαιμόνιον ἔχειν, δαιμονίζεσθαι, δαιμονᾷν & κακοδαιμονᾷν idem significant. Priora duo Sacris, posteriora profanis Scriptoribus recepta sunt: ut *Heliodoro* lib. IV. c. 10. *Luciano* in Philopseude p. 337. *Aristophani* in Pluto Act. II. Sc. 4. & aliis. *Isocrates* κακοδαιμονᾷν & μαίνεσθαι i. e. *furere*, conjungit Orat. Areopag. p. 305. sicut Joh. X. 20. dicitur: δαιμόνιον ἔχει καὶ μαίνεται. Vide *Lamb. Bos* Exercitatt. p. 61. sq. Confer huc dicenda ad VIII. 52.

Vers. 21. Καὶ πάντες θαυμάζετε. Vers. 22. Διὰ τοῦτο Μωσῆς δέδωκεν ὑμῖν τὴν περιτομὴν) Non patet satis, quomodo voces διὰ τοῦτο in v. 22. cum sequentibus: *Moses dedit vobis legem*, cohæreant, quarum nexus cum priori θαυμάζετε manifestior est, quia sic causa innuitur admirationis. Itaque *Theo-*

Theophylactus jam olim διὰ τῦτο cum θαυμάζετε conjunxit, & comma 22. a nomine *Mosis* inchoavit. Eum secuti sunt *Henr. Stephanus*, *Casaubonus*, *Beza*, *Boisius* in Collatione p. 301. *Knatchbullus*, *Hombergius* in Parergis p. 163. & *Millius* in Prolegom. ad N. T. *Whitbius* idem statuerat in Notis ad h. l. Cum vero intelligeret, versiones omnes, & *Cyrillum* quoque *Alexandr.* Tom. III. pag. 521. communem interpunctionem tenere, a priore sententia discessit in Examine Var. Lect. N. T. Milliani p. 49. Ex nostratibus novam illam interpunctionem approbat *Erasm. Schmidius* ad h. l. *Jo. Saubertus* in Palæstra p. 315. & B. *Elswichius* in Diss. de Recentiorum in Novum Fœdus Critica §. X. itemque Cl. *Trillerus* in Notis MSS. & novissime Cl. *Starckius* in Notis Selectis p. 105. Certum est, & nexum orationis esse convenientiorem, & sensum luculentiorem, si διὰ τῦτο ad verbum θαυμάζετε referas. Neque phrasis hæc θαυμάζειν διά τι insolens est, ut nonnullis videtur. Eadem enim utitur *Marc.* VI. 6. καὶ ἐθαύμαζε διὰ τὴν ἀπιςίαν αὐτῶν. Sic *Ælianus* Var. Histor. XII. 6. αὐτὸν δὲ θαυμάζομεν διὰ τὰ ἔργα. Pertinet huc *Act.* III. 12. τί θαυμάζετε ἐπὶ τύτῳ. Si tamen communior interpretatio salva esse debeat, non puto rectius ei consuli posse, quam si cum Cl. *Elsnero* p. 315. διὰ τῦτο vertatur: *propterea quod*, hoc sensu: *Propterea quod Moses vobis dedit circumcisionem, vel ipso Sabbato circumciditis.* Hoc modo capi posse putat διὰ τῦτο Matth. XVIII. 23. διὰ τῦτο ὡμοιώθη ἡ βασιλεία τῶν ὐρανῶν ἀνθρώπῳ βασιλεῖ. Eodem modo acceperunt nuperi N. T. Interpretes Galli diligentissimi, *Beausobrius* & *Lenfantius*, monentes, particulam Græcam διὰ τῦτο sæpe hoc sensu adhibitam esse a τοῖς LXX. ut *Gen.* XXXVIII. 26. *Num.* X. 31. & XIV. 43. Dici tamen etiam potest, τὸ διὰ τῦτο esse meram connectendi particulam, quæ respondeat Latinorum *porro*, *praterea* &c. non autem illativam causæ. Hoc sensu, meo judicio, exstat Matth. XII. 31. διὰ τῦτο λέγω ὑμῖν & XIII. 52. διὰ τῦτο πᾶς γραμματεὺς, quæ verba inprimis posteriore loco cum antecedentibus ita non cohærent, ut causam verborum antecedentium afferant. *Piscator* vertit: *propterea audite*; atque eum sequitur *Clericus* in Vers. Gallica: sed ellipsis hæc videtur insolentior.

καὶ ἐν Σαββάτῳ περιτέμνετε ἄνθρωπον) Ita R. *Aaron* filius *Eliæ*, Karæus, in lib. MS. monet, domum Hillelis obstrinxisse homines ad circumcisionem in Sabbato, quandoquidem hoc præceptum Affirmativum sit, illud autem de Sabbato Negativum: Affirmativum vero Negativum pellat. Vide *Triglandii* Dissertat. de Karæis p. 134. ubi ex eodem commemorat, *Ananem* & *Josephum Kirchebseni*, itidem Karæos, maluisse circumcisionem administrari in fine Sabbati, ut sanandi cura & labor incideret in diem profestum. *Boisius* in Collatione p. 302. legi hic vult: καὶ διὰ τῦτο ἐν σαββάτῳ περιτέμνετε, ac si διὰ τῦτο, quod addit, *per negligentiam librarii e propria sede ejectum fuisset, & in locum alienum intrusum.* Sed audacior est hæc conjectura, nec ad sensum necessaria, qui etiam sine illa phrasi probe sibi constat, ita scilicet fluens: *Moses vobis dedit circumcisionem, & vos etiam Sabbato eam perficitis.*

Verf. 23. Ἐι περιτομὴν λαμβάνει &c.) Inverfo verborum ordine legit hæc *Cyrillus* lib. IV. in Johannem cap. 6. ibidemque queritur de difficultate fenfus certi ex hoc commate eruendi. Vide *Rich. Simonem* lib. III. Hift. Critic. p. 306.

ἵνα μὴ λυθῇ ὁ νόμος Μωσέως) *Heinfius*, & cum eo *le Cene* in Projet p. 578. ita vertunt: *quamvis non violetur lex.* Sed præftat retinere communem & potiorem vocum ἵνα μὴ fignificatum: *ne violetur lex*, fcilicet, quæ data erat de circumcifione, octavo die præcife facienda. Itaque λύειν τὸν νόμον eft: *non fervare legem;* quo fenfu etiam occurrit apud *Polybium* fub finem libri VI. Conf. *Raphelii* Notas Polybian. p. 275. Adde *Boifii* Collationem p. 302.

ὅλον ἄνθρωπον ὑγιῆ ἐποίησα) *Totum hominem fanavi*, cum in Circumcifione membro tantum uni, quod fcilicet circumcifum erat, medicina adhiberi foleret, ne quid caperet detrimenti. Ita nonnulli verba Domini interpretantur, in quam fententiam *Jo. Stengelii* Obfervationem lege in Biblioth. Bremenf. Claff. VI. p. 956. fq. qui relatis & repudiatis variis comparationis, hic a Domino factæ, momentis, quorum alii alia refpici h. l. crediderant, ita mentem Chrifti exprimit: *Si vobis Judæis in Sabbato, citra Mofaicæ legis folutionem, in uno corporis membro, per circumcifionem læfo, medicinam fanguine exfugendo, emplaftrumque imponendo, adhibere licet, ne in pofterum usque diem majus periculum timendum fit: quanto magis mihi licebit homini, paralyfi, eaque univerfali, laboranti, fanitatem reftituere, eumque totum fanare.* Sed verifimilius eft, Dominum id fibi velle, quod, quemadmodum lex ritualis de circumcifione, octavo die perficienda, obfervetur etiam Sabbato, ita ut legi itidem rituali fanctiffime obfervandæ fraudi non effe cenfeatur; fic multo minus legis naturalis, quæ homini adflicto fuccurrere jubeat, obfervationem a lege rituali de Sabbato propelli poffe. Ad folam medicinam, eo tempore membro genitali fieri folitam, fpeciatim hic Dominum refpexiffe, ideo non puto, quod longe alia & plura, quæ majorem operis fervilis fpeciem præ fe ferebant, minifteria ad circumcifionem perficiendam requirerentur. De ἐνθυμηματικῇ ifta argumentandi ratione lege *Dounæum* ad Demofthenis Philippicam de Pace p. 196. ubi fimilia ex profanis exempla habes.

Verf. 24. Μὴ κρίνετε κατ' ὄψιν) Tacite hic Chriftus pungit Judæos, tanquam qui aliter agant, quam ipfe Dominus agere foleat, ex vaticinio Jefaiæ XI. 3. *non ad adfpectum oculorum fuorum judicabit.* De phrafi ipfa κρίνειν κατ' ὄψιν lege *Raphelii* Notas Polybian. pag. 277. inter cetera obfervantis, nihil intereffe, five ὄψις intelligatur ejus, qui judicat, five ejus, de quo judicatur. *Cloppenburgius* Tom. I. Opp. p. 353. præter προσωποληψίαν, de qua *Chryfoft.* & *Theophylactus* accipiunt apud *Suicerum* Tom. II. p. 159. hoc loco illam quoque judicii perverfitatem fignificari cenfet, qua operis fuperficies externa ad legis literam comparata absque ulla attentione ad fpiritualem legis διάνοιαν, & ad ea, quæ in opere Chrifti fpiritualiter dijudicanda erant, judicabatur. Ei adftipulatur *Amelius* Part. I. p. 109. Confer de integro hoc com-

commate *Norrisii* Practical Discourses num. II. Proverbialem formulam hic agnoscit *Schottus* in Adagial. N. T. p. 90.

Vers. 26. μήποτε ἀληθῶς ἔγνωσαν, ὅτι ἔτός ἐςιν ἀληθῶς ὁ χριςός) Vocem ἀληθῶς præter MSS. nonnulla omittunt versiones quædam. Hinc *Grotius*: ἀληθῶς i.e. certis indiciis: quod qui non intellexerunt, posuerunt ἀληθῶς ante ἐςιν· postea utrumque in quosdam Codd. irrepsit. Consentit *Pfaffius* de Variant. Lection. N. T. p. 166. eo quod vix credibile sit, bis in una periodo vocem ἀληθῶς positam fuisse. Habent tamen utrumque præter Codices tantum non omnes eosque antiquissimos, v. c. *Alexandrinum*, *Origenes* in Johannem pag. 161. *Chrysostomus*, & *Theophylactus*, quo nomine utrumque tuetur *Whitbius* in Examine p. 48. Non dubium & mihi est, utrumque genuinum esse. Prius illud, ἀληθῶς ἔγνωσαν pro tali habet ipse *Grotius*, idque omnino Johanneum est, ut patet ex *Joh.* XVII. 8. ubi Christus discipulis suis: ἔγνωσαν ἀληθῶς, ὅτι παρὰ σῦ ἐξῆλθον. Conf. *Act.* XII. 11. νῦν οἶδα ἀληθῶς. Posterior vero phrasis a Johanne frequenter adhibetur, ubi de Christo sermo est, v. c. VI. 4. ἔτός ἐςιν ἀληθῶς ὁ Προφήτης, IV. 42. οἴδαμεν, ὅτι ἔτός ἐςιν ἀληθῶς ὁ Σωτὴρ τῦ κόσμυ, ὁ Χριςός, VII. 40. ἔτός ἐςιν ἀληθῶς ὁ Προφήτης. Omitto eandem phrasin apud *Matthæum* obviam in eodem argumento, ut XIV. 33. & XXVII. 54. Et veri similius est, librarios nonnullos alterutrum ἀληθῶς omisisse, tanquam, quod superfluum videretur, quam præter auctoritatem Scriptoris Sacri inseruisse. Ratio præterea in promtu est, cur Judæi hic loquentes vocem istam repetita vice expresserint. Mirabantur enim, Domino tam libere docendi facultatem fieri, id quod vix fieri debuisse hic innuunt, nisi certis & invictis argumentis constet, eum vere Messiam esse.

Vers. 27. Ἀλλὰ τῦτον) *Sed tamen hunc novimus* &c. vide H. *Stephanum* de Stylo N. T. p. 22. & Animadversiones in lib. Corinthi de Dialectis p. 50. item *Boisii* Collationem p. 303. De re ipsa lege *Jo. Guil. Baieri* Diss. de pseudhypothesi Judæorum, *Jen.* 1692.

ἐδεὶς γινώσκει πόθεν ἐςίν.) Videntur hic respexisse ad *Jes.* LIII. ואת דורו מי ישוחח: & *generationem ejus quis enarrabit?* Lege *Vitringam* in Jesaiam Tom II. p. 659. a.

Vers. 28. Κἀμὲ οἴδατε, καὶ οἴδατε, πόθεν εἰμί· καὶ ἀπ' ἐμαυτῦ ἐκ ἐλήλυθα) *Grotius* priora illa interrogative legi vult hoc sensu: *itane vero & me nostis, & unde venerim?* provocans ad *Tertullianum*, qui in libro contra *Praxeam* ita legisse videatur, negative efferens: *non nostis me*. Sed nihil hoc opus est, modo particula καὶ per *tamen* vertatur in hanc sententiam: *Nostis me, & nostis originem meam*, scilicet naturalem & in quantum homo sum: *neque tamen a me ipso veni*, adeoque nec mere naturaliter.

Verſ. 30. ὐδεὶς ἐπέβαλεν ἐπ' αὐτὸν τὴν χεῖρα) Vide, quæ ſcripſimus ad *Luc.* XXI. 12.

ὔπω ἐληλύθει ἡ ὥρα αὐτῦ) nondum venerat tempus morti ejus deſtinatum. Vide huc Patrum loca apud *Suicerum* Tom. II. p. 1598. Conf. *Joh.* XIII. 1.

Verſ. 31. μήτι πλείονα σημεῖα τύτων ποιήσει;) Hinc patet, Judæos recentiores ex numero criteriorum veri Meſſiæ miracula præter rationem, & contra auctoritatem majorum ſuorum excludere. Vide *Triglandii* Diſſert. de Karæis p. 159.

Verſ. 34. ὅπυ εἰμὶ ἐγὼ) Pro εἰμὶ i. e. *ſum*, malunt legere εἶμι i. e. *eo, vado*, *Henr. Stephanus* de Stylo N. T. p. 27. in Syntagmate Honertiano, *Nanſius* ad Nonni Paraphraſin p. 82. *Caſaubonus* item, & *Tanaquil. Faber* in Epiſtolis Criticis lib. II. p. 160. *Pearſon* ad Symbol. Apoſtol. pag. 196. ac nuperrime Cl. *Polyc. Leyſerus*, Profeſſor Helmſtad. in Diſſ. de noviter adornanda N. T. Græci editione p. 13. & Cl. *Starckius* in Notis Selectis pag. 105. Provocant illi ad *Nonni* Paraphraſin & ad *Theophylactum*, qui ita legiſſe videantur, tum vero ad Joh. VIII. 21. & XIII. 33. ὅπυ ἐγὼ ὑπάγω, ὑμεῖς ὐ δύνασθε ἐλθεῖν, nec non ad v. 35. hujus capitis, ubi Judæi dicunt, μὴ εἰς τὴν διασποράν τῶν Ἑλλήνων μέλλει πορεύεσθαι, in quibus ſcilicet verbis τὸ εἰμὶ per πορεύεσθαι videatur explicari. Cauſantur quoque *obſcuritatem*, qua laboratura eſſent Chriſti verba, ſi τὸ εἰμὶ per *ſum* explicaretur: *ubi ego ſum, vos non poteſtis venire.*

Sed nulla ex his ratio idonea ſatis eſt ad perſuadendum, ut recepta lectio deſeratur. *Nonnus* ita interpretatus eſt verbum hoc in Paraphraſi, reſpectu ſcilicet habito non tam ad lectionem ipſam, quam ad contextum totius orationis. Chriſtus quidem *Jo.* VIII. & XIII. adhibet verbum ὑπάγω in ſententia ſimili. Sed hinc id tantum conſequitur, Dominum de eadem re diverſa loquendi ratione uſum eſſe. Judæi v. 35. uſurpant τὸ πορεύεσθαι, quia Salvator v. 33. ipſe dixerat: ὑπάγω πρὸς τὸν πέμψαντά με. Locutio denique ipſa non eſt obſcura. Ipſe enim Chriſtus eam interpretatus erat v. 29. ubi de ſe ita: Ἐγὼ δὲ οἶδα αὐτὸν (ſc. Patrem) καὶ παρ' αὐτῦ εἰμι, κἀκεῖνός με ἀπέστειλεν. Ita *Johannes* I. 18. de Chriſto: ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τῦ πατρὸς ἐκεῖνος ἐξηγήσατο. Vel etiam τὸ εἰμὶ idem hic erit, quod ἔσομαι i. e. *ubi brevi futurus ſum*, quemadmodum *Grotius* interpretatur. Et ſic res eodem recidet, quia conſequens ponitur pro antecedente, nempe *τὸ futurum eſſe* pro *abire*, ſine quo prius illud contingere non poterat. Accedit, verbum εἶμι pro *vadere* & *proficiſci* hic ab Apoſtolo poſitum non videri, ideo, quod poeticum eſt, & Scriptoribus Sacris nuſquam alias uſurpatum. Atque hoc recte obſervarunt *Grotius* ad h. l. & *Pfaffius* de Variantibus Lection. N. T. p. 240. Adde Rev. *Moshemii* Cogitationes de eo, quod juſtum eſt circa literarum Sacrarum ex priſcis Scriptoribus interpretationem & emendationem §. XXI. p. 66. relatas in Obſervationibus ejus lib. I. pag. 88. ubi recte contra *Tanaquil. Fabrum* diſputat. Nuperrime Cl. *Jo. Alberti* in Obſervatt. Sacr. pag. 213. ſtatuit, perinde

de esse, quomodo legatur, neque tamen longe quæsitam videri lectionem illam εἶμι, cum Judæi sequenti commate quærant: ποῦ οὗτος μέλλει πορεύεσθαι; Addam his *Boisii*, pro communi lectione recte pugnantis, cogitata ex libro rariori, quem *Collationem Veteris interpretis cum Beza aliisque recentioribus* inscripsit. Is vero p. 304. ita: *Frequentissimus est apud Johannem verbi ὑπάγω usus, neque solet pro illo alind minus notum & usitatum, quale τὸ εἶμι est, substituere: ergo εἰμὶ, non autem εἶμι legendum hic esse videtur. Præterea cum versu proxime antecedente εἰμὶ significet* sum, *nec impediat aliquid, quo minus eodem & hic modo capiatur, quæ ratio est, cur in locis tam vicinis tam diversa sibi significata assumat? Ad hæc Nonnus, ut Poeta, metri servivit legibus, & Theophylactus, dum sententiam loci exprimeret, nihil pensi habuit, quibus verbis uteretur. Nam si sensum spectes, quid interest; dicas ne:* ubi ego ero: non potestis venire: *an:* Quo ego vado, *aut* ibo, non potestis venire?

Vers. 35. μὴ εἰς τὴν διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων μέλλει πορεύεσθαι;) Grotius hic ita: *Vox διασπορᾶς Judæis Græce loquentibus, quos Hellenistas dici mos habet, significat ea loca, in quibus Israelis posteri exsulabant:* sensumque verborum hunc esse vult: *ibitne Antiochiam aut Alexandriam, quo multi Israelitarum migrarunt sub Successoribus Alexandri?* Contra hæc disputat *Salmasius*, quamvis tacito *Grotii* nomine, qui nihil aliud hic putat indicari, *quam ad gentes ire, & in regionem gentium, quam διασπαρέντες Ἰουδαῖοι inhabitant, proficisci, ibique gentes ipsas docere, non autem Judæos, qui inter ipsas dispersi degunt.* Reliqua recitant ex *Salmasio Walæus* & *Calovius* in Bibliis Illustratis, item *Suicerus* Tom. I. p. 883. Vide tu *Salmasium* ipsum de Hellenistica p. 218. & in Funere Linguæ Hellenisticæ p. 98. sq. *Jo. Braunius* in Selectis Sacris lib. I. c. 1. §. 14. per διασπορὰν Ἑλλήνων Judæos intelligit, quem inspice.

Vers. 37. ἐν δὲ τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ τῆς ἑορτῆς) Festos dies solebant vocare ἡμέρας μεγάλας. Conf. *Joh.* XIX. 31. & *Relandi* Antt. Hebr. p. 418. Hic vero ad singularem hujus diei æstimationem & solennitatem, (quam *Surenhusius* in libro καταλλαγῆς p. 354. exponit, & præter rationem negasse videtur *Bochartus* in Hierozoico Part. I. lib. II. c. 50. collato *Suicero* Tom. I. p. 1328.) respicitur: quemadmodum alias totum festum cum insigni gaudio & apparatu celebrari a Judæis consueverat, unde & חג seu *festum κατ᾽ ἐξοχὴν* (vid. supra v. 10.) & a *Philone* lib. de Festis p. 1183. ἑορτῶν μεγίστη, *Plutarcho* autem Symposiac. lib. IV. c. 5. μεγίστη καὶ τελειοτάτη παρ᾽ αὐτοῖς ἑορτὴ appellatur. Ultimus inprimis dies, quo septies cum *Lulaf* altare circumibant, vocabatur הושענא רבא i. e. *Hoschanna magnum*. Plura in hanc rem vide apud eos, qui de tota Festi hujus ratione commentati sunt, citatos a Cl. *Fabricio* in Bibliographia Antiquaria p. 314. His adde, si placet, *Gaulminum* ad Vitam Mosis pag. 5. *Leusdenium* in Philologo Hebræo-mixto Differt. XXXIX. *Jo. Meyerum* diatriba de Festis c. XII. p. 355. *Melchiorem Leydeckerum* de Republ. Hebræorum lib. IX. c. VII. p. 561. sq. *Andr. Relandum* in Antiquitatt. Hebr. P. IV. c. V. itemque *Amelium* Part. I. p. 750-818.

Ἐάν τις διψᾷ, ἐρχέσθω πρός με) Verba hæc recitavit Chriſtus, occaſione ſumta a ritu, ſingulis hujus Feſti diebus recepto, ſecundum quem Sacerdos aliquis cantharo aureo ex fonte *Siloa*, ad radices montis Sion ſcaturiente, extra Hieroſolymas, aquam hauriebat, eamque per aquarum portam in Templum perferebat, tandemque vino mixtam, poſt diſpoſita ſacrificii membra libabat. Cerimoniæ iſti nomen erat ניסוך המים i. e. *effuſio* ſeu *libatio aquarum*. De illa lege ex Judæorum tabulis Tract. *Succa* Tom. II. Operis Miſchnici Surenhuſiani cap. IV. ibique Interpretes *Maimonidem* & *Bartenoram*. Confer *Ottonis* Lexicon Rabbin. Philolog. p. 199. Rev. *Sal. Deylingii* Obſſ. Sacr. Part. II. p. 309. ſqq. ubi de ſolenni Chriſti invitatione ad accipiendum Spiritum S. Cl. *Jo. Henr. Maji*, Filii, Diſſ. Epiſtolic. *de hauſtu aquarum a fontibus ſalutis*, ad Jeſ. XII. 3. Gieſſ. 1710. *Jo. Henr. Hirzelii* Diſſert. Theologico-Philol. qua *ritus effuſionis aquarum*, & *gaudium domus hauſtionis*, *quemadmodum in Tabernaculorum Feſto obtinebant ex Antiquitatibus Judaic. eruuntur*, præſide *Joan. Marckio*, Lugd. Batav. 1704. 4. De צלוחית ſive *lecytho*, aut ampulla, qua haurire aquam illam ſolebant, lege *Jo. Baptiſt. Ottii* epiſt. ad *Adrian. Relandum* de Numis quibusdam Samaritanis cum Diſſert. altera Relandi de Inſcriptione numorum quorundam Samaritan. *Ultrajecti* 1704. editam. Confer Acta Erud. Lipſienſ. 1705. p. 82.

Quod ad phraſin ipſam attinet, eadem comparatione uti ſolent profani Scriptores, ubi alios invitant ad fructum ex ſe capiendum. Vide *Philoſtratum* in Vita Apollonii lib. IV. c. 24. VI. 22. & VIII. 21. Confer *Elsnerum* pag. 315.

Verſ. 38. *Ὁ πιστεύων εἰς ἐμέ*) Voces has *Trillerus* in der Unterſuchung etlicher Oerter Neuen Teſtaments p. 298. ſq. referri vult, fide editionis cujusdam Argentoratenſis, ad v. 37. ut ſenſus ſit: *bibat credens in me.* Sequentia vero: *καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ* &c. non ad credentes, ſed ad Chriſtum ipſum ait pertinere, provocans ad *Jeſ.* XLIV. 3. & *Zachar.* III. 1. Sed vide conjecturam hanc, omni veri ſpecie deſtitutam, ſolide repulſam a *Schœnlandio* in oppoſitis Vindiciis vernaculis pag. 270. & inprimis a *Franc. Wokenio* Part. II. Meditationum Privatarum p. 84. ſqq. Atque hic quidem recte urget conſenſum Codicum MSS. auctoritatem Interpretis Syri, & aliorum; præſentiam articuli *ὁ* in *ὁ πιστεύων*, pro quo *ὡς* potius ponendum erat, ſi quid *Trilleri* conjectura valere deberet. Omitto reliqua, quibus addideris, Chriſtum, ſi quidem ejusmodi quid indicare voluiſſet, ſeriem verborum ita potius conformaturum fuiſſe: *καὶ ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ πινέτω.* Accedit, ſitim illam & conſequentem ad Chriſtum acceſſum ac bibitionem antecedere fidem eamque operari potius, quam ante requiri. Quod de Solœciſmo affert, qui exſtat in phraſi *ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ* &c. ubi ſcribi potius debuiſſet: *τοῦ πιστεύοντος*, id nemini fraudi erit, qui norit, Nominativum in Sacris literis N. T. ſæpe abſolute poni, & explicari debere ita: *quod ad credentem attinet*, *ex*

ejus

ejus ventre &c. Conf. *Glassii* Grammatic. Sacram lib. III. Tract. I. Can. XXVIII. Lege simile huic exemplum *Actor.* VII. 40. Nec profanis Scriptoribus structuram hanc incognitam esse, ostendit *Hombergius* in Parergis p. 165.

καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ) Quæ sequuntur, totidem verbis in V. Test. nusquam exstant. Itaque alii aliter hic agunt. Nonnulli verba hæc ad *ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ* referunt. Et his prævivit *Theophylactus*, qui diserte monet, post vocem *γραφὴ* interpunctionis notam esse ponendam. Ita ex nostratibus sentiunt *Tarnovius*, *Glassius*, *Calovius*, Rev. *Val. Ernestus Læscherus* Parte IV. Decimar. Evangel. p. 320. Cl. *Majus* in epist. ad Parentem supra citata p. 18. sqq. & novissime *Wokenius* l. c. Ex Reformatis autem *Junius*, *Heinsius*, *Walæus* & *Jac. Cappellus* in Observatt. ad h. l. qui præterea *τὸ εἶπε* cum nonnullis in *jubendi* sensu accipit. Sensus itaque foret: *qui credit in me, ut Scriptura credi vult, vel jubet:* vel etiam, *ut Scriptura loqui solet.* Ex Anglis *Richard. Kidderus* in demonstrat. Messiæ Part. II. p. 184. Atque iidem verba sequentia: *ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσιν ὕδατος ζῶντος* Christi ipsius, non autem sacri cujusdam Scriptoris esse arbitrantur.

Alii ad oracula V. T. varia, sententiam exprimentia, quamvis non totidem verbis, respici, atque adeo phrasin: *καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ* huc pertinere contendunt. Ex his Cl. *Surenhusius* in libro *Καταλλαγῆς* p. 355. sqq. nominatim affert *Jes.* LV. 1. & LVIII. 11. Idem monet, alios huc advocare *Proverb.* V. 16. XVIII. 4. (huc se recipit *Cappellus* l. c.) *Ezech.* XXXVI. 25. *Joel.* II. 28. *Jes.* II. 9. His addes Jes. XII. 3. quem cum his Christi verbis comparat Cl. *Majus* in epistola citata, & *Jo. Bapt. Ottius* in epistola de Numis quibusdam Samaritanis, itidem paulo ante laudata, nec non *Jo. Jac. Ulricus* Biblioth. Bremensi Class. II. p. 307. qui præterea Jes. XLI. 17. 18. & XLIV. 3. 4. huc referri posse censet. Addendi hic sunt *Jos. Mede* in Opp. p. 62. qui Jesaiæ XLIV. 3. hic appellat, & *le Cene* in Projet p. 579. cui, altera illa sententia confutata, probabile videtur, Jesum oculos intendisse in Psalm. CVII. 35. Jes. XXXV. 6. 7. XLI. 18. XLIV. 3. & Joel. III. 18. vel, si in uno textu acquiescere malis, ad Jes. LVIII. 11. Sed vide, quæ contra hunc disputat *Gussetus* in Considerationibus Theologicis, super illum *Conatum* novæ versionis editis lib. IV. Sect. I.

Neutri sententiæ adstipulatur B. *Christ. Wælfinus* in Dissert. Selectis pag. 209. sq. quæ nunc non sunt ad manus.

Alii temere agunt, locum hunc ex V. T. tabulis prorsus periisse censentes, inter quos est *Guil. Whistonus* in Conatu restituendi Codicem Hebræum p. 106. Primam explicationem, quam & *Syrus* suam fecit, mihi potissimum probari non inficior.

ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ) B. *Lutherus* vertit von des Leibe, sed *Aug. Herman. Franckius* in Observationibus vernaculis p. 20. mavult aus dessen Bauche. Sed vide,

vide, quæ pro modeſtia Lutheri commentantur B. *Mayerus* in Obſervatt. Anti-Franckianis §. 11. *Knoblachius* Diſput. I. Obſ. 4. *Pfeiferus* p. 9. oppoſitæ ſuæ diſſertationis & Cl. *Starckius* in Notis Selectis p. 106. Κοιλίαν de corde accepit *Keuchenius* ad h. l. quia οἱ LXX. Hebræum מעים i. e. *viſcera*, quod alias per κοιλίαν vertunt, paſſim per καρδίαν i. e. *cor*, interpretentur. Eum ſequitur Cl. *Starckius* in Notis Selectis p. 106. quoniam ſcilicet non in ventre, ſed in corde, ſe exſerunt Spiritus S. operationes. Similia Patrum cogitata lege apud *Suicerum* Tom. II. p. 120. *Alex. Morus* per *rivum* interpretatur, *Heſychii*, κοιλίαν per ὀχετὸν reddentis, auctoritate uſus, ut ſenſus ſit: *flumina ſalient de ejus rivo*, i. e. *rivus*, quem ei dabo, (adde *Joh.* IV. 14.) fiet flumen ſaliens in vitam æternam. Sed falſus eſt *Morus*, Heſychio obiter inſpecto, apud quem vox Κοιλία eſt nomen proprium, quod explicat per ὀχετὸν Κυρήνης, qui ſcilicet nomine Κοιλίας veniat. Videtur Dominus hic non *cordis*, ſed *ventris* feciſſe mentionem, reſpectu habito ad amplitudinem amphorarum, quibus Judæi ad hauriendam aquam eo Feſto uti ſolebant, indicaturus ſcilicet, fideles inſtar ampliſſimorum vaſium eximiis & copioſis gratiæ donis impletum iri, cum aliis largiter communicandis. Simili ſenſu uſurpatur vox Hebraica בטן i. e. *venter*, Job. XV. 35. & Pſalm. XL. 8. Quomodo & quare hic Spiritus S. dona cum aqua comparentur, oſtendit *Joſ. Mede* in Operibus p. 62. & *Coccejus* Tomo VI. Opp. in calce, ubi epiſtolæ ejus habentur p. 76. Ad totum hoc comma lege quoque Programma ſingulare, publico nomine, *Regiom.* 1716. editum, & B. *Seb. Schmidii* Myſterium Gratiæ divinæ p. 489. ſqq.

Verſ. 39. Τοῦτο δὲ εἶπε περὶ τοῦ Πνεύματος) Pertinet huc, quod veteres Judæi aquam, hoc Feſto hauſtam, de Spiritu S. interpretati ſunt. Apparet id ex Talmude Hieroſolymitano Codice Succa cap. *Hechalil*, f. 55. ubi ad quæſtionem: *quare vocetur locus hauſtionis? reſpondetur: quia inde hauriunt Spiritum S. Scriptum enim eſt: & haurietis aquas cum gaudio ex fontibus ſalutis.* Quæ cum repetit R. *Moſche* in *Matte Moſche* f. 20. a. addit de ſuo: *fieri facile potuit, ut inde & aquas legis petierint, & Sapientiam Scripturas intelligendi didicerint, eoque ſpiritus in illis divinus reſederit, atque magno ob eam rem gaudio perfuſi fuerint.* Confer huc *Vitringæ* Archi-Synagogum p. 220. *Deylingii* Obſſ. Sacr. Part. II. p. 306. & J. H. *Maji* epiſtolam aliquoties citatam p. 14. ſq.

Οὔπω γὰρ ἦν Πνεῦμα ἅγιον) De varietatibus lectionum, quæ hic occurrunt, lege præter *Millium*, *Rich. Simonem* in Hiſtoria Critica N. Teſt. lib. I. p. 353. ſq. & lib. III. p. 306. & *Alex. Morum* in Cauſa Dei pag. 112. & in Axiomatibus Theologic. p. 421. Præcipuæ ſunt, quod nonnulli Codices vocem ἅγιον omittunt, alii vero poſt ἅγιον vocem διδόμενον vel ἐπ' αὐτοῖς addunt. Sed iſtud quidem additamentum ex interpretamento natum eſſe per ſe patet, quippe quod tum contextus ipſe, tum Græcæ Linguæ ratio elliptica exigit. Vide huc *Hackſpanium* in Notis p. 434. & in Sylloge Diſputatt. p. 436.

p. 436. sq. item *Saubertum* in Opp. Posthumis p. 45. qui speciatim observat, verbum Hebr. נתן i. e. *dedit*, idem interdum significare, quod εἰμὶ i. e. *fuit*, adeoque utriusque verbi significatum proprium alterutri eorum pro re nata communem esse. De veteribus, *Syro*, *Arabe*, *Augustino* &c. qui τὸ ἦν per *datus erat*, interpretantur, lege B. *Raithii* Vindicias Vers. B. Lutheri p. 422. In eandem sententiam alii volunt subintelligi vocem ἐκχυνόμενον i. e. *effusus erat*, ut Cl. *Schoetgenius* in Notis ad *Bosii* librum de Ellipsi p. 65. *Gussetus* in Lexico Hebraico p. 208. b. verbum ἦν idem hic esse vult, quod Latine dixeris: *Spiritus S. nondum exercebat munus suum*, scilicet, ut idem addit, munus illud, quod Christus ipse declarat Joh. XIV. 15. 16. ut sit ἄλλος παράκλητος. *Hoc enim antea fuit munus solius Christi in actu, sed oeconomia Spiritus veniente, Spiritus ipse ἐςὶ* i. e. *exercet munus*. *Wokenius* l. c. p. 91. ex sententia Theologi cujusdam, quem non appellat, id inprimis innui hic vult, quod Spiritus S. nondum datus sit *ab humana Christi natura*, tunc scilicet nondum exaltata. Sed id quidem, fateor, subtilius mihi videtur. Rev. *Laescherus* in Decimis Evangelicis l. c. p. 323. subintelligi mavult vocem ληφθεὶν, ideo, quod proxime ante dicitur οὗ ἔμελλον λαμβάνειν, ut proinde τὸ μέλλειν opponatur τὸ εἶναι atque adeo & τὸ μέλλειν λαμβάνειν, τῷ εἶναι ληφθέντα. Quam in rem idem monet, non usurpari hic verbum ὑπάρχω, quod alias de nuda rei alicujus existentia adhiberi consueverit.

Id certum est, Johannem non loqui hic de simplici & absoluta Spiritus S. *existentia*, quippe quam c. I. 32. adstruxerat, neque de omnimoda ejusdem praesentia in Apostolis; illi enim eum per baptismum acceperant Joh. III. 5. sed de singulari praesentiae modo per singularia dona inposterum exserendo. Id enim sibi inprimis volunt verba sequentia:

ὅτι ὁ Ἰησοῦς οὐδέπω ἐδοξάσθη) i. e. Christus nondum exaltatus erat, quo facto copiosa Spiritus S. effusio demum erat exspectanda. Glorificationem enim hanc Christi ad illam exaltationem, quae resurrectionem Christi consecuta est, recte referunt Patres, quos vide apud *Suicerum* Tom. I. Thesauri p. 948. aliis de *passione* minus convenienter accipientibus, de quibus idem p. 950. Subjungam his denique *Alex. Mori* verba, quae exstant in *Causa Dei* p. 112. *Non esse dicuntur in Scriptura, quae non apparent illustrem in modum, aut quorum non est memorabilis & conspicua multitudo, ac uber insigne. Spiritus autem Sanctus & ab aeterno erat, & in Prophetis erat, nec Patribus V. T. deerat, sed longe paucioribus & obscurius & parcius indulgebatur. Hactenus igitur non fuisse dicitur Johanni, ut via Sanctuarii caelestis nondum fuisse manifestata dicitur Autori ad Hebraeos. Promittitur a Christo jam jam daturo, & promissus erat a Prophetis olim dandus per Christum, & initio Epistolae ad Ephesios Spiritus* promissionis *vocatur. Nondum igitur erat: quippe promissus, non missus erat ille Spiritus, per quem θεοδίδακτοι fuerunt omnes Christiani* &c. Comparari quoque ad h. l. poterit *Jac. Altingii* commentatio, quae exstat T. IV. Operum ejus in calce p. 22. sqq.

Verf. 40. *ἀκούσαντες τὸν λόγον*) Alii *Codd.* habent eodem fenfu *ἀκούσαντες τῶν λόγων τούτων.* Vide *Marefchallum* ad Verf. Gothic. p. 465.

Verf. 42. *ὅπου ἦν Δαβίδ*) i. e *ubi habitabat David* , ex ufu Syrorum. Ita Joh. I. 39. *ποῦ μένεις* ; *ubi habitas ?* Syrus transfert : *ubi es tu ?* Conf. v. 40. & Cl. *Starckii* Notas Selečt. p. 106.

Verf. 45. *πρὸς τοὺς Ἀρχιερεῖς καὶ Φαρισαίους*) *Millius* in Prolegom. §. 912. ex defečtu vocis *Φαρισαίους* apud Interpretem *Perfam*, & *Nonnum*, non obftante Codicum confenfu, colligit, eam ex v. 49. huc translatam effe, non recogitans fcilicet, *Sacerdotes* & *Pharifæos* utplurimum in caufa adverfus Chriftum ačta conjungi folere, quod & fit v. 48.

Verf. 46. *Ἀπεκρίθησαν οἱ ὑπηρέται· οὐδέποτε οὕτως ἐλάλησεν ἄνθρωπος*) Idem fere evenit militibus, a Mario ad obtruncandum M. Antonium oratorem miffis, tefte *Plutarcho* in Mario p. 431. De Socrate fimiliter *Epičtetus* Enchirid. c. 35. *τὸν οὕτω δύναται εἰπεῖν ὡς ἐκεῖνος*; Vide *Jo. Alberti* Obfer. Sacr. p. 213.

Verf. 48. *Μήτις ἐκ τῶν ἀρχόντων ἐπίστευσεν εἰς αὐτόν* ;) Imo crediderunt tamen in Jefum *Simeon*, *Johannes Baptifta*, *Jofephus* & *Nicodemus*, fed pauci illi, de quibus lege *Altingium* in Schilo lib. IV. c. XXI-XXIV.

Verf. 49. *Ἀλλ' ὁ ὄχλος οὗτος ὁ μὴ γινώσκων τὸν νόμον*) Ita fere *Kimchius* ad *Jerem.* V. 6. כי ברוב רלת העם אין להם בינה והכמה h. e. *Populus vero vilis & abječtus plurimam partem fapientia atque intelligentia caret.* Similia habes apud *Maimonidem* in Tračtatu *Jefode Tora* c. VII. 2. & in Comment. ad *Avoth* c. IV. Hæc & alia ejusmodi loca, quæ de contemtu vulgi apud Pharifæos teftantur, afferunt *Drufius* in Refponf. ad Minerval Serar. p. 225. *Vitringa* lib. III. Obfervatt. Sacrar. p. 25. *Lightfootus* in Horis ad h. l. *Wagenfeilius* ad Sota p. 518. *Hottingerus* in Notis ad Goodwini Antiquitates Hebr. p. 176. & *Amelius* Part. II. p. 373. noviffime autem *Franc. Burmannus* in Difput. de Terræ filiis, *Ultraj.* 1719. 4. Conf. huc *Daffov.* de Ave ungue fečta Coroll. 6.

ἐπικατάρατοί εἰσι) Homines de vulgo illi quidem, fapientia turgidi, futuræ vitæ participes fieri negabant, nifi dočti cujusquam favorem fibi conciliaverint. Vide huc Tračt. Talmud. *Ketuvoth* cap. 13. & adde *Pocockium* ad Portam Mofis p. 173.

Verf. 51. *Μὴ ὁ νόμος ἡμῶν κρίνει τὸν ἄνθρωπον* &c.) Vide huc *Grotii* Opera Tom. III. p. 223.

Verf. 52. *ἴδε, ὅτι προφήτης ἐκ τῆς Γαλιλαίας οὐκ ἐγήγερται*) Falfo hæc dicebantur a Pharifæis : Vide tu *Herm. Hundtii* Programma, quod infcripfit : *Galilai Elias*, *Elifa*, *Jonas*, *Amos*, *Hofeas*, *Nahum ex hiftoria & Geographia veteri*

fua

sua patria restituti, Helmstad. 1719. 4. Conf. B. *Gottfr. Olearii* librum vernaculum de Jesu vero Messia p. 226. Τὸ ἐγήγερται idem est h. l. quod: *exortus est*. Conf. Matth. XXIV. 11. & XI. 11. ad quem locum lege *Ludov. de Dieu*. Adde *Suicerum* Tom. I. p. 986.

Vers. 53. καὶ ἐπορεύθη ἕκαστος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ) Comma hoc integrum abest ab illis *Codd.* omnibus, in quibus tota pericope de femina adultera capite sequente usque ad v. 13. desideratur, de qua omissione quid habendum sit, ex mox dicendis constabit.

CAP. VIII.

VErs. 1–11. in multis Codd. MSS. versionibus item, & commentationibus antiquis, nec non Catenis frustra quæruntur. Lege huc inprimis *Rich. Simonem* in Historia Critica N. T. lib. I. pag. 142. sqq. item pag. 74. 81. sq. & 85. sqq. tum vero lib. III. pag. 328. ubi de *Nonno*, qui non agnovit, pag. 400. ubi de *Theophylacto*, pag. 433. & 434. ubi de Catenis variis, a quibus abest, denique & in Differt. de MSS. N. T. quæ exstat in calce lib. III. Hist. Criticæ. Adde *Jo. Millium* in Notis ad h. l. inprimis ex editione repetita Amstelodamensi, nec non Prolegomenis §. 251. sq. & 892. *Jo. Seldenum* in Uxore Hebræa III. 11. pag. 368. sqq. ex nostratibus vero *Raithium* in Vindiciis Versionis B. Lutheri pag. 423. *Hilligerum* in Differt. de Scriptione Christi in terra §. 1–10. *Christian. Kortholtum* de Editionibus Scripturæ Sac. pag. 82. sq. B. *Ittigium* in Selectis Capitibus Histor. Eccles. Sec. I. p. 403. sq. doctissimum *Jo. Albert. Fabricium* in notis ad Codicem Apocryphum N. T. pag. 357. sqq. & singularem Differtat. B. *Scherzeri*, quæ in Fasciculo Differtationum ejus n. IX. recusa est. Hi omnes afferunt tum Codices, tum versiones, in quibus vel desideratur historia hæc, vel diserte recitata invenitur. Præcipui eorum, qui ex defectu Codicum quorundam suspectam eam, nec ab ipso Johanne profectam putarunt, sunt *Beza*, *Grotius*, qui tamen rem ipsam ita gestam, & ex ore Apostolorum haustam, tandemque a Viris Apostolicis in literas relatam existimat, *Seldenus* item & *Jo. Clericus*, quem lege in Notis ad *Hammondum*, & in Biblioth. Selecta Tom. XVI. pag. 316. Sed his merito opponas illa argumenta, quæ tum *Millius* & *Whitbius* in Commentar. ad h. l. tum ex nostratibus illi, quos modo attulimus, pro vindicanda pericopes hujus γνησιότητι & αὐθεντείᾳ adhibuerunt. *Millius* inter cetera monet, Codicibus, in quibus particula hæc deest, tot alios, eosque antiquissimos & plures recte opponi: lectionum varietatem talem hic esse, qualis alibi, & inprimis in Apocalypsi occurrat; leviculam præterea, & casu magis quam consilio natam: varium denique in Codicibus situm ejus id tantum evincere, eam in nonnullis MSS. ὠβελίσθαι, seu expunctam esse. Cujus quidem instituti hanc causam reddit, quod expedire non putarent, ut populo præ-

legeretur. Atque idem hoc probabile visum est *Jac. Cappello* in Observatt. Sacris p. 47. item Cl. *Fabricio* l. c. p. 358. imo jam olim *Augustino*, cujus hæc in lib. II. de adulterinis conjugiis ad Pollentium verba cap. VII. exstant: *Sed hoc videlicet infidelium sensus exhorret, ita ut nonnulli modicæ vel potius inimici veræ fidei, credo, metuentes, peccandi impunitatem dari mulieribus suis, illud, quod de adulteræ indulgentia Dominus fecit, auferrent de codicibus suis, quasi permissionem peccandi tribuerit, qui dixit:* deinceps noli peccare: *aut ideo non debuerit mulier a medico Deo illius peccati remissione sanari, ne offenderentur insani.* Cl. *Clerici* objectionibus quid respondendum sit, docet laudatus *Fabricius* l. c. p. 358. observans, non indignum Christo esse responsum, Scribis & Pharisæis impertitum, si ponamus, illud redditum esse non legitimo Magistratui, sed hypocritis, quibus non erat integrum, capitali supplicio mœcham afficere. Confer in eandem sententiam *Dan. Whitby* Commentar. ad h. l. & *Jac. Gussetum* in Confutat. libri *Chissuk Emuna* Part. II. cap. 47. p. 404. sqq. qui contra Judæum, absolutionem mulieris criminantem, ostendit, Jesum hic respondisse Pharisæis non ut *judicibus*, aut de officio Judicis consulentibus, nec ut *adituris Judicem* ad accusandum, sed ut *Zelotis*, quorum fervidus pro gloria Dei impetus moram non ferebat, sed prætermissis Judicibus ad puniendum properabat. Idem eadem opera exponit, quam prudenter Dominus noster in toto hoc negotio se gesserit adversus Pharisæos, dum & Judicum munus reliquit intactum, & hypocritis larvam detrahit, & tendiculam eorum duplicem evitat.

Vers. 3. ἐν μοιχείᾳ κατειλημμένην) De adultera desponsata, nec dum nupta sermonem hic esse, existimat *Seldenus* in Uxore Hebræa p. 368. Idem statuit *Allixius* in Considerationibus super libris N. T. p. 285. & quidem ideo, quod de femina hac tanquam lapidibus obruenda quærant, quod supplicii genus desponsatis tantum, iisque in adulterio deprehensis, in Lege decretum sit, cum vicissim nuptis strangulatio sit constituta.

κατειλημμένην) Testibus minimum duobus ad hoc negotium opus erat. Vide *Wagenseilium* ad Sota p. 31.

Vers. 4. κατειλήφθη) *Boisius* in Collatione pag. 305. ita: *pro* κατελήφθη. Ἐλήφθην *enim &* ἐλήφθη *lego,* εἰλήφθην *&* εἰλήφθη *non lego, aut si legi alicubi, legisse me certe oblitus sum. Marc.* XVI. 19. ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανόν, *non autem* ἀνειλήφθη. *Sed si mendum est, in omnia, quæ viderim, irrepsit exemplaria, iis duntaxat exceptis, quæ aliam ab hac sequuntur lectionem, nimirum:* ταύτην εὕρομεν ἐπαυτοφώρῳ μοιχευομένην. Ita ille. Sed salva res est. Utraque hæc verbi forma sana est, & Græcæ Linguæ rationibus accommodata: utraque etiam in MSS. & editis exemplaribus occurrit. Sic κατελήφθη legitur in utroque meo Codice IV. Evangelistarum, quorum collationem in Tomo III. Anecdotorum exhibui: legitur vero etiam in editione *Stephaniana*, &, quæ ad eam expressa

pressa est, *Milliana*, ut alias omittam. Sana præterea est forma *κατειλήφθη*, quod *Erasmus Schmidius, ὁ γραμματικώτατος*, recte monuit in Annotationibus ad h. l. Is vero ita: *κατειλήφθη est argumentum Perfecti Atticum, tributum Aoristo primo. Sicut enim in Perfecto κατείληφα, κατείλημμαι, pro καταλέληφα, καταλέλημμαι. Ita, κατειλήφθην quasi καταλεληφθην pro κατελήφθην. Sic Iliad. η. 80. λελάχωσι, in Aoristo pro λάχωσι, etiam in ceteris modis, præter Indicativum, in quibus tamen Aoristorum augmenta alias abjici solent.*

ἐπαυτοφώρῳ) Sic Plutarch. de fluviis ait *τὴν μητέρα μοιχευομένην ἐπαυτοφώρῳ καταλαβών*, p. 1150. Conf. Cl. *Jo. Alberti* Obss. S. p. 214. Alias vox *ἐπαυτοφώρῳ* scribitur diversis vocibus, ut notat *Bisetus* ad *Aristophanis* Plutum v. 455. Sed idem huic accidit, quod aliis ejusmodi compositis, quorum frequentior usus pedetentim efficit, ut instar unius vocis scribantur, v. c. in *καταμόνας* &c. Solet usurpari de facinorosis quibuscunque, ut apud *Aristophanem* l. c. ubi confer notas *Ezech. Spanhemii*, speciatim vero & proprie de *furibus*, quod ibidem observavit *Bisetus*, tum vero de illis, qui illicitis amoribus indulgent, tanquam qui *furtivi* sint, & furtorum nomine appellentur. Vide *Prov.* IX. 17. & adde *Gatakerum* Adverf. c. IX. p. 496. & *Elsnerum* p. 317. ad h. l. *Ælianus* totidem fere verbis utitur *Histor. Animal.* XIV. 3. *μοιχευομένην γυναῖκα ἐπ' αὐτοφώρῳ καταλαβών*, & *Achilles Tatius* lib. V. p. 327. *ἐπ' αὐτοφώρῳ μοιχὸς κατειλημμένος*. *Diogenes Laërtius ἐπὶ τῇ φωρᾷ* dicit I. 96. ubi vide *Menagium* p. 56. Ceterum non plenam esse locutionem, *ἐπ' αὐτοφώρῳ*, sed per vocem *πράγματι* supplendam conjicit Cl. *Schœtgenius* ad *Bosium* de Ellipsi p. 166.

Vers. 5. *Μωσῆς ἡμῖν ἐνετείλατο τὰς τοιαύτας λιθοβολεῖσθαι*) Respiciunt *Levit.* XX. 10. & *Deuter.* XXII. 22. Utroque in loco pœna capitis simpliciter, sine addito supplicii genere, adulteræ irrogatur. Atque hinc more suo *Whistonus* in Conatu restituendi Codicem Hebræum pag. 100. consequi putat, locos illos V. T. hodie mutilos esse, inprimis cum in Constitt. Apostol. VII. 28. locus *Levit.* XX. 13. cum commemorata lapidatione allegetur. Sed cur non potius dicamus, Judæos lapidationis hic speciatim meminisse ex consuetudine tunc recepta & a traditionibus majorum pendente? Cur non dicamus, Constitutiones Apostolicas eadem illa verba ex hoc loco N. T. addidisse potius, quam ex loco Mosis hausisse? Videntur vero Pharisæi huc provocantes tacite simul respexisse ad majorum suorum traditiones, qui ad adulteram capitis damnandam minime sufficere credebant, ut de nudo delicto constet, sed id requiri insuper, ut adversus aliorum pias admonitiones se obstinaverit: alioquin enim dote tantum privandam esse censebant. Ex Christo itaque discere volebant, quomodo in hoc exemplo sit agendum. Ita suspicatur *Wagenseilius* ad Sota p. 32. Ceterum qua pœna adulteræ affici debeant ex variarum gentium institutis, disci poterit ex *Seldeni* Uxore Hebræa III. 12. & *Wetsteinii* Notis ad Origenem p. 64. sq.

Vers. 6. πειράζοντες αὐτὸν, ἵνα ἔχωσι κατηγορεῖν αὐτῦ) Accusare volebant vel ut contemtorem Legis Mosaicæ, si a verbis ejus recederet; vel, si iis insisteret, tanquam immitem & immisericordem, imo Sapientum placitis adversantem. Vide *Wagenseilium* l. c. p. 32. *Gussetus* l. c. p. 404. fortasse verius ita: *Si lapidandam dixisset: accusaturi erant apud Romanos, ut rebellionis auctorem, & occidere sine judicio suadentem. Sin vero negavisset; accusassent apud populum, tanquam adulterii fautorem.*

τῷ δακτύλῳ ἔγραφεν εἰς τὴν γῆν) De scriptione hac Christi in terram lege inprimis *Guil. Saldeni* Otia Theologica p. 111. sq. Cl. *Jo. Alberti Fabricii* Codicem Apocryphum N. T. p. 315. sq. *Jo. Wilh. Hilligeri* singularem Exercit. *Witteb.* 1672. *Paul. Christ. Hilscheri* Diatribam in Miscellaneis Lipsiens. Tom. V. p. 27. ubi de Studiis Christi ἄτερ γραφῆς disseritur, item *Jo. Marckium* in Disputatione singulari, *Lugd. Batav.* 1720. edita & in Sylloge Dissertationum ibidem 1721. 4. recusa. Adde *Sixtum Senensem* lib. II. Biblioth. S. p. 89. sq. & *Jo. Euseb. Nierenbergium* lib. XI. de Origine Scripturæ S. cap. I. Potiores sententiæ istæ sunt: Christum nihil omnino scripsisse, sed gestum scribentis tantum simulasse, tanquam ad sermonem Pharisæorum parum attenderet. Ita olim *Euthymius* in comment. ad h. l. Eum ex parte sequitur *Hilscherus* l. c. cui Christus instar meditabundi: quid ad captiosam istam malevolorum quæstionem commode responderet? arando pulverem negotium quasi phantasiæ, ne animum in considerando turbaret, fecisse videtur. *Beda* olim & cum ipso Cl. *Fabricius* ea Christum literis hic expressisse statuit, quæ statim prolaturus ore erat: *qui sine peccato est, primus lapidem in eam mittat*; sicut de Zacharia *Luc.* I. 63. dicitur: ἔγραψε λέγων. *Jo. Marckius* per scriptionem, simpliciter hic memoratam, intelligit descriptionem lineæ simplicis, vel obliquæ, vel tortuosæ, vel rectæ, vel circularis, sine Magia aut superstitione ulla factam, sed ita tamen, ut certo modo respectu interrogationis significativa esset. Mihi quidem ea, quæ proxime ante hanc relata est, inprimis probatur. B. *Wagenseilius* ad Sota pag. 33. in veteri quodam Codice Græco IV. Evangelistarum post verbum ἔγραφε invenisse se testatur ista: ἑκάστου αὐτῶν τὰς ἁμαρτίας, i. e. *peccata singulorum*, quæ idem nata suspicatur ex quadam glossa *Hieronymi*, quæ cap. VI. libri adversus Pelagium exstat.

Vers. 7. Ὁ ἀναμάρτητος ὑμῶν πρῶτος τὸν λίθον ἐπ' αὐτῇ βαλέτω) Vide huc *Lempereur* ad cap. XIII. *Bertramum* de Politia Judaica Tom. VIII. Critic. Anglican. p. 788. & *Wagenseilium* l. c. p. 34. *Erasm. Schmidius* bene ex his verbis conjicit: Pharisæos præsentes in manu habuisse lapides, quos in adulteram mitterent, ad quorum unum Christus conversus jusserit lapidem *illum*, τὸν λίθον, quem scilicet manu teneret, in eam conjicere, siquidem & ipse innocens esset.

Vers. 9. καὶ ὑπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι) Desunt hæc in variis Codd.

Codd. MSS. & verſionibus, nominatim *Vulgata*, imo & editionibus, quarum unam ſecutus B. *Lutherus* phraſin hanc in interpretatione ſua non expreſſit. Genuina tamen omnino habenda eſt ex auctoritate tot Codicum eorumque antiquiſſimorum, ſuadente præterea ipſius orationis ſerie. Ad conſcientiam enim horum hominum, ſi pura eſſet, definitionem totius cauſæ retulerat Salvator, a qua reprehenſi, & ſimilium facinorum convicti, feminam deferebant. Conf. *Feſtelium* Tom. I. Adverſarior. Sacr. p. 314. *Eraſmum Schmidium* ad h. l. & *Franckii* Obſervationes vernaculas p. 200. ſq.

ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων ἕως τῶν ἐσχάτων) *ab honoratioribus ad vilioris conditionis homines*, ut *Keuchenius* ad h. l. interpretatur.

Verſ. 10. οὐδείς σε κατέκρινε) i. e. nemone ſententiam a me pronunciatam exſequi in te ſuſtinuit? Ita *Wagenſeilius* l.c.p.34. Damnata enim femina jam erat vi legis Moſaicæ, a Chriſto hic non mutatæ aut emollitæ. Vox vero κρίνειν & κατακρίνειν paſſim in V. T. *caſtigandi* & *puniendi* notionem habet, ut *Gen.* XV. 14. 2 *Paralipom.* XX. 12. *Pſalm.* IX. 20. *Act.* VII. 7. & *Hebr.* XIII. 4.

Verſ. 11. Οὐδὲ ἐγώ σε κατακρίνω) i. e. *nec ego te promerita pœna mulctabo.* Vide ad v. 10.

μηκέτι ἁμάρτανε) Verbum ἁμαρτάνειν ad *illicitos amores* & ſpeciatim *adulterinum* hic referendum eſt: quæ notio etiam obtinet apud *Ælianum* Var. Hiſt. IV. 1. *Euripid.* Hippolyt. v. 507. & alibi. Sic ἁμαρτία eſt *adulterium* 2 Pet. II. 14. & γυνὴ ἁμαρτωλὸς *proſtibulum* Luc. VII. 37. Lege plura apud *Elsnerum* p. 318. & *Suicerum* in Theſauro Tom. I. p. 205.

Verſ. 12. Ἐγώ εἰμι τὸ φῶς τοῦ κόσμου) Hac appellatione reſpicit inprimis ad locum *Malach.* IV. 2. ubi Chriſtus dicitur: *Sol juſtitiæ.* Vide in hanc ſententiam *Vitringam* Obſervatt. Sacrar. lib. III. p. 2. 3. *Sal. van Til* in Malachia illuſtrato p. 381. & *Steph. le Moyne* in Diſſ. ad Jerem. XXIII. 6. p. 45. Ex noſtratibus his accedit Rev. *Deylingius* in Obſervatt. S. Part. II. p. 309. ſq. cui tamen præterea reſpectus haberi videtur ad *Urim* Pontificis M. in V. T. Tantum abeſt, ut a Platonicis cum *Jo. Clerico* phraſis hæc repeti debeat. Confer & *Amelium* Parte II. p. 578-586. *Vitringa* l. c. *Malachiæ* φράσιν שמש צדקה i. e. *Sol juſtitiæ*, idem eſſe vult, ac ſi dicatur, *Sol verus & juſtus*, atque ſic reſpondeat illi, qua Chriſtus Joh. I. 9. appellatur φῶς ἀληθινόν. Sed vereor, ne hoc modo emphaſis phraſeos & mens Spiritus S. vel evertatur, vel diminuatur. Per vocem enim *juſtitiæ* hic indicatur juſtitia a Chriſto Salvatore acquirenda & hominibus conferenda, id quod patet ex vocibus ſequentibus ומרפא בכנפיה i. e. *& medela ſub alis ejus.* Confer *Jo. Henr. Urſini* lib. II. Miſcellan. Sacrorum in *Sole myſtagogo.*

Verſ. 14. Κἂν ἐγὼ μαρτυρῶ περὶ ἐμαυτοῦ &c.) Vide huc *Simonis Epiſcopii* Opera Tom. I. Part. II. p. 7. ſq.

Verſ.

Verſ. 15. ἐγὼ ὐ κρίνω ὐδένα) *non judico* i. e. *non teſtor*, κρίνειν enim & κρίσιν pro μαρτυρεῖν & μαρτυρία poni, ex toto contextu manifeſtum eſt. Quod enim v. 16. dicit: κρίνω ἐγὼ, id v. 18. dicit: ἐγώ εἰμι ὁ μαρτυρῶν, & quam v. 16. vocat κρίσιν, v. 17. μαρτυρίαν vocat. Ita *Raphelius* Semicenturia Annotatt. Philolog. in N. T. p. 10. Idem vero ſimul obſervat, τὸ ὐδένα inprimis & ſimpliciter de Chriſto intelligendum eſſe, ut idem ſit, ac ſi dixerit: *non teſtor de me ipſo*, quippe quem ſenſum orationis contextus requirat. Eodem modo ὐδεὶς infra cap. IX. 4. uſurpatur.

Verſ. 17. ὅτι δύο ἀνθρώπων ἡ μαρτυρία ἀληθής ἐςιν) Lege huc *Jo. Frider. Miegii* Notas ad Maimonidis Tractat. de Juramento p. 110. De re ipſa confer *Seb. Schmidii* Diſſ. de duobus Chriſti teſtibus, *Argentor.* 1674. quæ in Appendice Diſputatt. ad Repetitionem Articulorum Formulæ Concord. recuſa eſt.

Verſ. 20. ἐν τῷ γαζοφυλακίῳ) Hic non *ærarium*, tanquam locum plebi inacceſſum, ſed atrium mulierum, in qua arculæ recipiendis eleemoſynis conſtitutæ erant, indicari ſtatuit *Sam. Basnage* in Exercitt. adverſus *Baronium* p. 47. ubi etiam de præfectis illius duobus, quos Hebræi קתוליקין appellarunt, contra *Lightfootum* diſputat ex *Joſepho*, qui unius tantum cuſtodis meminiſſe ſoleat. Sed in calce libri mutat ſententiam, poſtquam apud *Joſephum* lib. XV. cap. 14. Antiquitatum mentionem τῶν γαζοφυλάκων invenerat. Vide, quæ ſcripſimus ſupra ad *Marc.* XII. 41.

Verſ. 21. καὶ ἐν τῇ ἁμαρτίᾳ ὑμῶν ἀποθανεῖσθε) Mortem cujusque ea peccata, quæ in Feſto expiationis, fato interveniente, non fuerint remiſſa, apud Deum expiare, perſuaſum falſo erat Judæis. Hinc morte mulctandi dicebant: *mors mea expiatio ſit pro omnibus peccatis meis.* Vide *Sheringhamii* notas ad *Joma* p. 104. qui & ſimilem opinionem apud Gentiles obtinuiſſe ibidem, poſt eum vero fuſius *Lomeierus* in Epimenide, oſtendit. Atque ad hanc perſuaſionem, tanquam falſiſſimam, reſpexiſſe Salvatorem, exiſtimat *Amelius* Part. II. p. 312. quem & confer Part. I. p. 648.

Verſ. 22. μήτι ἀποκτενεῖ ἑαυτὸν) *Tanaqu. Faber* lib. Epiſtol. II. p. 159. legi vult ἀποξενοῖ, hoc ſenſu: *numquid in exteras terras proficiſci parat?* Conjecturæ ſuæ maxime temerariæ, & omnium Codicum auctoritate deſtitutæ, præſidium quærit in c. VII. 35. ubi ad eadem Chriſti verba reſpondent Judæi: μὴ εἰς τὴν διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων μέλλει πορεύεσθαι; *num ad diſperſionem Gentium abiturus eſt?* Sed alii hic erant Judæi, & diverſi ab iis, quos Dominus antea erat adlocutus. Itaque ex ſermone Chriſti eodem, quem non adſequebantur, quemque adunco naſo ſuſpendere ipſis volupe erat, diverſas captare cavillandi occaſiones, & diverſimode reſpondere poterant. Taceo, eos non ἀποξενοῖ, ſed ἀποξενώσει dicturos fuiſſe, ſi hæc eis mens ſediſſet, cum

cum de itinere imminente ſermo ſit. Conf. Cl. *Moshemii* Cogitationes de eo, quod juſtum eſt circa literarum Sacrarum interpretationem p. 65. recuſas in Obſervatt. Sacrar. lib. I. p. 87.

Verſ. 24. *ἐὰν μὴ πιςεύσητε, ὅτι ἐγώ εἰμι*) *niſi credideritis, me eſſe*, i. e. eſſe illum, quem dixi, virum illuſtrem, verum Meſſiam, Patribus promiſſum, lucem mundi, panem vitæ, Manna cœleſte, verum Dei Filium. Ita recte *Vitringa* in Jeſaiam Tom. I. p. 686. cap. XXIII. 13. Comparat idem cum h. l. Galat. VI. 3. *Εἰ γὰρ δοκεῖ τις εἶναί τι*, h. e. *εἶναί τι μέγα*, ut Actor. VIII. 9. *λέγων εἶναί τινα ἑαυτὸν μέγαν*. Itaque non opus eſt emendatione illa, quam hic affert *Colomeſius* in Obſervatt. Sacris p. 123. & poſt eum *Jo. Clericus* ad Verſ. Gall. N. T. particulam *ὅτι* per *ὅ, τι* legentes, hoc ſenſu: *niſi credideritis, me eſſe id, quod ſum.* Provocant illi ad v. 25. *τὴν ἀρχὴν, ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν.* Atque ita intellexiſſe Judæos verba Domini, *Colomeſius* ex eo conficit, quod illi ſtatim quærunt: *Σὺ τίς εἶ; Tu quis es?* Sed patet omnino, hanc quæſtionem Judæos itidem afferre commode, imo convenientius potuiſſe, ſi ponamus, Chriſtum dixiſſe: *ὅτι ἐγώ εἰμι, quod ego ſum:* quia hæc phraſis altera illa obſcurior eſt. Præterea, ſi nova illa interpunctio admittatur, interrogare potius debebant: *σὺ τί εἶ;* Nec ſufficit, quod ipſum hoc *σὺ τί εἶ;* codices quidam, teſte *Iſidoro Clario*, exhibeant. Unus enim alterve Codex (cujusmodi nullum prorſus affert *Millius*) tot aliis & Codd. & verſionibus, & Interpretibus temere opponetur. Quod v. 25. *τὸ ὅ, τι* occurrat, ſenſu ita poſtulante, & adſtipulantibus Codicibus, id non efficit, ut, nulla cogente neceſſitate, hic quoque ſimiliter legendum eſſe credamus.

Verſ. 25. *Ἔλεγον οὖν αὐτῷ· Σὺ τίς εἶ; Καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς· τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν*) Diverſas hujus commatis, & inprimis extremorum ejus verborum interpretationes leges apud *Joh. Schedium* in ſingulari commentariolo in hunc verſum, *Witteberg.* 1684. 4. plagulis duodecim edito, cujus ſummam habes in Actis Eruditorum Lipſ. Tom. I. Supplement. p. 335. ſq. Adde *Suicerum* Tom. I. Theſauri p. 529. *Poſſinum* in Spicilegio p. 127. ſqq. *Stolbergium* in Exercitatt. Gr. L. p. 250. ſq. *Dilherrum* de Uſu Scriptorum Secularium &c. plagula V. *Saubertum*, in Opp. Poſth. p. 31. B. *Sonntagium* in Spicilegio Obſervatt. Exegetic. in ſex *ἅπαξ λεγόμενα* p. 19. ſqq. *Weidnerum* in Diſp. de בראשית §. 7. *Wolfburgium* in Obſervatt. Sacr. p. 363. ſqq. Auctores des Heb-Opfers Part. I. p. 846. ſqq. item Obſervatt. Miſcellan. Tom. I. p. 679. ſqq. & *Rich. Simonem* in Hiſtor. Critica N. T. lib. II. p. 230. 259. & 387. lib. III. p. 610. & 617. & in *Novis Obſervationibus* p. 182. & 333. ſqq.

Plerique inprimis ex recentioribus particulam *τὴν ἀρχὴν* exponunt per *omnino, prorſus*, hoc ſenſu: *omnino* (ſum id) *quod & loquor vobis* nempe *lux vera mundi*, de qua v. 12. Ita ex noſtratibus poſt *Flacium* B. *Glaſſius*, in Grammat.

Sacr. Tract. V. can. 17. pag. 473. *Dilherrus* l. c. *Stolberg.* l. c. p. 277. *Hottingerus* in Thesauro Philolog. p. 416. & de Usu Scriptorum Hebraic. in N. T. §. 3. apud *Rhenferdium* in Syntagmate Scriptorum de Stylo N. T. p. 400. *Possinus* in Spicilegio p. 127. *Sonntagius* l. c. *Colomesius* l. c. *Hombergius* in Parergis p. 165. sq. Cl. *Fabricius* ad Sextum Empiricum p. 26. *Raphelius* in Semicenturia Annotatt. Philolog. p. 110. *Schœtgenius* ad *Lamb. Bos* de Ellipsi p. 346. sq. item *Herm. Hardtius* in Commentatiuncula vernacula singulari de quæstione: **Wer bist du?** in 8. edita. Atque illi quidem idoneis exemplis ostendunt, illam notionem particulæ *ἀρχὴν*, per ellipsin positæ, præstantissimis Græciæ Scriptoribus receptam esse: nonnulli quoque eorum, & speciatim *Hottingerus*, Hebræos ita loqui, observat, quando vocem לבתחלה i. e. *initio* pro *omnino* usurpant. Vide nominatim *Asariam* in *Meor Enajim* p. 102. *Hardtius* l. c. significatui huic lucem affundit ex Judæorum verbis *σὺ τίς εἶ*, quæ non simpliciter interrogantium, sed indignantium potius, exprobrantium cum ira, simulque subsannantium & contemnentium, adeoque vehementer negantium esse contendit. His proinde respondere Dominum: *Τὴν ἀρχὴν* i. e. *certissime is sum*, sive id credatis, sive minus, *quod ipsum etiamnum vobis dico*, & dictum volo. Ita v. 53. dicunt: *τίνα σεαυτὸν σὺ ποιεῖς;* i. e. *quem te ipsum facis?* Conf. c. X. 33. Sunt tamen quædam difficultates, quæ hanc interpretationem urgent. Eas enarratas vide im **Heb-Opfer** Part. I. p. 851.

Alii vocem *ἀρχὴν* in communissimo significatu accipi volunt, ut *principium* denotet. Iidem vero iterum diversa via incedunt. Nonnulli enim voce hac indicatum putant, id *primo* omnium tenendum esse, quod sit ipsorum doctor. Ita B. *Lutherus* accepisse videtur, vertens: **erstlich der, der ich mit euch rede.** Conf. *Raithii* Vindicias Versionis B. Lutheri p. 424. Nonnulli per *ἀρχὴν principium sermonis* Christi, hic ad Judæos habiti, intelligunt. Sic ex recentioribus *Martianæus* in Essays p. 287. ita hæc verba vertens: *je vous l'ai dit, même dès le commencement*, i. e. *dixi hoc vobis ab initio*, ubi respici vult v. 12. quo Christus se *mundi lucem* appellat. Idem approbat *Elsnerus* p. 319. ita hæc reddens: *jam a principio dixi vobis.* Sic infra X. ubi denuo Judæi quærunt: an Christus esset? respondet, v. 25. *εἶπον ὑμῖν καὶ οὐ πιστεύετε.* Significare autem *τὴν ἀρχὴν ab initio*, ostendit ex Isocratis Nicocle p. 72. *ὥστε ὥσπερ ἦν τὴν ἀρχὴν, τούτους καὶ νῦν ἔχειν τὴν βασιλείαν* i. e. *ut in regnum etiam nunc, quorum ab initio fuit, teneant.* Plura hujusmodi loca lege in Cl. *Schwarzii* Notis ad Olearium de Stylo N. T. p. 216. Addit *Elsnerus*, hoc præstructo, *τὸ ὅ, τι* non divisis vocibus, sed junctim *ὅτι* legi debere, ac præterea hoc loco, ut in multis aliis abundare. Consentit ex nostratibus *Jo. Saubertus* in Operibus Posthumis p. 31. ita interpretatus: *antea quodcunque locutus sum vobis*, h. e. id omne (scilicet sum) quod jam antea vobis dixi. Ad significationem hanc voci *τὴν ἀρχὴν* vindicandam affert *Gen.* XLIII. 18. 20. & *Dan.* VIII. 1. quibus locis etiam *Elsnerum* usum esse video. Conf. *Keuchenium* ad h. l. *Boisium* in Collat. p. 306. ex LXX. Interpr. differentem. Ante utrumque horum B. *Noldius*

Noldius ad Concordantias Particul. Hebr. not. 1350. eandem interpretationem amplexus eſt: *in principio ſane* (nempe v. 12.) *jam ante dixi vobis.* Is itaque non ὅ, τι per hypodiaſtolen, quam Codicum fidei repugnare putat, ſed ὅτι legi vult, idque per *ſane* interpretatur, quemadmodum καὶ per *jam ante*, utrumque vero ex Hebraiſmo repetit.

Patet ex dictis interpretationem hanc variis incommodis & difficultatibus laborare. Primo enim mutatur ſcriptio vocis ὅ, τι, quam Interpretes & verſiones veteres tantum non omnes hic exhibent. Deinde τὸ ὅτι ab aliis pro ſuperfluo habetur, ab aliis inſolita ſignificatione induitur. Porro τὸ καὶ in interpretatione ab *Elsnero* negligitur, a *Noldio* vero per *ſane* convertitur. Denique non video ullum exemplum vel ex profanis vel ex LXX. Intt. allatum eſſe, ubi τὴν ἀρχὴν i. e. κατὰ τὴν ἀρχὴν in ſignificatione, quam hic obtinere ajunt, ab initio ſermonis ponatur. *Beza* nonnullas harum difficultatum evitavit in ceteris illis conſentiens. Vertit enim: id, quod ab initio dixi vobis, quaſi ſcriptum eſſet: ὅτι καὶ τὴν ἀρχὴν λαλῶ ὑμῖν. Sed contra iſtum lege *Wokenium* in Pietate Critica de Synchyſi p. 109. In easdem partes conceſſit *Rich. Simon*, vertens: *je ſuis celui, qui vous parle dès le commencement* & *Jo. Clericus* in Hiſtoria J. C. p. 117. tum vero *Maximus* in Verſione Græco barbara, de qua confer *Simonis* Hiſt. Crit. N. T. lib. II. p. 230.

Alii τὴν ἀρχὴν de *principio* Chriſti ipſius, ſi ita loqui fas eſt, accipiunt. Ita ſtatuit Cl. J. H. *Majus* in Obſſ. Sacr. Part. I. p. 70. qui ita totam hanc Chriſti orationem ex circumſtantiis textus cenſet conſtituendam: (κατὰ) τὴν ἀρχὴν (εἰμὶ) ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν h. e. jam ab initio ſum vel fui, (hæc enim Temporum ἑτέρωσις uſitatiſſima eſt, ut *Marc.* III. 19. 20. 31. *Joh.* VIII. 58.) *quodcunque vobis loquor*, vel *locutus ſum.* Diſſeruerat vero Salvator de æternitate ſua v. 14. & v. 23. imo de ſe tanquam luce v. 12. Nonnihil hinc abit *Wokenius* de Synchyſi p. 110. Is enim ita παραφράζει: *quod attinet ad originem divina natura, eſt Pater meus, id quod jam dixi* v. 18. ſqq. *Ab hoc traxi originem natura mea, & auctoritatem officii mei* v. 26. Similiter B. *Jo. Fechtius* in Theſibus Biblic. §. 6. cum *Seb. Schmidio* per ἀρχὴν Patrem, tanquam principium Filii, intelligit. Atque hoc ita intelligendum eſſe ex v. 27. patere putat, ubi dicitur: οὐκ ἔγνωσαν ὅτι τὸν πατέρα αὐτοῖς ἔλεγεν. Sunt denique, qui Dominum noſtrum his verbis ſe ipſum ut *principium* rerum omnium repræſentare exiſtimant. Ita ſtatuit *le Moyne* in Notis ad Varia Sacra pag. 452. *Ab analogia fidei*, inquiens, *non aberrabit*, *qui dixerit*, *Dominum noſtrum reſpondere, ſe eſſe* ἀρχὴν, ראשית *primogenitum Dei*, *alludens ad locum Proverb.* VIII. Hanc ſententiam diligentius ornavit Anonymus im Heb Opfer Tom. II. pag. 854. ſqq. Illi enim Chriſtus videtur reſpicere ad *Geneſ.* I. 1. & *Prov.* IV. 7. ראשית חכמה קנה חכמה i. e. ut ipſe interpretatur: *Sapientia eſt principium*; (adeoque) *acquire* (hanc) *ſapientiam*, & Judæis confirmare, ſe eſſe illud re-

rum omnium principium, de quo Moses in limine historiæ creationis exponat, ubi τὸ בראשית idem sit, quod Latine dixeris: per principium. Conf. 1 *Cor.* VIII. 6. Ut vero Judæi, hæc audientes, cogitare possent de illo ראשית Mosaico, vocem τὴν ἀρχὴν putat de industria insolenter in Accusativo esse, & cum ellipsi, tum vero in singulari, cum alias etiam κατ' ἀρχὰς dicatur *Hebr.* I. 10. positam esse. Utrumque enim hoc etiam in voce Mosaica בראשית occurrere. Cetera verba hujus commatis ad hæc ita accommodat, quasi Christus dixerit: *Spectare me debetis ut* ראשית sive *principium illud magnum, anomalon & mirabile, quia non solum inde ab initio mundi locutus sum, sed etiam adhuc, tanquam verbum essentiale, ad vos loquor.* Hinc patet, Auctorem non ὅ, τι legere, sed ὅτι. Hæc interpretatio ut ingenio se commendat, ita vereor, ut cetera multis se probet. Primo enim hic præstruitur aliquid, quod non satis puto ab aliis evictum, τὸ בראשית Mosaicum inferre principium rerum omnium, quod est Christus Deinde nec ratio ulla reddi potest, cur Christus hic voces τὴν ἀρχὴν (quibus nec per ellipsin ab Auctore consulitur, nec, meo judicio, per hanc interpretationem consuli potest) in Accusativo posuerit. Quærunt enim Judæi: Σὺ τίς εἶ; Proximum certe & in proclivi erat respondere, ἡ ἀρχή, si quidem Jesus de se, ut Principio rerum, loqui voluisset. Non sufficit, puto, cum Auctore dicere, anomaliam hanc eo consilio adhibitam fuisse, ut Judæi excitarentur ad cogitandum, voce בראשית itidem insolenter posita. Si enim τὸ בראשית idem sit, quod *per principium*, ceu Auctor explicat, nihil ibi video Grammaticæ regulis adversum.

Alii vocem ἀρχὴν ad initium officii prophetici Christi referunt, hoc sensu: *ipso initio* (officii mei Prophetici) *dixi*, *quod etiamnum dico vobis*, nempe, quod sim lux mundi & Messias. Ita Cl. *Starckius* in Notis Select. p. 106. unde & patet, quod idem τὸ ὅ, τι per hypodiastolen legat.

Diversas has eruditorum sententias animo revolvens, paucissimas difficultates deprehendere mihi videor in ea, quam primo loco proposui, secundum quam τὴν ἀρχὴν idem est, quod *omnino, certissime*. Potior exceptio ea est, quam Cl. *Majus* attulit, nempe, Johannem, alias frequenter hac voce utentem, nunquam alibi eam significationem illi subjecisse. Non negarit Vir doctissimus, idem alias quoque usu venire, ut pro re nata vox aliqua singulari ab eodem Auctore significatu instruatur; hic autem ejusmodi quid accidisse, hoc probabilius videbitur, quod & Hebræi τὸ לבתחלה eadem ratione, ut supra observatum est, adhibere soleant. Qui objiciunt, Christum, si nostra illa interpretatio locum habeat, dicere debuisse non λαλῶ, sed λέγω ὑμῖν, illi non recogitant, Johannem & alios N. T. Scriptores verba λαλεῖν & λέγειν promiscue usurpare. Vide *Joh.* VI. 63. ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν & XII. 48. λόγος, ὃν ἐλάλησα.

Vers. 28. τότε γνώσεσθε, ὅτι ἐγώ εἰμι) Judæus in MS. Anti-Christiano, quod

quod recenſetur in Bibliotheca Uffenbachiana Tom. I. p. 161. objicit hic frivole, non agnoviſſe Judæos Chriſtum etiam poſt crucifixionem, quod tamen hic futurum eſſe prædicatur. Sed fuerunt tamen, qui eum ut talem agnoſcerent ex reſurrectione ejus, & iis, quæ eam conſequebantur, ad quos hic inprimis reſpicitur.

ὅτι ἐγώ εἰμι) *quod ego ſum*, ſcilicet ille, *qui a ſe ipſo nihil facit*, quod Chriſtus paulo poſt addit. Ita *Hombergius* p. 164. Sed malim ego hæc eodem ſenſu recipere, quo accipi eadem debent v. 24.

Verſ. 32. *καὶ ἡ ἀλήθεια ἐλευθερώσει ὑμᾶς*) *ἐλευθεροῦν* eſt *in libertatem vindicare*, & uſurpatur de ſervis manu miſſis apud *Euripidem* in Heraclid. v. 788. & 890. & alibi, quæ loca affert Cl. *Elsnerus* p. 321. qui phraſin hanc cum illa *Epicteti* apud Arrianum IV. 7. p.402. confert: *εἰς ἐμὲ οὐδεὶς ἐξουσίαν ἔχει· ἠλευθέρωμαι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, ἔγνωκα αὐτοῦ τὰς ἐντολὰς, οὐδεὶς οὐκέτι δουλαγωγῆσαί με δύναται.* Ita & alii profanorum Scriptorum hominem ſapientem & probum ſolum ajunt eſſe liberum.

Per *ἀλήθειαν* hic nonnulli intelligunt doctrinam Evangelicam, quatenus opponitur umbris & cerimoniis Legalibus, qua notione *ἀλήθεια* opponitur *νόμῳ* Joh. I. 17. Confer *Suiceri* Theſaurum Tom.I. p.190. & *Amelii* Part. I. p. 107. Quid ſi potius *γινώσκειν τὴν ἀλήθειαν* accipiamus de cognitione Chriſti ipſius, qui ſe ipſum *ἀλήθειαν καὶ ζωὴν* diſerte appellat Joh. XIV. 6? Ita certe inprimis manifeſtum fit, quo ſenſu *veritas* i. e. Chriſtus ipſe, ſi eum cognoverint, Judæos liberatura dicatur. Id confirmatur ex v. 36. ubi dicitur: *ἐὰν οὖν ὁ υἱὸς ὑμᾶς ἐλευθερώσῃ, ſi filius vos liberaverit.*

Verſ. 33. *σπέρμα Ἀβραάμ ἐσμεν*) Phraſin hanc ex Rabbinorum ſcriptis illuſtrat *Hottingerus* in Notis ad Diſcurſum Gemaricum de Inceſtu p. 92.

καὶ οὐδενὶ δεδουλεύκαμεν πώποτε) Libertatis eximiæ & ſingularis perſuaſione turgidi ſemper fuerunt Judæi, unde & de poteſtate Regia, cui ipſi eorum majores olim ſubjecti erant, in ſcriptis ſuis abjecte admodum judicant. Vide *Wagenſeilium* ad Tela Ignea Satanæ in Confutat. Carminis Lipmanni p. 279. Adde p. 314. Patres aliquot hoc Judæorum dictum mendacii arguunt, cum conſtet, eorum gentem Ægyptiis & Babyloniis ſæpe ſubjectam fuiſſe, ſicut & eo ipſo tempore, quo iſta jactabant, Romanis obnoxii erant. Itaque *Heinſius* in Ariſtarcho Sacr. p. 903. eos h. l. ad fœdus ac Legem reſpexiſſe putat, cui qui hærerent, eos liberos dicere conſueverint, ſicut v. c. in *Pirke Avoth* dicitur: *nullus, niſi qui in legis ſtudio ſe exercet, pro libero habetur.* Sed vide, quæ ad hæc cogitata monuit *Seldenus* de Jure Natur. & Gent. p.817. Lege quoque *Serarium* in Trihæreſio p. 5. ſed adde *Scaligerum* in Elencho Trihæreſii p. 369.

Verſ. 34. *πᾶς ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν, δοῦλός ἐστι τῆς ἁμαρτίας*) Rationem ſen-

ſententiæ hujus reddit *Petrus* 2 Ep. II. 19. ᾧ γάρ τις ἥτ]ηται, τύτῳ ϰ̣ δεδύλωται. Convenienter his *Boethius* de Conſolat. ait: *Extrema ſervitus eſt, cum animæ vitiis deditæ rationis propriæ poſſeſſione ceciderint.* Lege ſimilia alia profanorum & Eccleſiaſticorum Scriptorum dicta apud *Gatackerum* in notis ad *Antonin.* II. 3. p. 52. b. & III. 3. item VIII. 3. & *Suicerum* Tom. I. Theſauri p. 956.

Verſ. 36. ὄντως ἐλεύθεροι ἔσεσθε) De libertate, qua in N. T. fruuntur Chriſtiani, diſſerit *Henr. Morus* in Opp. Theolog. p. 393. Confer etiam B. *Gottfr. Olearii* Obſervatt. S. ad Matthæum p. 344. ſqq. ubi de fundamentis majoris παῤῥησίας Fidelium in N. T. diſſeritur.

Verſ. 37. ζητεῖτέ με ἀποϰ]εῖναι) *ſtudetis me interimere.* Is enim hujus verbi ſignificatus frequens eſt in N. T. & apud Auctores, ut *Iſocratem* de Pace p. 398. & in Panegyr. p. 98. & 162. Vide *Elsnerum* p. 322.

ὅτι ὁ λόγ☉ ὁ ἐμὸς ὐ χωρεῖ ἐν ὑμῖν) Plerique τὸ χωρεῖν idem eſſe putant, quod *locum habere, penetrare.* Sed Cl. *Elsnerus* l. c. mavult vertere per: *nihil proficit, non procedit in vobis.* Ita verbum adhibet *Ariſtoph.* in Pace v. 508. χωρεῖ γέ τοι τὸ πρᾶγμα πολλῷ μᾶλλον, ὦνδρες ὑμῶν, i. e. *Jam multo melius res ſucceſſit vobis, o Viri:* ubi Schol. explicant προκόπ]ει τὸ ἔργον. Sic v. 471. Adde *Antonin.* IV. 25. & ibi *Gatackerum.* Recte hoc puto obſervatum eſſe.

Verſ. 39. Εἰ τέϰνα τῦ Ἀβραὰμ ἦτε) Spurios igitur eos, ſenſu ſcilicet ſpirituali, dicebat Salvator, ratione nempe doctrinæ, religionis & vitæ habita. Ita *Hoſeas* cap. I. & II. & Rabbini paſſim. Vide *Triglandii* Diſſert. de Karæis p. 147. Appoſite cum his locum *Sophoclis* Trachin. v. 1072. confert *Jo. Alberti* in Obſſ. Sacr. p. 214.

Verſ. 40. Νῦν δὲ) Νῦν eſt conjunctio, vim argumentationis afferens, ut Joh. XVIII. 37. obſervante hic *Hombergio* p. 68.

ὃς τὴν ἀλήθειαν ὑμῖν λελάληϰα) Ita *Arrian.* p. 268. Epictet. εἶπεν αὐτῷ ὁ Ἀπόλλων τὰς ἀληθείας.

Quæ ex hoc commmate Auctor libri *Chiſſuk Emuna* contra Chriſti divinitatem affert, quia Chriſtus *hominem* ſe appellet, & ſua a Patre ſe audiviſſe profiteatur, ea diluit *Guſſetus* in Confutatione libri illius Part. II. c. 48. p. 407.

Verſ. 43. διατί τὴν λαλιὰν τὴν ἐμὴν ὐ γινώσϰετε;) λαλιὰν de dialecto ſive Stylo ſcholæ ſpiritualis & cœleſtis hic accipit *Vitringa* ad Jeſ. XIX. 18. p. 571. a.

Verſ. 44. Ὑμεῖς ἐϰ τῦ πατρὸς τῦ διαβόλυ ἐςὲ &c.) Ad comma hoc lege ex noſtratibus *Seb. Schmidii* Collegium Biblicum Poſterius p. 111. ſqq. & *Iſaac. Fauſtium* de Diabolo, *Argentor.* 1668. Ex Belgis hic de lapſu Angelorum diſſerit

ferit *Saldenus* in Otiis Theol. p. 545. sqq. Compara cum eo *Jo. Marckii* Exercitat. Textual. XXXV. p. 360. sqq. qui negat, verba hæc ad Angelorum lapsum transferri posse. Nam τὸ *non stare in veritate* simpliciter ait idem esse, quod *mentiri*, non autem a vera bonitate aut veritate divinæ Legis recedere; quia scilicet Dominus v. 44. & 45. de veritate agat, eique opponat mendacium, quod Satanas commiserit, cum Evam ad lapsum perduceret. Sed ista quidem Theologorum Scholis examinanda relinquo, id tantum monens, quod argumentum *Marckii* rem non conficere videatur. Phrasis enim ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐχ ἕστηκε distinguitur a sequente, ὅτι οὐκ ἔστιν ἀλήθεια ἐν αὐτῷ, adeoque amplius aliquid, quam mendacii studium, quod posteriori phrasi potissimum infertur, significat. Lege de eadem phrasi ex Patribus commentantem *Suicerum* Tom. I. Thesauri p. 472. & Tom. II. p. 535.

ἀνθρωποκτόνος ἦν ἀπ' ἀρχῆς) Vide huc *Altingii* Opp. Tom. V. p. 18. lib. V. de Sabbato c. XI. qui per voces ἀπ' ἀρχῆς intelligit diem sextum creationis, atque hinc confirmare conatur, Adamum eodem die sexto lapsum esse, fraude Diaboli. Conf. p. 27.

Ὅταν λαλῇ τὸ ψεῦδος, ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ) Ita *Porphyrius* de Abstinent. Animal. II. §. 42. Cacodæmonibus τὸ ψεῦδος ait esse οἰκεῖον. Conf. *Elsnerum* p. 323. & *Galeum* ad Jamblichum de Mysteriis Ægypt. p. 53. 109. & 213.

ὅτι ψεύστης ἐστὶ καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ) Veterum nonnulli hinc collegerunt, Patrem quendam Diaboli statui debere, referentes scilicet vocem πατὴρ ad ψεύστην sive *mendacem*, cujus dicatur Pater. Lege *Suiceri* Thesaurum Tom. II. p. 635. sq. Atque in hanc sententiam nonnulli verba textus ipsa nonnihil refingere ausi sunt, legentes: καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ ψεύστης ἐστί. Vide hanc in rem *Jo. Croji* Observatt. Sacr. p. 208. & *Millii* Proleg. §. 793. Pro communi lectione consule *Cotelerium* Tom. I. Monum. Eccl. Gr. p. 15. & *Millium* l. c. De ipsa vero sententia, hinc præter rem exsculpta, lege *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra p. 461. sq. Scilicet vox αὐτοῦ in phrasi πατὴρ αὐτοῦ non pertinet ad proxime antecedens ψεύστης, sed ad remotius ψεῦδος, quod pronominibus relativis frequenter usu venit, v. c. *Actor.* VIII. 26. & *Hebr.* IX. 4. Lege in hanc sententiam *Casaubonum* Exercit. XV. adversus Baronium, c. 12. *Nansium* ad Nonni Paraphrasin h. l. & *Boisium* in Collatione p. 309. Id malim, quam cum *Marckio* l. c. dicere, τὸ αὐτοῦ referri debere ad ψεύστης, sed eo sensu, ut per ψεύστην intelligatur homo mendax quivis, cujus Pater dicatur. Id enim si voluisset Salvator, procul dubio nomen ψεύστης repetiisset. Mendacii vero originem primam ad Satanam hic referri, ex eo quoque patet, quod de eo paulo ante dicitur: ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ, i. e. *de suis promit, quæ loquitur.* Nec magis admittendum puto, quod phrasin; ὅταν λαλῇ τὸ ψεῦδος non ad Diabolum simpliciter, sed ad hominem quemcunque hic spectare existimat. Manifestum enim est, unum idemque subjectum esse totius orationis in hoc commate.

Vers.

Verſ. 45. Ἐγὼ δὲ ὅτι τὴν ἀλήθειαν λέγω, οὐ πιστεύετέ μοι) Ἐγὼ hic per enallagen pro ἐμοὶ, quod mox ſequitur, poſitum eſſe nonnulli contendunt. Sed vide *Herzogium* de certitudine Hermeneuticæ N. T. §. 5. qui ſimilia profanorum loca affert, v. c. *Luciani* in Dialog. Mort. p. 20. Οὑτοσὶ μὲν ὅτι κέρβερός ἐστι, οἶδα &c. *Arriani* de Expedit. Alex. M. lib. I. p. 38. αἱ δὲ ὄχθαι αὗται ὁρᾷς ὅτι ὑπερύψηλοι καὶ κρημνώδεις εἰσί. Scilicet τὸ ὅτι in his locis trajicitur. *Boiſius* l. c. cum *Nanſio* ad Nonni Paraphraſin verba hæc per trajectiouem ita interpretatur: *mihi autem non creditis, quod ego veritatem dico.*

Verſ. 46. Τίς ἐλέγχει με) i. e. *nemo unquam me convincet*, ut Hebr. I. 5. Conf. *Job. Ludolphum* Tr. de Locuſtis Part. II. p. 26. quem huc citat Cl. *Trillerus.* B. *Lutherus* verbum hoc reddidit per Zeihen, de qua voce lege *Stadenii* Commentationem de vocibus difficilioribus Verſionis German. Lutheri p. 177.

περὶ ἁμαρτίας) *de peccato*, i. e. de mendacio & pravitate doctrinæ, ut cum *Melanchthone*, *Boiſius* in Collatione p. 310.

Verſ. 48. καλῶς λέγομεν) Eadem phraſi utitur *Polybius* p. 1124.

Verſ. 51. ἐάν τις τὸν λόγον τὸν ἐμὸν τηρήσῃ) Sermo hic eſt de illo Chriſti verbo, quo aſſeveraverat, ſe eſſe Meſſiam; vid. v. 12. Qui hoc fide recepturus ſit, eum Chriſtus de vita æterna certum eſſe vult. Lege in hanc ſententiam *Franzium* de Interpretat. Script. Sacr. p. 744. Ad verbum Evangelii generatim hæc refert *Feurbornius* p. 1492. Opp. & Theologi noſtrates alii. Confer *Jo. Mich. Langii* Diſſert. de antidoto mortis Decade I. Diſſ. Theol. num. IX.

θάνατον οὐ μὴ θεωρήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα) Non de vita in hoc ſæculo, ſed in futuro, perpetuo agenda ſermonem hic eſſe per ſe patet. Confer *Veſperas Groninganas* p. 303. & 316. De phraſi ipſa θεωρεῖν θάνατον vide quæ ſcripſimus ad *Luc.* II. 26.

Verſ. 52. ὅτι δαιμόνιον ἔχεις) Judæos his verbis nihil aliud innuere velle, quam Chriſtum mente captum eſſe, exiſtimat *Amelius* Part. I. p. 332. Et hanc quidem phraſeos hujus notionem eſſe poſſe, ſupra ad Joh. VII. 20. ex *Lamb. Bos* admonitum fuit. Sed videntur tamen Judæi hoc convicio in Chriſtum conjecto aliquid amplius innuere voluiſſe, nempe talem eſſe, qui Satanæ inſtinctu ſua ageret, quemadmodum eundem auxilio Beelzebubi miracula patrare calumniabantur. Quod ex Joh. X. 20. affertur, ubi dicitur: δαιμόνιον ἔχει, καὶ μαίνεται, quaſi poſterius illud, καὶ μαίνεται, explicet prius, de eo aliter habendum eſſe ibidem v. 21. apparet. Ibi enim dicitur: μὴ δαιμόνιον δύναται τυφλῶν ὀφθαλμοὺς ἀνοίγειν. Itaque illi de dæmonio aliquo, quod in Chriſto agere ex aliorum opinione poſſet, cogitabant.

Τὸ

Τὸ μαίνεσθαι igitur pro effectu potius in δαιμονιζομένῳ habendum est, quam ut totus ille status mania constitisse existimetur. Interim *Jos. Mede* in Opp. suis p. 28. sqq. singulari sermone in locum Joh. X. 20. habito eandem nonnullorum sententiam amplectitur, quod δαιμονιζόμενοι N. T. sint maniaci. Sed vide contra alios ita sentientes recte disputantem Rev. *Deylingium* in Obss. Sacr. Part. II. p. 283. sqq.

ἐ μὴ γεύσηται θανάτε εἰς τὸν αἰῶνα) Phrasin hanc ab Hebraismi suspicione liberat *Jos. Arndius* in Miscellan. Sacr. p. 70. Conf. ad *Matth.* XVI. 28.

Vers. 54. ὃν ὑμεῖς λέγετε, ὅτι Θεὸς ὑμῶν ἐςι) Græci alias communiter ita: ὃν ὑμεῖς λέγετε Θεὸν ὑμῶν εἶναι. Sed eodem modo loquendi utuntur & externi Scriptores, v. c. *Arrianus* de Expedit. Alex. VII. 15. 7. & alias. Vide *Raphelii* Annotatt. Polybian. p. 279. & *Gronovium* ad Arrian. III. 1. 3.

Vers. 56. Ἀβραὰμ ὁ πατὴρ ὑμῶν ἠγαλλιάσατο) De efficacia verbi ἀγαλλιᾶσθαι lege B. *Jo. Conr. Dieterici* Antiquitates Biblic. N. T. p. 14. & *Boisii* Collationem ad h. l. p. 311. qui, eo verbo non solum desiderium Abrahami, sed hujus desiderii certitudinem, qua factum sit, ut jam tum exultarit, indicari observat. Latini *gestire* dicerent, quemadmodum Cicero lib. I. de Officiis c. 29. homines alicujus boni cupidos, & de eo potiundo certos *voluptate* ait *nimia gestire & appetitum eorum tanquam exultare cupiendo.*

ἠγαλλιάσατο, ἵνα ἴδῃ τὴν ἡμέραν) Τὸ ἵνα præter morem hic jungi videtur illi verbo, quod, sicut & similia alia, alias cum ὅτι construi patet ex *Matth.* V. 12. *Luc.* I. 47. 48. &c. Itaque sunt, qui τὸ ἵνα, quod finem declarat, ad quem mens intenta est, pro indicio & argumento habent verbi alicujus omissi, & in altero illo ἠγαλλιάσατο quasi latentis, cujusmodi prægnantia verba in Hebræorum inprimis stylo frequenter occurrere *Gatackerus* in Adversariis cap. 31. & B. *Glassius* in Philologia Sacra p. 779. abunde demonstrarunt. Illi itaque phrasin hanc ita παραφράζεσι: *Abrahamus gestiebat dari sibi in conspectum diem illum*, vel, *ut daretur sibi in conspectum dies ille.* Hoc ipsum indicare voluisse videntur *Jansenius* uterque, *Maldonatus*, *Beza* item, *Piscator*, & ex nostratibus *Erasmus Schmidius*, quando vertunt per *gestiebat.* Pluribus vero istam interpretationem ornat Cl. *Christoph. Augustus Heumannus* in Biblioth. Bremensi Class. I. p. 474. sqq. Adde *Elsneri* Observatt. Sacr. p. 323. & *Hackspanii* Notas p. 439. Familiarem vero hunc loquendi modum esse utriusque linguæ Scriptoribus de re vehementer desiderata, ut scilicet *diem illum videre* optent, quo ista eventura sit, post alios ostenderunt *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 63. *Raphelius* in Notis Polybianis p. 280. *Elsnerus* ad h. l. p. 323. & *Jo. Alberti* in Observatt. Sacris p. 214. Sic *Polybius* matrem, amplissimos filii sui honores vehementer desiderantem, sibique promissos ex-

 spe-

ſpectantem, ita introducit loquentem: εἰ γάρ ἐμοὶ ταύτην ἰδεῖν γένοιτο τὴν ἡμέραν i. e. *utinam quidem illuceſcat dies ille, quo id ego videam.*

τὴν ἡμέραν τὴν ἐμὴν, καὶ εἶδε καὶ ἐχάρη) Ampla hic eſt Interpretum diſſenſio de eo, quid per illum Chriſti diem intelligendum ſit, & quomodo Abrahamus eum vidiſſe dicatur? Diverſas illorum ſententias lege expoſitas a B. *Sebaſtiano Niemanno* in Diſſert. de viſione diei Chriſti ab Abrahamo deſiderata, *Jen.* 1663. *Habichhorſtio* in Diſpp. de Abrahamitica diei Chriſti viſione, *Gryphisw.* 1681. & *Jo. Marckio* in Exercitationibus Scripturariis Exercit. XIII. p. 368. ſqq. Nos in ſpicilegio, ex recentiori memoria potiſſimum faciendo, acquieſcemus. Sociniani vim ipſis verbis faciunt, ita interpretantes: *Abraham, Pater veſter, exultaturus fuiſſet, ſi vidiſſet diem meum: & ſi vidiſſet, omnino fuiſſet gaviſurus.* Atque his *Hackſpanius* in Notis ad h. l. p. 439. occurrit, tum ex loquendi ratione hic adhibita, tum ex Judæorum, longe aliter, & cum Chriſtus ipſe non contradicat, recte quidem accipientium, exemplo occurrit.

Alii, rectius hic ſentientes, diem illum de tempore *nativitatis Chriſti* rerumque eam conſecutarum accipiunt, idque omne ab Abrahamo, per ſingularem ἀποκάλυψιν divinam conſpectum eſſe exiſtimant. Inter hos ſunt B. *Wolfgangus Franzius* de Interpretatione Scripturæ Orac. XLVII. & B. *Salomon Glaſſius* in Philolog. Sac. lib. V. Tract. I. c. 4. *Franzius* l. c. profitetur, ſe *non dubitare, Abrahamo oblatam & exhibitam in divina viſione fortiſſima fuiſſe perſonam & faciem Jeſu Chriſti, prout natus fuit ex virgine gentis Abrahamiticæ, crevit, miniſterio miraculorum defungi cœpit, a paſſione exaltatus fuit ad dextram Patris* &c. Atque hanc ſententiam nuper ſuam fecit Cl. *Hemmannus* in Bibliotheca Bremenſi Claſſe I. p. 481. ſq.

Alii, inter quos eſt B. *Calovius* & plerique noſtratium, viſionem & *typicam* in ſuſcepta Iſaaci oblatione, & *moralem*, in promiſſionibus nempe divinis, & *phyſicam* in apparitionibus Filii Dei ipſi factis *Geneſ.* XV. XVIII. & XXII. hic inferri contendunt. Ad apparitiones ejusmodi frequenter Abrahamo & aliis Patriarchis factas viſionem natalis Chriſti refert *Amelius* Part. I. der Erörterung p. 82. Similiter *Starckius* in Notis Selectis p. 107. diem Chriſti natalem Abrahamo ante viſum exiſtimat, cum videret eum in aſſumta humana ſpecie ut *Melchiſedecum & Regem Salem* i. e. ut Regem juſtitiæ & pacis (*Hebr.* VII.) ſibi *Geneſ.* XIV. benedicentem & alias apparentem: *diem* vero *mortis* eidem ait eſſe conſpectum in typo Iſaaci, in oculis ſuis ipſiusque Dei vere immolati, & ex morte reſuſcitati. Speciatim vero hanc viſionem eo die Abrahamo putat oblatam *Werenfelſius* in Sylloge Diſſertationum Theolog. Diſſert. XI. p. 443. quo Chriſtus, ſub habitu Angeli ipſi apparens, Iſaacum filium ſperari juſſit. Sed huic quidem ſe poſt *Jac. Basnagium* in Antiquitatt. Judaicis lib. II. cap. III. §. 24. ſqq. nuper oppoſuit Cl. *Joh. Weſſelius*, Leidenſis Theologus, in Diſſertationibus ad ſelecta quæ-

quædam loca V. & N. T. Differt. II. quæ de *Jehova in monte provisuro* ad Genes. XXII. 14. exponit. *Cognitionem & desiderium promissionum*, quarum summa fuerit Christus, visionem istam absolvisse existimat *Vitringa* in Observatt. Sacris lib. II. pag. 126. Atque ab hoc non alieni esse merito existimantur, qui *mentalem*, quæ fide fit, contemplationem tum passionis, tum consecutæ exaltationis Christi, indicari autument. Inter hos sunt *Marckius* & *Wesselius* ll. cc. quorum hic Abrahamum vehementer ait gavisum esse, quando subinde clariorem diei Christi, etiam qua passuri, cognitionem acceperit. Atque ante hos idem quoque statuit *Jac. Altingius*, contendens, Abrahamum *non vidisse Christum nisi in promissione*, & *quantum ejus in promissione viderit per fidem*, *tantum quoque lætatum esse*. Hujus vero lætitiæ initium in *natalis* diei complementum autem in diei resurrectionis visione collocat. Accipe verba ejus ita concepta: *Promissio illa*, *in qua Christum vidit dilucidius*, *quam qui ante ipsum vixerunt*, *fideles*, *hæc est*: In semine tuo benedicantur omnes gentes terræ, Gen. XXII. 18. *Ita hac promissione vidit Christi diem natalem*, *quod ex suo semine nasciturus esset*, *ac futurus filius Abrahami*; *sed in eo non vertebatur summus lætitiæ gradus*: *hunc tum demum adeptus est*, *quando in eadem promissione vidit semen illud suum benedictionem eam procuraturum*, *quæ ad omnes familias terræ extenderetur*. *Tale vero semen suum vidit in die resurrectionis Christi*, *quando maledictam mortem non adiit modo*, *sed quoque superavit*: *nam ab eo tempore benedictio Abrahami exstitit in gentibus in Christo Jesu Gal.* III. 13. 14. *Dies igitur Resurrectionis Christi fuit ille*, *quo per fidem viso Abrahamus solidum gavisus est gaudium*. *Præterea cum primum dicta fuit hæc promissio benedictionis ad gentes redundaturæ de semine Abrahami*, *viderat ille in typo diem Christi e morte resurgentis*. *Nam filium Isaacum*, *de quo promissiones loquebantur*, *in hostiam Deo oblaturus*, *vivum receperat*, *Hebr.* XI. 17. Ita *Altingius* in Tractatu de Sabbato mere Evangelico Tom. V. Opp. p. 86. Conferatur idem Tom. IV. Opp. in calce p. 24. sqq. Sed eam quidem interpretationem displicere sibi professi sunt *Coccejus* ad h. l. & *Jo. Melchioris* Tom. I. Opp. p. 752. Ex nostratibus vero eam, suopte ingenio, non *Altingii* exemplo ductus Rev. *Jo. Laurent. Moshemius*, Acad. Juliæ Theologus, tuendam suscepit in Biblioth. Bremens. Class. II. p. 209. sqq. Is scilicet existimat, *diem Christi* hic esse diem *resurrectionis*, pag. 238. eum vero Abrahamo visum autumat, cum Isaacum die tertia a præcepto, quod de eo immolando acceperat, Gen. XXII. 4. vitæ penitus vindicatum sibique redditum conspiceret.

Atque hi quidem, quos hactenus recensui, omnes, visionem hanc diei Christi Abrahamo contigisse censent, antequam ille vere hominibus, in terra degentibus, illucesceret.

Sunt vero alii, qui diem Christi de toto tempore gratiosæ manifestationis & regni Messiæ accipientes, visionem illius hic memoratam Abrahamo, non in terra versanti, eamque ante quam exstaret, conspicienti, oblatam esse existimant, sed tum demum ipsi, quod ad animam in cœlo versanti, evenisse contendunt, cum Christus in carne se hominibus con-

ſpiciendum audiendumque præberet, & Abrahamus de hac re per divinam revelationem certior eſſet redditus. Hæc ſententia præter ceteros ex Reformatis ſe probavit *Johanni Melchioris* Tomo I. Opp. Latinorum p. 751. ſq. & nuperrime *Frider. Adolpho Lampio* in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. I. p. 487. ſqq. cui ea cum genuino phraſeos ſignificatu, cum re ipſa, nexu denique & ſcopo dictionis Chriſti apprime conſentire viſa eſt. Non æque tamen ſe probavit eadem *Jo. Marckio* l. c. & aliis, ad quorum exceptiones reſpondere quidem inſtituit *Lampius* l. c. p. 513. novis ipſe impeditus a *Mosbemio* p. 218.

Lector a me non exſpectabit, ut in hac inſtituti mei anguſtia omnium illarum ſententiarum examen ſuſcipiam. Ex iis interim eam mihi inprimis placere non diffiteor, quam primo loco commemoravi. *Dies* ſcilicet *Chriſti* infert omne tempus ἐνανθρωπήσεως ejus, geſti muneris, paſſionis item, reſurrectionis & adſcenſionis in cœlum, id quod laudati ſcriptores ſatis adſtruxiſſe mihi videntur. Hoc tempus Abrahamo viventi oculis corporis conſpiciendum datum eſt ope divinæ ἀποκαλύψεως ſingularis, quod vox ἰδεῖν repetita, deſiderium Abrahami vehemens tale quid videndi, ac cum his ἀμέσως conjuncta exultantis gaudii ſignificatio credere jubet. Apparet præterea utique Dominum noſtrum Abrahamo, quem ex ceteris fidelibus V. T. unum memorat, præ reliquis prærogativam aliquam vindicare. Hæc vero vel nulla, vel levis foret, ſi tota res ad promiſſionem divinam, fide receptam, vel prævisionem, fide factam, tantum referatur. Hæc enim & ceteris Patriarchis communis fuit. Abrahamus eſſe debebat *pater credentium* Rom. IV. 11. Itaque conveniens erat, ut fides ejus quocunque, & eo quoque modo, qui efficaciſſimus eſſe poterat, confirmaretur. Nec inſolens hoc Deo eſſe, ut ſuis hac in parte ſingulare quid exhibeat, vel Moſis exemplo conſtare poteſt, quippe ad quem de facie ad faciem locutus eſt, cuique ſe ſingulari & proprio modo conſpiciendum præbuit. Accedit denique, quod ipſi Judæi, non repugnante Chriſto, viſionem Abrahami de corporali accipiant, mirantes ſcilicet, qui Chriſtus, ea ætate cum ſit, Abrahamum jam videre potuerit. Atque hæc hactenus.

Verſ. 57. πεντήκοντα ἔτη οὔπω ἔχεις) Ex his verbis nonnulli conficiunt, habitum faciei Chriſti ſeveriorem fuiſſe, ita ut majorem, quam quidem vere habebat, ætatem præ ſe tulerit. Vide *Amelium* Part. I. p. 126.

Verſ. 58. πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι) i. e. *antequam Abraham naſceretur.* Ita enim Scriptores Græci, nominatim *Xenophon* Hiſt. Gr. lib. III. pag. 385. Cyropæd. lib. VIII. pag. 185. & *Arrianus* Epictet. pag. 204. totidem fere verbis πρὶν Ἱπποκράτη γενέσθαι. Conf. *Raphelii* Annotatt. Polybian. pag. 281. & Xenophonteas pag. 132. Sic quoque *Rich. Simonius* in verſione ſua Gallica, quam ab adverſariorum exceptionibus tuetur in Biblioth. Critica Tom. IV. ep. 45. & 46. Confer de genuina vocum γενέσθαι & γένεσις notione *Petavium* Tom. II. Dogmat. Theolog. pag. 272. ubi de SS. Trinitate lib. V. cap. I. §. 6. Adde Tom.

Tom. V. pag. 143. Atque ex hac propria & nativa phraseos significatione facile occurritur ψευδερμηνίᾳ Socinianorum de prærogativa paternitatis fidelium, Abrahamo collata, hic cogitantium. Lege contra eos *Calovium* in Triga Exercitatt. Selectarum Witteb. 1670. *Hackspanium* in Notis pag. 440. & *Spenerum* in Tractatu vernaculo de divinitate Christi p. 314. sq.

Ἐγώ εἰμι) i. e. *ego fui*, ut Præsens ponatur pro Præterito, quod alias fit, inprimis in simili argumento, v. c. *Ps.* XC. 2. πρὸ τῦ ὄρη γεννηθῆναι — σὺ εἶ & *Prov.* VIII. 15. πρὸ δὲ πάντων βυνῶν γεννᾷ με. Confer *Pearsonium* ad Symbolum Apostolicum p. 196. versionis Latinæ. Videtur tamen hæc enallage amplius aliquid inferre, & destinato consilio adhibita. Sic *Steph. le Moyne* ad *Jerem.* XXIII. 6. p. 119. ita hæc παραφράζει. *Ego sum, scilicet ille* יהוה, *ille* אהיה *qui est Deus Abrahami, & qui in rubo se vocavit* εἰμί. *Ait vero* ἐγώ *i. e. ipse, tanquam persona, essentia prædita, non tantum aliquo modo, v.c. quoad nomen, quod Judæi ante mundum productum statuunt cap. I. Sanhedrin.* Ad divinitatem suam æternam Dominum hic respicere, manifestum est, & mirum omnino, alios hic de *decreto* divino, talem scilicet, qualis tunc erat, nempe θεάνθρωπος, Christum aliquando esse debere, cogitare potuisse. Contra hos lege *Philippi Mesnardi* Essay sur le Socinianisme Parte II. Confer den Bücher-Saal Part. II. p. 147. sq. Ad existentiam corporis cujusdam cœlestis, Domino ante primum orbis conditi diem formati, Melchisedecianus quidam apud Epiphanium p. 363. hoc inepte retulit, de qua sententia, a *Petersenio* incrustata, & alias adhibita, alibi in hoc opere dicemus.

Vers. 59. Ἦραν ὖν λίθυς, ἵνα βάλωσιν ἐπ' αὐτὸν) Ita *Plutarchus* in Alexandro p. 487. ἔβαλε σκύφον ἐπ' αὐτόν.

Ἰησῦς δὲ ἐκρύβη καὶ ἐξῆλθεν) Trajectionem hic statuit *Hombergius* in Parergis p. 168. idemque esse vult, ac si legeretur: ἐξῆλθε, καὶ ἐκρύβη, quemadmodum c XII. 36. dicatur ἀπελθὼν ἐκρύβη ἀπ' αὐτῶν. Sic autem putat simul apparere, quomodo Christus occultare se potuerit, & tamen per medios transire. Sed malim orationem suo ordini relinquere. Existimo enim, illud ἐκρύβη non ad nudum secessum a populo factum spectare, sed ad occultationem per miraculum ita factam, ut Judæi, oculis capti, Dominum retinere aut noxa afficere non potuerint. Atque eandem occultandi rationem cap. XII. quoque indicari non dubito.

διελθὼν διὰ μέσυ αὐτῶν) Desunt hæc in Codd. nonnullis, & versionibus quoque, nominatim Vulgata, unde nec B. *Lutherus* noster expressit. Nonnulli ea pro glossemate habent ex *Luc.* IV. 30. petito, inter quos est *Erasmus*, *Beza*, *Grotius* & *Millius* in Prolegom. §. 752. Sed vide *Glassium* in Philologia Sacra lib. I. Tract. II. p. 166. & *Franckium* in Observationibus Germanicis p. 205. sq. γνησιότητα verborum recte adstruentes, quam & *Hombergius* p. 168. salvam esse statuit. Ex Luca ea petita esse veri specie hoc magis destituitur, quod ille locus nostro prorsus non est parallelus, sed ad aliam occasionem pertinet.

C A P. IX.

VErf. 1. εἶδεν ἄνθρωπον τυφλὸν ἐκ γενετῆς) Vide huc B. *Ittigii* Difput. fingularem de caufis cœcitatis in homine, nato cœco, quæ recufa eft in Enneade Differtt. ejus p. 108. fq. ubi tria priora hujus capitis commata illuftrantur. Hominem hujusmodi Lucretius una voce *cæcigenum* dixit lib. II. Non audiendi videntur veterum Patrum illi, qui contendunt, Dominum cœco huic non folum videndi facultatem reddidiffe, fed & oculos formaffe. Vide eos appellatos a *Suicero* Tom. II. Thefauri p. 1345.

Verf. 2. τίς ἥμαρτεν, ἔτος, ἢ οἱ γονεῖς ἀυτῦ;) Quæftionis hujus caufas alii ad præexiftentiam animarum, quam Judæis atque adeo & difcipulis Jefu eo tempore creditam effe ftatuunt, alii ad metempfychofin referunt. Utriusque fententiæ patronos recitat, fententiasque ipfas examinat *Ittigius* l. c. p. 131. fqq. Vide etiam *Drufium* p. 252. de Sectis & *Altingium* Tom. V. Opp. in Epiftolis p. 360. qui oftendit, metempfychofin Judæis nunquam fuiffe approbatam, ac præterea conjecturas quasdam profert de eo, quomodo homo, etiam non natus, peccare poffit. Adde *Henr. Morum* p. 67. Opp. Theolog.

Verf. 3. ὔτε ἔτος ἥμαρτεν, ὔτε οἱ γονεῖς ἀυτῦ) Lege huc *Andr. Mafium* ad Jofuam p. 115. Socinianos perperam & precario his verbis ad elevandam peccati originalis fœditatem & reatum uti, demonftrat *Ittigius* l. c. p. 176. Confer *Hackspanii* Notas ad h. l. p. 442. Scilicet difcipuli non fimpliciter & abfolute hic quærebant: utrum Parentes an cœcus ipfe peccarint, fed utrum ita peccarint, ut fingulari hac pœna affici debuerint? Itaque nec abfolute negat Chriftus, eos peccaffe, fed negat, præ aliis ita peccaffe, ut pœna hæc hominem obruerit. Accedit huc, quod verbum חטא non femper *peccatum* nudum, fed *reatum* ejus inferat, ut *Genef.* XLIII. 9. ut fenfus verborum Chrifti fit: *neque hic reus eft, neque Parentes ejus.* Lege *Hackspanium* l. c. & *Guffetum* in Lexico Hebr. rad. חטא, lit. B. Patres nonnulli eodem modo hæc acceperunt, de quibus lege *Suicerum* Tom. I. Thefauri p. 206.

ἀλλ' ἵνα φανερωθῇ τὰ ἔργα τῦ Θεῦ) Τὸ ἵνα hic non *caufale* eft, fed *eventuale*, ut *Numer.* XXXII. 14. & *Pf.* LI. 5. Conf. *Hackspanii* Notas p. 445.

Verf. 4. ἔρχεται νὺξ) Noctem hanc de tempore poft hanc vitam accipit *Chryfoftomus* in h. l. Conf. *Suicerum* Tom. II. Thefauri p. 436. qui de obfervatione doctrinæ cœleftis mavult interpretari.

Verf. 6. ἔπ]υσε χαμαὶ, καὶ ἐποίησε πηλὸν &c.) De diverfis his Chrifti actibus lege *Bartholinum* de morbis Biblicis cap. XX. in Fafcic. V. Opufcul. Philolog. pag. 493. feqq. & *Urfinum* in Analectis Tom. II. pag. 135. Adde quoque *Fleetwodum* pag. 38. Infcript. num. IV. Cerimonias has exter-

nas ad ſanandum hominem nihil feciſſe, atque adeo alio inſtituto adhibitas fuiſſe, recte contendit *Henr. Morus* in Opp. Theolog. p. 137. Speciatim conjicit is, Dominum, ut æternum conditorem, qui olim e limo terræ hominem formarit, lutum hic ſputo temperaſſe, ut ſe & talem demonſtraret, & opus manuum ſuarum emendare poſſe oſtenderet. Lege ibi plura in eandem ſententiam, inter quæ illud mihi quidem ſubtilius videtur, quod ad piſcinam *Siloam* dicitur eſſe miſſus, ideo, ut *Schiloh* ſeu *Meſſias* vel ſic indicaretur. Vide, quæ dicemus ad v. 7.

Verſ. 7. *νίψαι εἰς τὴν κολυμβήθραν*) Vertunt vulgo: *ablue in piſcina* ſcilicet oculos, ut τὸ εἰς poſitum ſit pro ἐν. Sed Cl. *Elsnerus* p. 324. monet, rectius verti poſſe, ſervata uſitatiore τȣ̃ εἰς notione: *ablue* (ſordes) *in piſcinam.* Similem huic phraſin idem affert ex *Xenophonte* lib. I. Cyropæd. p. 9. *ὅτι σε ὁρῶ, ὅταν μὲν τȣ̃ ἄρτȣ ἅψῃ, εἰς ȣ̓δὲν τὴν χεῖρα ἀποψώμενον* i. e. *quod te, ſi panem attigeris, ad nullam rem extergere manum video.*

κολυμβήθραν Σιλωάμ) ברכת השלח *Nehem.* III. 15. erat extra urbem. *Joſeph.* VI. 38. de Bell. videtur vocare *Σολομῶνος κολυμβήθραν.* Ortum quidem hæc videtur habuiſſe a fonte Siloam, ſito ad angulum urbis Auſtro-occidentalem. Ita *Relandus* in Palæſtina Sacra p. 857. Confer eadem tradentem B. *Carpzovium* in Notis ad *Schickardum* de Jure Regio Hebr. unde ſua accepiſſe videtur Relandus. Idem *Carpzovius* allatis Hebræorum locis oſtendit, fontem illum & piſcinam inde ductam in magna exiſtimatione apud Judæos fuiſſe.

ὃ ἑρμηνεύεται ἀπεσταλμένος) Reſpicitur ſcilicet ad Hebr. שלח i. e. *miſit.* Hinc Hebraice dixeris שילוחם *dimiſſus*, ut dicitur אחוזם nomen Viri, 1 *Chron.* IV. 6. Conf. *Hilleri* Onomaſticon Sacrum p. 175. Errant itaque, qui ad שימה *Geneſ.* XLIX. hic reſpiciunt, atque id nominis vel ex h. l. per *miſſum* interpretantur, quod facit *Poſſinus* in Spicileg. Evang. p. 148. atque eo confidentior *Harduinus* in Opp. Selectis p. 515. a. qui non ſolum contendit, ad nomen שילה hic alludi, ſed præterea Gen. XLIX. שילח per ח legi vult. Perſpectum eſt Hebraice gnaris, nomen *Schilo* rectius a שלה quæ pacem, & tranquillitatem infert, derivari. Interim non adverſabor *Poſſino*, vel aliis, qui piſcinam Siloam varia habere ſtatuunt, ſub quibus Chriſtum nobis repræſentare poſſimus.

Ἀπῆλθεν οὖν, καὶ ἐνίψατο, καὶ ἦλθε βλέπων) Emphatice hic pauciſſimis verbis res non leves exprimi, obſervat *Hombergius* p. 168. Adde v. 15.

Verſ. 9. *ὅτι ὅμοιος αὐτῷ ἐστιν*) Apparet hinc, Judæos difficulter credidiſſe, homini huic videndi facultatem a Chriſto fuiſſe reſtitutam. Hanc difficultatem ut non augeret Dominus, exceptionibusque, quoad fieri poſſet, occaſionem omnem præriperet, a daudis homini huic, procul

dubio

dubio egeno, eleemosynis studio cavisse sibi videtur, ne scilicet objicerent Judæi, hominem pecunia corruptum esse, ut miraculum hoc in Christum falso referret. Idem factum est de cœco alio *Marc.* X. 46. Vide huc *d'Espagne* Part. II. **der Wunder GOttes in der Ubereinstimmung der Zeit** p. 730. & *Amelium* Part. I. p. 559.

Vers. 14. Ἦν δὲ σάββατον, ὅτι τὸν πηλὸν ἐποίησε &c.) Nihil hic fecisse Jesum, quod vel Legibus divinis de Sabbato, vel praxi Judæorum in ejusmodi casibus adversaretur, alias ad *Matth.* XII. ostensum est. Confer tamen huc *Relandi* Antiquitt. Hebr. p. 483. & *Serarium* in Trihæres. p. 36.

Vers. 17. ὅτι προφήτης ἐςὶν) Non simpliciter Christum hic Prophetam quemcunque, sed eximium illum, per Mosen a Deo promissum, indicare homo sanatus videtur. Quamvis enim articulus ὁ non additus sit, quem forte hic requirere poteras, constat tamen, eum passim desiderari, ubi res etiam singularis indicatur. Ita certe accepisse verba videntur Judæi, ut patet ex v. 22. ἐάν τις αὐτὸν ὁμολογήσῃ Χριςόν.

Vers. 20. Οἴδαμεν, ὅτι οὗτός ἐςιν ὁ Θεὸς ἡμῶν &c.) Per ethopœiam hic sermonem Parentum ita referri, ut hominum simplicium & subtimidorum loquendi rationem referat, observatur in Bibl. Bremensi Class. I. p. 429. allatis similibus veterum locis.

Vers. 22. ἀποσυνάγωγος γένηται) Hac phrasi nonnulli exclusionem tantum a societate civili & consuetudine externa intelligi volunt: illi vero introitum potius in Synagogas & Templum simul prohibitum indicari contendunt. A priorum partibus stant *Jo. Seldenus* de Synedriis lib. I. cap. VII. p. 107. & 125. & de Jure Nat. & Gent. p. 540. itemque *Lightfootus* ad h. l. Posteriorum vero sententiam tuentur *Witsius* in Miscellan. Tom. II. Exerc. II. §. 11. sqq. & ex nostratibus Rev. *Pfaffius* in Originibus Juris Ecclesiast. p. 99. sqq. Atque horum quidem argumenta ceteris præferenda esse, qui legerit, mecum largietur. Confer præterea *Zimmermannum* ad dictum Tertulliani: *Fiunt, non nascuntur Christiani*, p. 367. Adde, quæ dicentur ad *Joh.* XVI. 2. Profanas quoque gentes homines maleferiatos ab ædibus sacris arcuisse, ostendit *Picinellus* in Lumin. Reflexis p. 663.

Vers. 23. ὅτι ἡλικίαν ἔχει) i. e. *ætate maturus est.* Ita *Xenophon* Cyropæd. lib. I. p. 28. ἐπεὶ δὲ ἔχοιεν τὴν ἡλικίαν. Vide dicta ad *Matth.* VI. 27. & *Luc.* II. 52. Conf. elegantissimi *Jo. Alberti* Obss. Sacr. p. 215.

Vers. 24. ὁ ἄνθρωπος οὗτος ἁμαρτωλός ἐςιν) i. e. *homo flagitiosissima vita est.* Conf. *Matth.* IX. 10. 11.

Vers.

Verſ. 27. *καὶ ὐκ ἠκέσατε*) i. e. *non attendiſtis.* Verbum enim *ἀκέειν* non ſolum *audire* ſimpliciter, ſed & *percipere* recte, & in animum admittere ſignificat. Quod cum recogitarent alii particulam *ὐκ* temere omiſerunt. Nec opus quoque eſt, ut interrogative hæc exprimantur: *nonne audiiſtis?* Id ſcilicet fieri hic poſſe, cenſuit *Rich. Simon* in Notis ad Verſ. Gallicam.

Verſ. 28. *Ἐλοιδόρησαν ὖν αὐτὸν*) *Diſceptarunt cum eo*, ut verti vult *Keuchenius* ad h. l. p. 162. Scilicet ea notione verbum hoc *τοῖς* LXX. adhiberi, patet ex *Exod.* XVII. 2.

σὺ εἶ μαθητὴς ἐκείνε) Pontificii nonnulli hæc ita converti voluerunt: *tu ſis diſcipulus ejus.* At indicandi modum hic locum habere, patet vel ex ſequentibus: *ἡμεῖς δὲ τῦ Μωσέως ἐσμὲν μαθηταί.* Taceo alia, quæ pro B. *Luthero* hic affert *Raithius* in Vindiciis verſionis ejus German. p. 424.

Verſ. 29. *Τῦτον δὲ ὐκ οἴδαμεν πόθεν ἐςίν;*) Ad enervandam hanc Judæorum cavillationem Cl. *Jo. Andr. Danzius* Diſputationes ſuas *de Inauguratione Chriſti ad docendum haud obſcuriore Moſaica* retulit, Jen. 1717.

Verſ. 30. *Ἐν γὰρ τύτῳ θαυμαςὸν ἐςι*) i. e. *hoc certe miror*, ut *Boiſius* in Collatione p. 312. Germani dicerent: **ſo iſts denn Wunder.**

Verſ. 31. *ἐάν τις θεοσεβὴς ᾖ-τύτε ἀκέει*) Similibus dictis plena ſunt profanorum ſcripta, ex quibus ea collecta vide ab *Elsnero* p. 325. ſq. Confer *Galeum* ad Jamblichum p. 280. Adde *Terentii* Adelph. Act. IV. Scen. V. Lege quoque *Buddei* Inſtitut. Theolog. Moralis p. 380.

τύτε ἀκέει) Ad ſupplendam ſententiam hæc poſtliminiō addita eſſe *Millius* in Prolegomenis ſuſpicatur, eo quod deeſſe vidit in MS. quodam Cod. Evangelii Johannis & apud Chryſoſtomum. Verum & conſtans Codicum verſionumque conſenſus, & emphatica hominis oratio *γνησιότητα* horum verborum ſatis tuentur.

Verſ. 32. *Ἐκ τῦ αἰῶνος ὐκ ἠκέσθη*) Ita etiam Auctores loquuntur. Vide *Vorſtii* Philolog. Sacr. Part. II. p. 256.

Verſ. 34. *Ἐν ἁμαρτίαις σὺ ἐγεννήθης ὅλος*) Similiter *Xenophon* Hiſt. Gr. lib. V. p. 439. dixit *ὅλον ἁμάρτημα* i. e. *quantum, quantum eſt, inſigne delictum eſt.* Conf. *Raphelium* p. 133. Senſus dicti eſt: *homo ſumme vitioſus es.* Vide *Hackſpanii* Notas p. 445. qui de duplici Hebraiſmo hic latente monet.

καὶ ἐξέβαλον αὐτὸν ἔξω) Unum hoc eſſe excommunicationis exemplum, quod in hiſtoria N. T. exſtet, obſervat *Vitringa* in Archiſynagogo p. 366.

Verſ. 39. *καὶ οἱ βλέποντες τυφλοὶ γίνωνται*) Neque tamen *τύφλωσις* hæc

 Deo,

Deo, sed hominum obstinatæ malitiæ adscribenda est. Ita veteres Patres, quos vide apud *Suicerum* Tom. I. Thesauri p. 703. sq. Scilicet τὸ ἵνα hic, ut sæpe alias, non est αἰτιολογίας seu *causa*, sed ἐκβάσεως i. e. eventus nota. Vide eundem *Suicerum* p. 1454.

Vers. 41. Ει τυφλοὶ ἦτε, ὐκ ἂν εἴχετε ἁμαρτίαν &c.) Cl. *Elsnerus* p. 326. hic non de cœcitate & luce animi sermonem esse existimat, sed id potius Christum innuere contendit: si cœci essetis naturaliter, atque adeo hunc hominem, visu a me donatum, videre non possetis, non tantæ culpæ obnoxii essetis, quantæ nunc estis, cum & videatis probe hoc miraculum, & videre vos jactetis. Conferri hanc in rem vult c. XV. 24. *Hackspanius* in Notis p. 446. ita παραφράζει· *si agnosceretis vestram cæcitatem, non essetis rei peccati.* Phrasin enim ἔχειν ἁμαρτίαν idem esse ait, quod *peccasse*, & *peccati reum esse.*

CAP. X.

VErs. 1. Ἀμὴν, ἀμὴν, λέγω ὑμῖν, ὁ μὴ εἰσερχόμενος διὰ τῆς θύρας εἰς τὴν αὐλὴν τῶν προβάτων &c.) Communiter hæc de ratione ad munus Ecclesiasticum perveniendi accipiuntur, sed M. *Georg. Ludov. Oederus* Part. II. Observatt. Sacr. pag. 59. seq. eum potius Salvatoris scopum hic esse contendit, ut edoceat homines, qua ratione in Ecclesiam, tanquam ovile suum, non ut pastores, sed ut oves ingredi debeant. Hoc fine se verum esse pastorem probare, eos vero, qui inter Judæos pro pastoribus se gesserint gerantque, latrones esse & fures. Rationes ita sentiendi has affert. Primo quidem ad occasionem hujus sermonis provocat. Ejectus erat homo paulo ante cœcus ex Synagoga & Ecclesia Judæorum. Eum Christus ad se & agnitionem sui perduxerat, h. e. in suum receperat ovile. Tum vero, dissentientibus & indignantibus adhuc Pharisæis crimen suum breviter & graviter exprobrabat, statimque in hunc descendebat sermonem, probaturus, non admodum esse dolendum, si quis ex cœtu Judaico ejiceretur. Doctores enim præsentes latrones esse & fures, qui exturbarint hominem innocentem, se vero fidelem pastorem, per quem unice pateret aditus in veram Ecclesiam, quique omnes ad se accedentes libenter reciperet. Confer inprimis v. 9. Hæc recte ita dici non dubito, quamvis non inficier, ex eodem Christi sermone aliqua, modo sobrie id fiat, accommodari posse ad Doctores Ecclesiasticos in universum, ad rationem munus Ecclesiasticum ingrediendi, ad mores etiam Christianorum formandos, qui instar ovium cœtui Christi vel juncti sunt, vel jungi cupiunt: sed ita id fieri necesse est, ut semper cogitetur, primarium Christi institutum fuisse, perditissimum eo tempore statum Ecclesiæ Judaicæ Doctorumque ejus repræsentare. Hoc ipso via præcludetur variis, iisque & falsis & periculosis opinio-

opinionibus, quibus ex hac pericopa a nonnullis noſtra ætate quædam veri ſpecies conciliari viſa eſt. Hypotheſin hanc ad omnia momenta, quæ ſequuntur, explicanda apprime facere ex dicendis patebit. Ceterum per *θύραν* hic *Chryſoſtomus*, & alii quidam Patrum intelligunt Scripturam Sacram. Vide *Suicerum* Tom. I. pag. 1414. quibus tamen mox ſequens ipſius Chriſti explicatio merito opponitur.

Verſ. 3. *Τούτῳ ὁ θυρωρὸς ἀνοίγει*) Pertinet huc ex ritibus veterum, quod januis oſtiarii ſeu janitores appoſiti ſint. Vide huc *Caſp. Sagittarium* de Januis veterum c. XVI. & *Pignorium* de Servis p. 443. ſqq. De Spiritu S. oſtiario exſtat *Jo. Jac. Stübelii* Programma. Vide *Famam Eruditam* Part. LIII. p. 332. Ex Patribus per *θύραν* alii *Angelum* Eccleſiarum præſidem, alii *Spiritum S.* alii *Moſen*, alii *Chriſtum* ipſum intelligunt. Vide *Suicerum* Tom. I. p. 1418.

καὶ τὰ πρόβατα τῆς φωνῆς αὐτοῦ ἀκούει) Ad phraſes has illuſtrandas commentatur ex *Longi* Paſtoralibus lib. I. p. 22. p. 31. & 32. item lib. IV. p. 159. Cl. *Majus* in Obſſ. Sacr. Part. III. p. 112.

καὶ τὰ ἴδια πρόβατα καλεῖ κατ' ὄνομα) Morem antiquiſſimum nomina propria canibus, felibus, equis, ovibus, hircis, piſcibus imponendi idoneis veterum locis diligenter probat Cl. *Fabricius* in Notis ad Sextum Empiricum pag. 19. Confer *Spanhemium* ad Callimachum p. 434. & *Salmaſium* ad Solinum p. 895. Ad locum hunc propius ſpectat id, quod *Longus* ait lib. IV. p. 175. ubi de Daphnide dicitur: *τὰς αἶγας προσεῖπε, καὶ τοὺς τράγους ἐκάλεσεν ὀνομαστί*, h. e. *capellas allocutus eſt, hircosque nomine compellavit.* Idem p. 190. *ὁ δὲ Δάφνις ἐκάλεσε τινας αὐτῶν ὀνομαστί.* Conf. Cl. *Majum* l. c. p. 113. Quod ad ſententiam ipſam attinet, manifeſtum eſt, Chriſtum hic de ſe tantum, tanquam vero Paſtore, loqui. In hujus enim poteſtate tantum poſitum eſt, oves ſuas ſingulas noſſe & appellare, quod fieri non poteſt ab homine Miniſtro ullo, inprimis ſi de interiore cognitione, de qua hic ſermo eſt, cogites.

Verſ. 4. *Καὶ ὅταν τὰ ἴδια πρόβατα ἐκβάλῃ*) *ubi oves ſuas emiſerit.* *Τὸ ἐκβάλλειν* denotat *emittere* & *expellere*, ſicut apud Hebræos verba שלח & גרש promiſcue uſurpantur. Vide *Pſ.* XLIV. 3. *Geneſ.* III. 23. 24. & *Exod.* XII. 3. Conf. *Hackſpanii* Notas p. 447. Adde, quæ ſcripta ſunt ad *Matth.* IX. 38.

ἔμπροσθεν αὐτῶν πορεύεται) Facit huc locus *Columellæ* VII. 6. *Magiſter autem pecoris acer, durus, ſtrenuus, laboris patientiſſimus, alacer atque audax eſſe debet; & qui per rupes, per ſolitudines atque vepres facile vadat: & non, ut alterius generis paſtores, ſed plerumque, ut antecedat gregem.*

Verſ. 6. *Ταύτην τὴν παροιμίαν*) De ſignificatu vocis *παροιμία* h. l. lege *Vorſtii* Philolog. Sacr. Part. I. p. 118. *Druſium* Præteritorum lib. IV. p. 137. & lib. II. claſſ. II. Proverbiorum adag. 67. item *Boiſium* in Collatione p. 313.

Verf. 7. ὅτι ἐγώ εἰμι ἡ θύρα τῶν προβάτων) Quæritur hic, quomodo Chriftus fe ipfum hic appellare poffit *oftium ovium*, qui ipfe per oftium in caulam ingreffus fit? Duplex itaque oftium effe obfervat *Oederus* l. c. aliud, quod dicatur θύρα εἰς τὴν αὐλὴν τῶν προβάτων v. 1. per quod nimirum ad officia in ovili Ecclefiæ aditus patet: aliud, quod appelletur θύρα τῶν προβάτων, per quod ovibus in caulam fit ingrediendum. Hoc oftium ipfum effe Chriftum: per illud vero eundem effe ingreffum, quippe qui fibi ipfe honorem non fumferit, fed vocatus fit, ut Aaron. Per *oves* idem hic intelligit p. 64. folos *electos*, qui vel tunc vere in Chriftum crederent, vel inpofterum effent credituri. Atque id probat ex eo, quod oves Chrifto propriæ dicantur, a Chrifto nominetenus agnofcantur, vocem Paftoris accurate audiant, alienum non fequantur, adeoque in veritate permaneant, & per Chrifti meritum in Ecclefiam ingrediantur. Conf. B. *Jo. Georg. Dorfchæi* Difput. de oftio Ecclefiæ, *Roftoch.* 1656. Caufas, quare Chriftus oftium appelletur, varias reddunt Patres, a *Suicero* Tom. I. pag. 1414. appellati. Confer *Jo. Pearfonii* notas ad Epift. Ignatii p. 49.

Verf. 8. Πάντες ὅσοι πρὸ ἐμοῦ ἦλθον) Voces πρὸ ἐμοῦ non exftant in Codd. variis a *Millio* citatis, quibus addes exemplar IV. Evangeliorum MS. antiquiffimum, quod poffideo, quodque Tomo III. Anecdotorum recenfui. Sed eas & fenfus ipfe requirit; quid enim fibi vellet: πάντες ὅσοι ἦλθον, nifi πρὸ ἐμοῦ accederet? & plerique Codices tuentur. Videntur vero a nonnullis ideo omiffæ, ne injuria fieret Prophetis V. T. quos hic a Manichæis intelligi *Theophylactus* auctor eft. Confer *Millium* in Notis ad h. l. & in Prolegomenis §. 803. item *Whitby* in Examine p. 50. qui uterque receptam lectionem recte ut γνησίαν vindicant.

πρὸ ἐμοῦ ἦλθον) *ante me venerunt*. Nonnulli hæc accipi volunt de iis, *qui, ante Chriftum natum, in mundum venerint*. Sed durum hoc effe, cum non omnes Ecclefiæ Doctores, qui ante Chriftum vixerunt, furum & latronum titulum promeruerint, recte judicat Cl. *Elsnerus* p. 327. Interim vereor, ut idem multos inveniat interpretationis novæ approbatores. Vertit enim ita: *omnes, quotquot* ante aut coram *me abierunt, fures funt ac latrones*. Itaque τὸ ἔρχεσθαι per *abire* explicat, quo fignificatu idem verbum nonnullis occurrere videtur *Matth.* XVI. 28. ubi vide, quæ fcripfi. Addit, opponi hic πρὸ τῆς θύρας ἔρχεσθαι i. e. *ante januam abire*, τῷ διὰ τῆς θύρας εἰσέρχεσθαι, *per januam ingredi*, & πρὸ ἐμοῦ hujus commatis, τῷ δι᾽ ἐμοῦ fequentis: furesque & latrones cenferi, non, quia ante Chriftum unicum illud oftium fuerunt, aut ejus fibi arrogarunt auctoritatem, fed quia illo præterito ἀλλαχόθεν ἀναβαίνειν aufi funt. Mihi quidem proprius verbi ἔρχεσθαι, i. e. *venire*, fignificatus deferendus non videtur, inprimis ideo, quod v. 10. in eadem notione τὸ ἔρχεσθαι bis ufurpatur, femel de *fure*, cum quo falfi doctores hoc verfu 8. comparantur, deinde de Chrifto ipfo. Tum vero probandum erat, phrafin

πρὸ

πρὸ τῆς θύρας ἔρχεσθαι unquam usurpatam esse ita, ut significet: *ante januam abire.* Mihi optime illi agere videntur, qui, *τὸ ante me*, idem hic esse volunt, quod *sine me*, quemadmodum, qui alterum prævertere & occupare conatur, illum omnino deserit, nec auxilio aut comitatu ejus indigere se putat. Ita autem agebant tunc Judæorum doctores, qui, Christum gregem sibi colligere observantes, ipsum prævertebant, ovesque ab ipso ad se pertrahere conabantur, seque proinde pro janua ovium in Ecclesiam venditabant. Ex quo etiam consequitur, Christum hic non simpliciter ad Theudam, Judam Gaulonitem, aut alios ejusmodi impostores, ceu nonnullis visum est, respicere, sed omnes eos, qui quocunque modo aut prætextu somnia sua publice tradendi provinciam vel occupaverant antea, vel eo ipso tempore ad se rapiebant.

κλέπται εἰσὶ καὶ λῃσταί) His titulis non solum respici videtur ad consilia falsorum Doctorum, quæ hinc ad perniciem & detrimentum audientium, hinc ad feculare docentium commodum, honorem, lucrum &c. spectabant; sed & forte ad rationem, qua in munera sacra involare iidem consueverant. Pontificatum enim ea ætate inprimis venalem fuisse, illius temporis historia testatur. Caussas, cur ejusmodi homines fures & latrones appellentur, ex Patribus edisserit *Suicerus* Tom. II. p. 108.

Vers. 9. *καὶ εἰσελεύσεται καὶ ἐξελεύσεται*) Respondet hæc phrasis Hebraicæ צאת ובוא *ingredi & egredi*, quæ de administratione officii adhibetur *Numer.* XXVII. 17. *Deut.* XXXI. 2. XXVIII. 6. *Ps.* CXXI. 8. Hic inprimis prosper successus, qui ad munera recte administranda inprimis requiritur, indicatur. Conf. *Hackspanii* Notas pag. 448. & *Martianæum* in Essais p. 293. Conf. *Act.* I. 21.

Vers. 11. *Ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός*) Nomine hoc alludi ad vocem פרנס i. e. *præfectum* seu *pastorem*, quo veteres Hebræi passim *Mosen* & alios Dei Viros appellant, contendit *Vitringa* in Archisynagogo pag. 15. sq. & p. 42. sq. item de Vetere Synagoga p. 636. sq. ubi & inprimis observat, Jesum hic se opposuisse videri *Mosi*, & *Davidi*, cumque iis se comparasse, tanquam qui in *Baal Turim* ad *Num.* XIV. 9. פרנסים טובים i. e. *pastores boni* appellentur. Conf. *Taanith* fol. 9. & *Berachoth* fol. 55. col. 1. Malim equidem, respectum hic haberi unice ad illum pastorem, quem populo Judaico ab *Ezechiele*, *Hosea* & *Zacharia* promissum esse constat, quod nec *Vitringa* ipse hic excludi vult, & repetitio articuli ὁ suadet. Adde *Rhenferdii* Investigationem Præfectorum Synagogæ pag. 72. sq. ubi inprimis ostendit, vocem *ποιμένων* ab Hebræis pariter & Græcis Scriptoribus de Politicis & Ecclesiasticis gubernatoribus usurpari, quam in rem & *Vitringam* pag. 43. Archisynagogi videri par est. Homerum speciatim Reges *ποιμένων* nomine sæpissime appellare observavit *Pet. Faber* Semestr. lib. III. cap. 17. & *Lamb.*

Bos de Etymolog. Græc. p. 38. Veri paſtoris ovium proprietates his verbis complexus eſt *Dio Chryſoſtomus* Diſſert. IV. p. 66. Τῦ ποιμένος ὐκ ἄλλο τι ἔργον, ἢ πρόνοια ϰ σωτηρία, ϰ φυλακὴ τῶν προβάτων, ὥςε κατακόπ]ειν ὐ μὰ Δία, ϰ σφάτ]ειν ϰ δέρειν.

Verſ. 12. Ὁ μισθωτὸς δὲ) De paſtore mercenario vide *Bocharti* Hierozoicon Part. I. p. 444. Ad hoc & ſequentia commata lege Rev. *Georg. Henr. Gœtzii* Theologiam Aphoriſt. de ovibus Chriſti, *Lubec.* 1711. 4.

θεωρεῖ τὸν λύκον ἐρχόμενον) Propoſitio categorica pro hypothetica: i. e. *ubi lupum viderit venientem.* Conf. *Hackſpanii* Notas p. 448.

Verſ. 14. καὶ γινώσκω τὰ ἐμὰ καὶ γινώσκομαι ὑπὸ τῶν ἐμῶν) De genuino horum verborum ſenſu ex B. Lyſero hic commentatur Cl. *Starckius* p. 107. Not. Selectar. Conf. *Suicerum* Tom. I. p. 762.

Verſ. 15. καὶ τὴν ψυχήν μυ τίθημι ὑπὲρ τῶν προβάτων) Sermonem hunc vel in templo vel in Synagoga quadam die Sabbati circa Feſtum Scenopegiæ habitum eſſe, ex circumſtantiis nonnullis ſuſpicatur *Lamius* in Comment. ad Harmoniam Evangel. p. 339. Tum vero prælegi ſolebat *Jeſ.* caput XL. a v. 27. ad v. 17. cap. XLI. Atque hic cap. XL. v. 10. leguntur iſta de Chriſto tanquam paſtore: *Sicut Paſtor gregem ſuum paſcet, in brachio ſuo congregabit agnos & in ſinu ſuo locabit, fœtas ipſe portabit.* Huc itaque alluſiſſe ipſi videtur Dominus. Confer *Amelium* Part. II. p. 72. qui & ibidem de ceteris verbis hujus commatis commentatur.

Verſ. 16. πρόβατα, ἃ ὐκ ἔςιν ἐκ τῆς αὐλῆς ταύτης) Secundum ætatem enim & præſtantiam oves a ſe invicem ſeparabantur. Vid. *Homer.* Odyſſ. IX. 219. ſq. obſervante Cl. *Trillero.*

κἀκεῖνά με δεῖ ἀγαγεῖν) Sermonem hic eſſe de Gentibus, quæ Judæis contradiſtinguuntur, per ſe patet, & Interpretibus tantum non omnibus perſuaſum eſt. Neque tamen negarim, reſpectum hic quoque haberi ad Judæos extra Canaanem verſantes, & inter Gentes diſperſos, ſed aliquando per verbum Evangelii ad Chriſtum adducendos. De his enim *Petrus* 1 Ep. II. 25. ἦτε γὰρ ὡς πρόβατα πλανώμενα, ἀλλ' ἐπεςράφητε νῦν ἐπὶ τὸν ποιμένα ϰ ἐπίσκοπον τῶν ψυχῶν ὑμῶν. Scribebat autem Apoſtolus τοῖς ἐκλεκ]οῖς παρεπιδήμοις διασπορᾶς. Vide 1 Ep. I. 1. Adde *Vitringa* Obſerv. Sacr. lib. III. p. 258. & *Guſſetum* in Confutat. libri *Chiſſuk Emuna* p. 36.

καὶ γενήσεται μία ποίμνη, εἷς ποιμήν) Vide huc *Feſſelii* Adverſar. Sacr. T. II. p. 543. ubi ellipſis particulæ ϰ ante εἷς ποιμὴν tanquam elegans urgetur. Ποίμνην per *troupeau* i. e. *gregem* verterunt *Montenſes* Galli, quos defendit *Arnaldus* in Continuat. Defenſione verſ. Gall. p. 449. ſq.

εἷς ποιμὴν) Inepte hinc colligi, Petrum unum univerſalem Eccleſiæ Epiſco-

Episcopum constitutum esse, ostendit contra Baronium *If. Casaubonus* in Exercitatt. p. 659.

Vers. 18. ἐξουσίαν ἔχω θεῖναι αὐτὴν, καὶ ἐξουσίαν ἔχω πάλιν λαβεῖν αὐτὴν) Ex his manifestum est, Christum vitam propria virtute sibi restituisse. Vide huc *Pearsonium* ad Symbolum Apostolic. p. 457. ex nostratibus autem *Buddei* Theologicas Institutt. pag. 916. Ex Patribus & inprimis *Chrysostomo* huc commentatur *Petavius* Tom. V. Dogmatum Theolog. p. 441. lib. IX. de Incarnatione c. 8. §. 6. sq.

ταύτην τὴν ἐντολὴν ἔλαβον παρὰ τῦ πατρός μυ) Ἐντολὴν hic *promissum* potius quod datum erat *Ps.* XVI. 10. quam *mandatum* denotare observat *Hackspanius* in Notis p. 449. Ita verbum צוה i. e. *præcepit*, usurpatur Ps. CXXXIII. 3. & XLIV. 5. Similiter Joh. XII. 50. dicitur: *Scio, quod mandatum* i. e. promissum *Patris est vita æterna.*

Vers. 20. δαιμόνιον ἔχει, καὶ μαίνεται) Vide, quæ scripsimus supra ad VII. 20. & VIII. 52.

Vers. 22. Ἐγένετο δὲ τὰ Ἐγκαίνια) De Festo Encæniorum, a Juda Maccabæo primum instituto, & in memoriam Templi, ab Antiochi sordibus purgati, celebtato Cl. *Fabricius* in Bibliographia Antiquaria p. 315. legi jubet Interpretes ad 1 *Maccab.* IV. 59. *Josephum* XII. 11. Antiquitt. *Seldenum* III. 13. de Synedriis, *Herman. Witsium* in Dodecade Exercitatt. p. 568. sq. *Ottonis* Lexicon p. 205. & *Bartolocc.* in Biblioth. Rabbin. Tom. I. p. 400. Illis adde, si placet, *Vitringam* de Synagoga vetere lib. I. p. 197. *Montacutium* Origg. II. p. 219. *Vorstium* ad Zemach David p. 273. *Houtingium* ad Rosch Hasschana I. 3. p. 317. sq. T. II. Mischnæ Surenhus. *Suicerum* Tom. I. Thesauri p. 988. tum vero *Jo. Oldermanni* Disp. singularem, *Helmst.* 1715.4. & aliam *Dan. Lundii*, Upsal. 1706.8. Judæi illud appellant חנוכה, quam vocem pro ingenio suo, in lusus proclivi, in duas secant חנו כה, quod quidam interpretantur imperative, *quiescite vigesima quinta*, scilicet die mensis *Caslev*, quæ nostro Decembri potissimum respondet, & in quam solennitas Festi hujus statuta erat; alii per præteritum ita reddunt: *castra metati sunt & quieverunt* die 25. nempe Judas Maccabæus & copiæ ejus. Ex Judæis huc legantur *præter* R. *Jos. Karo* in שלחן ערוך, R. *Mardochai Japhe in* לבוש החור *& alii.* De triplici ejusmodi solennitate, hoc nomine appellata, & quæ nonnullis, ipsi quoque Chrysostomo, errandi occasionem præbuit, lege præter *Montacutium* l. c. *Possinum* in Spicilegio p. 72. Confer ex nostratibus B. *Mich. Fœrtschii* Dissert. ad h. l. *Jen.* 1713.

B. *Lutherus* vertit Kirchweihe, de qua voce vide *Stadenii* Interpretationem vocum obscuriorum Germanicarum istius versionis p. 88.

χειμὼν

χειμὼν ἦν) In *Decembrem* enim Festi hujus celebritas incidebat, quod modo vidimus. Accedit, quod Judæi annum in sex tempestates dividunt in *Bava Mezia* 106. 2. quarum singulæ duos menses integros complectuntur. Hyems itaque חורף constat dimidio *Kislev*, *Tebeth*, & dimidio *Schebat*. Vide *Relandi* Antiquitt. Hebr. p. 399. Ex quo erroris illi ex veteribus convincuntur, qui hic de ejusmodi Encæniis agi volunt, quæ in longe aliud tempus incidunt. Atque idem hoc tempus nonnullis videtur occasionem dedisse Festum, natalibus Christi sacrum, in XXV. Decembris referendi, quemadmodum interdum Christianum hoc & Encæniorum Judaicum in eosdem fere dies incidit, id quod speciatim A. C. 1712. factum est, quo XXV. Decembris erat XXVI. mensis *Kislev*, adeoque secundus dies Festi Encæniorum. Hæc conjectura est *Oldermanni* Disp. citata p. 17. quam nos quidem suo loco relinquimus. Advocat idem hanc in rem vocem German. Weihnacht, quam Latine dixeris *noctem Encænialem*, & rectius ejus quidem judicio, ab einweihen, i. e. *initiando* aut *dedicando*, quod illa nocte per nativitatem Domini initiati simus, & ab impura nativitate nostra liberati, quam quidem a weihen derives. Sed confer tu *Stadenium* l. c. Sunt, qui vocem χειμὼν per *tempestatem* interpretantur, quod ex nostratibus facit *Erasmus Schmidius* in Annotatt. ad h. l. & *Jo. Clericus* ad Dav. Clerici Quæstiones Sacras p. 279.

Vers. 23. ἐν τῇ στοᾷ τοῦ Σολομῶντος) In monte Templi erat porticus duplex, cujus & *Siracides* meminit cap. L. 2. Atque hic quærenda videtur ista porticus Salomonis *Relando* in Antt. Hebr. p. 81.

Vers. 24. Ἕως πότε τὴν ψυχὴν ἡμῶν αἴρεις;) *quamdiu animam nostram suspendis*, aut *dubiam tenes?* Ita plerique convertunt, quam in rem confer *Pricæum* ad h. l. & *Suicerum* Tom. I. p. 133. Sed Cl. *Elsnerus* p. 328. mavult sic interpretari: *quamdiu enecas nos*, h. e. diuturna mora nos excrucias, antequam clare libereque te Christum esse profitearis? Atque eo sensu omnino hæc phrasis usurpatur supra v. 18. & apud LXX. Intt. *Jes.* LIV. 2. Similiter *Lucianus* in Jove Tragœdo p. 129. σὺ ἡμᾶς ἐπιστρέφεις ὦ Μῶμε, & Latini: *cur me enecas?* de qua phrasi *Grævius* ad Lucian. Tom. II. p. 872. *Erasmus Schmidius* in Notis ad h. l. in communi illa interpretatione persistit, sed idem tamen ad *Matth.* XVII. 27. ubi diversas phraseos hujus significationes recenset, & ad præsentem istam devenit, nullum ejus exemplum, quam quod ex nostro loco petitum est, affert. Ceterum quæstionem hanc ex subdolo animo profectam esse, B. *Lutherus* recte hic monuit.

Vers. 25. Εἶπον ὑμῖν) Diserte quidem & totidem verbis id non dixerat Servator, sed aliquo modo idem dixerat, cum verum illum Pastorem, quem Prophetæ exspectare jusserint, se esse profiteretur, ut facile ista Judæi intelligere potuissent.

τὰ

τὰ ἔργα-μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ) Eadem phrasi utitur *Xenophon* apud Raphelium in Notis Xenophonteis p. 135.

Vers. 26. *οὐ γάρ ἐστε ἐκ τῶν προβάτων τῶν ἐμῶν*) Vide huc *Petavii* Dogmata Tom. I. p. 344.

Vers. 27. 28. Lege ad hæc *Ursini* Analecta I. p. 279. & *Suicerum* T. II. p. 1511.

Vers. 29. *μείζων πάντων ἐστὶ*) *major est rebus omnibus*. Ita B. *Lutherus*: ist grösser, denn alles. Sic & versio Gall. *Montensis*: *est plus grand que toutes choses*. Sed displicuit hæc interpretatio *Malleto*, tanquam quæ a *Vulgata* recederet, quæ habet: *major est omnibus*, & Arianismo præterea faveret. Sed fuse eam tuetur *Arnaldus* in Continuata illius versionis defensione p. 430. sqq.

ἁρπάζειν ἐκ τῆς χειρὸς τοῦ πατρός μου) *Cyrillus Alex.* & alii quidam Patrum *manum Patris* de Christo hic interpretantur. Vide *Petavii* Dogmata Tom. I. p. 228. & Tom. II. p. 97.

Vers. 30. *Ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν*) Notum est, quantopere Sociniani & Ariani operam dederint, ut locum hunc non ad unitatem *essentiæ*, sed vel *voluntatis* vel *potestatis* adstruendam pertinere ostenderent. Contra hos vide recte ex nostratibus disputantes ex multis *Scherzerum* in Collegio Anti-Sociniano passim, & *Phil. Jac. Spenerum* in Tractatu vernaculo de divinitate Jesu Christi p. 566. sqq. Quid Patres de sensu hujus loci statuerint, patebit ex *Dionys. Petavii* Dogmatibus Theologicis, ubi de Trinitate exponit & ex *Georg. Bulli* Defensione Concilii Niceni p. 225. sqq. Contra Neo-Arianos Anglos, speciatim *Sam. Clarkium* in Doctrina Scripturæ de SS. Trinitate, easdem tibias inflantem, lege *Robertum Nelsonum* in oppositis illi exceptionibus, & *Guil. Lorimerum* in perspicua explicatione primorum 18. commatum capitis I. Johannis, p. 26. sqq. Et recte quidem hos sentire, vel inde patet, quod Judæi ipsi hæc verba eo sensu acceperint, quod Christus se ipsum verum cum Patre Deum profiteretur, non repugnante Domino, sed veritatem istam a blasphemiæ suspicione, ipsi temere intentata, solerter vindicante. Confer Acta Erudit. Lipsiens. an. 1715. p. 439. Vide ad h. l. *Gussetum* in Confutat. libri *Chissuk Emuna* Part. I. cap. X. §. 36. & 58. & Part. II. c. L. item in Vesperis Groningan. p. 85. sq.

Vers. 32. *διὰ ποῖον αὐτῶν ἔργον λιθάζετέ με*) Lapidatio hic non de actu, sed de *conatu* intelligenda est; nec enim perfecerant, quod facere instituerant. Id Hebræis frequentissimum est. Vide B. *Glassii* Grammatic. Sacr. Tract. III. Can. VIII. p. 250. Simile ex *Sophoclis* Ajace v. 1112. exemplum affert *Hombergius* p. 169.

Vers. 33. *περὶ καλοῦ ἔργου οὐ λιθάζομέν σε, ἀλλὰ περὶ βλασφημίας*) Scilicet blasphemi in Deum lapidibus obruendi erant, vi legis *Levit.* XXIV. 14.

Gentiles quoque passim impios Deorumque contemtores ita accepisse *Elsnerus* probat p. 329. Vide *Ælianum* Var. Histor. V. 19.

καὶ ὅτι) τὸ *καὶ* hic nonnullis videtur explanativum prioris, ut idem sit, quod Latine dixeris: *id est*. Vide Biblioth. Bremens. Class. V. p. 472.

Vers. 34. *ὐκ ἔςι γεγραμμένον ἐν τῷ νόμῳ ὑμῶν*;) *Νόμυ* seu *Legis* significatus latius hic patet, nec de lege Mosis speciatim, sed toto V. T. usurpatur. Omnium enim librorum ejus hic scopus est, ut hominem *erudiant* ad veram salutem. Hæc autem propria est significatio vocis תורה. Nec ignotam esse hanc vocis תורה acceptionem Judæorum Magistris, ostendit *Surenhusius* in libro *Καταλλαγῆς* p. 43.

Ἐγὼ εἶπα· Θεοί ἐςε) Leguntur hæc verba Ps. LXXXII. 6. Qui locus quomodo huc pertineat, ostendit idem *Surenhusius* libro citato p. 359. sq. qui argumentationem a minori ad majus, quam Hebræi קל וחומר appellant, hic adhibitam esse probat. De notione vocis אלהים ad Magistratus hic relatæ, lege *Gussetum* in Lexico Hebr. voce אלהים T. 2. qui & in Confutat. libri *Chissuk Emuna* Part. II. c. 51. frivolis Judæi exceptionibus in h. l. satisfacit.

Vers. 35. *πρὸς ὓς ὁ λόγος*) i. e. ad quos *verba* illa Ps. LXXXII. 6. diriguntur. Alii de *comminatione* accipere malunt, quæ ibi *adversus* Magistratus pronunciata sit. Vide *Heinsii* Aristarch. Sacr. lib. IV. c. 7. & *le Cene* in Projet, p. 512.

καὶ ὐ δύναται λυθῆναι ἡ γραφὴ) Sensus est: neque potest Scripturæ contradici. Conf. Matth. V. 17.

Vers. 36. *Ὃν ὁ πατὴρ ἡγίασε* &c.) Lege huc *Hombergium* p. 169. de ellipsi, hic obvia, commentantem. Comma hoc totum cum præcedente explicat B. *Seb. Schmidius* in Collegio Biblico Posteriori p. 49. sq. De verbo *ἁγιάζειν* adde *Suiceri* Thesaurum Tom. I. p. 59. & 61.

Vers. 58. *ὅτι ἐν ἐμοὶ ὁ πατὴρ, κἀγὼ ἐν αὐτῷ*) Phrasin hanc a *ψευδερμηνείᾳ* Socinianorum vindicat *Hackspanius* pag. 449. Notarum, a Judæi vero cavillationibus *Gussetus* in Confutatione *Chissuk Emuna* p. 409. Confer quoque *Petavium* Tom. II. Dogmatum lib. II. c. 8. p. 98.

CAP. XI.

NOnnulla hujus capitis illustrat *Vossius* Tom. VI. Opp. pag. 103. sqq. De tempore, quo omnia hæc contigerint, lege Rev. *Zeibichium* de Horis Passionis p. 34. sq.

Vers. 1. *Ἦν δέ τις ἀσθενῶν*) De morbo isto lege *Bartholinum* de Morbis Biblic. c. XXI. p. 494. sq. Fascicul. V. Opuscul. Philolog.

Λα-

Λάζαρος) De etymologia dictum est ad *Luc.* XVI. 20. de Lazaro vero ipso ex Patribus commentatur *Suicerus* in Thesauro Ecclesiast. Tom. II. p. 208. Appulsum ejus fictitium in Massiliam prædicatumque ibi Evangelium negant alii, alii tuentur. Vide quos hanc in rem affert Cl. *Fabricius* ad Codic. Apocr. N. T. p. 982. Præcipue huc pertinet B. *Antonin. Reiseri* liber de Launojo Confessore p. 777. sq.

ἐκ τῆς κώμης) Ita *οἱ ἐκ τῆς πόλεως* dicuntur oppidani, sive cives, etiam cum in urbe sunt, *Arriano* de Expedit. Alex. M.I. 20. 11. II. 22. 5. & alias. Vide *Raphelii* Notas Polybian. p. 281. De inepta illorum opinione, qui castellum Magdalam ex his verbis finxerunt, cujus Maria & Magdala dominæ essent, & a qua *Maria Magdalena* nomen acceperit, lege *If. Casauboni* Exercitatt. Anti-Baron. p. 394.

Μαρίας) De Maria hac, Lazari sorore, vide potissimum Rev. *Deylingii* Observatt. Sacr. Part. III. p. 231. sq. ubi ostendit, eam a Maria Magdalena & muliere peccatrice, de qua *Luc.* VII. 38. omnino diversam fuisse.

καὶ Μάρθας) De ea vide B. *Reiseri* Launojum Confessorem p. 782.

Vers. 4. *ἡ ἀσθένεια ὐκ ἔςι πρὸς θάνατον*) Ita etiam loquitur *Hippocrates* lib. I. de Diæta, ubi & similem in modum dicit: *πρὸς ὑγείην ὐκ ἔςι θανάσιμον* vel *θανατῶδες*. Alias ait quoque *ἐν θάνατον*, ut aliquoties in libro de Judicationibus. Cl. *Trillerus* in Notis MSS.

Vers. 9. *Οὐχὶ δώδεκά εἰσιν ὧραι τῆς ἡμέρας;*) Ita in Gemara *Sanhedrin* 1. 4. יב שעות היו היום 12. *horæ sunt diei.* Atque has *καιρικὰς* vel longiores vel breviores fuisse pro mensura diei observat *Relandus* in Antt. Hebr. p. 407. De ipsarum horarum divisione & origine lege *de Prado* in Pentecontarcho p. 140. sq. *Salmasium* ad Solinum Tom. I. p. 463. ubi Judæos horarum usum a Romanis demum accepisse statuit. In eandem sententiam lege *Steph. Morini* Dissertat. de Horis Salvificæ Passionis. Adde, quæ infra ad *Joh.* XIX. 14. occurrunt. Adagium: *hora duodecima ædificas*, quod in eum dicitur, qui morti proximus aliquid magnum molitur, memorat *de Prado* l. c. Conf. *Schotti* Adag. N. T. pag. 92. ubi ex profanis Scriptoribus illustrat gnomen illam, quæ *omnia suo tempore facienda* esse præcipit.

Ad v. 9. & 10. confer *Fesselii* Adversar. Sacr. Tom. II. pag. 147. qui diem hic memoratum de tempore, officio Christi, prædicationi & patrandis miraculis præstituto; noctem autem de tempore passionis & mortis ejus interpretatur.

Vers. 10. *ὅτι τὸ φῶς ὐκ ἔςιν ἐν αὐτῷ*) Voces *ἐν αὐτῷ* ad *κόσμον*, de quo v. 9. *τὸ φῶς τῦ κόσμυ*, post *Knatchbullum* refert *Saubertus* in Opp. Posthumis pag. 33. & *Franckius*, in Continuat. Observatt. Biblic. pag. 317. ideo, quod, ubi v. 9. dicitur fuisse lux præsens, ibi hic v. 10. deesse dicatur. Sed rectius

cum plerisque, & noviſſime *Hombergio* pag. 169. Parergorum τὸ ἐν αὐτῷ ad hominem refertur noctu ambulantem, qui ſcilicet lucem non haurit oculis, Sole abſente. Illuſtrari hæc phraſis poteſt ex *Matth.* IX. 13. τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ, ubi vide, quæ ſcripſimus.

Verſ. 11. κεκοίμηται) *mortuus eſt*, per euphemiſmum, quem *Gatackerus* de Stylo N. T. c. 42. & in Adverſar. p. 103. *Vorſtius* in Philolog. Sacr. Part. I. p. 162. *Suicerus* Tom. II. p. 121. ſq. 1383. & *Moſes Solanus* in Diſſert. contra Pſochenium in Hebraiſmis numerant, cum tamen elegantiſſimis Græciæ Scriptoribus fuerit receptus. De Latinis & Græcis id oſtendit *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 664. cui, quod mireris, Plutarchus in Conſolat. ad Apollon. hujus loci Johannei paraphraſin exhibuiſſe videtur. Vide etiam Cl. *Maji* Obſervatt. Sacr. IV. p. 119. Confer in eandem ſententiam *Dougtæi* Analecta N. T. p. 59. *Rittmeierum* de Nomenclaturis mortis emphaticis §. 8. & *Jo. Georg. Michaelis* contra *Vorſtium* nominatim diſputantem, in Biblioth. Bremenſi Claſſ. III. p. 716. ſqq. qui eadem opera obſervat, mortuos dici ideo κεκοιμημένυς, quia ſomnus eſt quædam mortis imago, & mors nil niſi profundus ſomnus, præterea que mortui ineluctabili Dei potentia ex morte vitæ ſunt reſtituendi eadem facilitate, qua dormiens ex ſomno profundo excitatur. *Dormire* vero de mortuis non ſolum juſtis & piis, ſed & impiis in Scriptura uſurpari, recte monuit *Poſſinus* in Spicilegio pag. 69. Confer quæ de hoc euphemiſmo dicta ſunt ad *Matth.* XXVII. 52. Cl. *Trillerus* in Notis MSS. ad h. l. poſt illos, quos citavimus, largum ſpicilegium ex veteribus Scriptoribus inſtituit in Additamentis ad Dougtæum, quæ luci parat, quæque cupide exſpectamus, proferendum.

Verſ. 12. εἰ κεκοίμηται, σωθήσεται) Ita *Achilles Tatius* lib. IV. Erotem. p. 243. ὕπνος γὰρ πάντων νοσημάτων φάρμακον, ſicut & ſomnus vocatur καμάτων ἀνάπαυσις, ἰατρῶν κατόρθωμα, νοσούντων εὐχὴ &c. Conf. *Euripidis* Oreſten v.211. Sic *Hippocrates* Sect. II. aphor. 1. ſomnum moleſtum *lethalem* morbum, placidum autem non lethalem arguere monet. Vide eundem Cl. *Trillerum*.

Verſ. 16. Θωμᾶς ὁ λεγόμενος Δίδυμος) Δίδυμος i. e. *geminus*; id enim infert Hebr. vel *Chaldaic.* תאומא, quemadmodum & adhuc inter Judæos nonnulli nomine תאומים appellantur. Itaque non fuit Apoſtolus hic διώνυμος, ſeu *binominis*, quod *Nonnus* ſcribit, nec a Jeſu eo nomine fuit appellatus, quamvis id tradatur in Pſeudo-Abdiæ Hiſtoria Apoſtol. lib. IX. pag.687. ubi conf. notas Cl. *Fabricii* in Codice Apocr. N. T. pag. 687. qui & paulo poſt de Evangelio, ab eodem variis in locis prædicato, commentatur. Adde B. *Ittigii* Selecta Capp. Hiſt. Eccleſ. Sec. I. p. 456. & *Andr. Mulleri* Obſervatt. Sinicas Obſ. II. p. 12.

Verſ. 17. τέσσαρας ἡμέρας ἤδη ἔχοντα ἐν τῷ μνημείῳ) Eodem modo loquitur

quitur *Arrianus* Diff. Epictet. II. 15. & alibi. Vide *Raphelii* Notas Polybian. pag. 282.

Verf. 18. *Ἦν δὲ Βηθανία ἐγγὺς τῶν Ἱεροσολύμων, ὡς ἀπὸ σταδίων δεκαπέντε*) Quindecim illa ftadia, quibus Bethania ab urbe Hierofolyma hic removetur, duo circiter millia paffuum efficere fcribit *Origenes* Homil. LXI. in Matth. Spatium hoc nonnulli conferentes cum *Actor.* I. 12. ubi difcipuli dicuntur poft adfcenfum Chrifti reverfi a monte olivifero, diftante ab urbe iter Sabbati, collegere, duplicem effe Bethaniam, alteram, unde Chriftus defcenderit, feptem ftadiis ab urbe remotam, alteram noftram hanc 15. ftadiorum. Inter hos eft *Sam. Petitus* Obferv. III. 1. p. 245. & ex noftratibus *Saubertus* in Palæftra p. 73. Sed ea conjectura opus non effe, nec probabile videri, duo loca ejusdem nominis eidem monti adfita & tam vicina fuiffe, nec ulla nota difcriminis usquam a Scriptoribus Sacris diftincta, recte affirmat *Relandus* in Palæftina Sacra p. 630. qui & ibidem exceptionibus, quæ hic afferri folent, fatis facit. Confer *Montacut.* II. Origg. p. 230. qui hanc fpatii illius diverfimode definiti rationem reddit, quod raris & non conjunctis ædificiis incoleretur; domusque Mariæ & Marthæ in extremo vico fita quindecim ftadiis ab urbe abfuiffe videatur.

Verf. 19. *πρὸς τὰς περὶ Μάρθαν*) i. e. *ad Martham:* ita Græci *οἱ περὶ Πλάτωνα* i. e. *ipfe Plato, οἱ ἀμφὶ Ἀριστοτέλην* i. e. *Ariftoteles.* Conf. *Raphelii* Notas Xenophont. p. 136. Forte tamen rectius feminæ hic intelliguntur, quæ ad Martham de obitu fratris confolandam acceſſerant, quod plene dixeris: *πρὸς τὰς γυναῖκας.* Ita *Plutarchus* in Vita Ægidis & Cleomenis p. 718. *Ὁ δὲ Πτολεμαῖος, ὡς ἔγνω ταῦτα, προσέταξε ἀποκτεῖναι δὲ τὰ παιδία, καὶ τὴν μητέρα, καὶ τὰς περὶ αὐτὴν γυναῖκας.* Hæc Cl. *Trillerus.*

ἵνα παραμυθήσωνται αὐτὰς) De verbo hoc lege *Feſſelii* Adverfar. Sacr. Tom. I. p. 49.

Verf. 20. *ἐκαθέζετο*) ישב *Job.* II. 8. Lugentes enim folebant humi confidere. Vide *Ezech.* VIII. 14. *Matth.* XXVII. 61. Ejusdem ritus inter Gentes exempla habes apud *Dougtæum* in Anal. Sacr. Part. I. Exc. 161. p. 276. *Lydium* in Florum Sparfione ad Paffionem J. C. pag. 305. & Cl. *Trillerum* in Notis MSS. qui affert *Homeri* Odyff. IV. v. 539. VII. 153. 160. inprimis vero Odyff. IV. v. 716. fqq. ubi de Penelope vehementiffime contriftata, item *Pauſan.* in Corinth. *Euripid.* & *Xenophont.*

Verf. 24. fqq. Vide huc *Cocceji* Opp. Tom. VI. inter Epiftolas p. 63. fq.

Verf. 25. *Ἐγώ εἰμι ἀνάστασις καὶ ἡ ζωὴ*) i. e. ego fum auctor refurrectionis & vitæ, ut *Deuter.* XXX. 20. dicitur: *Deus eſt vita tua & longitudo dierum tuorum.* Vide *Hackſpanii* Notas p. 451. & *Suicerum* Tom. I. p. 305.

Verſ. 26. *πιστεύων εἰς ἐμὲ οὐ μὴ ἀποθάνῃ εἰς τὸν αἰῶνα*) Fuerunt, qui ex hoc & aliis ejusmodi locis contenderent, fideles etiam a morte temporali immunes eſſe. Ita noſtra memoria ſtatuere auſus eſt J. *Asbgill* Anglus, in libro Anglicano 1701. 8. edito & *Lipſ.* 1702. 12. germanice recuſo. Vide etiam quæ de cauſa hac in utramque partem diſputantur in Veſperis Groninganis pag. 295. ſqq. *Asbgillii* argumentis, quæ vix ſerio prolata credideris, reſpondit Rev. *Jo. Georg. Pritius* Diſſert. de *Tranſitione in vitam æternam ſine tranſitu per mortem*, Lipſ. 1701. 4. Anonymus in Veſperis Groninganis l. c. exiſtimat, Chriſtum tantum negaſſe, quod fideles morituri ſint, *εἰς τὸν αἰῶνα*, utpote reſuſcitandi ad vitam. Idem placuit *Abr. Ruchato* in Novis Reip. Liter. 1704. Tom. I. p. 534. qui *εἰς τὸν αἰῶνα* vertit per: *éternellement.* Vide quoque *Gatackerum* de Stylo N. T. p. 101. Sed id quidem ſufficere non videbitur cogitanti, *τὸ οὐ μὴ ἀποθανεῖν εἰς τὸν αἰῶνα* per Hebraiſmum idem eſſe, quod *nunquam mori.* Itaque inquirendum eſt, de qua morte Chriſto ſermo ſit. De morte corporis non loquitur: eam enim pro ſomno habet v. 11. Præterea hominem in fide mortuum ait victurum eſſe, h. e. permanſurum in vita ſtatuque beato coram Dei facie, imo tunc demum vere incepturum vivere, cum ex præſenti vita diſceſſerit: qui vero nondum obierit, ſed crediderit tamen, eum, qua talem, ne per mortem quidem ex hac vere vitali vita in Deo depellendum eſſe, ſed ſempiterna beatitate fruiturum. Vide huc Cl. *Fabricium* ad Codic. Apocr. N. T. pag. 417. qui huc etiam advocat *Antiſthenis* dictum apud Laërtium: *τοὺς βουλομένους ἀθανάτους εἶναι δεῖν ζῆν εὐσεβῶς καὶ δικαίως.* Confer omnino *Vitringæ* Obſervatt. Sacr. Part. II. pag. 114. ſqq. qui pag. 118. obſervat, credentes a morte liberos dici eo ſenſu, quod primo per fidem homo peccator, qui omnis mortis in ſe radices habet & ſemina, quæ tandem valde amarum fructum ferant, id principium vitæ accipit, per quod omne genus mortis, cui per peccatum ſubjectus eſt, erit ſuperandum, & abſorbendum: deinde, quod per fidem peccator in eum ſtatum redigitur, ut nullam in ſe mutationem ſentiat, quæ ad interitum illius ſit; e contra vero omnis mutatio, quam ſubit, poſtquam credit, eo conferat, ut vita, cujus principium ipſi communicatum eſt, fortior evadat, & incrementa capiat, donec tandem in perfectiſſimo gradu ſuo conſummetur.

Verſ. 31. *ἵνα κλαύσῃ ἐκεῖ*) Solebant enim apud monumenta deflere mortuos. Vide *Antonin. Liberal.* Fab. II. pag. 16. & alia veterum loca apud *Pricæum* ad h. l. *Elsnerum* pag. 330. *Picinellum* in Lumin. Refl. pag. 664. & *Suicerum* Tom. II. pag. 1249. Eundem Judæorum morem fuiſſe, oſtendit *Jac. Cappellus* ad h. l. & B. *Geierus* de Luctu veterum Hebræorum. Iidem adhuc more receptum habent, ut ad ſepulchra Parentum aut cognatorum preces fundant illas, quæ in literas relatæ publice exſtant. De *Græcis* veteribus lege *Jo. Nicolai* de luctu Græcor.

Verſ.

Verſ. 32. ἡ οὖν Μαρία) *Maria vero.* Ita *Piſcator* & *Boiſius* in Collatione p. 314.

Verſ. 33. ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι καὶ ἐτάραξεν ἑαυτὸν) *infremuit Spiritu & turbavit ſe ipſum* h. e. infremuit in ſe ipſo, (confer v. 38. ἐμβριμώμενος ἐν ἑαυτῷ) & ira commotus eſt, ut non inepte interpretatur *Hombergius* p. 170. Indicatur ſcilicet juſta indignatio Chriſti & commotio animi ob peccatum, quod adeo ſævire poſſet in homines, ſibi etiam amiciſſimos. Itaque non opus eſt, ut cum *Knatchbullo* vertamus: *fremuit Spiritu, qui turbavit:* cui applaudit *le Cene* in Projet p. 648. Patrum de h. l. cogitata affert *Petavius* T. V. Dogmatum p. 403. ſq. ubi de Incarnatione lib. VIII. 12. §. 2. & *Suicerus* T. I. Theſauri p. 1099. Eorum nonnulli ita phraſin hanc accipiunt, ut Chriſtus per Spiritum S. luctum ſuum naturalem & turbas animi compeſcuiſſe dicatur. Sed τὸ ἐν πνεύματι hic mihi aliud eſt, quam ἐν ἑαυτῷ, quod exſtat v. 38. Conf. *Heinſii* Ariſtarchum c. 24. ad h. l.

Verſ. 34. ποῦ τεθείκατε αὐτόν;) Non eſſe hoc ignorationis Chriſti indicium, Patres recte monuerunt contra Agnoëtas. Vide *Suicerum* Tom. II. p. 207. 268. & 463.

Verſ. 35. Ἐδάκρυσεν ὁ Ἰησοῦς) Vide *Eraſmi* Opp. T. V. p. 793. Cauſas harum lacrymarum ex Patribus exponit *Suicerus* T. I. p. 817.

Verſ. 38. ἔρχεται εἰς τὸ μνημεῖον. Ἦν δὲ σπήλαιον) Ex his colligi poteſt, quali forma fuerint Judæorum ſepulchra. Specus erat ſubterraneus, lapide ſtructus, & cameratus, cum foramine deſuper ad demittenda cadavera, quod lapide vice operculi claudebatur. Nec alterius generis aut formæ fuiſſe liquet Græcorum hypogæa. Ex eadem hiſtoria Lazari colligere licet, populos eos, qui cadavera integra ſepeliebant & condebant, in ſubterraneis ea idcirco condere ſolitos; ne fœtore auras corrumperent in ſupernis poſita. Ita *Salmaſius* ad Solinum Tom. II. p. 850. b. Conf. idem p. 852. b. ubi his addit, corpora in nudo cryptæ vel ſpeluncæ ſolo, ſicut erant pollincta, & involuta linteis, jacuiſſe, per oſtium ſupernum demiſſa. Nullam enim fieri ſarcophagi vel arcæ mentionem in hiſtoria Lazari & Domini: hodie quoque in Italia inprimis talia dari hypogæa, ſub ſolo templorum ædificata, in quæ cadavera, linteis tantum involuta, per foramen vel oſtium, in ſolo ipſo factum, demittuntur. In monumenti vero lateribus exſculptos fuiſſe cavos, ſingulis corporibus recipiendis idoneos, quibus immitterentur. Idem priore loco affert ex veteri Itinerario Burdegalenſi iſta: *Inde ad orientem paſſus mille quingentos eſt villa, quæ appellatur Bethania. Eſt ibi crypta, ubi Lazarus poſitus fuit, quem Dominus ſuſcitavit.*

Verſ. 39. ἤδη ὄζει) Notantur hæc, ne quis exiſtimaret, Lazarum aut gravi tantum veterno oppreſſum eſſe, aut ecſtaticum factum. Forte autem idem

idem acuto aliquo & rapido morbo decesserat, cujusmodi cadavera, utpote succi adhuc plena & sanguine æstuante adhuc turgescentia, citius in putredinem resolvuntur & fœtulentum odorem de se spargunt: ut recte monet Cl. *Trillerus.*

τεταρταῖος γάρ ἐςι) Quartum diem jam dicit esse, ex quo non mortuus, sed sepultus sit, ut patet ex v.17. Eadem voce *τεταρταῖος*, & affinibus illi, *πεμπταῖος, ἐκταῖος*, &c. utitur *Xenophon:* vide *Raphelii* Notas Xenophonteas p.136. Sic *Herodotus* de defunctis ad pollincturam tradendis in Euterpe p. 62. *ἐπεὰν τριταῖοι ἢ τεταρταῖοι γένωνται.* *Hippocrates* quoque frequenter ægrotos ex diebus, quibus decubuerunt, vocare solet *τριταίους, τεταρταίους, πεμπταίους, ἑκταίους* &c. ut ex libris de morbis vulgivagis, maxime lib. VII. patet, observante Cl. *Trillero.* *Pearsonius* ad Symbolum Apost. p. 462. quatriduum hoc ita computat, ut & dies, quo obiit Lazarus, & quo ista locuta sit Martha, in computum veniant. Ceterum hoc miraculi genus dæmonem inter Gentiles quoque affectasse & æmulatum esse, *Alex. Morus* in Notis ad h. l. p. 76. exemplis eorum evincit, qui tribus, vel pluribus etiam post obitum diebus, imo integris mensibus revixisse a *Proclo* & aliis, quos affert, narrantur. In his tamen idem monet nullum esse, cujus cadaver fœtorem emisisse dicatur, quo ipso vera Lazari resuscitatio ab aliorum animæ deliquiis longissime discernatur. Rectissime sane omnia ejusmodi exempla vel ad deliquium animæ referuntur, vel stulta persuasione aut callidis commentis absolvi existimantur.

Vers. 40. *ὄψει τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ*) i. e. *videbis gloriosam Dei potentiam.* Lege *Fesselii* Adversar. Sacra Tom. I. p. 261.

Vers. 41. *Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἦρε τοὺς ὀφθαλμοὺς ἄνω*) Oculos ad cœlum tollere Christus, preces fusurus, solebat. Vide *Matth.* XIV. 19. & *Marc.* VI. 41. De Therapeutis idem memorat *Philo* de Vitæ Contemplat. p. 899. Unde patet, morem illum Judæis receptum fuisse, qui forte effecit, ut Gentilibus cœlum adorare crederentur. Vide Cl. *Elsnerum* p. 331. qui tamen profanis quoque idem frequentatum fuisse, ostendit ex *Homeri* Iliad. T. v.257. & *Virgilii* Æneid. XII. 195.

ὅτι ἤκουσάς μου) *Heinsius* in Aristarcho c. XXIV. explicat per *ἀκούσεις*, i. e. *audies*, vel *ἀκούειν εἴωθας* i. e. *audire soles;* sed eo opus hic esse, recte negat *Gatackerus* de Stylo N. T. c. VI. p. 62. Sunt, qui exauditionem, a Patre factam, ad præsentem casum referri volunt, quasi Christus indicet, preces suas, quas in animo ad Patrem nunc fecerit de miraculosa hac excitatione perficienda, apud Patrem ratas esse. Ita præter alios *Pearsonius* sentire videtur in Expositione Symboli Apostolici p. 107.

Vers. 44. *δεδεμένος τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας κειρίαις*) Moris erat fere apud omnes gentes, talibus vinculis cadavera vincire, ut aromata, quibus

bus corpora condiebantur, melius servarentur, & ut membra & partes corporis minus, tabe & corruptione diffluentes, dissolverentur, & quælibet locum suum occuparet, magisque mortuum integrum vivorum oculis repræsentaret. Istas fascias *Ambrosius*, *Augustinus* & *Prudentius* vocant *vincula*. Dicebantur κειρίαι ἀπὸ κηρὸς a morte, quasi fasciæ sepulchrales. Hesychio κηρίαι, qui præterea exponit per ἐντετυλιγμένα ἐπιθανάτια i. e. *involucra funeralia*. Aliis σειραὶ & σιραί. Involvebantur vero & ligabantur istis fasciis ut infantes recens nati. Hinc etiam dicuntur *cunabula*. Vide hæc & plura apud *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra p. 298. sq. De voce κειρίαι lege etiam *Lud. Carrionis* Emendat. lib. II. cap. 13. p. 165. qui ea non semper ἐπιταφίους δεσμοὺς, sed & quasvis fascias & quævis vincula, præcipue lectorum, indicari solere ex *Eustathio* ad Iliad. XIII. & Scholiaste *Aristophanis* in Avibus ostendit. Lege præterea ad hunc versum *Salmasium* ad Solin. l. c. & *Lydium* in Florum Sparsion. p. 272. *Suicerum* Tom. II. p. 83. Rev. *Deylingium* in Obss. Sacr. Part. III. p. 274. & *Jo. Jac. Chifletium* in Crisi Historica de Linteis sepulchralibus Christi Servatoris c. VI. & VII. ubi etiam imago Lazari mortui & ex sepulchro prodeuntis conspicitur.

καὶ ἡ ὄψις αὐτοῦ σουδαρίῳ περιεδέδετο) ὄψις i. e. *frons*. Illa enim tantum apud Orientales, ut Ægyptiorum mumiæ testantur, obnubi solebat. Vide *Keuchenium* ad h. l. qui & ostendit, τοὺς LXX. vocem hanc eodem sensu adhibere. De voce σουδάριον lege, quæ scripsimus ad *Luc.* XIX. 20. De eadem disserit *Rich. Simon* in Hist. Crit. N. T. lib. III. p. 329. contra *Heinsium* pro *Nonno*.

Vers. 48. πάντες πιστεύσουσιν εἰς αὐτὸν καὶ ἐλεύσονται οἱ Ῥωμαῖοι) Quomodo hæc a se invicem pendeant, ostendit *Lightfootus* ad h. l. quem sequitur *Danzius* de Curatione Christi Sabbatica p. 23. Sensus satis patet. Verebantur enim, ne si Christus pro Messia i. e. pro Rege eoque seculari (talem enim Messiam esse debere somniabant) haberetur & agnosceretur a Judæis, Romani totam gentem, tanquam rebellem, perderent.

ἀροῦσιν ἡμῶν καὶ τὸν τόπον) Per τόπον hic nonnulli speciatim Templum Hierosolymitanum intelligunt, nominatim *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra p. 522. & in Dissertat. ad *Jerem.* XXIII. 6. p. 167. Conferri is jubet *Exod.* XX. 24. & *Hagg.* II. 10. Eandem voci huic notionem tribuit *Actor.* XXI. 28. & VI. 14. ὁ Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖος οὗτος καταλύσει τὸν τόπον τοῦτον.

Vers. 49. Ἀρχιερεὺς ὢν τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου) i. e. *tempore illo*: nam non singulis annis novus Pontifex creari solebat: *Caiphas* quoque tribus annis ante Pontificatu fungebatur, quod patet ex Luc. III. 3. Confer *Possini* Spicilegium p. 130.

Hoc præsens & sequentia aliquot commata illustrantur a M. *Christiano Aug. Hausen* & M. *Henr. Scharbau* in Dissertationibus de Caipha ejusque Vaticinio,

nio, altera *Witteberg.* 1713. altera *Lubecæ* 1715. editis. Ab utroque oſtenditur, Caipham ex hoc vaticinio, cujus rationem & ſenſum ipſe ignorabat, Prophetam proprie appellari non poſſe, nec eidem facultatem vaticinandi vi muneris Pontificii collatam fuiſſe, ſed Numen divinum extra ordinem pro beneplacito ſuo ipſum ad hæc pronuncianda excitaſſe. Hinc vero recte collegerunt Theologi noſtrates, dona miniſtrantia ordinaria & extraordinaria miniſtris etiam impiis, qualis erat Caiphas, a Deo conferri. Quam in rem vide laudatos a Cl. *Scharbau* p. 22. & habebis, quod reſpondeas *Amelio* Part. I. p. 195. ſq. exemplum illud in hunc uſum adhiberi poſſe neganti. Idem Part. II. p. 776. ſqq. ex eo, quod non omnes revelationes extraordinariæ brevi ante Chriſti adventum in carnem inter Judæos defierint, contendit, Caipham quoque, tanquam Pontificem V. T. dono vaticinandi præ aliis inſtructum, & hac quoque vice divini Spiritus impulſu locutum fuiſſe.

Verſ. 50. ἵνα εἷς ἄνθρωπος ἀποθάνῃ ὑπὲρ τȣ̃ λαȣ̃) Τὸ ὑπὲρ idem hic eſt, quod ἀντὶ, i. e. *vice, loco populi.* Vide *Hackspanii* Notas p. 453. De re ipſa lege *Spencerum* ad Origenem contra Celſum p. 51. *Otto* Imperator, ut belli civilis finem faceret, ſe ipſum interemit, dicens: *Unus pro multis.* Ita *Virgilius* V. Æneid. *Unum pro multis dabitur caput*, Cato item apud *Lucanum* II. v. 305. ſqq. Conf. quæ inpoſterum, Deo volente, ad 1 *Cor.* IV. 13. ubi de hominibus piacularibus, ſeu καθάρμασι, dicemus.

τȣ̃το δὲ ἀφ᾽ ἑαυτȣ̃ ȣ̓κ εἶπεν, ἀλλὰ προεφήτευσεν) *Guſſetus* τὸ προφητεύειν hic idem eſſe vult, quod *ſimulare afflatum Propheticum*, in Lexico Hebr. p. 491. eoque refert, quod præmittitur: ταῦτα δὲ ἀφ᾽ ἑαυτȣ̃ ȣ̓κ εἶπεν, i. e. verba illa non pronunciavit, tanquam ſuo nomine, ſed Dei nomine, tanquam a Deo intus ſuggeſta. In eundem ſcopum poſt verbum προεφήτευσεν comma ponit, quia, quæ ſequuntur, non ipſius Caiphæ ſint, ſed Evangeliſtæ, hoc ipſo declarantis ſcopum providentiæ, permittentis, Caipham quidem ſimulare inſpirationem, & ea fictione perficere, ut Jeſus poſſet tradi Romanis. De poſtremo hoc momento non admodum contradixero Guſſeto, quia alioquin non appareret liquido, quæ hic Spiritus S. ſententia fuerit, cum Caiphæ mens longe aliud in verbis his ſpectarit. Sed prius illud ſubtilius excogitatum videtur, & durum præterea ac ſine exemplo allatum, quod προφητεύειν ſimulationem afflatus Prophetici inferat. Ut taceam, vix videri veri ſimile, Judæos ſimulatum ejusmodi afflatum recepturos fuiſſe, quamvis id Vir doctus eodem in loco aliunde probare conetur. Ex tota certe narratione Evangelica de Chriſti paſſione apparet, homines hos eo tempore non tam, quæ Dei erant, quæque ipſius Legi conſona, quam, quæ ad ſe pertinebant, reſpexiſſe. Lege præterea de hac prophetia *Vitringæ* Obſervatt. Sacras lib. VI. p. 388. ſq. ubi inter cetera contra *Lightfootum* diſputat.

Verſ.

Verſ. 52. *Καὶ οὐχ ὑπὲρ τοῦ ἔθνους μόνον, ἀλλ' ἵνα καὶ τὰ τέκνα τοῦ Θεοῦ τὰ διεσκορπισμένα συναγάγῃ εἰς ἕν*) *τὸ ἔθνος* hic de Judæis, in Canaane degentibus, per *τέκνα* vero *Θεοῦ διεσκορπισμένα* Judæos diſperſos inter gentes primo loco, deinde vero etiam electos ex Gentibus intelligi vult *Vitringa* in Obſſ. Sacr. lib. III. p. 258. & in Comment. in *Jeſaiam* p. 344. b. De perpeſſione & morte Chriſti omnibus hominibus proficua recte hæc acceperunt Patres, de quibus lege *Petavium* Tom. VI. Dogmatum p. 167. lib. XIII. c. 5. §. 6. de Incarnatione.

Verſ. 53. *Ἀπ' ἐκείνης οὖν τῆς ἡμέρας*) Ita loquitur etiam *Polybius* p. 982. & 989. Vide *Raphelii* Notas Polybian. p. 282.

Verſ. 54. *Ἰησοῦς οὖν οὐκ ἔτι παῤῥησίᾳ περιεπάτει*) *Rich. Simon* vocem *παῤῥησίᾳ* verterat Gallice *en public*, i. e. publice. Confer *Suicerum* Tom. II. p. 606. Sed Auctor epiſtolæ II. quæ de verſione illa N. T. Gallice exſtat in Memoriis Trevoltianis 1703. Tom. I. p. 65. mavult interpretari per *librement* i. e. *libere.* Atque ita accepit etiam B. *Lutherus.*

εἰς Ἐφραΐμ) Vide huc *Relandi* Palæſtinam Sacr. pag. 376. qui urbem hanc inter Jerichuntem & Bethel quærendam putat. An ſit, quæ 2 Paral. XIII. 19. vocatur *Hephrajin*, & *Hephron*, quam ab Jerobeamo cepit Abija, Rex Judæ, vel ea, quæ 2 *Sam.* XIII. 23. dicta Ephraim, Bahalchatzori vicina, ſtatuere ſe non poſſe ſcribit *Hillerus* in Onomaſtico p. 804. Confer de integro hoc commate Rev. *Zeibichii* Commentationem vernaculam de Horis paſſionis p. 39. ſq.

Verſ. 55. *ἵνα ἁγνίσωσιν ἑαυτούς*) *ut mundarent ſe*, a peccatis ſcilicet, oblatis ſacrificiis, Lege conſtitutis, ut ſolennitate Feſti rectius defungi poſſent. Vide huc *Theophylactum*, & quæ ex Judæorum Magiſtris affert *Spencerus* de Legibus Hebræorum p. 1038.

Verſ. 56. *τί δοκεῖ ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ ἔλθῃ εἰς τὴν ἑορτήν;*) Ita recte interrogandi nota ponitur tantum poſt vocem *ἑορτήν*, quam alii etiam collocant ad antecedens *ὑμῖν*, contra quos lege *Nanſium* in Nonni Paraphraſin, & *Boiſium* in Collatione p. 315.

CAP. XII.

VErſ. 1. *Ὁ οὖν Ἰησοῦς πρὸ ἓξ ἡμερῶν τοῦ πάσχα*) *Vulg. Eraſmus* & *Syrus* reddunt, *ante ſex dies Paſchatis*, contra nitente *Beza*, adſtipulante vero *Druſio:* qui interpretatur *ante hexaëmeron Paſchale*, in *Præteritis.* Sed cum Paſcha ſeptiduo celebretur, nec hoc modo ullum certum tempus ab Evangeliſta definitum ſit, quod tamen facere eum voluiſſe ex v. 12. apparet, rectius alii, interque eos B. *Lutherus* noſter, verterunt; *ſex diebus ante Paſcha.*

Iidem enim verba hæc per trajectionem posita volunt, ac si scriptum fuisset: ἓξ ἡμερῶν πρὸ τῦ πάσχα, sicut *Amosi* I. 1. apud τὰς LXX. legitur: πρὸ δύο ἐτῶν τῦ σεισμῦ i. e. *duobus annis ante terræ motum.* Vide huc *Jo. Wandalini* Diatribam de Feria Passionis & triduo mortis Christi adversus Wilh. Langium cap. VII.pag. 333. sqq. Syntagmatis Dissertationum Græviani, qui & in sequentibus totum hemerologium actorum Christi in Paschali septimana exponit rectius, quam *Langius*, expuncto integro illius hebdomadis die, fecerat lib. II. capite ultimo de Annis Christi. Conf. & *Zeibichium* lib. citato p. 48. sq.

ὃν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν) Vide *Fesselii* Adversar. Sacra Tom. II. p. 388.

Vers. 2. Ἐποίησαν ὖν αὐτῷ δεῖπνον ἐκεῖ) Convivium hoc, & consequenter unctionem cum eo conjunctam, ab illo, de quo *Matth.* XXVI. 6. sermo est, distinctum fuisse, ostendimus ad *Matth.* l. c. Confer in eandem sententiam Rev. *Zeibichium* l. c. p. 51. sq. Itaque nec audiendus est *Jo. Wandalinus*, utrinque eandem rem narrari contendens in Diatriba Anti-Langiana p. 336.

Vers. 3. Ἡ ὖν Μαρία) diversa hæc est a *Maria Magdalena.* Vide supra ad XI. 1.

λίτραν) Vide de hac voce *Pfeiferi* Opera Philolog. p. 493. ubi recte statuit, probabilius esse, quod eam Latini a Græcis, cum ejus vestigia etiam in aliis Linguis exstent, quam quod Græci a Latinis acceperint. Idem vero primam ejus originem ab Arabibus repetit.

νάρδυ πιςικῆς) Vide ad *Marc.* XIV. 3.

Vers. 6. τὸ γλωσσόκομον εἶχε) De voce γλωσσόκομον vide *Wolfburg.* Obss. Sacr. p. 94. qui inprimis *Bochartum* sequitur. Adde *Schwarzii* notas ad Olearium de Stylo N T. p. 283. Γλωσσοκομεῖον vocat *Helladius Besantinus* in Chrestomathia a Meursio edita p. 11.

καὶ τὰ βαλλόμενα ἐβάςαζεν) Ut tautologia hic evitetur, cum, qui loculos habet, & eos, & iis contenta portare præsumatur; τὸ βαςάζειν Viri docti non simpliciter per *portare*, sed *auferendo* & *furando portare* interpretantur. Ita ex *Huetio Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra pag. 693. *Ægyd. Menagius* ad Diogenem Laërt. pag. 183. b. *Deylingius* Obss. Sacrar. Part. III. pag. 261. *Amelius* Part. II. pag. 833. & *Elsnerus* pag. 333. Sic intelligitur rectius, cur Judas antea appelletur κλέπ]ης. Eodem sensu *Elsnero* usurpari illud verbum videtur infra c. XX. 15. & *Matth.* III. 11. ubi calcei exuti non tam *portari*, quam *auferri* & *removeri* dicuntur. Sic vero etiam profani ab eodem citati, ut *Polyb.* I. 48. & *Apollodorus* Biblioth. II. 6. pag. 124. τὸν τρίποδα βαςάσας, i. e. *cum tripodem abstulisset.* Conf. Interpretes ad Diog. Laërt. IV. 59. *Suidas* βαςαχθείη explicat per ἀρθείη, κλαπείη. Significatum tamen *administrandi* & *dispensandi*, œconomique munere fungendi præfert hic laudatus

tus *le Moyne* l. c. p. 695. & cum eo Cl. *Trillerus* in Notis MSS. Vox βαλλόμενα de oblatione pecuniæ in usum sacrum adhibetur *Marc.* XII. 41.

Vers. 7. εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τετήρηκεν αὐτό) Codices nonnulli hic legunt ita: ἄφες αὐτὴν, ἵνα εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τηρήσῃ αὐτό. Atque hanc lectionem communiori illi præfert *Millius* in Prolegomenis §. 431. ita vertens: *Sine eam, ut opportune usa hoc unguento, velut ad sepulturam meam jam jam occidendi illud servasse ostendatur.* Addit idem: *Certe non magis δυσνόητα ista, quam, quæ de hac re habent cæteri Evangelistæ: sed ne quis inter eos appareret dissensus, mutarunt Græci posteriores ἵνα - τηρήσῃ, in τετήρηκεν.* Sed facile vel ex ipsa versione patet, quibus opus sit ambagibus ad commodum & perspicuum sensum ex hac lectione extorquendum. Quam insolens enim est & verbi Græci rationibus adversum, interpretari τὸ, ἵνα τηρήσῃ per: *ut servasse ostendatur?* Hinc & *Rich. Simon*, qui alioquin eandem hanc lectionem ad Vulgati exemplum præfert, longe aliter convertit in Vers. Gall. nempe ita: *laissés lui garder ce parfum pour le jour de ma sépulture*, i. e. finite eam servare hoc unguentum in diem sepulturæ meæ. Conf. ejusdem Hist. Crit. N. T. lib. III. p. 897. Quæ quidem admitti possent, nisi unctio ipsa jam fuisset facta. Per eandem rationem nec probari potest *Martianæi* interpretatio in *Conatibus* p. 151. *Elle a mis en réserve cette liqueur pour le jour de ma sépulture.* Rectissime verba hæc ita accipi videntur, ut idem sint, ac si dixeris: *servavit illud in tempus, quo ad sepulturam præparandus eram*, quasi per pollincturam. Vide huc epistolam II. de versione Gall. *Rich. Simonis*, quæ exstat in Memoriis Trivultinis 1703. Tom. I. p. 65. Itaque verisimilius est, nonnullos, immature solicitos, & significatus genuini vocis ἐνταφιασμοῦ ignaros, lectionem germanam τετήρηκε temere mutasse in ἵνα τηρήσῃ. Cl. *Wolfburgius*, in Obss. Sacr. p. 260. ἡμέραν ἐνταφιασμοῦ idem hic esse, ait, quod ἡμέρα παθημάτων, i. e. tempus seu *dies passionis*, quæ ad crucem, mortem & denique sepulturam tendebat: nisi vertere malis cum eodem εἰς ἡμέραν ἐνταφιασμοῦ per: *in signum sepulturæ adventantis:* vel; *vice & loco ejus diei*, si forte accideret, ut tunc ungi non posset. Confert præterea locum hunc cum *Gen.* L. 1. ubi de pollinctura Jacobi, per quadraginta dies continuata, refertur. Totidem vero dies inde ab hac Mariæ unctione usque ad illam, quam feminæ, Christo jam sepulto, moliebantur, effluxisse, quamvis liquido probari non posse profiteatur, tamen nec certo negari posse existimat. Quo præstructo, illam Jacobi pollincturam typi instar fuisse opinatur respectu pollincturæ Jesu, a Maria hac inceptæ, &, si ita res tulisset, post factam sepulturam, continuandæ. Sed mihi quidem, quod pace Viri docti dixerim, liquido constat, tot dies inter unctionem hic memoratam, & pollincturam a feminis Christo destinatam, non intercessisse. Christus enim sex ante Pascha diebus Bethaniam venit *Joh.* XII. 1. ibique in prandio unctus est. Itaque vix octo aut novem numeraveris dies ad illud usque tempus, quo ad Christum sepultum accedebant feminæ. Confer præterea,

terea, quæ ad *Matth.* XXVI. 12. ſcripſimus. Contra *Baronium* in hunc verſum commentantem lege *Caſaubonum* in Exercitatt. p. 296.

Verſ. 13. ἔλαβον τὰ βαΐα τῶν φοινίκων) De voce βαΐα lege *Leigh* in Critica Sacra & *Wolfburgii* ad eam Obſervatt. p. 21. tum vero *Lydium* in Agoniſt. Sacr. p. 162. & *Salmaſium* ad Achillem Tatium p. 621. Βαΐον alias per ſe & ſimpliciter palmarum ramos infert, ut ex 1 *Maccab.* XIII. 51. liquet. Itaque mirum eſt, hic vocem φοινίκων addi. Sed Græci interdum ita loqui ſolent, quam in rem lege *Colomeſii* Obſervatt. Sacr. p. 30. & *Suicerum* T. I. p. 616. Sequiori ævo in occurſum eorum, qui cum plauſu excipiebantur, ramos palmarum geſtari conſueviſſe, oſtendit *Picinellus* in L. R. p. 665.

Verſ. 14. Εὑρὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς ὀνάριον) Vide huc *Lydii* Florum Sparſionem p. 85. Vox ὀνάριον in pleriſque editionibus verſionis German. B. Lutheri exprimitur in feminino genere per **eine Eſelin**, cum tamen rectius legatur **ein Eſelein**, vel **Eſelein**, tanquam Neutrum diminutivum, quod monent Auctores **des Heb. Opfers** Tom. III. p. 228.

Verſ. 19. ὁ κόσμος ὀπίσω αὐτοῦ ἀπῆλθεν) Κόσμον ſeu *mundum* de Gentilibus interpretatur *Altingius* Tom. V. Opp. Heptade V. Diſſertatt. p. 144. illis ſcilicet, qui feſti religionem obſervabant etiam Ignotum Deum colere parati. Provocat hanc in rem ad v. 20. ubi Ἕλληνες, quos de Gentilibus accipit, memorantur templum adituri. Addit idem, ſi hoc diſpliceat, novam expoſitionem vocis *mundi* admittendam eſſe, ut nempe *idiotarum multitudinem* denotet. Sed præſtat, vocem iſtam de magna parte populi Judaici, qui Hieroſolymis erat, interpretari, quemadmodum alias dicitur, urbem totam exiiſſe Chriſto obviam *Matth.* VIII. 34. Adde *Suicerum* T. II. p. 153. Ἕλληνες illi v. 20. omnino a κόσμῳ memorato diſtinguendi ſunt, hic autem interpretandus per ὄχλον, de quo v. 18. Hunc conſpicientes Phariſæi certatim ad Chriſtum confluere, in verba iſta v. 19. erumpebant. Poſt hanc novam narrationem orditur Evangeliſta, a priore illa omnino diſtinguendam.

Verſ. 20. Ἕλληνες) i. e. *Gentiles*, ſi audimus *Salmaſium*, qui, quotieſcunque Ἕλλην in N. T. occurrit, toties Gentilem notare & Judæo opponi exiſtimat. Vide ejus Comment. de Lingua Helleniſt. p. 218. & Funus Linguæ Hellen. p. 108. Iſti vero ſententiæ inprimis hunc locum opponit *Joſ. Arndius* in Miſcellan. Sacris p. 6. *Hic enim, ait,* Ἕλλην *manifeſto de Proſelytis. Nam, quod ille* (Salmaſius) *ex* 1 *Regg.* VIII. 41. *affert de Salomone, apud Deum etiam pro exterorum exauditione intercedente, non eſt ſufficiens. Hic enim aperte additur, quod notitiam habuerint venturi Meſſiæ. Quæſiverunt itaque ex Philippo, ubi eſſet Jeſus:* θέλομεν τὸν Ἰησοῦν ἰδεῖν. *Quid autem Græcis cum Jeſu? qui ludibrio habebant, quicquid*

quid vel odorem Judaismi spirabat. Deinde dicitur, ἵνα προσκυνήσωσιν. *An potest probare vel unus, Græcum unquam adorasse Deum Judæorum, quos illi potius* ἀθέους *nominabant, & impiam gentem?* Tertio *additur* ἐν τῇ ἑορτῇ. *Manifestum est, eos venisse ad concelebrandum solennem festivitatem Paschatis, ad quam ut & alia festa confluebant omnium terrarum Judæi proselyti.* Quarto *Lucas* προσηλύτους *appellat Act. II. 10. Illi* προσήλυτοι *propter religionem Lucæ,* Ἕλληνες *Johanni dicuntur propter genus seu nationem.* Atque hanc sententiam plerique Interpretes post *Drusium* lib. IV. Præteritorum *Jo. Crojum* in Obss. Sacris c. XXXI. p. 233. sq. *Suicerum* T. I. p. 1090. & *Raithium* in Vindiciis versionis B. Lutheri p. 426. (qui cum aliis Græco pressius insistens τοὺς ἕλληνας per Griechen interpretatur) tuentur, quæ & mihi veri videtur similior. Vide tamen, quæ contra *Calvinum*, idem statuentem, disputat *Maldonatus* ad h. l. & *Seldenus* de Jure Nat. & Gent. p.287. & 309. ubi probare contendit etiam ex hoc loco, Judæos ad cultum divinum in Templo Gentiles quoque admisisse. *Vossius* in Harm. Evang. lib. I. c. 5. §. 6. itidem pro *Gentilibus* habet.

Vers. 21. ἀπὸ Βηθσαϊδὰ τῆς Γαλιλαίας) De duobus hujus nominis vicis, qui nonnullis memorari in N. T. videntur, lege *Adr. Relandum* in Palæstin. Sacr. p. 653. illis ὁμόψηφον.

Vers. 22. Ἔρχεται Φίλιππος καὶ λέγει τῷ Ἀνδρέᾳ &c.) Ex his ambagibus *Jo. Ernest. Grabius* Tom. I. Spicileg. PP. p. 323. conficit, Christum in admittendis Gentilibus difficilem fuisse.

Vers. 24. ἐὰν μὴ ὁ κόκκος τοῦ σίτου &c.) Non applicat hæc Christus ad præsens institutum, quæ de morte ejus atque hinc consecutura resurrectione & Evangelii prædicatione, tanquam fructu ejus accipienda esse patet. Confer *Grabium* l. c.

αὐτὸς μόνος μένει) Vox μόνος hic est *sterilis*: Vide *Fesselii* Adversaria Sacr. libr. IV. c. 2. p. 311.

Vers. 25. ὁ φιλῶν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ) Homo ejusmodi una voce φιλόψυχος vocatur *Arriano* Epictet. p. 330. quemadmodum alias Græci φιλοψυχίαν & φιλοψυχεῖν dicunt. Vide *Raphelii* Notas Polybian. p. 282. Confer de eadem phrasi *Suicerum* Tom. II. p. 1577.

Vers. 27. ἡ ψυχή μου τετάρακται) perturbatio hic innuitur ea, quam ingens luctus comitatur. Vide *Keuchenium* ad h. l. Ceterum ex his verbis Patres magnitudinem & gravitatem dolorum, a Christo patiente exantlatorum, recte collegerunt. Vide *Petavium* Tom. V. Dogmatum p. 391. lib. VIII. c. 8. de Incarnatione.

δόξασόν σου τὸ ὄνομα) Multi veterum ad passionem Christi hoc referunt. Vide *Suicerum* Tom. I. p. 930. Ita etiam nonnulli eorum v. 26. interpretantur.

Vers.

Verſ. 28. Ἦλθεν οὖν φωνὴ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ) Refert hoc *Vitringa* ad בת קול ſive *Filiam Vocis*, tanquam oraculi divini genus, a Judæis memorari ſolitam, atque hinc colligit, per eam ab iſtis intelligi *vocem gravem & elatam* ſed *validam*, quia hic a turba audiente cum tonitru comparatur. Vide eum in Obſervatt. Sacris lib. VI. p. 369. ſqq. Idem p. 372. ſqq. variis profanorum utriusque Linguæ Scriptorum locis evincit, Gentiles quoque, voces divinas de cœlo vel adytis Templi, vel lucis obſcurisque locis factas, jactantes, *gravem* Deo *ſonoramque* vocem dare conſueviſſe.

Verſ. 29. ἔλεγε βροντὴν γεγονέναι) Nata igitur vox fuit ex tonitru, ſive cum gravi ſono verberati preſſique aëris ad Chriſtum ejusque auditores perlata eſt: cujusmodi aliquid memoratur *Apocal.* VI. 1. IV. 5. & X. 3. Qua quidem ex re nonnulli *Filiam Vocis* dictum volunt hoc oraculum, tanquam *vocem Dei cum tonitru allatam & eo quaſi partam ortamque.* Ita B. *Glaſſius* Rhetor. Sacr. Tract. I. cap. X. *Spencerus* de Legibus Hebr. Diſſ. VII. cap. 1. Sect. 1. & *Vitringa* l. c. p. 384. Confer *Joſ. Mede* Opp. p. 459. qui ita verba Evangeliſtæ illuſtrat: Alii בת קול, tonitru divinum, ſeu conjunctum cum voce divina, Filiam nempe tonitrui, dicebant: alii vero Angelum loqui. Atque hinc eſt, quod in Apocalypſi, non hoc tantum loco (VIII. 5.) ſed alibi paſſim, ut IV. 5. VI. 1. X. 3. cum oraculis vocibusque divinis tonitru conjungitur. Idem videri jubet *Heinſii* Ariſtarchum Sacrum p. 277. & 455. Adde, quæ de בת קול ſcripſimus ad *Matth.* III. 17.

Re vera auditum hic fuiſſe tonitru, tanquam quod cum Vocibus divinis conjunctum eſſe ſoleret, ex allatis *Apocalypſeos* locis recte contendit Cl. *Elsnerus* p. 334. additque, ſignum hoc fuiſſe, Patrem ratas habuiſſe Chriſti preces, quale ſignum in cauſa eadem dabatur *Apocal.* VIII. 8. Ita quoque profani preces ſuas ratas eſſe habitas credebant, ubi finitis illis intonuiſſet. Vide *Odyſſ.* υ. v. 103. & φ. v. 413. & alias, quæ loca affert idem l. c. Conf. etiam *Lomeierum* de Luſtrat. c. X. p. 88. & Hiſtor. Critic. Reip. Literar. T. IV. Artic. VII.

Verſ. 30. οὐ δι᾽ ἐμὲ αὕτη ἡ φωνὴ γέγονεν) Quaſi ſcilicet ipſe Chriſtus de miſſionis ſuæ divina origine, aut de precum exauditione hinc certus eſſe deberet.

Verſ. 31. Νῦν κρίσις ἐςὶ τοῦ κόσμου τούτου) *Hic per κρίσιν vel intelligitur damnatio, quia reſurrectione ſua omnes erat mendacii convicturus, qui credere nollent: vel more Hebræo, ſignantur vindiciæ in libertatem, quia humanum genus erat morte Chriſti liberandum ab eo, qui more tyrannorum regnum mundi invaſerat.* Ita *Voſſius* in Harmonia Evangelica lib. I. cap. V. §. 13. Tom. VI. Opp. p. 115. Poſteriorem illam ſententiam amplectitur *Grotius*, κρίσιν τοῦ κόσμου per *redemtionem mundi* interpretandam putat, adſtipulante *Henr. Moro* in Opp. p. 207. Alii de ſuppliciis, quæ incredulæ Judæorum genti & aliis idololatris brevi immine-

minerent, accipiunt. Alii & nominatim Pseudonymus *Cephas*, in scripto singulari vernaculo, *Budissæ* an. 1718. 8. edito, κόσμον ad solum Judaismum nova prorsus ratione restringit, de qua acceptione insolente, nec temere admittenda, alias dicemus. Mihi quidem sequentia Servatoris verba, νῦν ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου ἐκβληθήσεται ἔξω, nostra illa satis explicare videntur. Cujus enim κόσμου ἄρχων Satanas est, de eo quoque κόσμος, cujus κρίσις hic adesse dicitur, accipiendus est. Jam vero mundum illum constituunt οἱ υἱοὶ τῆς ἀπειθείας, h. e. omnes pervicaciter increduli, qui sunt Judæi æque ac Gentiles. His enim dominatur Satanas instar ἄρχοντος, teste Paulo *Ephes.* II. 2. ἐν αἷς (ἁμαρτίαις) ποτε περιεπατήσατε κατὰ τὸν αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου, κατὰ τὸν ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, τοῦ πνεύματος, τοῦ νῦν ἐνεργοῦντος ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας. Itaque non de Judæis tantum, sed de omnibus, qui illis incredulitate & impietate similes erant, vox κόσμος explicari debet. Conf. Rev. *Herm. Christoph. Engelkenii* Disput. de expulsione Principis mundi, *Rostoch.* 1720.

νῦν ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου) i. e. *Satanas:* conf. *Joh.* XIV. 30 & XVI. 11. 2 *Cor.* IV. 4. *Ephes.* IV. 12. Adde *Suicerum* T. I. Thesauri p. 144. & T. II. p. 153. Qui de vero Deo hic cogitarunt, eos recte confutatos vide a *Gatackero*, de Stylo N. T. p. 56. In eandem rem *Lud. Cappellus* in Spicileg. Notarum ad h. l. observat, non simpliciter dici hic, ἄρχων τοῦ κόσμου, sed τοῦ κόσμου τούτου, ut distinguatur a Deo O. M. qui alias Hebræis vocari soleat רב עולם i. e. *dominus mundi.* Confer *Arndii* Miscellan. Sacra p. 147.

ἐκβληθήσεται ἔξω) Per ejectionem illam recte intelligitur dejectio a κοσμοκρατορίᾳ, qua hactenus nimium quantum inter Judæos & Gentiles defunctus erat, tum vero amandatio ad abyssum. Conf. *Apocal.* XII. 9. XX. 2. 3. *Luc.* VIII. 26. & *Matth.* VIII. 29. quæ loca in hanc sententiam afferuntur a B. *Gottfrid. Oleario* ad Matth. p. 407. Lege præterea B. *Franzium* de Interpretat. Scripturæ Sacr. p. 254. sq. ostendentem, quam late idololatria & impietas, quibus Diaboli imperium continetur, ante natum Christum patuerit; nec non *Jos. Mede* in Opp. p. 107. sq. Atque istæ quidem tenebræ, orta luce Evangelii, sensim magis magisque dispulsæ sunt, Dominoque illarum potestas in his regnandi imminuta est. *Steph. Morinus* in Dissertationibus VIII. varii argumenti Diss. VIII. pag. 411. sq. Oraculorum silentium speciatim huc refert, atque ita hæc verba παραφράζει· *Satan, qui præstigiis sibi imperium constituerat in mundo, excludetur, oracula ejus silebunt, & fraudes omnes abolebuntur.* Quam in rem ibidem varia Patrum testimonia huc pertinentia affert. Confer B. *Mœbii* Dissert. de prodigiis, quæ nativitatem Christi annunciarunt, Sect. I. §. 12. ubi veterum habes loca de eo, quod nato Christo Apollinis oraculum nominis sui vim amiserit, & tacuerit. Contra hæc habere sibi visus est *Ant. van Dalen*, quæ opponeret in Dissert. II. de Oraculis, consentientem nactus *Jo. Clericum* Tom. III. Bibl. Select. p. 120. & Tom. XIII. p. 273.

p. 273. ubi auctor *Responsionis ad Historiam Oraculorum* Part. III. statuere idem narratur. Sed de his alias.

Vers. 32. κἀγὼ ἐὰν ὑψωθῶ) Ad crucifixionem Christi hic inprimis alludi, patet tum ex v. 33. ubi Johannes ipse genus mortis Christi hic indicari testatur, tum ex Joh. III. 14. ubi filius hominis ὑψωθῆναι debere dicitur ad exemplum serpentis a Mose ὑψωθέντος. Confer *Suiceri* Thesaurum Tom. II. p. 1407. sq. Quidam scite hic Christum ut vexillum, in spem credentium elatum, de quo Jes. XI. 12. repræsentari, ajunt. Ita *Mart. de Roa* in Singularibus Tom. I. lib. I. c. 1. & *Picinellus* in Luminibus Refl. p. 665. Nonnulli id quoque hic subindicatum putant, quod Christus, majoris ignominiæ causa, ex altiori cruce pendere debeat. Vide *Kippingium* Exercit. XXIII. de Cruce p. 167. *Bartholin.* de aperto Christi latere c. 7. *Heinsium* ad Nonnum p. 515. & *Amelium* Part. I. p. 59. Neque tamen excludi debet resurrectio, quæ mortem ex cruce relatam consecuta est, cujus quippe vi homines inprimis ad Christum pertracti sunt. Eadem phrasi usus est simili sententia *Jesaias* LIII. 8. מעצר לקח quam ita explicat *Lud. Cappellus* in Commentar. & Notis Critic. in V. T. pag. 49. *Ab angustia & mortis damnatoria sententia e vivis sublatus est, ut tamen statim de angustia & morte illa assumtus, h. e. ereptus & liberatus fuerit per gloriosam resurrectionem, & assumtionem in cœlum.* Confer de toto hoc commate *Buddei* Differt. de Salvatoris nostri exaltatione dolorosa ejusque effectu, *Jen.* 1707. itemque *Cellarium* in Programmate V.

πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτὸν) B. *Lutherus* τὸ πάντας vertit per **alle**, Græco textui convenientissime, temere ideo ab *Emsero* & aliis Pontificiis notatus, contra quos lege B. *Raithii* Vindicias Versionis German. p. 427. Non puto, exhaurire mentem Christi ea, quæ *Henr. Morus* huc affert pag. 145. Opp. *Cum vero afflictiones ejus* (Christi) *tantæ essent, tamque reales quam fuisse commemorantur, instrumentum erit* (Passio) *ad attrahendos versus ipsum hominum oculos cordaque, omnium sane efficacissimum, quod mundo poterat exhiberi.* Sensus scilicet est, fore, ut multi Judæorum pariter & Gentilium (quales fuerunt Ἕλληνες, qui occasionem huic sermoni fecerant) per mortem Christi expiati coram Deo, & per resurrectionem de veritate Evangelii convicti, ad ipsum in fide confugiant. Alludi hac phrasi ad consuetam vexillorum in altum erectionem ex collato Jesaiæ oraculo c. XI. 10. contendit M. *Jac. Bruckerus* in Miscellaneis Lipsiens. Tom. X. p. 99. sqq. Pro voce πάντας Codices nonnullos, & cum iis Interpretem Gothum, legere πάντα, eodem omnino sensu, vix est, ut moneamus. Vide tamen *Mareschalli* Observatt. ad Version. Gothic. p. 471.

Vers. 34. ἡμεῖς ἠκούσαμεν ἐκ τοῦ νόμου, ὅτι ὁ Χριστὸς μένει εἰς τὸν αἰῶνα) Νόμος seu *Lex* hic iterum sumitur de toto V. T. ut cap. X. 34. Respiciunt Judæi ad *Psalm.* CX. 4. & *Daniel.* II. 44. & VII. 13. 14. quos locos huc confert & ap-

& applicat *Surenhusius* in libro καταλλαγῆς p. 362. sqq. Judæi autem quo minus mentem oraculorum illorum adsequerentur, prohibiti sunt vana illa persuasione de regno Messiæ seculari, quod perpetuo, atque adeo sine interveniente morte, duraturum esse credebant.

Vers. 35. ἵνα μὴ σκοτία ὑμᾶς καταλάβῃ) Sic *Arrianus* de Expedit. Alex. I. 5. 17. εἰ νὺξ καταλήψεται αὐτὰς cujusmodi phrases alias ex eodem affert Rev. *Raphelius* in Notis Polybian. p. 282. Conf. *Lamb. Bos* Exercitt. ad Joh. I. 5. Σκοτίαν hic nonnulli de ignorantia accipiunt. Vide *Suicerum* Tom. II. p. 976.

Vers. 36. ἵνα υἱοὶ φωτὸς γένησθε) De phrasi hac hebraizante lege *Vorst.* Philolog. Sacr. Part. II. p. 44. Alludi per eam ad Judæorum ineptam sententiam, qua quosdam ex לילית seu *nocte* & *tenebris* nasci fingebant, vix mihi persuaderi patiar a *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra p. 459.

Vers. 37. sqq. Quæ hic citantur *Jesaiæ* loca, ea cum nostris, inde citatis, conferunt *Alex. Morus* ad cap. LIII. Jesaiæ pag. 127. *Ludov. Cappellus* in Comment. ad V. T. p. 17. *Vitringa* in Commentario suis locis, & *Surenhusius* in libro καταλλαγῆς p. 362.

Vers. 38. τίς ἐπίστευσε τῇ ἀκοῇ ἡμῶν;) Vide ad hanc phrasin *Vorstii* Philolog. Sacr. Part. II. p. 53. & *Suicerum* Tom. I. p. 158. & 709.

καὶ ὁ βραχίων Κυρίου τίνι ἀπεκαλύφθη;) *Brachium Domini* de Christo filio Dei, interpretantur Patrum nonnulli, Procopius, Athanasius, & Hieronymus apud *Alex. Morum* in Notis p. 81. Quod factum recte nollet idem, propterea, quod hæreticos nonnullos comparatione ejusmodi abusos esse constet. Et rectius hic per *brachium* Dei intelligitur vis & potentia Dei in miraculis conspicua. Conf. *Act.* XIII. 17.

Vers. 39. Διὰ τοῦτο οὐκ ἠδύναντο πιστεύειν) *Heinsius* in Aristarcho phrasin hanc idem inferre ait, quod antecedens v. 37. οὐκ ἐπίστευον, *non credebant*, ex more Hebræorum, apud quos phrasis לא יוכל *non potest*, idem est, quod: *animo ab hac re alienus est.* Vide *Genes.* XLIII. 32. Sensus itaque est: *credere nolebant.* Conf. *Hackspanii* Notas p. 454. *Heinsium* videtur pungere *Alex. Morus* in Notis p. 83. cui hic gradatim oratio ascendere videtur. *Tanta fuit*, inquit, *in iis vecordia, & malignitas, & contumacia, ut nisi vi quadam cælesti, & ut ita dicam, vorticordia, funditus immutarentur, non modo non crederent, sed neque fieri posset, ut crederent, ob inolitum & inexpugnabile voluntatis vitium; pæne dæmonum instar, qui nec Deum amant, nec amare possunt, nec ideo excusationem habent.* Quæ quo tendant, nempe ut in Deum ipsum causa cœcitatis illius referatur, patet ex sequentibus ejusdem verbis. *Alter* (Jesaiæ locus) *causam reddit, & τὸ διότι Excæcavit eos Deus &c. h. e. non dedit eis mentis oculos illustratos.* Quæ absit omni modo, ut admittantur. Quemadmodum enim prædictio Je-

 saiæ

ſaiæ cauſa non eſt effectus apud Judæos conſpicui; ita nec Deus cauſa eſt cœcitatis, quæ unice a pervicacia cordis ipſorum, ne ipſis quidem Chriſti miraculis, hunc in finem editis, fracta, repeti debet. Confer, quæ ſcripſimus ad *Matth.* XIII. 14. item *Kidderum* in Demonſtrat. Meſſiæ Part. II. pag. 73. ſq. Vide etiam, quæ ad hoc comma affert *Arnaldus* in Continuata Defenſione Verſionis Gallicæ Montenſis p. 294. ſqq. & ex Patribus *Suicerus* Tom. II. p. 897. & 1346.

Verſ. 41. Ταῦτα εἶπεν Ἡσαΐας, ὅτε εἶδε τὴν δόξαν αὐτοῦ) Locum hunc contra Socinianos, pro Chriſti divinitate recte urget *Pearſonius* ad Symbolum Apoſtol. pag. 221. *Spenerus* in Tract. vernaculo de Divinitate Chriſti pag. 306. ſq. *Jo. Wilh. Zieroldus* in der deutlichen Erklärung p. 1025. ſqq. & *Vitringa* Comment. in Jeſ. VI. 1. p. 142. ſqq. qui oſtendit, per αὐτὸν hic indicari Chriſtum, quia v. 37. dicitur, quod non crediderint in eum, nempe Chriſtum: cujus rei rationem reddit adductis binis Prophetæ vaticiniis. Idem refutat eos, qui hic pro αὐτοῦ legi volunt Θεοῦ, quam lectionem, vitio oſcitantis librarii, natam putat ex v. 43. *Rich. Simonis* verſionem h. l. caſtigaverat *Boſſuetus* in Inſtructione Paſtorali p. 135. ſqq. contra quem prolixe ſe idem tuetur in Epiſtolis Selectis Tom. III. in Supplementis p. 264. ſqq.

Verſ. 42. ἵνα μὴ ἀποσυνάγωγοι γένωνται) Vide ſupra ad IX. 22. Ad h. l. exſtat *Jo. Aſſelmanni* diſputatio de eo: an primores iſti habuerint fidem Juſtificantem, in Heptade Quæſt. Theologic. n. V.

Verſ. 44. οὐ πιστεύει εἰς ἐμέ) i. e. *non credit in me ſolum, ſed* &c. Vide 1 *Sam.* VIII. 7. & *Epheſ.* VI. 12. Adde *Hackſpanii* Syllogen p. 280. & Notas ad h. l. p. 456. ſq. *Feſſelii* Adverſar. Sac. Tom. I. pag. 327. & *Wasmuthi* Parænesin ad Grammat. Arabic.

Verſ. 45. Καὶ ὁ θεωρῶν) De animi viſione id Patres quidam accipiunt. Vide *Suicerum* Tom. I. p. 1396.

Verſ. 47. ἐγὼ οὐ κρίνω αὐτόν) i. e. *non condemno eum.* Vide *Boiſii* Collationem ad h. l. p. 318.

Verſ. 48. Lege huc B. *Bernh. Wagneri* Diſpp. II. de Contemtoribus verbi divini, *Argentor.* 1701. & 1713.

Verſ. 49. Ἀλλ' ὁ πέμψας με πατὴρ αὐτός μοι ἐντολὴν ἔδωκε, τί εἴπω καὶ τί λαλήσω) Lege ad hæc ex Patribus commentantem *Petavium* Tom. II. Dogmatum p. 323. Gentiles, Apollinem Oracula ſua a Jove Patre accepiſſe, fingebant. Vide huc *Elsnerum* p. 335.

CAP.

CAP. XIII.

AD caput XIII. & ſequentia uſque ad cap. XVII. generatim obſervat B. *Franzius* de Interpretat. Script. Sacr. p.421. ea, quæ his capitibus tradantur, ad Apoſtolos potiſſimum eorumque ſtatum eſſe referenda.

Verſ. 1. *πρὸ δὲ τῆς ἑορτῆς τῦ Πάσχα*) Diverſæ harum vocum expoſitiones legantur apud *Relandum* in Antiquitatt. Hebr. p. 436. Ipſe per *ἑορτὴν* intelligit ſolennitatem diei 15. חג i. e. *feſtum* dictam, *Num.* XXVIII. 17. ubi Græci Intt. habent *ἑορτή*, quemadmodum in Gemara *Roſch haſſchana* IV. 1. legitur, die 15. Niſan eſſe feſtum. Conf. idem p. 418.

ὅτι ἐλήλυθεν αὐτῦ ἡ ὥρα) Subtilius hæc ita interpretatur *de Roa* lib. IV. pag. 419. Singularium: *venit hora ejus* i. e. tempus illud, in quo veram & germanam pulchritudinis ſuæ ſpeciem mortalibus ſpectandam propoſiturus erat. Reſpectum ſcilicet haberi vult ad eam vocis *ὥρα* notionem, qua etiam *formam* ſeu *ſpeciem* infert. Alii rectius hæc ad tempus paſſionis referunt: vide *Suicerum* Tom. II. p. 1599.

ἵνα μεταβῇ) De morte ſua loqui hic Chriſtum *Chryſoſt.* & *Theodoretus* recte obſervant. Conf. *Suiceri* Theſaur. Tom. II. pag. 347. Atque hoc ſenſu Græci & Latini verbis *μεταβαίνειν*, *μετάβασις*, *migrare*, *tranſire* &c. utuntur. Vide, quæ ſcripſimus ad *Joh.* V. 24. & adde *Gatackeri* Notas ad Antonin. II. 11. pag. 63.

ἀγαπήσας τῦς ἰδίυς) Vide huc *Feſſelii* Adverſar. Sacr. Tom. II. p. 451. qui per dilectionem hic recte intelligit peculiaria ſpecialis in diſcipulos ſuos affectus indicia, tum in vita, tum circa ejus finem edita, quæ ibidem enumerat. Confer *Suicerum* Tom. I. p. 1436.

εἰς τέλος ἠγάπησεν αὐτῦς) i. e. *uſque ad finem* ſc. vitæ ſuæ naturalis *amavit eos*. Alii *extremum* Chriſti i. e. perfectiſſimum *amorem*, quo major dari non poſſet, indicari hic putant, rei quidem convenientiſſime, ſed neſcio an æque ad mentem Evangeliſtæ. Lege huc *de Prado* de Pentecontarcho p. 284. & *Lydium* in Agoniſtic. Sacr. p. 150. Conf. *Joh.* XV. 13.

Verſ. 2. *Καὶ δείπνυ γενομένυ*) i. e. *cœna parata*, cumque jam adſidere cœpiſſent: non autem, ut plerique accipiunt, *abſoluta*. Vide *Andr. Maſium* Tom. II. Supplementi Criticorum p. 1789. Lotio enim pedum ante cœnam fieri ſolebat, vide *Luc.* VII. Itaque, cum Chriſtus una cum diſcipulis jam accubuiſſet, ipſe quidem, tanquam convivator, iterum ſurrexit, & horum pedes lavit. Hinc v. 12. dicitur de Jeſu *ἀναπεσὼν πάλιν*. Neque tamen placent iſta *Caſaubono* in Exercitatt. Anti-Baronian. pag. 436. *Piſcator*, qui vertit: *& dum cœna fieret;* legi mavult *γινομένυ*. Contra eum diſputat *Boiſius* in Collatione pag. 318. contendens, cœnam tunc revera jam peractam

 fuiſſe,

fuisse, & actiones Domini secutas appendices cœnæ fuisse. Ampla præterea hic est disputatio, quæ tandem Cœna per δεῖπνον hoc intelligatur; utrum Paschalis illa, a ceteris Evangelistis memorata, an alia Ante-Paschalis? Posterius multis tuentur *Lightfootus* in Manipulo Spicileg. ex Exod. Sect. 19. in Harmon. Ord. & Chronolog. N.T. Sect. 81. & in Horis Hebr. ad Matth. XXVI. & *Anton. Bynæus* de morte Christi lib. I. c. V. p. 389. Prior quidem binis, posterior uno tantum die Cœnam hanc antecessisse Paschalem istam existimat. Confer in eandem sententiam *Richard. Kidderum* in Demonstrat. Messiæ Part. III. pag. 111. sqq. & ex nostratibus B. *Gottfrid. Olearium* in Observatt. ad Matthæum p. 730. qui eidem præsidium ostendit accedere ex Constitutt. Apostol. V. 14. ubi narratur, Judam duabus vicibus a Christo, accumbente cum discipulis, ut proditorem futurum designatum esse, semel in hac nostra Cœna, porrecta buccea, deinde in Paschali, cum Judas bucceam simul cum Christo in catinum intinxisset. Non videtur prorsus alienus ab eadem Rev. *Zeibichius* in commentatione vernacula de Horis Passionis Christi pag. 98. sq. qui & præcipua argumenta ita sentientium recenset, quæ ibi legi velim. Constat alioquin, nostrates Theologos tantum non omnes Cœnam hanc a Paschali ista non distinguere.

τοῦ διαβόλου ἤδη βεβληκότος εἰς τὴν καρδίαν) i. e. cum jam diabolus ei persuasisset, ut id, quod ipse suggesserat, perficere animum induceret. Vide *Elsnerum* pag. 336. qui hanc phraseos hujus notionem probat ex *Plutarchi* Timoleonte pag. 237. ita loquentis: Θεοῦ τινος ὡς ἔοικεν, εἰς νοῦν ἐμβαλόντος τῷ ἀνθρώπῳ. Simili phrasi eandem rem exprimit Petrus *Actor.* V. 3. Alias phrasis ἐμβάλλεσθαι εἰς νοῦν idem est, quod *animo concipere*, seu *in animum inducere*, sicut & ἐν θυμῷ βάλλεσθαι, quam in rem legatur idem l. c. ut & *Grævius* in Lectionibus Hesiodeis p. 32.

Vers. 3. ὅτι πάντα δέδωκεν αὐτῷ ὁ Πατὴρ) Quomodo hæc cum egestate, de qua *Matth.* VIII. 19. probe constent, contra Judæum Scriptorem libri *Chissuk Emuna*, cavillantem & ineptientem, ostendit *Gussetus* in Confutatione libri illius Part. I. cap. 27. & II. c. 53. Contra Socinianos eadem verba vindicat *Hackspanius* in Notis p. 458.

καὶ ὅτι ἀπὸ Θεοῦ ἐξῆλθε) *Cyrillum* lib. IX. in Joann. p. 721. de æterna Filii generatione minus convenienter hoc accipere, ostendit *Petavius* Tom. II. Dogmatum Theologg. p. 442.

Vers. 4. τίθησι τὰ ἱμάτια) Non plures vestes, quod voluit *Baronius*, sed unum Christi pallium hic indicari ex Joh. XIX. 25. ubi de Christi pallio, in quatuor partes scisso, eadem vox in plurium numero ponitur, ostendit *Casaubonus* in Exercitatt. p. 437.

λαβὼν λέντιον) Servorum scilicet, quorum hic habitum assumebat Serva-

Servator, erat, ſine pallio aut alia veſte exteriore, tunicatos & cinctos, vel etiam linteo ſuccinctos miniſtrare. Vide huc *Caſaubonum* l. c. & *Ramirezium de Prado* in Pentecontarcho p. 93. De voce λέντιον confer *Saubertum* de Sacrificiis p. 168. Ex antiquitate Judaica totum hoc comma illuſtrat Cl. *Jo. Georg. Abicht* in Diſſert. de ſervorum Hebræorum acquiſitione ac ſervitiis, *Lipſ.* 1709.

Verſ. 5. ἤρξατο νίπτειν τοὺς πόδας) Num id Judæis perpetuo, qui apud Gentiles erat, more receptum fuerit, ut ante cœnam adeoque & Paſchalem lavarentur, diſputatur inter eruditos, *Joſepho Scaligero* de Emendat. Temp. p. 570. & *Caſaubono* in Exercitat. Anti-Baron. XVI. §. 22. affirmantibus, negante autem *Buxtorfio* in Exercitatt. de Cœna p. 302. cui *Lud. Cappellus* in animadverſionibus ad iſtam Exercitat. reſpondere conatus eſt, ſed ita ut alter viciſſim occaſionem inveniret cauſam ſuam tuendi. Utriusque partis argumenta in ſummam retulit B. *Ittigius* in Diſſert. de Pedilavio Chriſti imitando, *Lipſ.* 1699. 4. p. 14. ſqq. qui recte cum *Buxtorfio* contendit, extraordinarium fuiſſe hoc pedilavium, non ſolum ratione perſonarum, quia inſolitum erat, diſcipulorum pedes a Magiſtro lavari, ſed etiam ratione ipſius actus, quem ordinarios Judæorum ritus ſecum tuliſſe hactenus probatum non ſit; qua de cauſa quoque Divus Johannes totam hanc rem adeo diligenter, commemoratis ſingulis circumſtantiis, expoſuerit. Idem p. 9. ſq. oſtendit, & Judæ pedes a Domino lotos eſſe. Confer præterea *Alb. Joach. Krackevitzii* & *Frid. Wilh. Förſteri* Diſputationes de pedilavio Chriſti, iſtam *Roſtoch.* 1707. hanc *Erfurti* 1694. habitam.

Verſ. 8. οὐκ ἔχεις μέρος μετ᾽ ἐμοῦ) Vocabulum μέρος proprie hic non partem, ſed communionem & conſortium denotare, ſtatuit *Jo. Vorſtius* in Diſſertatt. Sacr. lib. I. p. 98. ad Hebraiſmum provocans, & ad 2 Cor. VI. 15. ſe ſimul recipiens, ubi vox cognata μερὶς eadem notione uſurpetur. Videtur tamen hic ſpeciatim reſpici ad portionem hereditatis cœleſtis, quam credentes cum Chriſto habituri ſunt. Hoc ſenſu Johannes ea voce paſſim utitur in Apocalypſi XXI. 8. XX. 19. Conf. XX. 6.

Verſ. 10. ὁ λελουμένος οὐ χρείαν ἔχει ἢ τοὺς πόδας νίψασθαι) *Zegerus* exponit: *quisquis lotus eſt, opus certe non habet pedes lavari, ſed eſt purus totus.* Eſt ei nempe particula ἢ *confirmativa* h. l. quocum fere ſentit *Knatchbullus*, & illi penitus adſtipulans *le Cene* in Projet p. 647. Cl. *Hombergius* in Parergis Sacris p. 171. hanc ſententiam eſſe putat: *quicunque inter vos lotus eſt a me, i. e. quoad pedes, ille non opus habet, ut ultra, quam quoad pedes, lavetur.* *Heinſius* poſt λελουμένος ſubaudit ἀπὸ τῆς ὁδοῦ, ex Hebræorum conſuetudine, qui a via redeuntes ſe abluebant. *Beza* ex balneorum more derivat, ubi loto cetero corpore pedes poſtremo laventur, cum quo facit *Grotius*. Cl. *Elsnerus* p. 337. relictis his omnibus, ad veterum convivandi morem reſpectum eſſe exiſtimat, ubi

loti

loti ante in balneo convivæ veniebant, adeoque in ædibus convivatoris nihil opus habebant, quam pedes, quibus a lotione in via denuo fordes aut pulvis adhæferant, laviffe, ne lectos, fuper quibus accumbebant, macularent. Atque iis quidem morem illum ante convivium adeundum fe lavandi ex variis Scriptoribus Græcis, v. c. *Luciano* in Gallo p. 242. in Timone p. 93. & aliis evidenter adftruit. Idem fere antea tradidit *Laur. Ramiref. de Prado* in Pentecontarcho p. 91. obfervans, Judæos, inprimis fuperftitiofiores, non pedes tantum, fed & totum corpus, abluere confueviffe, teftante *Marco* VII. 4. & *Luca* XI. 38. eos vero, qui ab omni fuperftitione alieni erant, pro βαπτισμῷ universali, ποδονίπτρῳ i. e. *pedilavio*, contentos fuiffe. Idem tamen Chriftum putat, facta ad utrumque hunc morem tum totum corpus, tum pedes, abluendi, allufione, fimul docuiffe, eum, qui fpiritualiter mundus fit, h. e. cui jam peccata fint remiffa, non indigere, nifi ut pedes lavet. Cl. *Clericus* in Notis ad Verf. Gallic. Dominum noftrum, allegorice hæc locutum, id indicare cenfet, quod difcipuli, qui magna parte defideriorum carnalium fint liberati, non opus habeant, nifi ut ab iis, quæ fuperfint, fe mundent. Prima illa Zegeri interpretatio violenta eft, & cum infolentiore vocis ἢ fignificatione, quam ftructura fermonis non admittit, conjuncta. *Hombergiana* explicatio, ut cetera taceam, difficultatem potiorem non tollit, quæ in eo pofita eft, cur Chriftus hic dicat, eum, qui lotus fit, non indigere amplius lotione, nifi quod ad pedes. Si enim lotus eft antea, etiam quod ad pedes, cur illa lotio repetenda? Spiritualem & moralem fenfum Chriftum hic intendiffe, vix crediderim, quemadmodum nec verifimile eft, quod Clericus opinatur, Petrum verba Chrifti antecedentia in ejusmodi fenfu accepiffe, qui cum reliquis difcipulis confueverat, verba Domini longe clariora, & morali notione induenda, proprie accipere. Itaque fimpliciter id Chriftum hic velle crediderim, quod, ficut loti in balneo quod ad totum corpus, de pedibus tantum, quos vel a balneo, vel in via pulvere maculare iterum folebant, lavandis & abftergendis foliciti effe debeant. Ita ipfi quoque nunc quidem, ifto lavandi ritu procul dubio ante defuncti, non habeant, cur de perfectiore lotione laborent. Ceterum Poëtas Græcos homines impuriffimos ἀνιπτόποδας vocare folere, obfervavit *Otto Sperlingius* de Baptifmis Ethnicorum p. 83.

Particulam ἢ hic idem effe, quod εἰ μὴ, oftendit *Gatackerus* ad Antoninum p. 151.

Verf. 13. Ὑμεῖς φωνεῖτέ με· Ὁ διδάσκαλος καὶ ὁ κύριος) Nominativum hic pro Vocativo pofitum effe, plerique exiftimant. At Cl. *Jo. Chrift. Herzogius* in Differtat. de certitudine Hermeneutices in N. Teft. §. 6. alia ratione verbis his confuli poffe exiftumat. Τὸ φωνεῖν enim, ait, in genere denotare, *fonum edere, citra confiderationem, an articulatus fit, nec ne?* Itaque nec femper vocantis, feu compellantis vocem inferre, fed actum illum, quo fonus editur:

editur: qua ratione adhibitum esse censet *Herodoto* lib. I. p. 18. Hoc itaque sibi velle Christum, quod discipuli, interrogati forte, unde hanc illamve doctrinam habeant? nominare soleant Christum, dicentes: *Praeceptor & Dominus*, sc. praecepit, interdixit, vel consuevit, ita agere. Horum enim quidquam subintelligi hic debere censet. Non dubito ego, plerosque longe facilius admissuros esse istam casuum enallagen, in Scriptoribus Sacris & profanis passim obviam, quam impeditam illam vel ellipsin, vel verbi φωνεῖν explicationem. Ad compellationem enim, adversus se hoc modo factam, Dominum respicere patet vel ex Matth. XXIII. 8. ubi vetat discipulos titulum ejusmodi admittere, quo ipse solus dignus sit. Ὑμεῖς δὲ μὴ κληθῆτε Ῥαββί. εἷς γάρ ἐστιν ὑμῶν ὁ καθηγητὴς, ὁ Χριστός. Discipulos vero his nominibus Christum appellare consuevisse, patet ex *Matth.* XXII. 16. *Marc.* XI. 21. XIII. 1 *Joh.* XI. 28. &c. Confer *Dougtai* Analecta Sacr. N. T. p. 61. sq. ubi ostenditur, Gentiles quoque διδασκάλων & *Magistrorum* nomine praecellentioris in quavis arte scientiae viros appellare solitos.

Vers. 14. καὶ ὑμεῖς ὀφείλετε ἀλλήλων νίπτειν τοὺς πόδας) Quantopere & olim nonnulli, & hodie Pontificii, his verbis ad stabiliendos ritus superstitiosos abutantur, & quomodo illa ex Domini mente accipienda sint, diligenter ostendit B. *Ittigius* in Dissertat. singulari *de Pedilavio Christi imitando*, quae in Enneade Dissertatt. ejus p. 197. sq. recusa exstat. Confer *Godofr. de Werdeck* Silesiam Numismaticam p. 250. sq. item *Guil. Cavei* Christianismum Primitivum II. 14.

Vers. 16. οὐδὲ ἀπόστολος μείζων) Vox ἀπόστολος hic in genere *legatum* seu *missum* quemvis denotat, ut 2 *Cor.* VIII. 23. & *Philipp.* II. 25. Confer *Suiceri* Thesaurum Tom. I. p. 475.

Vers. 18. Ὁ τρώγων μετ' ἐμοῦ τὸν ἄρτον) Locus est *Psalm.* XLI. 10. quem cum allegatione hic facta confert *Surenhusius* in libro καταλλαγῆς p. 368. Confer *Gusseti* Lexic. Hebraic. p. 249. Temere agit *Guil. Whistonus*, quando in Concionibus Anglicanis, sub titulo *Accomplishment of Scripture Prophecies*, Lond. 1708. editis p. 57. negat, verba haec ex Psalmo isto petita esse, ideo, quod iste quidem ad Messiam omnino pertinere non possit. Pro eo itaque Psalm. LX. 12. 13. huc advocari debere contendit. Sed vide, quae ipsi recte opposita sunt in Anonymi *Remarks on some Books* p. 73. Certe qui utrumque Psalmum inspexerit, priorem illum ad h. l. proxime facere non dubitabit.

ἐπῆρεν ἐπ' ἐμὲ τὴν πτέρναν αὐτοῦ) Lege huc *Suicerum* Tom. II. p. 884.

Vers. 19. πρὸ τοῦ γενέσθαι) Pro scholio haec habet *Millius*; sed vide *Whitbii* Examen p. 50.

Vers. 21. ἐταράχθη) Vide huc B. *Schurzfleischii* Dissertat. de verbo perturbationem significante, *Witteberg.* 1695.

Verſ. 23. Ἦν δὲ ἀνακείμενος εἷς τῶν μαθητῶν αὐτοῦ ἐν τῷ κόλπῳ τοῦ Ἰησοῦ) Recubuiſſe in ea Cœna Dominum noſtrum exiſtimo, non in medio, ſtipantibus latera hinc inde Apoſtolis, ut pictores vulgo effingunt, ſed in ſigmate, h. e. in ſtibadio, ſeu lecto ſemirotundo, cujus duo primi loci erant duo cornua, dextrum ac ſiniſtrum. Ad dextrum ſedebat Chriſtus, ut oſtendit muſivum Capuæ opus a Deſiderio, Caſinenſi Abbate, qui Victor tertius poſtea fuit, dedicatum. Quod quidem, ſi ad veram imaginem expreſſum eſt (nec certe apparet, cur videri non debeat) haud difficile fuerit intelligere, cur aut Johannes, qui per ætatem forte ultimus erat, Chriſto proximus accubuerit, aut Petrus, qui remotior, innuiſſe Johanni dicatur. Ita *Colomeſius* ad h. l. p. 4. Confer etiam *Salmaſ.* ad Solin. p. 886. & imagines accumbentium a variis allatas, quos laudat Cl. *Fabricius* ad Tom. I. Apocr. N. T. p. 532.

Verſ. 25. Ἐπιπεσὼν δὲ ἐκεῖνος ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Ἰησοῦ) i. e. propius ſe ad pectus & aures Chriſti admovens, quod poſt *Grotium* hic monet Cl. *Trillerus* in Notis MSS. & illuſtrationis cauſa affert concinnum *Homeri* locum ex Odyſſ. IV. v. 69. 70. Johannes ſcilicet, ex more veterum accumbendi, in ſinu Chriſti primum jacebat v. 23. itaque propius ſe ad Chriſtum applicans percipere ex eo poterat, quæ ſcire vellet. Conf. *Aug. Herm. Franckii* obſervationes p. 25. ſq. Ceterum ex hoc ſitu Johannes a veteribus vocatur ἐπιστήθιος. Vide *Suicerum* Tom. I. Theſauri p. 1188.

Verſ. 26. ᾧ ἐγὼ βάψας τὸ ψωμίον ἐπιδώσω) Nonnulli buccellam hanc de pane Euchariſtico interpretantur. Sed cum illis equidem ſentire malim, qui Cœnam, de qua hic ſermo eſt, non cum Paſchali, ſed cum ea potius, quæ ut Bethaniæ facta Matth. XXVI. 6. narratur, eandem faciunt. Vide *Jo. Lightfooti* Opera Poſthuma in ſingulari Diſſertat. quæ num. XVI. exſtat. Confer quæ dicta ſunt ad verſ. 1. interim Judam S. Cœnam deinde accepiſſe, ad Luc. XXII. 21. oſtendimus. *Hammondus* hic, & cum eo *Clericus*, contendunt, panis fruſtum hoc non intinctum fuiſſe, ſed ex diſco tantum prolatum, quia τὸ βάψαι ſit immergere, immergi autem poſſit manus vaſi, in quo nullus liquor ſit, & ἐμβάψαι χεῖρα ſimpliciter *cibum capere* ſignificet, *Matth.* XXVI. 23. Sed primum quidem repetita phraſis βάψας τὸ ψωμίον & ἐμβάψας τὸ ψωμίον buccellam intinctam credere jubet, deinde vero juſculorum uſus apud Hebræos in cœnis receptus proprietatem phraſeos hic retinendam ſuadet. Confer Rev. *Wolfburgii* Obſervatt. Sacr. p. 621. Profanos quoque ſingularem fidem requiſiviſſe ab illis, qui communi menſa uterentur, & contrarios mores vehementer improbaſſe, oſtendit Cl. *Elsnerus* p. 339. Vide inprimis *Strabon.* lib. IX. p. 642. & *Euripid.* in Hecuba v. 793.

Verſ. 27. ὃ ποιεῖς, ποίησον τάχιον) Ἐπιτροπὴ hic eſt, ſeu *Conceſſio*, talis ſcilicet

licet figura, qua invitos nos permittere ostendimus, quod nolimus fieri, idque cum summa indignatione & acerrima exprobratione inemendabilis malitiæ. Ita Rev. *Raphelius* pag. 283. Notarum Polybian. qui deinde hujus figuræ exempla plura ex Latinis & Græcis Scriptoribus affert. Inprimis huc pertinet *Epictetus* lib. IV. c. 9. ποίει, ἃ ποιεῖς· οὐδὲ θεῶν σέ τις σῶσαι δύναται. *Fac, quæ facis. Ne Deorum quidem quisquam servare te potest.* Vide eundem lib. III. c. 21. extremo & 23. initio, & confer omnino Cl. *Jo. Alberti* Observatt. Sacr. p. 216.

Vers. 30. Λαβὼν οὖν τὸ ψωμίον ἐκεῖνος, εὐθέως ἐξῆλθεν) Ex his verbis Doctores Reformati, nominatim *Guil. Saldenus* in Otiis Theologicis pag. 377. & *Jo. Marckius* in Exercitatt. Scripturariis evincere conantur, Judam S. Cœnam non accepisse. Provocamus nos ad eorum commentationes, quas alibi de hoc argumento attulimus. Vid. ad *Luc.* XXII. 21.

Vers. 31. Νῦν ἐδοξάσθη ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου &c.) Respici hic directe ad instantem Christi mortem & passiones, earumque consequentia, jam pridem observatum est a multis. Confer in eandem sententiam Patrum loca apud *Suicerum* Tom. I. p. 948. & 950. *Vitringam* Comm. in Jesaiam Tom. II. pag. 566. qui cum h. l. scite comparat oraculum Jesaiæ XLIX. 3. Adde ex nostratibus Rev. *Wolfburgium* in Observatt. Sacr. p. 140. Vide etiam *Mareschallum* ad Version. Gothic. pag. 472. sq. ubi de significatu verbi δοξάζειν diligenter agit.

Vers. 33. Τεκνία) Discipuli sæpe τέκνα & τεκνία vocantur in Proverbiis Salomonis, & inprimis in Epistolis Johannis, tum vero & a profanis Scriptoribus. Vide Cl. *Majum* ad Basilii Orat. de legendis Gentilium libris pag. 5.

Vers. 34. Ἐντολὴν καινὴν δίδωμι ὑμῖν, ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους) Novum hic appellari præceptum Christi de amore non per se, sed certo respectu, patet. Plerique idem hic esse volunt, quod *præcipuum* & *illustre*, quo sensu eadem vox occurrit *Matth.* XXVI. 29. *vinum bibam novum*, item in V. T. *Judic.* V. 8. & *Psalm.* XCVI. 1. Conf. in hanc sententiam Patres apud *Suicerum* Tom. I. pag. 1126. & II. pag. 419. *Hackspanii* Notas ad h. l. pag. 463. qui tamen simul monet, præceptum hoc dici hic καινὸν i. e. *aliud*, respectu habito ad antecedens illud de pedilavio, quod dederat Christus. Sed malim ego in priori acquiescere sententia, quam diligenter ornavit *Jo. Lehmannus* in Disputat. de Præcepto præcipuo *Jen.* 1714. Alii ad Judæos hic inprimis respici volunt, tanquam quibus fuerit novum, quia illi omnium aliorum officiorum fuerint observantiores, quam fraternæ charitatis. Ita statuit Rev. *Raphelius* in Notis Xenophonteis pag. 137. allato simul luculento Xenophontis loco de Republ. Lacedæm. pag. 542. ubi de legibus Laconicis antiquissimis ait, οὕτω

δὲ παλαιοὶ ὄντες, ἔτι καὶ νῦν τοῖς ἄλλοις καινότατοί εἰσιν. Καὶ γὰρ, (τὸ πάντων θαυμαστότατον) ἐπαινοῦσι μὲν πάντες τὰ τοιαῦτα ἐπιτηδεύματα, μιμεῖσθαι δὲ αὐτὰ οὐδεμία πόλις ἐθέλει. h. e. *Verum, ut ut antiquæ sint, tamen nunc quoque recentes sunt aliis. Etenim, quod admiratione dignissimum est, hujusmodi studia collaudant omnes, imitari civitas nulla cupit.* Alii *novum* dici opinantur ob factam extensionem significatus vocis *proximi*, quem Judæos valde constrinxisse constat. Lege huc *Rich. Kidderum* in Demonstrat. Messiæ Part. II. pag. 132. sqq. ubi locus hic adversus Judæorum exceptiones vindicatur: quibus & satisfecit *Gussetus* in Confutatione libri *Chissuk Emuna* I. 45. 51. & II. 54. Pontificiis, & aliis, phrasi hac abusis, opposuit se *Hackspanius* l. c. Notandus hic locus est *Kimchii* ad Jes. XII. 13. ubi cum Paraphrasin Chaldaicam verborum Prophetæ attulisset ita habentem: *& accipietis doctrinam novam;* subjungit: *Dicit vero, doctrinam novam, quia revera illa erit nova. Ita enim tum discent cognoscere Jehovam, uti nullus didicit hominum usque ad illum diem, prouti dixerat: Sicut aquæ tegunt mare cap.* XI. 9. Confer *Vitringæ* Observatt. Sacras lib. I. p. 182.

Vers. 35. Ἐν τούτῳ γνώσονται πάντες, ὅτι ἐμοὶ μαθηταί ἐστε, ἐὰν ἀγαπᾶτε ἀλλήλους) Id impletum esse in Christianis primævis, ex iis patet, quæ *Guil. Cavæus* & alii de illorum moribus & amore in se mutuo tradiderunt. Passim enim Gentiles de illis exclamabant: *ecce, quam se diligunt Christiani!* Patrum in eandem sententiam monita lege apud *Suicerum* in Thesauro Tom. I. p. 20. Pythagoreos ex consilio Præceptoris mutuam in se invicem benevolentiam ita ait probasse *Jamblichius* in Vita Pythag. c. 33. ut de aliis, similem amorem sectantibus, dici consueverit: ὅτι τῶν Πυθαγορείων εἰσι, *sunt ex Pythagoreorum numero.* Conf. Cl. *Elsnerum* p. 340.

CAP. XIV.

VErs. 1. πιστεύετε εἰς τὸν Θεὸν, καὶ εἰς ἐμὲ πιστεύετε) Vide huc freywilliges Heb-Opfer Tom. III. p. 44. Quadrifariam hæc verba legi & explicari posse, jam observavit *Erasmus*, & quintam rationem addit *Suicerus* Tom. II. pag. 721. ac ceteras diversorum Patrum exemplo commonstrat. Ipse verti vult: *credite in Deum, & in me credite.* Locum hunc pro divinitate Domini nostri adversus Socinianos inprimis urgeri posse, ostendit *Triglandius* in Differt. de Karæis pag. 175. De phrasi πιστεύειν εἰς Θεὸν, de qua alibi diximus, lege *Gusseti* Lexicon Hebr. p. 75.

Vers. 2. Ἐν τῇ οἰκίᾳ τοῦ πατρός μου μοναὶ πολλαί εἰσιν &c.) In versum hunc commentatur *Coccejus* in Opp. Posthumis Tom. II. pag. 483. sq. ubi in varietatem interpunctionis, quæ hic apud nonnullos est, & diversam, quæ hinc pendet, interpretationem inquirit. Adstruit autem interpretationem veterem, quam & B. Lutherus noster secutus est, in hunc omnino sensum:

In

In domo Patris mei mansiones multæ sunt, si non, dicerem vobis: Vado parare vobis locum, h. e. Si cœlum adhuc vacuum esset hominibus, ita, ut nemo adhuc in cœlum intrasset, tum dicerem vobis, meum abitum vobis esse pignus sufficiens vestræ secutionis. Atque illa quidem rectius se habere mihi videntur, quam aliorum ista, qui sic vertunt, addita particula *verum: mansiones multæ sunt in domo Patris mei: si ita non esset, dicturus id vobis fuissem: verum jam abeo, locum vobis paraturus.*

Μοναὶ πολλαί εἰσιν) Veterum Doctorum permulti plures illas *mansiones* de diversis & inæqualibus beatitatis gradibus interpretantur post *Hieronymum* & *Theodoretum* in Cantici caput I. p. 2003. Sed series sermonis Christi evincit, multitudinem illam ideo afferri, ut certi essent discipuli, non unum alterumve, sed plures, atque adeo & se ipsos locum ibi habituros esse. Alii alio hic respici volunt. Inter hos *Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra p. 521. ita: *Cælum vocat domum Patris sui. Forsan allusione ad Templum, quod vocabatur Domus. Cum vero in Templo Hierosolymitano varia essent conclavia, hinc est, quod etiam in Templo cælorum, varia conclavia, & multæ quasi Leschæ* לשכות *nobis repræsententur. Vel allusione ad ædes Regias & Domum ipsius Davidis & Salomonis, in qua variæ contignationes innumeræque cameræ ad usum & ad voluptatem Regis & Aulicorum. Sic cælum est veluti Regis & Dei palatium, ab illo solo non tantum occupandum, sed ab Angelis & fidelibus, ad quorum usum variæ cameræ & quasi mansiones etiam hic a Domino nostro commemorantur. Nisi dicamus, fieri hoc oppositione ad gehennam, quæ secundum Hebræos variis etiam constabat partibus, ubi rei, secundum peccatorum suorum atrocitatem, torqueri censebantur. In domo Patris dicit esse varias μονὰς, non dicit μεταβολάς. Nam μεταβολαὶ dicebantur de stationibus, in quibus peregrini non solebant pernoctare. Sed μοναὶ dicebantur, ubi viatores cænabant, & somnum quietemque captabant. Ideo dicit Dominus, quod in domo Patris variæ sint μοναὶ, in quas fideles post varios errores & peregrinationes molestissimas tandem perveniunt, quiescunt ibi a laboribus, & in æternum decumbunt in sinu Abrahami.* Hæc ille, quæ ex libro, rarius obvio, longiuscule describere placuit.

Ex diversis his allusionibus, quæ factæ hic creduntur, eam inprimis ornat Rev. *Deylingius* in Observatt. Sacr. Part. III. pag. 264. seq. quæ cœlum οἰκίαν τȣ͂ πατρὸς appellatum infert, respectu habito ad Tabernaculum Mosaicum, aut Templum Hierosolymit. in quo permultæ erant cameræ & conclavia, לשכות dicta, nimirum quatuor in ipso Templo, sex in atrio, aliquot etiam infra atrium Israelitarum. Vide hanc in rem *Middoth* I. 6. II. 5. & *Tamid.* III. 3.

Atque ista quidem malim hic amplecti, quam cum aliis credere, respici hic ad milites, qui, in itinere constituti, varias habebant μονὰς seu σταθμὸς, in quibus quietem capere solebant. Vide *Amelium* Part. II. p. 404.

qui & ostendit, *diversoria* quoque mansionum nomine veteribus appellari consuevisse. Longe minus probaverim *Lightfootum* in Horis Talmudic. ad h. l. existimantem, phrasin hanc ab itineribus Arcæ Fœderis, variis in locis olim quiescentis, repetitam esse. Conf. eundem *Amelium* p. 401. Ceterum Gentiles quoque varias cœli mansiones memorare, patet ex *Theocriti* Idyllio XVII. & *Pindari* Nemeis Od. I. sub finem, unde & iidem dicunt, ὀλύμπια & ὑπέρτατα δώματα ἔχειν & ναίειν. Quod observat Cl. *Trillerus* in Notis MSS. ad h. l.

εἶπον ἂν ὑμῖν) B. *Lutherus* convenientissime: so wollt ich euch sagen. Vide B. *Raithii* Vindicias Versionis ejus p. 429.

πορεύομαι ἑτοιμάσαι τόπον ὑμῖν) Non pugnant hæc cum *Matth.* XXV. 34. ubi locus ille piis ante jacta mundi fundamenta paratus esse dicitur. Ibi enim sermo est de decreto divino, heic vero de ejusdem executione. Vide *Episcopii* Responsf. ad LXIV. Quæst. XXIV. Verbum ἑτοιμάσαι alias proprie de metatoribus usurpari, ex Glossariis veteribus ostendit *Salmasius* ad Tertullian. de Pallio pag. 134.

Vers. 3. πάλιν ἔρχομαι) i. e. *redibo*, ut apud *Xenophontem* de Cyri expedit. lib. 3. p. 231. & alibi. Vide *Raphelii* Notas Xenophont. p. 139. & *Erasm. Schmidium* ad Joh. XII. 22. ubi de voce πάλιν significatu quarto.

Vers. 4. ὅπȣ ἐγὼ ὑπάγω) Ὅπȣ pro ὅποι, *quo:* ut apud *Xenophontem* Cyropæd. lib. VI. p. 119.

Vers. 6. Ἐγώ εἰμι ἡ ὁδὸς ϗ ἡ ἀλήθεια) Judæos & Arabes in Alcorano Deum *veritatis* nomine appellare, observat *Hottingerus* de usu Scriptorum Hebraic. in N. T. p. 398. Syntagmatis Rhenferdiani. Vide Talmud. Hierosolymit. cap. I. Conf. *Amelium* Part. II. p. 84. Totum versum hunc illustrat *Jo. Wirtzius*, in Disput. singulari, Tigur. 1652. 4 edita, & *Christianus Kortholtus* Kilon. Conf. *Petavii* Dogmata Theolog. I. p. 108. & 109. & *Suicerum* Tom. I. pag. 187. & 228. item Tom. II. p. 451. 1060. ubi ex Patribus huc differitur.

Vers. 9. ὁ ἑωρακώς ἐμὲ ἑώρακε τὸν Πατέρα) Lege huc B. *Neumanni* Programma de αὐτοψίᾳ Patris in Filio incarnato, quod inter cetera ejus Programmata Academica exstat p. 77. sqq. Vide quoque *Petavium* de Deo lib. I. cap. 13. Dogmatum Theolog. Tom. I. p. 81. & Tom. II. p. 102. ubi ostendit, de adspectu mentis hæc accipienda esse. Conf. ibidem pag. 98. nec non *Suicerum* Tom. I. p. 610. & Tom. II. p. 500.

Vers. 10. Οὐ πιστεύεις, ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ Πατρὶ, ϗ ὁ Πατὴρ ἐν ἐμοί ἐστι) Verba hæc luculenter *Athanasius* lib. IV. contra Arianos & *Cyrillus* lib. XII. Th. pag. 106. iisdem fere, quibus ille, verbis ac sententiis enarrat. Hinc vero *Sabellius* & *Arius* ex æquo confutantur, ut iidem docent. Nam & diversam utrius-

utriusque perfonam effe, & æquales nihilominus ambos effe, demonftrat. Hæc *Petavius* Tom. II. Dogmatum p. 98. apud quem lege plura.

Verf. 11. Πιστεύετέ μοι ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ) *Rich. Simon* vertit: *vos non creditis;* in Notis vero obfervat, verti etiam poffe cum nota interrogandi: *nonne creditis?* Sed non opus eft his ambagibus. Commatis fenfus plenus & fimplex ifte eft: *Credite mihi, quod fim in Patre*, atque his verbis fidem habete; fin minus dicenti hæc credere vultis, credite facienti tot miracula. Vim phrafeos, ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ Πατρὶ, contra *Crellium* vindicat *Feffelius* in Adverfariis Sacris Tom. I. lib. IV. c. 6. p. 351.

Verf. 12. μείζονα τούτων ποιήσει) Majora illa opera nonnulli referunt ad præconium Evangelii, ab Apoftolis intra viginti aut triginta annos per totum Orbem promulgati, cum Dominus nofter fe intra Judææ fines continuiffet. Vide B. *Franzium* de Interpretatione Scripturæ Sacr. p. 422. qui etiam huc refert communicationem doni miracula patrandi, cum aliis per impofitionem manuum factam. Alii *majora* dici hic opinautur ea, quæ fpeciem majoris præftantiæ fecum ferant, & in oculos magis incurrant, v. c. donum diverfis linguis loquendi. Aliis *majora* appellari videntur refpectu eorum, quæ Chriftus hactenus pro ftatu exinanitionis fuæ patraverit. Ita *Starckius* in Notis Selectis p. 109.

ὅτι ἐγὼ πρὸς τὸν Πατέρα μου πορεύομαι) h. e. quia ad Patrem abeo, neque amplius in carne & præfens oculis miracula illa edere poffum, vos ea præftabitis. Ita *Starckius* l. c.

Verf. 15. Ἐὰν ἀγαπᾶτέ με, τὰς ἐντολὰς τὰς ἐμὰς τηρήσατε) Confert hunc locum cum *Jef.* LVIII. 8. & 11. *Henr. Morus* in Opp. Theologic. p. 339.

Verf. 16. ἄλλον Παράκλητον δώσει ὑμῖν) Paracleti notionem ex Rom. XII. 8. inprimis repetit B. *Franzius* de Interpret. p. 420. unde fcilicet conficit, τὸ παρακαλεῖν idem effe, quod *adhortari*, *inftigare*, *impellere*, imo fiducia induere, & audaciorem reddere. Et majorem Apoftolis fiduciam animumque fuiffe poft Pentecoften, quam ante Chrifti paffionem, idem exemplis oftendit l. c. Per τὸν ἄλλον hic ad Chriftum fimul refpici, tanquam qui confolatorem, feu *advocatum* potius difcipulorum hic præftiterit, & a quo proinde Spiritus S. tanquam certa perfona, diftinguatur, oftendit *Guffetus* in Confutatione libri *Chiffuk Emuna* p. 71. De illa *Advocati* notione poft Patres, de quibus *Suicerus* Tom. II. pag. 584. commentatur ex noftratibus B. *Scherzerus* in Programmate fingulari de Advocatia Spiritus S. quod inter reliqua ejus Programmata exftat pag. 310. fqq. Conf. B. *Hepfneri* Difp. de Advocatione Spiritus S. Lipf. 1617. *Frid. Deutfchii* Programma de Paracleto, *Regiom.* 1701. & noviffime Lic. *Chriftiani Weifii* Exercitat. Theolog. de

de Mnemonico Spiritus S. officio, *Lipſ.* 1711. Ex illa *Advocati* notione *Medus* in Fragmentis Sacris, quæ Tom. X. Opuſc. Philolog. recuſa ſunt p. 249. aliam *Doctoris eximii* exſculpit, ad quam hic inprimis reſpici putat ſicut 1 Theſſ. II. 3. παράκλησις de doctrina adhibeatur. Addit idem Targumiſtas Paracletum eodem ſenſu adhibere. Idem obſervavit de aliis Hebræorum ſcriptis *Druſius* in Præteritis. Ita quoque Gloſſarium vetus *Advocatus* explicat per παράκλητον, & aliud παράκλητος per *Advocatum*. Conf. *Boiſii* Collationem p. 321. qui & monet, *conſolatorem* Græcos vocare potius παρακλήτορα.

Ineptiunt Arabes, quando per Paracletum hic promiſſum *Muhammedem* ſuum intelligi volunt, poſt Abulfarajum & alios. Vide huc *Maraccii* Prodromum I. p. 27. qui errorem hunc inde natum putat, quod pro παράκλητος legerint περίκλυτος, i. e. *inclytus*, *glorioſus*, quæ ſignificatio non abſimilis ſit Arabicæ voci *Achmed*. Idem jam ante ſuſpicatus eſt *Alex. Morus* in Notis p. 85. Παράκλητον, inquiens, *accepit*, ἀντὶ τοῦ περίκλυτον. *Eſt autem* περίκλυτος *Græcis quod* מהמד *dageſſatum* Mohammed *Arabibus*, valde laudatus, inclytus, *vaniſſimo errore*. Idem *Morus* monet, Johannem hic, ut in voce λόγος, atque aliis chaldaiſſare. Occurrere enim apud Paraphraſten Chaldæum a Græcis mutuo ſumtam, & apud Talmudicos, ut cum eleganter dicunt in Sanhedrin פרקלטין של ארם תשובה ומעשים טובים h. e. *Paracleti hominis ſunt reſipiſcentia & bona opera.*

Cum Chriſtus etiam non minus ac Spiritus S. *paracletus* noſter dicatur, diſquirunt Theologi, quo id fiat diſcrimine? Vide quos in hanc rem citat *Thom. Crenius* in Animadverſion. Part. IX. c. I. p. 87.

εἰς τὸν αἰῶνα) i. e. εἰς τέλος, ut c. XIV. 1. Conf. *Hackſpanii* Notas p. 464.

Verſ. 17. ὅτι παρ' ὑμῖν μένει, καὶ ἐν ὑμῖν ἔςαι) Pro ἔςαι Codd. nonnulli, verſiones item & Patres hic legunt ἐςί. Vide *Cotelerium* T. II. Monumentorum Eccleſ. Græc. p. 588. & *Millium* in Prolegom. §. 773. Senſus eſt idem.

Verſ. 18. Οὐκ ἀφήσω ὑμᾶς ὀρφανούς) Amanter eleganterque hoc dictum eſſe, monet Cl. *Elsnerus* p. 341. quia diſcipulos, præſentia ſua deſtitutos pupillos, parentibus carentes, vocat. *Luciani* ſimilis phraſis eſt de morte Peregrini p. 760. quem vocat ἄγαλμα ἐξ ἀνθρώπων εἰς θεοὺς οἰχόμενον ἐπὶ τοῦ πυρὸς, ὀρφανοὺς ἡμᾶς καταλιπόν.

ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς) *redeo ad vos*. Simplex pro compoſito, ut ſæpe *Xenophon*. Vide *Raphelii* Notas Xenophonteas p. 139.

Verſ. 20. Lege huc Rev. *Alb. Joach. de Krackevitz* Diſſ. de Chriſto in nobis, *Roſtoch*. 1714. 4.

Verſ. 23. Ἐάν τις ἀγαπᾷ με, τὸν λόγον μου τηρήσει &c.) Vide huc Programma ſingulare, quod exſtat in *Gabr. Terne* Sylloge I. Programmatum Exegetic. p. 573. ſq.

καὶ

καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν) Illustratur hæc phrasis a Rev. *Jo. Andr. Danzio* in Programmate Academico de gratiosa Dei cohabitatione, שכינה Hebræis dicta, *Jenæ* 1720. quod totum exstat in Diario Salano ejusdem anni p. 252. sqq.

Vers. 26. singulari Dissertat. illustrat Rev. *Georg. Henr. Gœtze*, quæ legitur in Meletematibus ejus Annæbergens. p. 161. sqq.

Vers. 27. Εἰρήνην τὴν ἐμὴν δίδωμι ὑμῖν) Pro valedicendi formula hæc verba habet *Grotius*. Sed Rev. *Raphelius* in Notis Polybian. p. 285. merito dubitat, num unquam Hebræi, ad quos Grotius hic provocat, voce שלום i. e. *pax*, usi sint abeuntes. Nec obstat, quod nonnunquam in epistolarum clausulis v. c. 1 Pet. V. 14. & 3 Joh. v. 15. vox εἰρήνη occurrat. Ibi enim non tam pro *vale*, quam pro *salve* adhibita videtur. Itaque recte idem phrasin hanc eodem modo putat accipiendam esse, quo apud *Polybium* p. 1099. occurrit, ubi Romani consultum putant Philippo, si imperata a sociis faceret, εἰρήνην διδόναι i.e. *pacem concedere*. Idem Polybius p. 1098. pro ἀφιέναι εἰρήνην dicit ἀπολείπειν εἰρήνην. Illam vero Christi pacem inprimis in reconciliatione cum Deo, atque adeo bonis hinc pendentibus, consistere, patet ex Rom. V. 1. Confer *Petavii* Dogmata Theolog. Tom. VI. p. 95. sq. lib. XII. c. 6. §. 1. de Incarnatione. Hinc apparet quoque, quid habendum sit de observatione *Hackspanii* in Notis ad h. l. p. 465. τὸ *dare pacem* pro phrasi mere Syriaca habentis, quæ nunc *salutare* inferat, ut *Rom.* XVI. 5. 2 *Tim.* IV. 19. & *Act.* XXI. 10. nunc *valedicere*, ut *Marc.* IX. 15. & *Rom.* XVI. 3. Hoc vero loco *valedictionis* notionem præfert.

ὐ καθὼς ὁ κόσμος δίδωσιν) Similiter fere *Epictetus* lib. III. cap. 13. p.312. distinguit inter pacem, quam philosophia præstet, & eam, quæ a Cæsare impertiatur, inter cetera his usus verbis: *Ταύτην τὴν εἰρήνην τις ἔχων, ὐχὶ κεκηρυγμένην ὑπὸ τῦ Καίσαρος (πόθεν γὰρ αὐτῷ ταύτην κηρύξαι;) ἀλλ' ὑπὸ τῦ Θεῦ κεκηρυγμένην διὰ τῦ λόγυ ὐκ ἀρκεῖται;* h. e. *Hanc pacem qui habet, non pronunciatam a Cæsare, (unde enim iste hanc possit pronunciare?) sed a Deo pronunciatam per rationem, non contentus sit?*

μὴ ταρασσέσθω ὑμῶν ἡ καρδία &c.) Similis phrasis exstat *Jes.* XIII. 7. 8. ubi confer τὺς LXX. & adde *Keuchenium* ad h. l.

Vers. 28. ἐχάρητε ἄν, ὅτι εἶπον ὑμῖν) Verba, ὅτι εἶπον, omittit Vulg. & Syrus, tum vero Gothus, ubi vide *Mareschallum* p. 475. & Cod. Alexandr. atque horum auctoritate ductus *Rich. Simon* in Vers. Gallica. Genuina illa esse, vel ex ipso hoc commate patet, in cujus limine legitur eadem phrasis: ἠκύσατε, ὅτι ἐγὼ εἶπον ὑμῖν. Atque hæc verba effecisse videntur, ut eandem phrasin, hic iterum obviam, tanquam superfluam, scioli quidam omitterent.

ὅτι ὁ πατήρ μυ μείζων μύ ἐςί.) Quæ inter S. Athanasium & Arium circa

 hæc

hæc verba disputata sint, exponit *Rich. Simon* de Commentatoribus N. T. p. 93. sq. Confer vero inprimis *Dionys. Petavium* in Dogmat. Theolog. lib. II. cap. II. de Trinitate, & lib. VI. c. 3. §. 13. de Incarnatione & *Suicerum* in Thesauro T. II. p. 1368. Cl. *Starckium* in Notis Selectis p. 109. *μείζων* per *beatior*, respectu scilicet profundæ exinanitionis, explicat, atque hanc in rem conferri vult c. XV. 20. & sic orationem Christi valedictoriam eleganter cohærere putat.

Vers. 30. *ἔρχεται γὰρ ὁ τοῦ κόσμου τούτου ἄρχων*) Impie & inepte hæc ad Muhammedem detorsit Achmetes quidam Muhammedanus in eum sensum, quasi Christus dicat: *veniet aliquando* (Muhammed) *princeps totius orbis*, *& in me nihil erit divinitatis.* Vide omnino *Maraccii* Prodromum I. ad Alcoranum p. 27. b. De phrasi *ἄρχων τοῦ κόσμου* lege dicta ad *Joh.* XII. 31. & *Suicerum* Tom. I. p. 144. & 541.

καὶ ἐν ἐμοὶ οὐκ ἔχει οὐδέν) Gothus Interpres: *in me non invenit*, vel: *non inveniet quicquam. Interpretatio* (habes verba Mareschalli ad h. l. p. 475.) *ut mibi quidem videtur non inelegans; cui quoque conformis est Versio Æthiopica; itemque Germanica quadam N. T. translatio, quæ habet in margine:* an mir wird er nichts nicht finden. *At vero pro ἔχει habent aliquot Stephani Codd. εὑρήσει, atque pro οὐδὲν reponit Beza Cod. vetustissimus οὐδὲν εὑρεῖν.* Fuit, qui ita hæc explicanda censeret: & *nonnibil in me habet*, nempe vitam mihi, sed volenti, auferet. Itaque duas negationes h. l. non tam fortius negare, quam affirmare aliquid existimat. Vide Observatt. Miscellan. Tom. II. p. 754. Sed eam interpretationem non admittit particula proxime sequens, *ἀλλά*. Hæc enim, oppositionem scilicet indicans, ita antecedentia explicare jubet: quamvis princeps mundi in me nihil habeat, quod vel requirere jure possit, vel reprehendere, tamen ea sustinebo & patiar, ut mundus cognoscat, me Patrem amare. *Τὸ καὶ* vero passim hanc notionem requirere constat.

Vers. 31. *ὅτι ἀγαπῶ τὸν Πατέρα*) *Gothus:* quod ego dilexi Patrem. Vide *Mareschallum* in Notis p. 475.

CAP. XV.

VErs. 1-17. illustrantur sermonibus singularibus ab *Altingio* Tom. IV. Opp. in calce p. 27-93. Vide etiam *Th. Goodwini* Geistreiche Schriften p. 589. sqq. & inprimis B. *Christoph. Woelflini* Disp. de mystica fidelium unione cum Christo, *Tubing.* 1664. 4.

Vers. 1. *Ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή*) *ἀληθινὸν* Græcis sæpe dicitur, quod nomini suo respondet, & vere tale est, quale esse perhibetur. Ita *ἀληθινὸν στράτευμα* vocat *Xenophon*, qui vere dici exercitus meretur, i. e. præstantissimum, de Expedit. Cyri lib. I. p. 211. In comparatione rerum autem

tem ἀληθινὸν appellatur, quod rem, cum qua contenditur, qualitate & quantitate, ut ita dicam, non tantum æquat; ſed etiam ſuperat. Idem Cyropæd. VIII. p. 185. ἀλλ' οἱ πιςοὶ φίλοι σκῆπτρον βασιλεῦσιν ἀληθέςατον ϰ̀ ἀσφαλέςατον. Ita *Johan.* VI. 55. ἀληθῶς uſurpatur & I. 9. φῶς ἀληθινὸν dicitur. Hæc habet Rev. *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 140. Cur Dominus noſter ſe cum vite comparet, oſtendit *Dietericus* in Antiquitatt. Bibl. N. Teſt. Tom. I. p. 89. *Cocquius* in Phytologia Sacra p. 153. ſq. & ex Patrum ſcriptis *Suicerus* Tom. I. Theſauri p. 234.

Verſ. 2. πᾶν κλῆμα ἐν ἐμοὶ μὴ φέρον καρπὸν) *Gothus* vertit *omnem palmitem in me non ferentem fructum bonum*, qui vel imitari voluit illud *Matth.* VII. 19. & *Luc.* III. 9. vel ſaltem hunc fructum ita cenſuit diſtinguendum expreſſo bonitatis epitheto; quod aliter haud dubie ſubaudiendum foret in fructu palmitis illius, qui in Chriſto, vite illa vera, manebat. Ita *Mareſchallus* in Notis p. 476.

Verſ. 5. χωρὶς ἐμȣ̃ ȣ̓ δύναϑε ποιεῖν ȣ̓δὲν) *Camerarius* hæc vertit: *extra me*; eumque imitatus *Rich. Simon* in Verſione Gallica *ſeorſim*, *ſeparatim a me*; qui ideo Socinianiſmi a *Boſſueto* poſtulatus ſe tuetur Tom. IV. Biblioth. Critic. epiſt. XLI. & XLII. p. 393. ſqq. Noſtrates recte ex his verbis ἀδυναμίαν in rebus ſpiritualibus colligunt. Conf. B. *Raithii* Vindicias Verſionis Lutheri p. 431. Ex hoc ſpeciatim verſu de unione credentium cum Deo myſtica diſſeruit *Andr. Kunadus*, Lipſ. 1690.

Verſ. 6. ὡς τὸ κλῆμα, καὶ ἐξηράνϑη) Τὸ καὶ hic pro explanativo haberi vult *Knatchbullus*, & vertit: *ſicut palmes*, *qui exaruit*. Sed arguta hac expoſitione h. l. non opus eſſe, contra eundem evincit *Hombergius* p. 137. qui nec alia N. T. loca, quæ pro ea afferuntur, huc quidquam facere oſtendit. Tempus præteritum in ἐβλήϑη & ἐξηράνϑη hic pro Futuro poni, ſenſus evincit. Interim Cl. *Herzogius* de Certitudine Hermeneutices N. T. §. 35. Præteriti notionem retineri poſſe cenſens, præſtruit, Jeſum, hæc loquentem, fuiſſe in loco, in quo palmitem a vite avulſum deprehenderit, inque eum intuentem dixiſſe: Is, qui non manet in me, ejiciebatur a Patre meo, ſicut hic palmes, & aridus fiebat. Reſpexiſſe præterea Dominum putat ad avulſionem Judæ a vite, ſuo Magiſtro. Confer huc *Boiſii* Collationem p. 326. Ad argumentum hujus commatis lege *Seb. Schmidii* Collegium Biblic. Poſterius p. 153. ſq.

Verſ. 9. Καϑὼς ἠγάπησέ με ὁ πατὴρ, κἀγὼ ἠγάπησα ὑμᾶς) Vide huc B. *Feſſelii* Adverſaria Sacra Tom. II. p. 421. ubi de eo inprimis diſſerit, quomodo amor Chriſti in diſcipulos cum amore Patris in ſe comparetur.

Verſ. 13. ἵνα τὶς τὴν ψυχὴν αὐτȣ̃ ϑῇ) Elegans hujusmodi amoris exemplum

plum ex *Xenophontis* Cyropæd. lib. III. p. 55. hic affert Rev. *Raphelius* p. 140. Vide etiam *Seneca* ep. 6. & 9. apud *Picinellum* in Lum. Refl. p.666. De re ipsa lege hic commentantem *Fesselium* in Adversar. Tom. II. p. 471.

Vers. 14. Ὑμεῖς φίλοι μου ἐστὲ) φίλους hic *consiliarios* inferre, argute magis, quam vere, existimat *Amelius* h. e. *Pet. Zornius* Part. I. p. 110. & in Opusculis Sacris, T. I. p. 336. Quamvis enim negari non possit, profanos Scriptores interdum eam voci huic notionem tribuere, quod patet ex iis, quæ *Zimmermannus* in Analectis p. 166. & *Seldenus* in Uxore Hebræa lib. II. c. 16. p. 143. attulerunt, in hoc tamen loco communem significatum retinendum certissime apparet ex v. 13. ubi Christus loquitur de vita in amicorum, τῶν φίλων, gratiam amissa. Quo nomine ut amici generatim indicantur; ita in applicatione significatum hunc restringere nihil est, quod jubeat. Veteres servos appellare *familiares* consuevisse, testatur *Seneca* ep. 47.

Vers. 15. Οὐκέτι ὑμᾶς λέγω δούλους) subintellige *tantum*, i. e. non dico vos meros & nudos servos, sed (etiam simul) amicos meos: h. e. tales, qui non tantum mandata mea suscipitis, sed quibus etiam, ut intimis amicis meis, omnia ad salutem necessaria & arcana Patris consilia exposui. Vide huc *Fesselii* Adversaria Tom. I. p. 329. Ex Hebraica antiquitate hæc *Leydeckerus* ad Maimonidis Tract. de Regibus Hebr. cap. VIII. Tom. IX. Opuscul. Historic. & Philolog. p. 130. ita explicat: *Sane discipuli Magistrorum erant, uti servi*, & חבר *amicus quoque est Hebræis*, Buxtorf. Lexic. Talmud. p. 703. *Alias* חבר *quoque dicebatur recens creatus Doctor, sed nondum ad publicum docendi officium vocatus.* Ibidem. *Quod optime in discipulos Christi, qui ad Apostolatus publicum munus, utut initiati, nondum admissi.* Vide *Matth.* XXVIII. 19. Hæc ille. Servos arcanam voluntatem Dominorum ignorare, *Xenophon* ep. ad Æschinem p. 789. tradit. Conf. *Raphelii* Notas ex eo p. 141.

Vers. 16. ἵνα ὑμεῖς ὑπάγητε) *ut vos crescatis*, interprete *Scaligero* in Actis Literariis Schurzfleischii p. 26.

Vers. 20. εἰ τὸν λόγον μου ἐτήρησαν, καὶ τὸν ὑμέτερον τηρήσουσι) Verbum τηρεῖν hic non *servandi*, sed potius observandi notionem habere, contendunt post *Ferum*, cui primo hoc in mentem venit, *Laurent. Chadertonius*, *Th. Gatackerus* de Stylo N. T. p. 175. sq. fuse, *Sarravius* in epistolis p. 163. *Knatchbullus* ad h. l. *Graverollus* in concione singulari super Porta angusta, *Rich. Simon* Tom. IV. Bibl. Crit. p. 357. *Lamius* Comm. in Harmon. p. 528. *le Cene* in Projet p. 523. *Colomesius* in Obss. p. 97. & 171. *Vorstius* in Adagiis N. T. c. IX. p. 46. *Reinesius* epist. ad Daumium p. 68. *Borremansius* in Dial. de Poetis & Prophet. p. 87. ex nostratibus *Dan. Fidlerus* in Positionibus Philolog. super loca quædam N. T. §. 3. & *Aletbæus* in der Erläuterung der schwersten Schriftstellen Tom. I. p. 447. sqq. Sed recte alii communem *servandi* significatum

ficatum hic tuentur, ut *Hammondus* & *Whitbius* ad h.l. tum vero *Amelius* Part. II. p. 175. & *Hombergius* p. 173. Imo *Rich. Simonius* quoque in Notis ad Verſ. Gall. monet, tutius nos in conſueto verbi τηρεῖν ſignificatu hic acquieſcere. Atque id inprimis jubet perpetuus hujus verbi in Chriſti ſermonibus uſus, quemadmodum in v. 10. hujus capitis τὸ τηρεῖν in *ſervandi* ſenſu bis occurrit.

Verſ. 21. ταῦτα πάντα ποιήσουσι) Vocem πάντα pro adjectitia habet *Millius* ad h. l. Sed vide *Whitbii* Examen p. 50.

Verſ. 22. ἁμαρτίαν οὐκ εἶχον) *Beza* explicat: non deſinerent dicere, ſe fuiſſe religioſos & plane alienos a peccato. At *Caſtellio* in Defenſione verſionis ſuæ p. 489. hunc potius, & recte quidem, ſenſum eſſe ait: ſi non veniſſem, non repudiaſſent me, atque ita non peccaſſent, videlicet me repudiando.

Verſ. 24. νῦν δὲ καὶ ἑωράκασι) *Æthiops*, *Coptus* & *Gothus* hic adjiciunt vocem μὲ, *me*, reſpicientes forte ad Joh. XIV. 6. quæ conjectura eſt *Mareſchalli* ad h. l. p. 478. Sed ea non opus eſt. Manifeſtum enim eſt, Chriſtum loqui hic de miraculis ſuis, quæ viderint. Itaque non ſolum veritatem hanc ad ipſos verbis profeſſus erat, ſed & factis confirmaverat. Ad utrumque vero horum provocare ſolet Dominus, ut c. XIV. 10. 11.

Verſ. 25. ὅτι ἐμίσησάν με δωρεάν) Ad duplicem locum Pſalmorum XXXV. 19. & LXIX. 5. hic reſpectum haberi, contendit poſt alios *Surenhuſius* in libro καταλλαγῆς p. 373. ubi & de ipſa formula allegandi hic exſtante exponit.

Verſ. 26. ἐκεῖνος μαρτυρήσει περὶ ἐμοῦ) Quia τὸ ἐκεῖνος ex rationibus Grammaticis cum voce πνεῦμα, ad quod tamen pertinet, non quadrat, noſtrates deſtinato conſilio eo genere loquendi Spiritum S. ut perſonam ſubſiſtentem, indicari obſervant, quod recte ab illis factum eſſe, jure contendit *Hackſpanius* in Notis p. 465. ubi & de verbo ἐκπορεύεται, quod proxime antecedit, commentatur. Doctrinam, hoc commate traditam, explicant *Seb. Schmidius* in Myſterio Gratiæ divinæ p. 475. ſq. *Jo. Schmidius* in Diſput. de Proceſſione Spiritus S. a Patre & Filio, *Argentor.* 1643. & *Godofr. Wegnerus* de eodem argumento, *Regiomonti* 1698.

CAP. XVI.

VErſ. 2. ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν) Lege, quæ ſcripſimus ad *Jo.* IX. 22. Adde *Hottingerum* de uſu Scriptorum Hebræorum in N. T. p. 406. Syntagmatis Rhenferdiani, & *Triglandum* Diatriba de Karæis p. 51.

ἀλλ' ἔρχεται ὥρα) Τὸ ἀλλὰ respondet hic Hebræorum אבן, atque idem est, quod, *imo*, *quin imo*, *quod magis est*. Vide huc *Job.* XXXII. 7. & 2 *Sam.* XIII. 2. collatis ibi τοῖς LXX. Confer *Hackspanium* in Notis p. 468. Itaque gradatio hic obtinet, monenturque Apostoli, fore, ut non solum ex cœtibus sacris excludantur, sed & vita ipsa expellantur.

λατρείαν προσφέρειν τῷ Θεῷ) *Gothus* vertit: *sacrificium mactare* vel *offerre Deo*, sicut & alii vocem λατρείαν in sacrificii notione hic accipiunt, ad Orientales sive etiam LXX. Intt. hic provocantes, a quibus non alienus videtur *Mareschallus* in Notis ad Vers. Gothic. p. 478. qui præterea monet, Copticam veterem itidem hic posuisse vocabulum, quo uti alias consuevit in reddenda voce Gr. θυσία, & in versione Græco-barbara h. l. legi θυσίαν pro λατρεία. Conferri huc potest 1 *Cor.* IV. 13. & *Rom.* VIII. 36. Sed præstat in generali *cultus* notione acquiescere, quam alias obtinet vox, ubi de Deo sermo est. Conf. *Salmas.* de Transsubstantiat. p. 448. & *Suicerum* Tom. II. p. 215. Ceterum vanam persecutorum Ecclesiæ persuasionem singulari Dissertat. excussit B. *Val. Alberti*, Lips. 1687.

Vers. 4. ὅταν ἔλθῃ ἡ ὥρα) Cod. Alex. & Versiones nonnullæ addunt hic αὐτῶν. Vide *Mareschallum* in Notis ad Vers. Coptic. p. 480. qui conferri huc vult *Luc.* XXII. 53. αὕτη ὑμῶν ἐστιν ἡ ὥρα. Sed non opus est hoc additamento. Ita v. 2. dicitur: ἀλλ' ἔρχεται ἡ ὥρα, i. e. *venit tempus*; de eodem vero tempore etiam hic v. 4. sermo est.

Vers. 6. ἡ λύπη πεπλήρωκεν ὑμῶν τὴν καρδίαν) *Gothus* ita vertit, ac si legisset: πεπώρωκεν, quod post *Junium* suspicatur *Mareschallus* in Notis ad Vers. Gothic. p.481. Communem lectionem satis adstruit phrasis c. XV. 11. ἡ χαρὰ ὑμῶν πληρωθῇ & XVI. 24. ἵνα ἡ χαρὰ ὑμῶν ᾖ πεπληρωμένη.

Vers. 7. Ἀλλ' ἐγὼ τὴν ἀλήθειαν ὑμῖν λέγω &c.) Comma hoc contra Judæum impie ineptientem vindicat *Rich. Kidderus* in Demonstratione Messiæ Part. III. p. 102. sqq.

πέμψω αὐτὸν πρὸς ὑμᾶς) Vide huc B. *Scherzeri* Programma singulare de missione Spiritus S. in Programmatibus ejus p. 266. sq. recusum.

Vers. 8. Καὶ ἐλθὼν ἐκεῖνος ἐλέγξει τὸν κόσμον περὶ ἁμαρτίας, καὶ περὶ δικαιοσύνης, καὶ περὶ κρίσεως) Hunc locum, tanquam variis difficultatibus expositum, pro flagello Theologorum habet *Sandius* in Interpretat. paradoxis p. 244. Lege ad eum ex nostratibus *Jo. Bened. Carpzovii* Dissertat. de Elencho Spiritus S. Catholico, *Lips.* 1685. *Wolfburgii* Observationes Sacras p. 125. & *Petri Zornii* dissert. de Philosophismis Græcis N. Testam. p. 13. & in der Erörterung, quam sub *Amelii* nomine edidit, Part. II. pag. 74. ex *Reformatis* vero *Samuelis Werenfelsii* Syllogen Dissertationum Theologic. Dissert. XI.

XI. p. 447. ex Pontificiis *Possinum* in Spicilegio Evangelico pag. 98. ſqq. & *Martianæum* in Conatibus pag. 297. ſqq. ex Anglis denique *Henr. Morum* in Operibus Theologicis p. 170. Atque hic quidem, *Grotii* veſtigiis inſiſtens, hunc ait verborum eſſe ſenſum, *quod Spiritus, qui dicitur paracletus ſive Advocatus, ubi venerit, convicturus ſit mundum de* ***Chriſti veritate***, *deque* ***infidelitate*** *ac* ***incredulitate*** *Judæorum, qui eum crucifixerant, qui verus erat Propheta, non deceptor, nec dum deceptus;* & ***de æquitate Dei***, *qui ejus jam compenſarat labores ac ærumnas, quas apud Judæos paſſus erat, accipiendo eum ad ſe ipſum, eumque coronando immortali gloria;* & ***de judicio*** *Dei adverſus Diabolum,* ὅτι ὁ ἄρχων τῦ κόσμυ τύτυ κέκριται, *Deum ſententiam contra ipſum jam tuliſſe, quod ſcilicet ejiciendus ſit ex uſurpato ſuo imperio, quodque omnes paganicæ formæ cultus abrogandi ſint & abolendi.* *Werenfelſii* ſententia huc redit, quod paracletus mundum convicturus ſit de *peccato*, ſcilicet eo ſpeciatim, *quod non crediderint in ipſum:* tum vero de *juſtitia* hujus ſuæ actionis, *quod ad Patrem vadat, & increduli ipſum non amplius ſint viſuri; de judicio* denique, in hoc conſiſtente, *quod Princeps hujus mundi judicatus ſit*, h. e. quod Spiritus S. mundo perſpicue demonſtraturus ſit, verum eſſe, quod dixerit Joh. XII. de judicio condemnationis contra Principem mundi lato. *Martianæus* l. c. ſententiam verborum ita repræſentat: Spiritum exprobraturum eſſe Judæis peccatum *incredulitatis*, per quam rejecerint verum Meſſiam; *juſtitiam falſo creditam*, & media illa, quibus uſi ſint ad filium hominis e vita tollendum; denique vero *pertinacem* eorum in peccato perſiſtentiam, quæ eos damnationi Principis mundi involverit. Hæc omnia Judæis ait eſſe demonſtrata & evicta ab Apoſtolis *Act.* II. 56. & III. 13. & p. 299. addit, Spiritum S. Eccleſiæ datum, mundum & Judæos conviciſſe incredulitatis & cœcitatis quoad Meſſiam; juſtitiæ & ſanctitatis mortis ſuæ, tanquam agni innocentis, ac denique de eo, quod dæmon judicatus & damnatus ſit, quia Apoſtolis dedit poteſtatem, dæmonia ejiciendi. Reliqua ſententiarum divortia apud laudatos Auctores reperies. Nobis ſuffecerit, potiora hic retuliſſe, in quibus examinandis, locoque difficiliore curatius excutiendo, verſari nunc quidem non licet, acquieſcentibus in interpretatione noſtratium communiore, quam a B. *Calovio* in Bibliis Illuſtratis enarratam videbis.

Verſ. 11. Περὶ δὲ κρίσεως, ὅτι ὁ ἄρχων τῦ κόσμυ τύτυ κέκριται) Confer de hoc loco ſpeciatim das freywillige Heb: Opfer Tom. III. p. 573. ſqq.

Verſ. 12. Ἔτι πολλὰ ἔχω λέγειν ὑμῖν) Eadem prorſus phraſi utitur *Polybius* p. 790. Locum hunc contra Pontificios, eo ad traditiones ſuas adſtruendas abutentes, vindicat B. *Gerhardus* in Confeſſ. Cathol. Tom. I. p. 377. & *Chamierus* in Panſtratia Catholica T. I. lib. IX. c. IV.

ἀλλ᾽ ὐ δύνασθε βαςάζειν) Ita prorſus *Epictetus* Enchirid. c. 36. εἶτα καὶ τὴν

τὴν σεαυτοῦ φύσιν κατάμαθε, εἰ δύνασαι βαστάσαι. Conf. *Jo. Alberti* Obſſ. Sacr. p. 216.

Verſ. 13. Ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνος· ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν) Vide huc *Goldneri* Programma in *Gab. Ternii* Sylloge I. Programmatum Exegeticorum p. 585. ſq. Promiſſionem hanc ſpeciatim ad munus Apoſtolicum recte gerendum pertinere, adeoque non pugnare cum 1 Cor. XIII. 19. oſtendit *Epiſcopius* in Reſponſ. ad LXIV. Quæſtiones, quæſt. VI. Phraſin ὁδηγεῖν εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν illuſtrat *Clericus* in Arte Critica Part. II. Sect. I. cap. II. p. 119. Idem in Judiciis Theologorum Batavorum ſuper Hiſtoria Critica Rich. Simonis contenderat, non facere hæc verba pro adſtruenda Apoſtolorum infallibilitate: ſed vide contra diſputantem *Herm. Witſium* lib. I. Miſcellan. cap. XXII. §. 11. ſqq. B. *Lutherus* τὸ ὁδηγήσει propriiſſime & eleganter vertit per er wird leiten; præter rem ideo notatus ab *Emſero*, contra quem lege *Raithium* in Vindiciis p. 433.

οὐ γὰρ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ) Quod phraſis hæc divinitati Spiritus Sancti fraudi non ſit, contra *Crellium* fuſe oſtendit *Petavius* lib. III. c. 8. de SS. Trinitate Tom. II. Dogmatum Theologic. p. 161. ſqq. eademque opera ea examinat, quæ *Biſterfeldius* contra Crellium diſputavit. Is vero τὴν ἀλήθειαν hic non de omni veritate, ſed ea, quam ipſis nondum revelaverit, & quam ferre adhuc non poſſunt, accipi vult, phraſin vero ἀφ' ἑαυτοῦ per *de ſe ipſo* interpretatur. Sed omnino illa reſtrictio locum hic non habet, quod contra Grotium jam oſtendit *Calovius* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. τὸ ἀφ' ἑαυτοῦ vero idem eſſe, quod *a ſe ipſo*, patet ex Joh. XVIII. 34. & VII. 28. Conferatur idem *Petavius* lib. IV. c. 4. §. 11. p. 198.

Verſ. 14. ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται) Patrum nonnulli, ut *Chryſoſtomus* & *Theophylactus*, phraſi hac unitatem Filii & Spiritus S. alii, ut *Epiphanius*, *Cyrillus Alexandr.* & *Apollinaris*, proceſſionem Spiritus S. a Filio indicatam putant. Vide *Heinſium* ad Nonnum c. XXVI. & *Suicerum* Tom. II. p. 210. ſq.

Verſ. 15. Πάντα ὅσα ἔχει ὁ Πατὴρ, ἐμά ἐστι &c.) Vide huc B. *Dorſchei* Theolog. Zachar. Part. II. p. 202. ſq. *Dannhaueri* Stylum Vindicem p. 120. 154. & *Petavii* Dogmata Theolog. de SS. Trinitate lib. II. c. 9. §. 15. Tom. II. p. 99. & p. 306.

Verſ. 16. Μικρὸν καὶ οὐ θεωρεῖτέ με) Lege *Jo. Altingium* Tom. IV. Opp. in calce p. 93. ſqq. Τὸ μικρὸν idem hic eſt, ac καὶ ἔτι μικρὸν χρόνον, vide *Joh.* VII. 33. & adde *Lamb. Bos* de Ellipſi Græc. L. p. 235. Τὸ θεωρεῖν in ſignificatu videndi non ſolum in N. T. ſed & apud LXX. Intt. & profanos quoque Scriptores occurrere, oſtendit *Pfochenius* de Stylo N. T. §. 69.

Verſ. 19. Περὶ τούτου ζητεῖτε μετ' ἀλλήλων) Verbum ζητεῖν Hebræo דרש reſpondet, quo Talmudiſtæ inprimis utuntur, ubi de inveſtigando Scripturæ Sacræ

Sacræ ſenſu, vel habita oratione, vel per interrogationes mutuas, vel diſputationes publicas aut privatas agitur. Vide huc *Vitringa* Archiſynagog. p. 195.

Verſ. 21. Ἡ γυνὴ ὅταν τίκτῃ, λύπην ἔχει) λύπη h. l. intenſiſſimos partus dolores infert, quo ſenſu eadem voce utitur *Sophocles* in Electra v. 534. Confer *Schotti* Adagialia N. T. p. 94.

Verſ. 23. ὅτι ἐὰν αἰτήσητε τὸν Πατέρα ἐν τῷ ὀνόματί μου) Vide huc B. *Gottfridi Olearii* Diſput. de Adoratione Patris per Jeſum Chriſtum, *Lipſ.* 1708. Adde *Joh. Aſſelmanni* Syntagm. Exerc. Theol. Part. II. p. 105.

Verſ. 24. ἵνα ἡ χαρὰ ὑμῶν ᾖ πεπληρωμένη) i. e. ut gaudium veſtrum perfectum ſit. Ita enim οἱ LXX. voce πλήρης uti conſueverunt *Ruth.* II. 12. & 2 *Paralip.* XIX. 9. ubi priori loco μισθὸς πλήρης *merces plena*, i. e. *perfecta* memoratur. Conf. *Hackſpanii* Notas p. 469.

Verſ. 25. Ταῦτα ἐν παροιμίαις λελάληκα ὑμῖν) h. e. hæc obſcurius vobis propoſui. Vide *Suicerum* Tom. II. p. 600.

Verſ. 26. καὶ οὐ λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐγὼ ἐρωτήσω τὸν Πατέρα περὶ ὑμῶν) Synchyſin verborum hic ſtatuit *Hombergius* p. 137. orationem ita ſtruendam exiſtimans, καὶ λέγω ὑμῖν, ὅτι οὐκ ἐγὼ ἐρωτήσω. Eodem judice *Knatchbullus* rem acu non tetigit, ita diſtinguens: καὶ οὐ λέγω ὑμῖν, ὅτι &c. quia etiam hoc modo difficultas non tollatur. Scilicet ſunt, qui ex his verbis conficere conantur, Chriſtum, ad dextram Patris ſedentem, non amplius pro nobis intercedere. Vide *Oſtorodum* in Inſtitut. c. 40. p. 387. Quod cum pugnet cum Joh. XIV. 16. neceſſe eſt aliam his Chriſti verbis mentem ſubeſſe, quæ manifeſta fiet, ſi particula μόνον, *tantum*, ſubintelligatur, cujus ellipſin Scriptoribus Sacris familiariſſimam eſſe conſtat. Senſus itaque erit: non ego ſolus rogabo Patrem, ſed & vos ipſi id cum fiducia facere poteritis. Vide in hanc ſententiam *Feurbornium* p. 656. Opp. *Feſſelium* in Adverſar. Sacr. Tom. I. p. 329. & *Jo. Schmidium* in Diſſert. de Interceſſione Chriſti §. 24. Alii τὸ λέγειν hic idem volunt eſſe, quod παρακαλεῖν i. e. *conſolari*, quam notionem Hebr. אמר Jeſ. XXXV. 4. & apud Syrum Joh. XI. 19. & 1 Theſſal. II. 11. tuetur. Hoc modo id diceret Chriſtus: *non inde vos conſolor potiſſimum, quod rogaturus ſim Patrem pro vobis, quia Pater antea vos amat.* Ita poſt *Eſtium Hackſpanius* in Notis p. 471. Mihi neutro horum opus hic eſſe videtur, modo verba Chriſti, καὶ οὐ λέγω ὑμῖν, ea ratione accipiamus, quæ infertur, ubi per præteritionem dicimus: *ut non dicam, ut taceam.* Quod vero ſic dicitur præteriri, vel taceri, id revera innuitur, tantum abeſt, ut negetur.

Verſ. 28. Ἐξῆλθον παρὰ τοῦ πατρὸς, καὶ ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον) Exitum illum

lum a Patre ut de divina Christi natura, humanam sibi jungente, recte accipiunt Interpretes tantum non omnes, ita sunt, qui insolenter de anima Christi tanquam præexistente interpretantur. Ita sentiunt *Henr. Morus* tum alias, tum in Opp. Theolog. p. 67. *Eduard. Fowler*, Episcopus quondam Glocestriensis, in Dissertat. de Descensu Hominis Jesu Christi ex cœlis ad h. l. & *Rob. Flemingius in Christologia.* Sed argumentis Foulerianis, quæ in summam relata vide in Actis Erudit. Tom. IV. Supplement. p. 18. satisfecit *Wilh. Scherlockius* in Testimoniis Scripturæ S. pro divinitate Salvatoris nostri, quam in rem lege eadem Acta l. c. p. 51. sq. & *Jo. Marckius* in Sylloge Dissertationum super N. T. Exercitat. LXXV. Ex nostratibus contra Socinianos vindicat h. l. *Spenerus* in Tract. vernaculo de Deitate Christi p. 393. sq.

Vers. 30. καὶ οὐ χρείαν ἔχεις, ἵνα τίς σε ἐρωτᾷ) Τὸ ἐρωτᾷν nonnulli cum B. *Ægid. Hunnio* de doctrina & institutione ab aliis profecta accipiunt, hoc sensu, quod non indigeat aliorum informatione, utpote qui Patris consilium e sinu ejus protulerit. Atque hic verbi significatus ut Socraticæ per quæstiones & responsiones disserendi & docendi rationi apprime convenit; ita vox ἐρώτησις a Xenophonte, Oeconom. p. 684. ad doctrinam refertur, quando is ait: ἡ ἐρώτησις διδασκαλία ἐςίν. Conf. Rev. *Raphelii* Not. Xenophont. p. 142. Sed præstat, in communiori interpretatione acquiescere, quam nuper etiam adseruit Cl. *Elsnerus* p. 342. qui ita hæc παραφράζει: *non indiges compellatione, utque aliquis verbis prolixe exponat, quæ scire ex te desiderat; siquidem intimus cujuscunque cogitationes ac desideria pernoveris, quæsitaque responsione antevertas.* Patet hæc recte ita dici ex v. 19. ubi intellexisse Christus dicitur, quod discipuli se interrogare vellent. Conf. supra c. II. 25. Præscientiam ejusmodi jactanter sibi tribuebat *Apollonius* apud Philostrat. I. 19. & V. 36. ubi confer notas B. *Olearii.*

ὅτι ἀπὸ Θεοῦ ἐξῆλθες) Vide v. 28. Confer supra VIII. 42. & infra XVII. 8. & III. 2. Philostratus lib. I. c. 1. tradit, discipulos Pythagoram veneratos esse, ὡς ἐκ Θεοῦ ἥκοντα. Vid. *Elsnerus* l. c.

Vers. 32. ἵνα σκορπισθῆτε ἕκαστος εἰς τὰ ἴδια) εἰς τὰ ἴδια plerique per *seorsim* interpretantur, alii vero convenientius per: *in proprias domos.* Sic Joh. XX. 10. de discipulis: ἀπῆλθον οὖν πάλιν πρὸς ἑαυτοὺς οἱ μαθηταί. Ἴδια scilicet de gente propria & συγγενείᾳ dicuntur Joh. I. 11. ἴδιοι vero de domesticis & consanguineis, ut Act. IV. 23. Conf. *Wolfburgii* Observatt. Sacr. p. 290.

CAP. XVII.

PRecationem Christi efficacissimam, hoc capite exhibitam, explicavit olim singulari Dissertatione B. *Salom. Glassius*, Jen. 1621. 4.

Vers. 1-7. illustravit Cl. *Jac. Staalkopff*, Pastor Wismariensis, in Ternario Exercitatt. Theolog. Hamb. 1715. 8.

Vers.

Verſ. 1. ἐπῆρε τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ) De hoc precantium habitu lege *Picinelli* Lumina Refl. p. 667.

δόξασόν σου τὸν υἱόν) Permulti Patrum glorificationem hanc recte accipiunt de reſuſcitatione & exaltatione Filii ad dextram Patris. Vide *Suicerum* Tom. I. p. 947.

Verſ. 2. ἵνα πᾶν ὃ δέδωκας αὐτῷ, δώσῃ αὐτοῖς ζωὴν αἰώνιον) Male hic ab Eraſmo, Beza, Grotio, aliisque per Hebraiſmum πᾶν pro παντὶ poſitum eſſe ſtatuitur. Nam eſt Nominativus abſolutus, qualis non in his duntaxat libris; vide Act. VII. 40. Joh. VII. 38. Luc. XXI. 6. Apoc. VI. 8. &c. ſed & apud Auctores frequens eſt, *Ælian.* Hiſt. Animal. IV. c. 36. ἡ τῶν Ἰνδῶν γῆ φασιν αὐτὴν οἱ συγγραφεῖς πολυφάρμακον εἶναι. Vide etiam *Ælian.* Var. Hiſt. Indice in: *Nominativus*, item ad Herodotum notas Gronovii pag. 878. & plura citata a Cel. *Burmanno* ad Petron. Satyr. c. 60. p. 303. Adi & *Raphelium* ad Luc. XXI. 6. ex Xenophonte, & ex Ariano ad Act. XX. 3. Ita hic Cl. *Elsnerus* p. 343. qui addit, τὸ αὐτοῖς recte referri ad τὸ πᾶν, ut *Matth.* III. 5. & *Act.* XXI. 22. πλῆθος ἀκούσονται. Similiter *Ælian.* Var. Hiſt. XIV. 19. & *Eunapius* in Ædeſio p. 47. Confer in eandem ſententiam *Hombergium* p. 345.

Verſ. 3. Αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωή) Ab Hebraiſmo hanc phraſin ſatis liberat *Vorſtius* in Philologia Sacra Part. I. pag. 234. Integrum hoc comma illuſtrant ſingularibus Diſſertationibus *Jo. Frid. König* de cognitione Dei ſalvifica, *Gryphisw.* 1654. *Abrah. Calovius*, Gedan. 1638. *Jo. Major*, Jen. 1638. & *Jo. Guil. Bayerus* de cognitione Dei & Chriſti, ut radice immortalitatis, *Jen.* 1690. Inprimis vero a Socinianorum objectionibus vindicat *Mart. Silv. Grabius*, Regiom. 1662. qua opera diligenter quoque defungitur *Jo. Wallisius* in Sermonibus tribus de hoc commate habitis, Tomo IX. Opp. ejus pag. 303. ſqq. inſertis, nuper vero *Alethæus* in der Erläuterung Tom. III. p. 129. ſq. Et Sociniani quidem particulam μόνον hic ſpeciatim in præjudicium divinitatis Chriſti urgent. Jam pridem vero reſponſum eſt a Theologis, voce μόνος ea tantum hic excludi, quæ extra Patris naturam ſint, & res ab eo diverſas, videlicet creaturas & idola, non autem Filium & Spiritum S. qui unum ſint cum Patre. Vide huc Patrum loca apud *Suicerum* Tom. II. pag. 1370. & *Feſſelii* Adverſar. Sacr. Tom. I. pag. 296. & qui ab eo citantur. Scilicet ſæpe adhibetur vox μόνος, ut non excludantur alia ejusdem generis. Sic *Deut.* I. 35. ſolus Caleb intraturus dicitur Palæſtinam, nec tamen excluditur *Joſua*. Sic in ep. Judæ v. 4. ubi Chriſtus vocatur ὁ μόνος δεσπότης, Pater eadem prærogativa non privatur. Conf. 1 Cor. IX. 6. *Herm. Alex. Roëll* Comm. in principium epiſt. ad Epheſ. pag. 59. phraſeos hujus rationem ex perſonarum divinarum pluralitate, & certa inter eas, ratione operum, œconomia repetit, ob quam ſingulis ſingularia tribui poſſint nomina, quæ tamen omnibus

bus quod ad ſententiam ſint communia. Poſſe enim primam perſonam, quatenus οἰκονομικῶς exerceat commune Deitatis jus, ſingulariter vocari *Deum, unum Deum, ſolum verum Deum*, ſalva reliquarum perſonarum divinitate. *Guſſetus* in Lexico Hebr. pag. 63. exiſtimat, Chriſtum hic commercium Patris cum idolis & totum paganiſmum eliminare, ſimulque, dum ſe quoque, ut Patrem, cognoſcendum eſſe affirmat, amovere Judæorum de divinitate ſua incredulitatem. Totam phraſin confert præterea cum 1 *Regg.* XVIII. 21. Vide etiam *Cocceji* Opera Poſthuma Tom. II. p. 484. Nuper quoque in Anglia hic locus contra Neo-Arianos vindicatus eſt, nominatim contra *Whiſtonum* a Grabio in *Some Inſtances* p. 28. ſq. & *Sam. Clarkium* ab aliis. Vide Acta Erudit. Tom. VI. Supplement. p. 397.

ἵνα γινώσκωσι) Verbum γινώσκειν de *obedientia*, tanquam effectu notitiæ, interpretantur Sociniani, contra quos lege *Hackſpanium* in Notis p. 471. Idem cum verbo Hebræo ידע comparat, atque idem hic eſſe quod *glorificare*, contendit *Soucietus* in Collectione Diſſertatt. Criticarum pag. 432. & 443. Certum eſt, ex ſtylo N. T. τὸ γινώσκειν, de Deo uſurpatum, non nudam ſemper & ſimplicem notitiam, ſed talem, quæ cum fiducia conjuncta ſit, indicare.

τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν) ἀληθινὸν paſſim notat, quod *natura* & *revera* id eſt, quod eſſe dicitur, & opponitur fictitio. Sic *Ælian.* Var. Hiſt. II. 3. ubi equus ἀληθινὸς opponitur picto. Conf. *Jo. Alberti* Obſſ. Sacr. p. 217.

Verſ. 4. Ἐγώ σε ἐδόξασα ἐπὶ τῆς γῆς) Vide huc *Grotii* Opera Tom. IV. p. 726. Ad eundem & ſequentem verſum lege ſingularem B. *Carpzovii* Diſputat. in Diſputatt. ejus Academic. recuſam p. 1554. ſqq.

Verſ. 5. Καὶ νῦν δόξασόν με σὺ Πάτερ παρὰ σεαυτῷ) Lege huc Gieſſenſium Diſputatt. Tom. IV. num. 17. & Tom. IIX. num. 18. item *Nic. Chriſtoph. Remmelingii* Diſput. de oratione Chriſti pro ſui glorificatione, *Gryphiswald.* 1689.

ᾗ εἶχον πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι) Ad animam Chriſti præexiſtentem male hæc refert *Morus* in Opp. Theolog. pag. 67. Vide, quæ paulo ante diximus ad XVI. 28. Phraſin hanc rectius illuſtrat *Guſſetus* in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* p. 68.

Verſ. 6. καὶ ἐμοὶ αὐτοὺς δέδωκας) Pugnare hæc videntur cum Joh. XV. 19. ubi Chriſtus dicit, ſe Apoſtolos ex mundo elegiſſe. Ita vero concilianda putat *Jo. Claudius* in Opp. Poſthum. Ep. XVI. pag. 76. ut Patris fuiſſe dicantur per æternum electionis decretum, idem vero dederit Chriſto non ſolum in diſcipulos, ſed & fideles, ita quidem, ut ipſum decreti ſui executorem conſtituerit.

Verſ.

Verf. 9. *ὀ περὶ τοῦ κόσμου ἐρωτῶ*) Diverſas Interpretum de hoc loco ſententias recenſet B. *Franzius* de Interpretatione Scripturæ S. p.390. ſq. ipſe vero ex contextu ſermonis & aliis circumſtantiis oſtendit, ſermonem hic eſſe de ſpeciali precatione, qua tunc utebatur, pro fide diſcipulorum ſuorum conſervanda in ſua morte. Hæc precatio pro mundo & præſertim Judæis, tunc Chriſtum perſequentibus, fieri non poterat, quamvis alioquin Chriſtus pro peccatoribus omnibus, ut ſcilicet ad ſe convertantur, oraverit.

Verf. 11. *τήρησον αὐτοὺς ἐν τῷ ὀνόματί σου*) *Polybius* ſimiliter p. 877. dicit *παρετήρουν -- σφᾶς αὐτοὺς ἐν τοῖς προειρημένοις.*

οὓς δέδωκας) *Millius* in Prolegomenis hic legi mavult, *ᾧ δέδωκάς μοι* hoc ſenſu: *ſerva eos per nomen tuum, ſive poteſtatem, quam dediſti, ut eandem inter ſe, quam nos, habeant unionem.* Sed retinendam eſſe communem lectionem vel comma ſequens, ubi Codd. omnes & verſiones in eadem conſentiunt, evincit. Ut taceam, hiulcam eſſe orationem, ſi pro *οὓς* legatur *ᾧ*, niſi ſimul addatur *αὐτούς*. Confer *Whitbii* Examen p. 30.

ἵνα ὦσιν ἓν καθὼς ἡμεῖς) Unitatem fidei & doctrinæ, tum vero etiam charitatis & vitæ hic innui, obſervat *Feſſelius* in Adverſariis Sacr. Tom. II. pag. 545. Confer Patrum loca apud *Suicerum* Tom. I. p. 1039.

Verf. 12. *εἰ μὴ ὁ υἱὸς ἀπωλείας*) de particulis *εἰ μὴ* lege *Hackſpanii* Diſp. III. de Locutionibus Sacris §. 12. ſqq. de reliqua phraſi vero eundem in Notis ad h. l. p. 474. & *Vorſtium* in Philolog. Sacra Part.II. p.46. & 58. Infert illa hominem *pernicie dignum.* Verſio Montenſis Gallica particulas *εἰ μὴ* converterat addendo particulam *ſolum*; quod recte & ex uſu Scripturæ Sacræ factum eſſe, oſtendit *Arnaldus* in Continuata defenſione verſionis illius p. 136. ſqq.

ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ) Reſpici hic ad Pſalm. LXIX. & CIX. ubi Judæ perfidiæ promeritæ pœnæ irrogantur, oſtendit *Surenhuſius* in libro *καταλλαγῆς* pag. 375.

Verf. 17. *ἁγίασον αὐτοὺς ἐν τῇ ἀληθείᾳ σου*) *Joſ. Mede τὸ ἐν* hic pro *εἰς* poſitum putat, hoc ſenſu: ſanctifica eos pro veritate tua, i. e. ſepara eos ad miniſterium veritatis tuæ, ſeu verbi Evangelici, quod promiſſiones Dei præſtat & perficit. De *munere* pariter & de *martyrio* Apoſtolico *ἁγιάζειν* hoc interpretatur Theophylactus ad h. l. Lege *Suicerum* Tom. I. p. 56. Confer quoque ad hoc comma *Seb. Niemanni* Alethologiam infallibilem, *Jen.* 1672. 4.

Verf. 19. integrum exponit *Jac. Altingius* Tom.IV. Opp. in calce p.96.ſq.

Καὶ ὑπὲρ αὐτῶν ἐγὼ ἁγιάζω ἐμαυτόν) i. e. offero me pro illis in victimam ſeu ſacrificium, ex phraſi Hebraica, qua קדש i. e. *ſanctificare* ſæpe

 hoc

hoc fenfu fumitur. Vide *Exod.* XIII. 2. & *Levit.* XXII. 2. Atque ita hunc locum multi Patrum acceperunt, quos affert *Jo. Casp. Suicerus* in Obfervatt. Sacris pag. 202. fq. & in Thefauro Ecclef. Tom. I. p. 56. Eos fecuti funt Interpretum recentiorum plerique, ex quibus allegaffe hic fuffecerit *Jof. Mede* in Opp. p. 14. & *Witfium* in Mifcellan. Sacr. Tom. I. diff. II. §. 87. Conf. *Amelium* Part. II. p. 620. & *Lomeierum* de Luftrationibus Gentilium p. 203. qui obfervat, Salvatorem fanctiffimum fanctificatum effe ut Sacerdotem & ut victimam. Alias Patrum fententias, quorum nonnulli fanctificationem hanc Chrifti de vera ipfius, qua hominis, fanctitate, & fanctificantis fpiritus communicatione interpretantur, lege apud *Petavium* Tom. VI. Dogmatum Theolog. p. 51. lib. XI. c. 6. de Incarnatione. Adde p. 52.

Verf. 20. illuftrat *Jac. Altingius* Tom. IV. Opp. in calce p. 99. fqq.

ἀλλὰ ϗ περὶ τῶν πιςευσόντων διὰ τȣ̃ λόγȣ αὐτῶν εἰς ἐμὲ) Vide huc *Pearfonium* ad Symbol. Apoftol. p. 15. & 626.

Verf. 21. ἵνα ϗ αὐτοὶ ἐν ἡμῖν ἓν ὦσι) Gentiles de illa fui cum Deo unione, quam ἕνωσιν appellabant, multum fed vane gloriatos effe, eamque philofophiæ fuæ finem ftatuiffe conftat. Vide interim loca nonnulla in hanc rem allata a Cl. *Majo* in Obff. Sacr. Tom. IV. pag. 25. fq. De unione hac myftica confer Patrum cogitata ad hæc verba in *Petavii* Dogmat. Theolog. Tom. V. lib. II. de Incarnat. c. 8. p. 82.

Verf. 22. Καὶ ἐγὼ τὴν δόξαν, ἣν δέδωκάς μοι) Gloriam illam de Spiritu S. minus convenienter interpretatur *Gregor. Nyffenus*, de quo videatur *Suicerus* in Obfervatt. Sacr. p. 285. fq. & in Thefauro Tom. I. p. 945. Ex noftratibus *Brentius* de facultate miracula patrandi accipit, ficut & *Grotius* multique recentiorum Interpretum. Conf. *Jo. Sauberti* Opp. Pofthuma p. 140.

Verf. 23. ἵνα ὦσι τετελειωμένοι εἰς ἓν) Quot refpectibus & momentis hæc confummatio in unum abfolvatur, oftendit *Feffelius* in Adverfar. Sacr. Tom. II. pag. 546.

Verf. 24. Θέλω, ἵνα ὅπȣ εἰμὶ ἐγὼ, κἀκεῖνοι ὦσι μετ' ἐμȣ̃) Comma hoc diligenter explicat *Jo. Gottlieb Lucius* de cohabitatione & conglorificatione fidelium cum Chrifto æterna *Lipf.* 1708. Τὸ Θέλω hic nonnulli interpretantur per *velim*, ut refpondeat τῷ ἐρωτῶ, quo Chriftus utitur v. 9. & 20. in fimili caufa. Et verbum quidem ipfum hunc fignificatum admittit. Eodem enim fenfu occurrit Marc. X. 35. διδάσκαλε, θέλομεν, ἵνα ὃ ἂν αἰτήσωμεν, ποιήσῃς ἡμῖν i. e. *velimus*, *optamus*. Neque phrafis Syriaca hic ftatuenda eft, cum & Græci profani ita loquantur. Vide *Pfochenium* §. 99. Ad noftrum vero locum lege *Gatackerum* ita, ut diximus, interpretantem

de

de Stylo N. T. p. 240. Atque ita quoque convertit Interpres Gallus Montensis, *je désire*, quem contra *Malletum* tuetur *Arnaldus* in Defensione versionis illius continuata p. 439. sq. ubi complures affert versiones cum ea facientes. Interim & altera interpretatio, quam *Vulgatus* habet per *volo*, retineri potest, & forte debet, inprimis, si gloriam illam, de qua v. 22. de gloria vitæ æternæ cum nonnullis accipere velis, quam Christus ibi credentibus se dedisse significat.

πρὸ καταβολῆς κόσμȣ) De hac phrasi lege *Fesselii* Adversar. T. II. p. 426. & quæ notata sunt ad *Matth.* XIII. 35.

Vers. 25. πάτερ δίκαιε, καὶ ὁ κόσμος σε ȣκ ἔγνω) Τὸ καὶ hic idem esse, quod καίπερ, *licet*, contendit Cl. *Elsnerus* p. 344. ut sensus sit: *juste Pater*, *etsi mundus te non cognoscat*, *ego tamen te cognosco*. Et sane particula καὶ interdum hanc notionem habet, ut apud *Lucianum* Hermotim. p. 607. & *Hesiodum* in Opp. & Diebus v. 357. Conf. utrinque notas *Grævii*.

Vers. 26. ἵνα ἡ ἀγάπη, ἣν ἠγάπησάς με, ἐν αὐτοῖς ᾖ) Lege huc *Fesselium* l. c. p. 472.

CAP. XVIII.

Vers. 1. πέραν τȣ̃ χειμάῤῥȣ τῶν Κέδρων) Pro τῶν Κέδρων alii Codd. legunt τῶν κέδρων, vel τȣ̃ κέδρȣ, vel τȣ̃ Κέδρων, quomodo & legendum censent *Casaubon.* in Exercitatt. Anti-Baronian. p. 129. & alias, & *Beza*, vel denique, idque corruptissime, τῶν δένδρων: Vide *Casaubon.* in Exercitatt. Anti-Baronianis l. c. & ex nostratibus *Erasm. Schmidium* in Notis ad h. l. p. 743. qui cum Hieronymo legi vult τȣ̃ χειμάῤῥȣ τȣ̃ Κέδρων, & nomen hoc non a cedris, sed ab obscuritate & nigredine, quasi *nigrum rivum* dicas, repetit. Hanc lectionem expressit quoque in versione sua *Lutherus*, cum quo compara *Raithii* Vindicias p. 435. Eandem, nempe τȣ̃ Κεδρών, amplectitur quoque *Boisius* in Collatione p. 328. *Rich. Simon* in Notis ad h. l. idemque in Hist. Crit. de Versionibus N. Test. p. 238. oppugnat Laur. Vallam, lectionem τῶν κέδρων i. e. *cedrorum* præferentem Vulgato, pro nomine proprio habenti. *Scaliger* in Opere de Emendat. Temporum p. 523. pro Κέδρων Judæos suspicatur dixisse χείμαῤῥον τῶν Κέδρων, ut μία σαββάτων dixerint pro μία σαββατῶν. Eadem lectio placet quoque *Relando* in Palæstina Sacra p. 294. ubi ad Josephum provocat χείμαῤῥον Κεδρῶνος Antt. VIII. 1. & Φάραγγα Κεδρῶνος ibidem IX. 7. memorantem. Idem non a cedris nomen hoc repetit, sed a tenebris & obscuritate (in Hebr. קדר) vallis hujus, quæ inter altissimos montes media fuerit, & hortis arboribusque, quæ eam obumbrarint, stipata. Oleas enim ibi ait fuisse, non vero cedros, & nomen Kedron vetustius temporibus Salomonis existimat, quem Josephus Antt. VIII.

VIII. 2. cedros primum ἐν πεδίοις plantasse testatur. Ceterum vulgarem lectionem τῶν κέδρων defensam vide a *Millio* ad h. l. qui speciatim provocat ad LXX. Intt. apud quos torrens τῶν κέδρων sæpe appelletur, τοῦ κέδρων vero non nisi semel, idque tantum in Edit. Complutensi, refragantibus editt. reliquis omnibus, & exemplaribus Vaticano ac Alexandrino. Adde *Alex. Morum* in Causa Dei p. 112. & ex nostratibus Rev. *Pfaffium* de Variantibus Lection. N. T. p. 230. itemque Auctores des freywilligen Heb-Opfers Tom. II. p. 49. sq. In Versione Latina N. T. Coptici, quod eruditæ Cl. *Wilkinsii* industriæ debemus χείμαρρος τῶν κέδρων redditur per *torrentem plantatoris*. Sed eruditissimus amicus noster *Maturinus Veyssiere la Croze* per literas me monuit, vocem Copticam, quæ hic exstat *Ps.* XXVIII. 5. XCI. 13. & alibi ad denotandam cedrum adhiberi. Ceterum de voce χείμαρρος & conditione rivi hujus τῶν κέδρων lege diligenter agentem *Relandum* l. c. p. 284. & 294. Ineptire pictores, qui Jesum in rivum hunc a Judæis præcipitem datum repræsentant, ostendit *Rohrius* in Pictore errante, T. II. Thesauri Disputatt. p. 868.

Vers. 3. τὴν σπεῖραν) Τὸ ει respondet τῷ i Latinorum in voce *spira*, quod observat hic *Wetsteinius* de Pronunciat. Gr. L. p. 178. De voce ipsa lege nos ad Matth. XXVII. 27.

ἔρχεται ἐκεῖ μετὰ φανῶν καὶ λαμπάδων) Φανοὶ antiquis idem erant, quod λαμπάδες, *faces:* posterioribus temporibus etiam pro lychnuchis usurpari hæc vox cœpit, ut patet ex *Athenæo* XV. 18. p. 699. & *Pollucis* Onomast. X. 26. §. 116. 117. Conf. Cl. *Elsnerus* p. 345. qui præterea monet, φανοὺς & λαμπάδας a Dionysio Halicarnass. lib. IX. p. 720. conjungi.

Ex eo, quod Johannes hic non memorat osculum Christo a Juda datum, pugnam inter Evangelistas inepte fingit auctor libri *Chissuk Emuna:* sed vide *Gussetii* Confutationem p. 412.

Vers. 6. ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω, καὶ ἔπεσον χαμαί) Verba hæc Interpretes omnes hactenus de prostratis per miraculosam Christi vocem his latronibus acceperunt. Nuper autem in alia omnia abiit M. *Georg. Ludov. Oederus* in Miscellan. Lipsiens. Tom. IX. pag. 107. sqq. contendens, homines nefarios non coactos, sed sponte sua, humi procubuisse. *Nimirum*, inquit, *ita conjicio rem se habuisse. Latrones cum Jesum tam animose prodeuntem ex horto conspicerent, commotique satis essent non tam compellatione illa Christi, quam insigni editorum ab ipso prodigiorum fama, præterea quosdam discipulos ad vindicandum magistrum alacres armatosque viderent, & reliquos mox advolaturos suspicarentur: caute agere voluerunt, ut arte aliqua Christum & socios opprimerent. Itaque Jesum, & Judæ, qui se intra ipsos iterum receperat, & propria confessione satis agnitum, non statim prehenderunt, sed humi se prosternentes, beneficio noctis & colliculorum, quos in loco isto, monti contiguo, fuisse probabile est, latere maluerunt, donec Jesum una cum discipulis*

omnibus

omnibus, impetu undique facto, obterendi occasio commodior esset. Quod cum intelligeret Jesus, ad has quoque insidias accessit, denuo sciscitans, quemnam quærerent, & si se velint, ut contenti ipso prehenso sint, discipulisque spatium elabendi concedant, jubens. Fundamentum sententiæ hujus suæ Vir doctus quærit in v. 8. ubi Christus ait: εἰ οὖν ἐμὲ ζητεῖτε ἄφετε τούτους ὑπάγειν. *Si igitur me quæritis, mittite hos.* Videbimus nunc primo, quid novis his conjecturis opponi possit, deinde diluemus ea, quæ contra communem interpretationem ab eodem allata sunt. Latrones retrocessisse sponte & recubuisse quasi in insidiis opinatur, eo consilio, ut discipulos, procul dubio ad liberandum Magistrum sensim advolaturos, eadem opera omnes caperent. Sed ad hanc rem perficiendam, si quidem id constituissent, nec mora, nec insidiis, opus erat. Non mora: omnes enim discipulos eodem tempore, cum latronibus obviam procederet, adfuisse, patet ex Joh. XVIII. 1. ubi Christus dicitur exiisse *cum discipulis suis*, & *cum iisdem* ingressus in hortum, hinc vero procul dubio ab iisdem comitatus ulterius ad ipsos profectus esse v. 4. Atque id quidem fiebat ad mandatum Domini, qui agmen hoc prope abesse intelligens, teste Matthæo XXVI. 46. ad discipulos dixit: Ἐγείρεσθε, ἄγωμεν· ἰδοὺ, ἤγγικεν ὁ παραδιδούς με. Et quomodo Christus dicere potuisset ad proditores: *si me quæritis, mittite hos;* nisi adfuissent omnes, quos exsertis digitis tanquam in corona constitutos monstrare posset? Idem *Matthæus* XXVI. 56. præterea auctor est, discipulos Magistrum tum demum, & quidem omnes (itaque & aderant omnes) deseruisse, cum Christum se illis ligandum permittere viderent. Τότε, inquit, οἱ μαθηταὶ πάντες ἀφέντες αὐτὸν, ἔφυγον. Imo exemplo Petri, Malchum gladio percutientis, manifestum fit, discipulis ante, quam Christus ligatus duceretur, magnam adhuc spem fuisse, nunquam fore, ut Dominus hostium conatibus opprimeretur. Vana itaque illa conjectura est, discipulos non omnes cum Christo adfuisse, sed nonnullos eorum fuisse exspectandos. Itaque nec opus erat mora. Non magis *insidiis*, & occultis molitionibus. Nonne enim tanta latronum copia par fuisset, exiguo discipulorum agmini aperta vi comprehendendo, &, si nonnulli abfuissent, iisdem investigandis? Dispiciamus nunc, quæ Cl. *Oederum* adduxerint, ut miraculo hic locum non esse statueret. Patrationem miraculorum ad infimum istum exinanitionis statum non quadrare, existimat pag. 112. Cur ergo eodem fere temporis momento Malchum percussum & vulneratum non sine miraculo sanavit? Cur, cum defunctus morte esset, miracula edidit? Imo vero eo potissimum tempore miraculis opus erat, ut intelligerent adversarii, Christum, non coactum humana vi, sed, ut Scriptura & voluntas Patris impleretur, sponte sua se violentiæ hostium permittere. Neque opus erat, ut a Johanne miraculi vel fulminis alicujus divinioris mentio hic fieret diserte, cum res ipsa id loqueretur. Urget idem phrasin, ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω pag. 113. tanquam quæ moram aliquam & retrocedendi spatium inferat, quod lo-

cum habere non posset, si vox Christi instar fulminis eos dejecisset. Sed non recogitavit Vir doctus, duos hic actus æque miraculosos inferri, alterum repulsionis, alterum dejectionis in terram. Non enim ultro retrocessisse existimandi sunt hostes, sed divina Christi vi repulsi & retracti ab impetu, quem in Christum agnitum facere tentabant. Id scilicet iis usu venit, quod David imprecatur adversariis suis Ps. XXXV. 4. *ἀποστραφείησαν εἰς τὰ ὀπίσω*, & Jesaias XXVIII. 13. *πέσωσιν ὀπίσω.* Et cum hac violenta repulsione conjuncta proxime erat dejectio in terram, quæ phrasi *ἔπεσον χαμαὶ* exprimitur, quæ usurpatur de Jobo c. I. 20. cum is vehementi animi affectu concitatus terræ se affigeret. *Οὕτως ἀναστὰς Ἰὼβ ἔῤῥηξε τὰ ἱμάτια ἑαυτοῦ καὶ ἐκείρατο τὴν κόμην τῆς κεφαλῆς, καὶ πεσὼν χαμαὶ προσεκύνησε.* Quod apud Jobum vehemens animi impetus effecit, id apud latrones hos vox Christi præstitit. Instat Vir doctus p. 113. causam non patere, cur Christus exanimes & attonitos iterum interrogarit, quem quærerent? nisi suo in terram lapsu significassent, ejusmodi quid a se adhuc tentari, & fixum animo manere. Sane in promtu causa alia est, cur quæstionem hanc iterarit Salvator. Potentiam enim suam & liberrimam se illis tradendi voluntatem declaraturus eadem voce eos iterum excitavit, & potestatem in se concessit, qua paulo ante eandem ademerat. Ex eo enim, quod Johannes statim narrat, Petrum gladium in famulum sacerdotis strinxisse, manifestum fit, homines perditissimos, audita hac interrogatione repetita, & facta permissione, in Christum statim irruisse. Atque hoc modo simul patet, qui factum sit, ut hostes, viso etiam hoc miraculo, in pertinacia sua & proposito perstiterint. Ita puto satis intelligi, nihil esse difficultatis, quod communem interpretationem premat, pro nova vero illa ea præsidia non esse allata, quæ eam nobis amplecti jubeant. Ceterum simile quid Pontifici Stanislao evenisse, tradit *Joh. Longinus* in Vita ejus, testatus, sicarios a Boleslao, Poloniæ Rege, immissos, *dum strictis ensibus Episcopum ferire niterentur, immodico terrore correptos resupinos in terram cecidisse.* Confer *Picinelli* Lumina Reflexa p. 667.

Vers. 10. *ἀπέκοψεν αὐτοῦ τὸ ὠτίον*) Abscissionem hanc auris, ejusque proxime insecutam sanationem, id innuere censet *Allixius* in Considerationibus super libros N. T. p. 259. quod Judaica Ecclesia veram fidem amiserit, non nisi Christi ope restituendam. De cetero lege *Jo. Fechtii* Disput. de Petro gladio accincto, Rostoch. 1706.

ἦν δὲ ὄνομα τῷ δούλῳ Μάλχος) *Malcum* vocat Interpres Gothus, ad quem vide *Mareschallum* p. 482. Nomen est Syriacum ex Hebræo מלך i. e. Rex derivatum, quo & alii usi sunt, nominatim Porphyrius, Philosophus Tyrius, cui *Malchi* fuit cognomen. Ceterum solus Johannes, & *Petri* & *Malchi* in hac causa nomen appellat, a ceteris Evangelistis, vivente adhuc

Petro,

Petro, ideo, ut quidam suspicantur, omissum, ne Petro fraudi esset: quo postea defuncto Johannes sine periculo id diserte exprimere potuit.

Vers. 13-28. expendit *Corn. Hasæus* in Disputat. de Jesu patiente in palatio Caiphæ, *Brem.* 1703.

Vers. 13. ἀπήγαγον αὐτὸν πρὸς τὸν Ἄνναν &c.) In calce commatis hujus addit *Cyrillus*: ἀπέστειλεν οὖν αὐτὸν δεδεμένον πρὸς Καϊάφαν τὸν Ἀρχιερέα, ut scilicet v. 24. conciliari possit cum reliquis Evangelistis, qui, quæ usque ad v. 24. gesta recensentur, in ædibus Caiphæ accidisse memorant. Sed, sine hoc additamento, quod nullus prorsus Codex habet, huic rei consuli posse, ad illud comma ostendetur. Confer interim *Morini* Exercitatt. Biblicas p. 44. b. ubi contra Bezam, qui Cyrillum hic sequendum censuit, disputat.

ὃς ἦν Ἀρχιερεύς) *qui erat Pontifex*, ut *Vulg.* recte, judice *Boisio* in Collatione p. 329. cum Glossaria & Lexica vetera vocem Græcam eodem modo interpretentur, atque adeo *Pontifex* idem sit, quod *summus Pontifex*.

Vers. 16. εἶπε τῇ θυρωρῷ) i. e. nunciavit janitrici. Vide *Hackspanii* Miscellanea p. 139.

Vers. 17. λέγει οὖν ἡ παιδίσκη ἡ θυρωρὸς) Veteres scilicet habebant janitrices, quæ plerumque erant vetulæ. Conf. *Act.* XII. 13. unde *Edmund. Merillus* in Notis ad Passion. Dominic. hic vocem παιδίσκη mavult vertere per *ancilla*, quam puella. Adde *Sagittarium* de Januis Veterum c. XX.

Vers. 18. ἀνθρακιὰν πεποιηκότες) i. e. *prunis congestis* sive *constratis*; non enim erat ignis ex lignis ardentibus coruscantibus, sed ex prunis aliunde advectis. Vide *Boisii* Collationem p. 330.

Vers. 20. Ἐγὼ πάντοτε ἐδίδαξα ἐν τῇ συναγωγῇ καὶ ἐν τῷ ἱερῷ) Quia τῆς συναγωγῆς hic in singulari numero mentio fit, consequi putat *Harduinus* in Opp. Selectis p. 904. duas tantum fuisse Synagogas Hierosolymis, nempe alteram hic memoratam, alteram Libertinorum, de qua *Actor.* VI. 9. Sed plures tum in urbe Sancta, tum in aliis Synagogas fuisse, ex N. T. patet, ubi passim plures appellantur. Neque aliud hinc conficitur, ubi vel enallage numeri singularis pro plurali statuenda est, vel existimandum est, quod Christus de una Synagoga dixit, id de pluribus simul intelligi posse & debere; præcipue, cum Dominus noster non solum in Synagogis urbis Hierosolymit. sed aliarum quoque Judææ urbium docuerit. Proinde nec opus est, cum *Seldeno* de Jure Naturæ & Gentium p. 542. cogitare de qualicunque conventu publico populi Hierosolymitani. Vide etiam Rev. *Deylingium* in Obss. Sacr. Part. II. p. 334. contra *Harduinum* disputantem.

Verſ. 22. *Ταῦτα δὲ αὐτοῦ εἰπόντος*) Ita ſæpe Græci Scriptores, ſpeciatim Joſephus. Vide *Wokenium* de Uſu Joſephi in V. & N. T. p. 11.

ἔδωκε ῥάπισμα) Lege huc inprimis *Amelium* Parte II. pag. 813. *Jo. Boiſium* in Collatione p. 330. & p. 332. & confer, quæ ſcripſimus ad *Matth.* XXVI. 67. Adde *Lydii* Florum Sparſionem p. 96. & ex noſtratibus *Franc. Alb. Æpini* Diſput. de alapa injurioſa, *Roſtoch.* 1704. Facinus hoc non referendum eſſe ad jus Zelotarum, recte obſervat *Saldenus* in Otiis Theolog. p. 632. Nec magis puto veriſimile, quod *Seldenus* de Jure Nat. & Gentium pag. 515. ex ſermone Chriſti ad ſervum percutientem colligit, ex more licitum fuiſſe adſtanti, eum, qui publice Pontificis Summi ſanctitatem irreverenter habuiſſet, ſeu violaſſet, irruendo ſtatim percutere. Ceterum hominem hunc maleferiatum *Malchum* fuiſſe, Patres exiſtimant. Vide *Cotelerii* Notas ad Tom. II. Monument. Græcorum pag. 660.

Verſ. 23. *τί με δέρεις;*) Codices nonnulli habent *δαίρεις*. Atque hoc ut in iſto, ita aliis quoque N. T. locis præferendum judicat *Nanſius* ad Nonnum, ideo quod *δέρειν* ſit *excoriare*, *δαίρειν* vero percutere. Sed vide, quæ ſcripſimus ad *Luc.* XX. 10. & confer *Whitbii* Examen p. 50. A *Nanſio* non videtur diſſentire *Boiſius* in Collatione p. 331. Contra utrumque horum lege *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 841. Pro vulgata lectione lege etiam *Jo. Pearſonium* ad Ignatii epiſtolas p. 27.

Verſ. 24. *Ἀπέστειλεν οὖν αὐτὸν*) Alieno loco hæc poſita videntur nonnullis, & poſt verſum 14. collocanda, quia quæ poſt eum usque ad v. 24. recenſentur, ſecundum reliquos Evangeliſtas non in Annæ, ſed Caiphæ ædibus contigerunt. Ita in ipſa quoque gloſſa marginali ad verſionem B. Lutheri Germanicam traditur, errore in librarios conjecto. Sed rectius conſuluerunt toti diſputationi, qui Præteritum hic pro Plusquamperfecto poſitum ſtatuunt, ut ſenſus ſit: Annam jam antea Chriſtum ad Caipham miſiſſe. Similis enallage paſſim in N. T. occurrit, v. c. *Matth.* XIV. 3. Sic in hoc ipſo capite v. 26. *οὗ ἀπέκοψε Πέτρος τὸ ὠτίον*, ubi *Vulg.* recte: *cujus abſciderat Petrus auriculam.* Hæc recte *Grotius*, quem ſecuti ſunt plerique alii v. c. *de Prado* in Pentecontarcho pag. 180. *Andr. Maſius* Tom. II. Supplementi Criticorum pag. 1790. & ex noſtratibus *Hackſpanius* in Notis pag. 113. *Eraſmus Schmidius* ad h. l. alii. Confer & *Franc. Wokenii* Pietatem Criticam Part. II. ubi contra Synchyſes, pag. 113. qui præterea poſt alios obſervat, comma hoc per parentheſin a reliquis poſſe diſtingui, atque ita accipi, ut locus deſignetur, ubi antea recenſita geſta fuerint, nempe apud Caipham, ad quem miſſus fuerit. Interim aliis hæc dubium ſolvendi ratio ſe non probavit, ob particulam *οὖν*, quippe quæ pro *δὲ* in revocando aliquo omiſſo alternare non poſſit. Id inprimis urget Cl. *Herzogius* in Diſput. de certitudine Hermeneutices N. T. §. 34. qui propterea ea, quæ a v. 15.

ad

ad v. 23. geſta narrantur, omnia in Annæ palatio facta eſſe, ſecundam vero & tertiam Petri abnegationem in Caiphæ aula contigiſſe cenſet. Atque eadem quoque ſententia fuit B. *Dorſchei* in Commentario ad h. l. Sed reſponderi ad hæc poteſt, τὸ ἐν illud in Codd. variis & MSS. & editis, quos *Stephanus* & *Millius* ſecuti ſunt, deeſſe, in aliis vero pro eo legi δὲ; deinde τὸ ἐν, ſi retineatur, ampliore ſignificatu induendum eſſe, quod alias quoque fieri in ejusmodi particulis conſuevit. Ratio quoque reddi poteſt, cur hoc inprimis loco, qui alioquin alienus videri poterat, Johannes illam miſſionem ad Caipham commemorarit, ut ſcilicet indignitas facti hujus, alapæ ſcilicet Chriſto inflictæ, tanto magis exprimatur, in eum commiſſi, qui jam tum vinculis ab Anna conſtrictus tenebatur. Ita ex noſtratibus B. *Gerhardus* in Harmonia & *Glaſſius* in Philolog. Sacra ſentiunt.

Verſ. 28. ἵνα μὴ μιανθῶσιν) cum Gentibus enim, tanquam immundis, familiariter verſari Judæis, nefas habebatur. Vide *Seldenum* de Jure Nat. & Gentium p. 176.

ἀλλ᾽ ἵνα φάγωσι τὸ Πάσχα) Qui Chriſtum Paſchalem cœnam uno die ante Judæos celebraſſe contendunt, ad hæc verba, tanquam rem penitus conficientia, provocant, v. c. *Caſaubonus* in Exercitatt. Anti-Baronianis pag. 418. Sed reſpondetur ab aliis, contrariam ſententiam tuentibus, vocem πάσχα non ſemper Paſchalem agnum denotare, ſed ſacrificia ſolennitatis, ut *Deuter.* XVI. 2. 3. & 1 *Chronic.* XXXV. 8. 9. quemadmodum in Gemara *Sevachim* 99. 2. & in Gemara *Roſch haſſchana* 5. 1. ad quæſtionem, quid appelletur Paſcha מאי פסח reſpondeatur שלמי פסח i. e. ſacrificia Chagigæ diei decimi quarti. Confer *Relandi* Antiquitt. Hebr. p. 437. & quæ de tota hac cauſa diximus ad Matthæum.

Verſ. 31. Λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς, καὶ κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν κρίνατε αὐτὸν – Ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα) In diverſa hic abeunt Interpretes, aliis eorum contendentibus, ſupplicia capitalia infligendi jus Judæis a Romanis jam aliquot annis ante ademtum eſſe, aliis, idem hoc negantibus, ex ipſis Pilati verbis. Priores Pilati, qui hoc jus illis integrum relinquere videtur, verba pro ironicis habent; poſteriores verba Judæorum, quibus ſibi hanc poteſtatem, capite quenquam plectendi, eſſe negant, cum temperamento accipiunt, ac ſi tantum negetur, ſibi tale quid licere in eum, qui crimen læſæ majeſtatis commiſerit. Utriusque ſententiæ, & aliarum præterea illis affinium patronos afferunt ex Reformatis *Jo. Sibranda* in Diſſertat. ſingulari, quæ Obſervationibus ejus Philologicis addita eſt, *Franequer.* 1699. *Marckius* in Exercitationibus Scripturariis num. XV. p. 449. ſqq. & *Jac. Basnage* in Hiſtoria Judaica Tom. III. lib. V. cap. 2. ex noſtratibus vero Rev. *Salomon Deylingius* in Obſervatt. Sacris Part. II. p. 313. ſqq.

Priori ſententiæ, nempe, Judæis neminem capitali ſupplicio afficere

licuiſſe,

licuisse, adstipulantur post *Scaligerum* in Notis ad h. l. idem in epistolis pag. 97. & Scaligeranis pag. 146. *Casaubonum*, adversus Baronium Exerc. XVI. pag. 431. *Buxtorfium* in Lexico Talmudico pag. 514. *Huetium* ad Origenem pag. 30. alios, ex recentioribus *Marckius* & *Basnagius* ll. cc. *Adrian. Relandus* in Antiquitt. Hebr. pag. 239. itemque *Zachar. Huberus* in Disputationibus Juridicis & Philologicis Differt. I. cap. I. & III. ex nostratibus vero *Carpzovius* ad Schickardum de Jure Regio Hebræorum pag. 253. a quo confer qui citantur. Posteriorem tuentur *Jo. Seldenus* de Synedriis Hebr. lib. II. cap. 15. pag. 968. qui jus illud diminutum quidem, sed non penitus ablatum, contendit, *Ant. Bynæus* lib. III. de Morte Christi pag. 29. sq. *Edmundus Merillus* in Notis ad h. l. & ex nostratibus *Wagenseilius* in Differt. ad Genes. XLIX. 10. & ad Tela Ignea Satanæ pag. 229. sq. *Fabricius* ad Codicem Apocryphum N. T. pag. 245. & *Deylingius* l. c. Adde illis ὁμόψηφον *Nic. Kürsnerum* in differtat. ad h. l. habita *Rinthelii* an. 1699. & *Herm. Verstege* in Commentar. Philolog. de Passione Jesu Christi ad cap. XXVI. Matth. §. 2. Atque hanc præ altera illa se mihi probare non diffiteor, recogitanti tum verba ipsa Pilati hoc commate & infra XIX. 6. exstantia, quibus alioquin vis præter necessitatem infertur, tum exempla alia ejusmodi judiciorum, vel tentatorum, vel exercitorum, ut Act. V. 33. & VII. 58. Quæ dissentientes & speciatim *Marckius* ad hæc excipiunt, ea erudite diluit Rev. *Deylingius* l. c. qui pag. 321. verba Judæorum, exercitium pœnarum capitalium a se amolientium, de *seditione*, *perduellione*, *conjurationibus*, *tumultibus*, in quam suspicionem Christum hic adducere volebant, interpretatur, tanquam quorum, utpote ad res seculares spectantium, cognitio non ad Judæos, sed ad Procuratorem Romanum pertinuerit. Legi quoque huc meretur *Conr. Rieschii* Disputatio ex Hebræorum potissimum ritibus de Potestate Synedrii Magni tempore Christi imminuta, *Jen.* 1686. 4.

Vers. 36. ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ ὐκ ἔςιν ἐκ τῦ κόσμυ τύτυ) Quomodo hæc verba faciant contra regnum Chiliasticum, ostendit Vener. *Læscherus* in Decimis Evangelic. Part. I. p. 474. sq. Confer ad hæc verba *Jos. Mede* Opp. p. 103. Verba hæc *Benjam. Hoadley*, Episc. Bangorensis, singulari concione an. 1717. Anglice edita, & deinde Gallice ac Belgice conversa, ita explicavit, ut variis dissentientium exceptionibus occasio data sit. Vide huc Nova Literaria Lipsiensia, quæ Germanice eduntur, an. 1717. p. 459. 471. 844. & alibi.

Νῦν δὲ ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ ὐκ ἔςιν ἐντεῦθεν) i. e. *atqui regnum meum non est hinc.* Conf. *Hombergium* p. 174.

Vers. 37. Σὺ λέγεις ὅτι βασιλεύς εἰμι ἐγώ) *Henr. Stephanus* hæc ita interpungi vult: σὺ λέγεις· ὅτι &c. hoc sensu: *Tu dicis, ut se res habet: nam ego sum Rex.* Atque ita hæc verba fere accepit & convertit B. *Lutherus.*

ἀκύει

ἀκέει μου τῆς φωνῆς) i. e. *obedit voci meæ*; forte per Hebraismum, quamvis & profani Scriptores verbum hoc eodem significatu adhibeant. Vide *Vorstii* Philolog. Sacr. Part. II. p. 217.

Vers. 38. Τί ἐστιν ἀλήθεια;) Plerique ironice ita interrogasse Pilatum censent de veritate in genere, quasi cujus tanta non habeatur ratio. Nonnulli vero post *Grotium* existimant, Pilatum ita significasse voluntatem discendi ex Jesu, quid tandem per veritatem, de qua locutus sit, intelligi velit. Hos secutus quoque est *Pet. Butin* in Historia Vitæ J. C. Part. II. p. 497.

Ἐγὼ οὐδεμίαν αἰτίαν εὑρίσκω) Vide huc B. *Dieterici* Antiquitatt. Biblic. N. T. Tom. I. p. 64.

Vers. 40. Ἐκραύγασαν οὖν πάλιν πάντες) Τὸ πάλιν omittunt Codd. varii MSS. quibus unum meum addo, de quo dixi Tom. III. Anecdotorum, tum vero versio Syriaca & hos sequens *Rich. Simon*. Omissa ideo videtur hæc particula, quod non antea a Johanne commemoratum est, eos jam vociferatos esse. Interim non dubito, Johannem ita scripsisse, qui, ut in recensenda Jesu captivatione brevis est, ita uno alterove verbo breviter innuit, quæ a ceteris Evangelistis fusius enarrata sunt. Jam vero ex Matth. XXVII. patet, adversarios Christi Pilatum iterum iterumque de condemnando Jesu compellasse.

CAP. XIX.

VErs. 2. ἱμάτιον πορφυροῦν) Vide, quæ scripsimus ad *Matth.* XXVII. 26. & *Marc.* XV. 15. Confer *Casaubon.* in Exercitatt. Anti-Baronian. p. 531. & *Bocharti* Hierozoic. Part. I. lib. IV. c. 10.

Vers. 3. ἐδίδουν αὐτῷ ῥαπίσματα) Vide, quæ scripsimus ad c. XVIII. 22. Conf. *Pfochenium* de Stylo N. T. §. 90. & *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra p. 557.

Vers. 5. ἴδε ὁ ἄνθρωπος) Plerique Interpretum hæc ita acceperunt, ac si Pilatus vices Christi miseratus sit, & hac voce Judæorum animos ad misericordiam perducere voluerit. Alii vero ludibrii causa tum in Christum, tum in Judæos, eum affectati regni postulantes, hæc prolata putant, interque eos *Amelius* Part. I. p. 25. qui, medio digito in aliquem protenso, veteres aliis illusisse ostendit, allegatis *Brodæo* in Miscellan. X. 24. *Salmasio* ad Tertull. de Pallio p. 338. *Meric. Casaubon.* ad Laërt. p. 15. & *Mollero* in Maniloquio p. 21. 31. Cum vero non constet, quo digito vel gestu Pilatus in hac re usus fuerit, præterea vero Evangelistæ oratio manifestum faciat v. 4. Pilatum adhuc cogitasse de Jesu hostium manibus tecta quadam ratione extorquendo, præstat in communiori illa sententia acquiescere.

Vers.

Verſ. 6. λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς καὶ σαυρώσατε) Simulatam hanc Pilati vocem fuiſſe, contendit *Zach. Huberus* in Diſſertatt. Juridicis & Philol. Diſſ. I. c. V. diligenter oſtendens, Judæos non majorem habuiſſe poteſtatem, quam Magiſtratus municipales omnes, ut ſcilicet damnatos reos Præſidi, cum elogio, quid promeriti eſſent, traderent. Conf. Acta Erud. an. 1702. p. 418. & 419.

Verſ. 7. Ἡμεῖς νόμον ἔχομεν) De lege iſta vide commentantem *Chriſtian. Stock* in Diſſert. Jen. 1697. edita. Putat ille reſpici ad Legem divinam in blaſphemos latam Levit. XXIV. 16. Eadem vero opera deinde oſtendit, Chriſtum per calumniam inter violatores Legis hujus numeratum eſſe.

Verſ. 10. ὅτι ἐξουσίαν ἔχω) Eadem phraſi utitur *Arrianus* Epictet. I. 9. p. 42. ubi de tyrannis, τοῖς δοκοῦσιν ἔχειν τινὰ ἐξουσίαν.

ἐξουσίαν ἔχω σαυρῶσαί σε) Quomodo Pilatus, Judææ tantum Procurator, poteſtatem hanc ſibi tribuere potuerit, diligenter diſquirit Rev. *Deylingius* in Obſervatt. Sacr. Part. II. p. 325. ſqq. tandemque rem ita definit, Pilatum jus illud habuiſſe, qui non fuerit Procurator tantum rationalis, reditibus duntaxat colligendis & erogandis vacans, ſed talis Procurator, qui jure gladii a Tiberio in gentem Judaicam, tum temporis ſæpe tumultuantem, exercendo inſtructus fuerit. Tantam enim poteſtatem *Coponium*, primum Judææ Procuratorem, a Cæſare olim accepiſſe, teſtis eſt *Joſephus* de Bello Judaic. II. 2. Vide in eandem ſententiam *Edmundum Merillum* in Notis Philolog. ad Paſſionem J. C. Tom. III. Opuſc. Philolog. p. 602. & *Jo. Jac. Wiſſenbachium* in Notis Nomico-Philolog. in Paſſ. J. C. ad Joh. XIX. 10. Conf. *Relandi* Antt. Hebr. p. 239. & *Zach. Huberi* Diſſertat. I. modo citatam.

εἰς τόπον λεγόμενον Λιθόστρωτον) Sunt, qui locum hunc de לשכת הגזית, ſeu conclavi illo, quod Synedrio M. in templo II. inſerviebat, interpretantur cum *Lightfooto* in Horis Talmudic. & *Seldeno* de Succeſſion. p. 364. & de Synedrio lib. II. c. XV. §. 4. p. 949. ſqq. cum quo ex noſtratibus facit B. *Pfeiferus* in Opp. Philolog. p. 494. repugnantibus recte aliis, interque eos *Witſio* Miſcellan. T. I. p. 551. Ideo, quod nihil in Hiſtoria Sacra exſtet, unde conſtet, Pilatum ſedem, Judæorum Senatui deſtinatam, in atrio Templi conſcendiſſe, & ſola nominis ſimilitudo efficere, ut hoc ſtatuamus, non poſſit, cum plura loca Hieroſolymis, lapidibus ſtrata, nomen hoc promeruerint. Accedit Cl. *Relandus* in Antt. Hebraic. p. 238. obſervans, nec nomen Gabbatha huic loco datum cum notiſſimo *Gazith* convenire, nec tribunal Pilati in conclavi *Gazith* fuiſſe, aut illum ut Præſidem, vel ut Judicem ibi conſidere potuiſſe, cum illud Judæi, hoc vero Pilatus admiſſurus non fuiſſet. Eadem ratione B. *Carpzovius*, quo hic, ut alias, uſus videtur Relandus, ſententiam Seldeni confutat in notis ad *Schickardum* de Jure Regio Hebr. p. 12. qui & p. 11. de לשכת הגזית ex Judæorum ſcriptis commentatur.

Cete-

Ceterum de λιθοςρώτοις ejusmodi lege *Bulengerum* de Pictura & Plastice lib. I. c. 8. Tom. IX. Antiquitt. Græc. Gronovii p. 825. *Nic. Bergierium* de Viis Populi Romani lib. II. c. 21. §. 7. Tom. X. Antt. Roman. Grævii p. 141. collatis *Henninii* accessionibus, ibidem pag. 685. tum vero *Lacerdam* in Adversariis p. 295. B. *Lutherus* vertit: Hochpflaster, respectu scilicet habito ad Hebræam pariter ac Græcam appellationem. Confer Vindicias B. *Raithii* p. 436.

Ἑβραϊςὶ δὲ Γαββαθᾶ) De etymologia nominis hujus vide, post *Cheitomaeum* de Vocibus Græco-barbaris, *Pfeiferum* in Locis Hebraic. & Exotic. N. T. Loc. XXXII. in Opp. Critic. p. 494. Atque hic quidem ex voce Syriaca גב i. e. *eminuit*, derivat, adeoque locum indicari statuit *editiorem* eumque lapidibus stratum. In eandem sententiam recte quoque pronunciat *Possinus* in Spicilegio Evangel. p. 86. eadem opera confutans illos, qui ex Hebr. גבעה i. e. collis, derivatum minus recte cupiunt.

Vers. 14. Ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ Πάσχα) Loco hoc tanquam palmario utuntur illi, qui Christum uno die Pascha Judaicum antevertisse existimant, cum hic dies Christi emortualis appelletur præparatio Paschatis seu dies antecedens Pascha. Sed responderi his potest, παρασκευὴν hic dici respectu Sabbati, unde & *Marc.* XV. 42. explicetur per προσάββατον, appellari vero παρασκευὴν Paschatis, quod in diem primum Festi Paschatis incideret, ut eadem παρασκευὴ τῶν Ἰουδαίων Joh. XIX. 42. dicatur. Vide *Relandi* Antt. Hebr. p. 437. sq. Confer tamen, quæ Rev. *Deylingius* in Miscellaneis Lipsiens. T. II. p. 519. sq. in contrarium disputat. Si legere hic liceret ἦν δὲ παρασκευὴ τὸ Πάσχα, omnis difficultas sublata foret. Atque hanc sententiam tribui video Cl. *Polemanno* in Fama Erudita Tom. V. p. 322. tanquam in Differt. ejus III. de Pleonasmis Scripturæ Sacr. p. 18. propositam. Sed locum ipsum evolvens, deprehendo, Auctorem hæc scribere: *Quod si pro lubitu mutare omnia fas esset, haberent sane multi, quod vellent.* Atque sic in exemplum affert eam verborum nostrorum immutationem in se levissimam, neque tamen vel ab ipso prolatam, vel temere a quoquam probandam.

ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη) Nemini non constat, quantopere, & quam diversis viis laborarint Interpretes in tempore hoc cum eo, quod Marcus XV. 25. designat, recte conciliando. Nobis animus non est, singulas sententias recensere, qua opera jam defunctos diligenter video *Stephan. Morinum* in Dissertatione de Horis salvificæ passionis Jesu Christi, *Lugd. Batav.* 1686. 8. *Jo. Lomeierum* in Diebus Genial. Diss. V. *Ant. Bynæum* lib. III. de Morte Jesu Christi cap. IV. ex nostratibus vero *Franc. Wörgerum* in Conciliatione S. Marci cum Johanne super horam crucifixionis Christi, *Hamb.* in 4. B. *Ittigium* in Selectis Capitibus Hist. Eccles. Sæc. II. p. 130. sq. *Salom. Deylingium* in Observatt. Sacris Part. I. p. 119. sqq. & *Christoph. Henr. Zeibichium* in libello vernaculo, de Sanctis Passionis Dominicæ horis, p. 161. sqq. &, ut plures alios, paulo

poſt commemorandos, taceam, B. *Frid. Erneſt. Kettnerum* in Miſcell. Lipſienſ. Tom. IV. p. 1-53. Nos potiora diſſentientium cogitata recenſebimus, &, quæ alios ſubterfugerunt, afferemus.

Nodum hic ſcindunt, non ſolvunt, qui de lapſu librarii apud Johannem conquerentes, & compendium ſcriptionis cauſantes, apud Johannem Γ i. e. τρίτη pro ς i. e. ἕκτη legi volunt. Inter hos eſt *Colomeſius* in Obſervatt. Sacris p. 77. & ante eum *Hartungius* in Locis Memorabilibus Tom. II. Theſauri Critici Gruteriani, poſtea *Boiſius* in Collatione p. 333. *Bynæus* l. c. p. 178. *Relandus*, quamvis dubie, in Antiquitt. Hebraic. p. 408. & *Gerh. Maſtrichtius* in Notis ad N. T. ab ipſo editum, quos ex noſtratibus ſequitur *Pfaffius* primum in Diſſertat. de Variantibus Lection. N. T. p. 154. & in edit. ſecunda p. 138. deinde vero repetita cura in Notis Exegeticis ad Evangel. Matthæi p. 206. ubi p. 207. noviter & ulterius procedit, ſuſpicatus, verba Johannis ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα, ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη pro gloſſemate habenda eſſe, quod procedente tempore in contextum irrepſerit. Sed perperam id quidem fieri poſt *Joh. Millium*, in corruptelis & gloſſematibus hodierni contextus Græci admittendis alias facilem, oſtendit doctiſſimus *Zeibichius* l. c. p. 163. De *Petro Alexandrino*, qui ad αὐτόγραφον Johannis, in Epheſina Eccleſia obvium, pro hac lectione provocat, & aliis, lege *Rich. Simonis* Hiſt. Crit. lib. I. p. 41. & lib. III. p. 320. 454. & 455.

Alii *Marcum* ex *Johanne* emendandum volunt, ut apud priorem pro τρίτη legatur ἕκτη, quia ſcilicet intra trihorium tam multa fieri non potuerint, & Matthæus tenebras ſolis in horam ſextam referat, quas ſtatim poſt crucifixionem obortas eſſe, veri ſit ſimile. Ita *Voſſius* in Harmonia Evangelica, notatus ideo a *Sam. Reyhero* in Diſput. de titulo crucifixi Chriſti & hora paſſionis, Tomo II. Theſauri Diſputationum recuſa p. 240. qui tamen & ipſe in Johanne librarii vitium cum prioribus illis dari exiſtimat.

Alii in recepta Johannis lectione perſiſtunt, ſed ita, ut verba ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη non in *nominandi*, ſed *dandi* caſu, cum jota ſubſcripto, ὥρᾳ δὲ ὡσεὶ ἕκτῃ legantur, tempus vero illud non ad paſſionem Chriſti, ſed ad præparationem Paſchatis proxime antecedentem referatur, quæ ſcilicet hora ſexta diei, i. e. nobis duodecima, exſtiterit. Ita Anonymus quidam, quem *Paulum Bauldri* eſſe ſuſpicor, in epiſtola, quæ inſerta eſt Bibliothecæ Novorum librorum a Neocoro & Sikio quondam editæ an. 1697. p. 415. Putat is ſcilicet, Johannem id indicare h. l. voluiſſe, *ſolennem Paſchatis præparationem eo tempore, quo Pilatus recens ſederat pro tribunali, paulo poſt inſtitiſſe, hora ſcilicet ſexta*, vel *hora minimum ſexta.* Hinc vero putat conſequi, *Chriſti crucifixionem hora quidem tertia, at exorto ſole, contigiſſe, ſeſſionem vero Pilati pro tribunali in Lithoſtroto paulo ante eandem horam tertiam ab ortu Solis, quæ nobis eſt nona; vel, quod idem eſt, tribus fere horis ante Paſchatis præparationem, quæ futura erat* ὥρᾳ ὡσεὶ ἕκτῃ, *ut quemadmodum de futuro proxime die feſto Judæorum ſcripſerat Johannes cap. V.* 1. μετὰ ταῦτα ἦν ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων, *ita de futura proxime præparatione Paſchatis poſt horas circiter*

citer tres idem h. l. dixerit, ἦν δὲ παρασκευὴ τῆ Πάσχα, ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη. Sed hic tria ſunt, quæ cordatoribus vix ſe probaverint. Primum enim verbum ἦν non in *imperfecti*, ſed *futuri* notione accipitur, ut idem ſit, quod Latine dixeris, *imminebat*. Quæ temporis enallage in narratione inprimis hiſtorica ægre admittetur, nec excuſabitur, aut veriſimilior reddetur altero illo Johannis loco ex cap. V. Ibi enim voces *μετὰ ταῦτα* ſatis explicant, quid ſibi velit ſequens proxime ἦν. Deinde particula δὲ pro δὴ ſumitur, ut idem ſit quod *omnino*, *vere*. Denique ὥρα in *dandi* caſum commutatur, addito *jota*, cujus veſtigium nec in Codicibus, nec in verſionibus antiquis exſtat. Confer, quæ paulo poſt dicemus, ubi ſententiæ *Zeltneriana* faciemus mentionem. Eſt in hac ſententia aliquid, quod probabile & ad tollendam hanc pugnam accommodatiſſimum viſum eſt recentioribus quibuſdam Interpretibus: id ſcilicet, quod hora illa ſexta non ad *crucifixionem* Chriſti, ſed *præparationem*, *ἀμέσως* memoratam, pertineat. Ita ſtatuunt Viri præſtantiſſimi, *Val. Ern. Lœſcherus* in Decimis Evangelicis Parte II. pag. 223. ſeqq. & *Zeibichius* in libello vernaculo modo laudato pag. 194. ſeqq. cumque iis *Kettnerus* in Miſcellaneis Lipſienſibus Tom. IV. p. 53. Sententiæ hujus ſumma iſta eſt. *Johannes* illis deſtinata opera diei Paraſceves meminiſſe videtur, quippe qui triplici vice illum commemoret, atque adeo ad hunc inprimis etiam in hoc commate reſpectum habuiſſe merito exiſtimetur. Itaque porro arbitrantur, *Marcum* in narratione ſua horas diei communis, Johannem vero horas diei *præparatorii* ad Paſcha computare. Huic vero diei præparatorio duodecim horas cenſent aſſignandas, ita ut hora tertia poſt mediam noctem inchoarit, hora nona vero poſt meridiem finem ſumſerit. Hoc modo ſextam Johannis in paraſceve Paſchali horæ tertiæ Marci, ad diem communem relatæ, accurate reſpondere per ſe patet. Sed invenit Rev. *Deylingius* in Miſcellaneis Lipſienſibus Tom. II. p. 517. quod in hac ſententia deſideraret. *Verum*, inquit is, *lectores antiquitatis conſenſum deſiderabunt, & eruditiſſimum auctorem ſubmonebunt, veteris hiſtoriæ fidem prorſus adverſari huic ſuppoſitioni, quod paraſceve Sabbati trium tantum horarum veſperam notet, Paſchalis autem feſti paraſceve integrum diem naturalem conficiat, ab hora tertia poſt mediam noctem inchoandum, & in hora pomeridiana nona finiendum. Quibus tabulis aut teſtibus huic opinioni fides conciliabitur? Veteres diſcrimen illud inter paraſceven Sabbati & feſti, quod fundamenti loco ſubſternitur, ignorarunt. Nam παρασκευὴ laxe ſumta integrum προσάββατον, perinde ac diem προεόρτιον notabat. Viciſſim Paraſceve μερικῶς ſumta eadem erat & Sabbati & Feſtorum,* ערב *nempe, veſpera Sabbatum vel Feſtum præcedens. Nota eſt Rabbinorum regula, cujus meminit Joſ. Scaliger de Emendatione Temporum lib. VI.* p. 533. Quicunque facit opus in veſperis Sabbatorum, & dierum feſtorum ab oblatione (*veſpertina* ſcilicet) & ultra, non videbit unquam bonum ſignum benedictionis. *Ergo inter veſperas Sabbatorum & feſtorum non obtinet illud diſcrimen, quod viri hi eruditiſſimi ſupponunt.* Hæc ille. Idem Judæorum de hac re ſilentium contra hanc ſententiam urget Rev. *Zeltnerus* in Diſſert. de Horologio

Pilati p. 4. & de Horologio Caiphæ p. 10. ſq. qui etiam ibidem p. 12. ſqq. reſpondet, quæ ad hypotheſin iſtam amplius ornandam & objecta dubia diluenda allata ſunt in *Relationibus Innocuis de rebus Theolog.* an. 1719. p. 862. Ipſe vero *Deylingius* Parte I. Obſervatt. Sacr. p. 121. *Dan. Heinſii* opinioni ſubſcribere mavult, ſtatuentis, verba *Marci* ἦν δὲ ὥρα τρίτη, καὶ ἐςαύρωσαν αὐτὸν non de tempore, quo Servator cruentas in cruce perpeſſiones auſpicatus eſt, ſed de perpeſſionis continuatione accipienda eſſe, ita ut Marcus notet tertiam paſſionis horam, ut ſi dicas, τρίτη δὲ μετὰ τὸ ςαυρωθῆναι αὐτὸν, ſive τρίτη τῆς ςαυρώσεως αὐτῦ ἦν, *tertia poſt crucifixionem ejus hora erat.* In hunc itaque ſenſum ἐςαύρωσαν per *Plusquamperfectum* verti deberet, hoc modo: *erat autem hora tertia, poſtquam crucifixerunt eum*, non autem, cum crucifigerent, vel quando crucifixerunt eum. Atque ita rem interpretati ſunt & *Arabs*, & *Perſa*, ex recentioribus vero *Lomeierus* in Diebus Genialibus Dec. I. Diſſ. V. diſſentiente & contra *Heinſium* inprimis diſputante *Stephano Morino* de Horis Paſſionis p. 17. ſq.

Alii conciliationem utriusque Evangeliſtæ ex diverſa horas *Judaico* & *Romano* more numerandi ratione petendam exiſtimarunt. Inter hos ſunt, ut vetuſtiores taceam, Cl. *Georg. Elieſer Edzardus* in præſtantiſſimis notis ad cap. I. *Beracboth* p. 256. & Rev. *Guſtavus Georg. Zeltnerus* in Diſſertat. de Horologio Pilati, *Altorf.* 1720. edita. Eidem viæ inſtitit *Anonymus* P. in Scheda Philologica de Horis Paſſionis J. C. quæ in Actis Eruditorum Lipſienſibus an. 1686. pag. 492. obiter indicata Gallice ſummatim ex αὐτογράφῳ Auctoris recenſetur a *Jo. Clerico* in Bibliotheca Univerſali Tom. VIII. pag. 478. ſqq. *Zeltnerus* ſpeciatim ex Romanorum æque ac Hebræorum monumentis diverſam illam horas diei computandi rationem Chriſti ætate jam receptam demonſtrat, ſtatuitque, *Johannem horas majores h. e. totum νυχθήμερον complexas & a media nocte inchoatas, ſextamque, qua nox finitur, memoraſſe ex Romanorum ritu; Marcum vero Judæorum vulgarem tertiam, eamque diurnam ad veſperam usque, connumerandi rationem, genti ſuæ magis familiarem, uſurpare maluiſſe.* Vide ejus diſſertat. de Horologio Pilati p. 5. De horis autem Judæorum lege Cl. *Jo. Meyerum* in Diatriba de Feſtis cap. II. §. 8. ſq. & *Surenhuſium* ad Berachoth I. 2. pag. 3. Idem *Zeltnerus* pag. 12. cauſas affert l. c. cur exiſtimandum ſit, Romanos, & ſpeciatim Pilatum, Hieroſolymis non Judaicam, ſed Romanam horas dimetiendi rationem ſecutum eſſe. Primo enim dubitari vix poſſe, ut Præſides & Legatos, ita quoque Procuratores Palæſtinæ, Hieroſolymæ habitantes, quemadmodum ſacra ſua ita quoque reliqua civilia & œconomica ritu Romano inſtituiſſe. Deinde, ut ita ageret Pilatus, hoc magis eum adductum videri, quod in cognoſcenda cauſa civili occuparetur, ideo inprimis, quia geſtorum accuratiſſima enarratio, ad Aulam Cæſaream inpoſterum facienda, hac ratione curatius & convenientius inſtitui poterat. *Johannem* quoque Romanam computi rationem ideo p. 14. ait ſecutum, quia rei ipſi, *in dicaſterio Romano* peractæ, ſecundum cap. XVIII. interſue-

terfuerit, & fortaſſe horam tunc temporis fluentem ex horologio in atrio ædium obvio cognoverit. Confer Auctorem Anonymum *Schedæ Philologicæ* modo laudatæ pag. 481. l. c. qui Johannem horas hoc modo numeraſſe contendit, quod referret de ſententia a Procuratore Romano lata; quod quamvis Judæus, ſubjectus tamen eſſet Imperio Romano, adeoque ritibus ejus jam adſuetus; quod denique inter Gentiles verſaretur & Evangelium ſuum in eorum gratiam potiſſimum conſcriberet.

Alii, ut *Alex. Morus* in Cauſa Dei pag. 114. *Goodwinus* in Moſe & Aarone lib. III. cap. 1. pag. 194. & nuper Anonymus in *Excerptis Menſtruis* belgice edi ſolitis an 1717. menſe Octobr. num. VI. ex noſtratibus autem permulti, nominatim *Gerhardus* in Harmonia Evangel. ad h. l. Tom. III. f. 1927. & *Waltherus* in Harmonia Biblica pag. 902. ad *quadripartitam diei diviſionem*, Judæis receptam, ſe in hac pugna tollenda recipiunt. Proponemus rem *Waltheri* verbis: *Judæi*, inquit is, *ut noctem in quatuor vigilias, ita diem in quatuor quadrantes diſtribuerunt. Hi quadrantes ſortiebantur nomina ab illa hora, in qua ſumebant initium. Primus quadrans erat a prima usque ad tertiam, ſecundus a tertia usque ad ſextam, tertius a ſexta ad nonam, quartus a nona usque ad duodecimam. Quando igitur Johannes dicit, fuiſſe horam fere ſextam, cum Pilatus pro tribunali ſederet, non hoc vult, quod jam dum præceſſerit meridies, & auditum fuerit horæ ſextæ ſignum, ſed quod in ſecundo quadrante h. e. tempore inter tertiam & ſextam horam intermedio hæc contigerint, unde notanter addit particulam ὡσεὶ*, erat ferme ſexta, *vel* circiter horam ſextam, *innuens, ſextam nondum præteriiſſe. Marcus eodem ſenſu dicit, fuiſſe horam tertiam, h. e. quadrantem illum, qui ab hora tertia incipit, & in ſextam deſinit.* Huic quidem hypotheſi a diſſentientibus id inprimis oppoſitum eſt, quod horarum illarum majorum, per *quadrantes* ſcilicet numeratarum, mentio in ſcriptis Judaicis plane non fiat. Ita, ut ceteros taceam, tradit *Adrianus Relandus* in Antiquitatibus Hebraic. Part. IV. cap. I. §. 17. pag. 408. Sed hoc offendiculum e medio nuper ſuſtulit Rev. *Zeltnerus* in Diſput. de Horologio Caiphæ, *Altorf.* 1721. habita. Ibi enim pag. 16. ad quadripartitam illam horarum diviſionem comprobandam affert luculentum locum ex Gemara Babylonica Codicis *Avoda Sara* f. 3. 6. l. 19. ubi, poſtquam dies duodecim horis conſtare dictus eſſet, ſubjungitur, *tribus prioribus Deum ſedere & in ſtudio legis occupari; tribus ſecundis totum judicare mundum; tribus tertiis alere totum mundum, tribus quartis autem ludere cum Leviathane.* Hinc certe manifeſtum eſt, Judæos duodecim illas diei horas in quatuor quadrantes diſtinguere, quarum quælibet tres horas complectatur. Idem præterea apparet ex Maimonide ad *Berachoth* cap. I. Miſchna II. *De die etiam ſcias*, inquiens, *omnes illas horas, quarum in Miſchna mentio fit, eſſe horas temporales, quales duodecim numerantur interdiu, & totidem noctu: quando vero in Miſchna traditur usque ad tres horas, idem eſt, ac ſi dixiſſet, donec finiatur* רביע יום אחד, i. e. quadrans diei primus, *ſi nempe fuerint iſtiusmodi dies, quales in menſe Tammuz aut Tebheth* (i. e. in ſolſtitio) *eſſe ſolent.* Hic dum Maimonides duodecim diei horas ab horis

horis זמניות diſtinguit, non obſcure indicat, quadrantes haſce horas alius eſſe generis, (quas forte compoſitas dixeris, aut quadripertitas) easque Judæos etiam numerare conſueviſſe: horarum enim alioquin, niſi duplices fuiſſent, tam ſolicita diſtinctione opus non habuiſſet. Neque mirum videri debet, quod *quadrantes* illi horarum nomine venerint. Nam & alias intervallum temporis quodcunque in Sacro Codice horæ nomine appellatur. v. c. *Joh.* V. 24. *Venit hora, & jam nunc præſens eſt* &c. Sic hora pro parte diei majore aut minore ſumitur. *Matth.* XXIV. 36.

Sed nec his duabus conciliandi viis tuto ſatis perſiſtere ſe poſſe arbitratus eſt ingenioſiſſimus *Zeltnerus*, ſed aliam adhuc eamque fere novam oſtendit in Diſputat. de Horologio Johannis, *Altorf.* 1724. edita. Ibi enim p. 11. affirmat, *Johannem non* ſextam horam diei, *cujus neutiquam diſerte meminerit, intelligi voluiſſe, ſed horam eamque circiter ſextam inde ab initio* actorum *ſeu totius* proceſſus cum Chriſto *in judicio tam Judæorum, quam Romanorum, huc uſque continuati, notanter deſignari: quæ hora ad res huc uſque geſtas reſpiciens, & intervallum negotii adhuc ventilati determinans, in quam diei partem incidat, deinceps definiri poſſit.* Hanc in rem ita ratiocinatur Vir doctus p. 12. Cauſam Chriſti, noctu capti, non ingruente demum die, ſed hora circiter poſt mediam noctem prima, aut ſecunda, examini ſubjectam fuiſſe ex galliciniis, aliquoties in Hiſtoria Paſſionis commemoratis, quæ, ſpeciatim prima, non niſi tenebris audiri ſoleant, patere arbitratur. *Inde ergo,* addit, *& a primo circiter galli cantu, ſi initas vadimonii Chriſti rationes deduxeris, egregie omnia concordant, & ad horam fere primam diei aut ſecundam ſexta Joannis finietur. Cui ſi ſpatium, poſt quædam adhuc præmiſſa, ducendi ad ſupplicium Servatoris, inque crucem tandem agendi addes, mira hinc proveniet, cum tertia a Marco commemorata crucifixionis hora, quæ diurna ſane eſt ordinaria conſenſio.* Johannem vero horam ſextam ab actorum initio numeraſſe, ex eo ipſi videtur probabile, quod hora ſexta abſolute ac ſine reſtrictione memoretur, neque, quid ea hora factum ſit, determinetur, quod amplius putat appariturum, ſi verba: ἦν δὲ παρασκευὴ τῦ Πάσχα, ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη includantur parentheſi, & ſic a ſequentibus verbis, καὶ λέγει, quæ cum præcedenti ἐκάθισεν per ſe arctiſſime cohærent, diſtinguantur.

Omitto cetera hujus ſententiæ præſidia ibidem allata, & id tantum obſervo, eundem pag. 16. eam *quarto* loco afferre hypotheſin, quam paulo ante P. *Bauldrii* eſſe monuimus. Suſpicatur enim voces, ὥρα ἕκτη olim *jota ſubſcriptum* habuiſſe atque in caſu *dandi* ſeu *auferendi* hic eſſe accipienda, ut ſenſus ſit: *Erat autem παρασκευὴ Paſchatis, hora nimirum ſexta.* Quo ipſo Evangeliſta innuat appropinquaſſe tempus præparationis ad Paſcha mactandum & celebrandum, idque initium ſumſiſſe ab hora ſexta non longe remota, ac propterea properandum fuiſſe.

Sententia illa de hora ſexta, ab actis cum Chriſto numeranda, ut ingenio

genio se commendet, talis tamen ipsi ejus Auctori non visa est, ut plenissimo assensu recipi possit. Ita enim ipse in præfatione ad Ternionem Disputationum illarum, hactenus a nobis recensitarum, inquit: *Quæ sententia diu nobis placuit, nondum tamen, cum priores ad lancem revocaremus, animo concepta, sed inter meditationes hasce nata, & vel hoc nomine adhuc probata, quoniam nullo modo historiæ contextui vim inferret, & planissimam esse censeremus. Sed parum abest, quin illam quoque, utut valde nobis arriserit antea, nunc quoque sive deseramus ipsi, sive in medio relinquamus, atque istam ad extremum adoptemus, ceterisque omnibus præferamus, quæ ex neglectu Jotæ subscripti petita ac prioribus subjuncta est.*

Laudamus Viri docti modestiam, atque hinc argumentum capimus, eundem exceptiones nonnullas haud ægre admissurum esse. Quod igitur ad penultimam hypothesin attinet, de hora sexta ab initio, rerum cum Christo in foro actarum, numerata, mirum hic foret, Johannem in computo suo istuc respexisse, cujus consilii ratio idonea meo judicio dari non potest, aut, si respexisset, non luculentius instituti sui indicium dedisse, quam quidem illa sunt, quæ Vir doctus attulit. Præterea satis indicat Johannes, quid ea hora actum sit, nempe, quod Pilatus consederit pro tribunali ad sententiam dicendam, quam vel ideo maturatam voluerint Judæi, ut a præparatione Paschali imminente non prohiberentur. Denique vix credi potest, inter latam a Pilato sententiam, & insecutam Christi crucifixionem, tantum temporis spatium intercessisse, quantum inter sextam Johannis i. e. septimam nostram matutinam & *tertiam* Marci seu nostram nonam interjectum est. Interim nec nova prorsus est hæc conjectura, quam *Andreæ Masio* in mentem jam venisse video. Is enim Tom. II. Supplementorum ad Criticos Sacros p. 1787. ita: *Ego certe plane credo, Johannem horas computare a capto Christo, ut qui ipsius universo actui præsens interfuit, cæteris dilapsis Apostolis, Christumque captum fuisse sub mediam noctem aut paulo post. Nam constat ex Matthæo, Marco & Johanne, summo mane h. e. ἐν πρωΐᾳ ad Pilatum ductum fuisse, nec ita multo post a Pilato judicatum esse, ita ut hoc judicium fieri potuerit hora circiter sexta, ex quo captus fuerat. Quæ hora sexta incidebat in primam horam diei, ut reliqui tres Evangelistæ horas computant, ab orto scilicet Sole, more veterum. Deinde inter educendum ad crucem aliaque comparanda elapsas esse alias II. horas, ut tandem hora ab orto sole circiter tertia sit crucifixus, sexta vero h. e. in meridie, cum summa deberet esse diei claritas, tenebræ obortæ sint.* Nec dissimiliter *Jo. Henr. Reizius* in notis ad *Goodwini* Mosen & Aaronem lib. III. c. 1. pag. 195. *Johannes*, inquit, *qui loquitur de Christi examine crucifixionem præcedente, indigitat horam sextam minorem, quæ Romanorum & nostræ sextæ matutinæ respondebat: Marcus vero putat horam tertiam majorem, quæ complexa erat tres horas minores 7. 8. 9. Sic ut Christus examinatus sit circa sextam, in crucem autem sublatus non hora sequenti septima; oportet enim intercessisse aliquod spatium inter examen & crucifixionem; sed vel hora octava vel nona.*

Quod ad jota subscriptum spectat, non nego, illius subscriptionem, qualis

qualis hodie obtinet, in Codd. antiquiſſimis, & literis majuſculis exaratis, uſum non habuiſſe. Sed nec Vir doctus, *Montfauconii* auctoritate in Palæographia Græca lib. I. c. 4. fol. 33. uſus, inficiatur p. 16. illud, ſi non ſemper, nonnunquam tamen vocibus in dandi caſu poſitis, diſerte *adſcriptum* eſſe, v. c. ΩΡΑΙ, ΕΚΤΗΙ, ΤΥΧΗΙ. Atque ipſa hæc adſcriptio τȣ̃ jota non patitur, ut credamus, tam facile librarios in omittenda integra duarum vocum litera labi potuiſſe. Si regeratur, non conſtare, literam *jota* expreſſam fuiſſe in antiquis illis Evangelii Johannis membranis; obvertetur, hinc magis conſequi, illud per ſenſum abeſſe debuiſſe, quam librarios, vel conſuetudine, quam non perpetuam fuiſſe Vir doctus largitur, vel negligentia adductos, omiſiſſe. Et quis crediderit, ab omnibus abfuiſſe, ſi de quibusdam id admittatur? Quis crediderit, ſi in quibusdam ſaltem exſtiterit, nullum ejus veſtigium vel in Codicibus ipſis, vel in verſionibus antiquis, vel denique in veterum interpretationibus tam conſtanter deprehendi?

Afferam denique hic B. *Daſſovii* de tempore hoc patientis morientisque Chriſti cogitata ex *Ecloga* ejus MS. ad Dominic. XXI. poſt Feſtum Trinitatis. *Hora eadem*, inquit is, *qua in templo in Feſto Expiationis altare purgabatur, nempe circa gallicinium, Chriſtus ſtabat coram Caipha, ubi cantabat gallus; & ſic eodem tempore Feſtum Expiationis & paſſionis Chriſti, per quem peccata noſtra expiabantur, incipiebat. Iisdem quoque horis, quibus Sacerdos Summus vigilabat ante Feſtum Expiationis, Chriſtus vigilabat in horto Gethſemane. Præterea hora diei prima, ſeu noſtra ſeptima matutina, ad Pilatum ducebatur Chriſtus, qua hora ſolebat juge ſacrificium matutinum ad mactationem duci: imo juge ſacrificium veſpertinum in veſpera Paſchali offerebatur hora dimidia octava Judaica, & edebatur ad horam nonam juxta Maimonidem in Miſchna de Paſchate c. V. §. 1. Eodem vero tempore exſpirabat Chriſtus in cruce. Solebant etiam Judæi hora nona, ſive noſtra pomeridiana tertia, qua Chriſtus in cruce exſpirabat, recitare in templo preces veſpertinas, inque iis, ut Redemtorem mitteret, precari juxta* Maimonidem *de Precibus.*

Longiores hic forte fuimus, quam par erat, ſed dignum quoque argumentum eſt, ad quod curatius examinandum omnia, quæ poſſunt, ſubſidia commonſtrentur. Qua quidem opera ita defuncti, in reliquarum ſententiarum examen non amplius digrediemur, ubi profeſſi fuerimus, *Heinſianam* illam præ ceteris nobis arridere. Id denique addere adhuc fas ſit, *Hadrianum Relandum* in Antiquitatt. Hebraicis pag. 409. credere, *horam* Marci *tertiam* referendam eſſe ad diviſionem veſtium Chriſti, quæ facta ſit hora tertia, poſtquam crucifixiſſent Chriſtum, uti Nehem. VIII. 1. legitur: *καὶ ἔφθασεν ὁ μὴν ἕβδομος καὶ οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ ἐν πόλεσιν αὐτῶν.*

Verſ. 15. *οὐκ ἔχομεν βασιλέα*) Et Gentiles & Chriſtiani Scriptores frequenter Imperatores, & Auguſtos *βασιλέων* nomine appellaverunt. Sic *Diodorus Siculus*: *Ἔθος ἦν τοῖς Ῥωμαίων στρατιώταις αὐτοκράτορας αὐτῶν ἀναγορεύειν καὶ ἀποκαλεῖν, ὅ ἐστι βασιλέα.* Alia loca habes apud *Dougtæum* in Analectis N. T.

N. T. p. 63. Sic illustris *Spanhemius* de Usu & præstantia Numismatum Tom. II. p. 397. edit. in fol. observat, titulum βασιλέως Imperatoribus Romanis non tantum inferiori, seu Constantiano ævo, sed superioribus quoque sæculis datum esse, id quod contra *Harduinum*, negantem, demonstrat. De Judaicis Scriptoribus nomen מלך i. e. *Regis* & קיסר i. e. *Cæsaris* promiscue usurpantibus lege *Seldenum* de Jure Nat. & Gent. p. 803. Contra auctorem τῶ *Chissuk Emuna*, ex his verbis concludentem, quod Romani Imperatores jam pridem ante necem Messiæ Judæis imperitarint, atque adeo hi non ob eam caussam regno excidisse existimandi sint, vide *Gussetum* in Confutat. libri illius Part. II. c. 57.

Vers. 16. παρέδωκεν-παρέλαβον ἀπήγαγον) Verba hæc singula de iis, qui supplicio destinati sunt, a Græcis adhiberi consuevisse, ostendit *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 142.

Vers. 17. Καὶ βαστάζων τὸν σαυρὸν ἀυτῶ) Vide, quæ scripsimus ad *Matth.* XXVII. 32. Crucem suam totam Christum tulisse, contendit *Lipsius* de Cruce p. 78. quia scilicet alioquin auxiliatore & subsequa opus non fuisset. Confer de hac caussa *Salmasium* de Cruce p. 283.

Vers. 19. Ἔγραψε δὲ καὶ τίτλον) Latina voce τίτλος hic utitur *Johannes*, pro qua ceteri Evangelistæ & profani quoque Scriptores adhibent ἀιτίαν & ἐπιγραφὴν τῆς ἀιτίας. Vide *Fabri* Semestria II. p. 101. sq. De significatu vocis τίτλος exponit *Niquetus* de Titulo S. Crucis p. 15. sq. & *Lipsius* de Cruce p. 101. qui & alias inscriptionum hujusmodi appellationes recenset, quemadmodum & *Salmasius* de Modo Usurarum p. 675. Atque idem hic *Salmasius* contra *Heinsium* observat, in voce ἔγραψε non statuendum esse Hebraismum, quasi τὸ *Kal* hic positum sit pro *Hiphil*, cum utriusque Linguæ Scriptores ita loqui soleant, ut, quod per alium quis facit, id ipse fecisse dicatur. Confer *Suiceri* Thesaurum Tom. II. p. 1274.

ἔθηκεν ἐπὶ τῶ σαυρῶ) Titulum scilicet in tabella scriptum, quæ vel uno, vel pluribus clavis cruci affixa fuit. Unum statuit *Grotius* de Clavis Dominicis p. 79. plures vero *Niquetus* de Titulo S. Crucis p. 128. sq. Confer paulo post ad v. 21. Ipse inscriptionis mos Græcorum & Romanorum consuetudinem refert. Ex Judæorum enim ritu præco tantum hominem, ad supplicium ducendum, præcedebat, clamans: *ille exit occidendus morte illa, quia transgressus est transgressione illa, in loco illo, tempore illo: & sunt ejus rei testes ille & ille. Qui noverit aliquid ad ejus innocentiam probandam, veniat & loquatur pro eo.* Hæc *Maimonidæ* verba ex ejus *Jad chasaka* affert *Casaubonus* in Exercitatt. Anti-Baronian. p. 563.

Ἰησῶς ὁ Ναζωραῖος &c.) De hac crucis inscriptione lege ex nostratibus inprimis *Matth. Hillerum* Syntagmatum Sacrorum pag. 332. sqq. & *Faësium* ad

Gyraldum de Sepultura p. 709. & 716. item *Henr. Mullerum* in historia Christi crucifixi c. 121. De scriptione vocis Ναζωραῖε præter Hillerum commentatur *Niquetus* libro citato p. 105. sq.

Vers. 20. Ἑβραϊςὶ, Ἑλληνιςὶ, Ῥωμαϊςὶ) Cur tribus linguis hæc inscriptio expressa sit, disquirit *Ludov. Cresollius* in Mystagogo II. 24. p. 351. sq. & *Niquetus* lib. citato p. 77. sq. Similiter *Gordiani* tertii sepulchro titulum Latinis, Persicis, Judaicis & Ægyptiacis literis, ut ab omnibus legeretur, additum esse tradidit *Julius Capitolinus* c. XXIV. Confer *Elsnerum* p. 346.

Vers. 21. μὴ γράφε) *Stultum est*, inquit Salmasius de Modo Usurarum p. 678. *imaginari tabellas illas, quæ elogia damnatorum habebant, sculpi solitas, & longe magis imaginosum, putare, eo genere cælaturæ, quæ anaglypha dicebatur, cælatas fuisse, qua exstantes literæ ostenderentur. Tabellæ erant ligneæ, dealbatæ gypso, vel cerussa, in quibus literæ ex encausto vel atramento scribebantur. Græci λευκώματα appellant, quas alii σανίδας γύψῳ διηλειμμένας interpretantur, alii σανίδας simpliciter λελευκωμένας. Album hujusmodi tabula Latinis dicitur. Unde album Prætoris. Omnes tabellæ, libelli, tituli, in publico proponendi, aut affigendi ita erant dealbati & scripti.* Ita ille, ubi vide plura. Mutari homines hunc titulum voluerunt ex odio, invidia, existimatione, & contemtu, quem inde metuebant. Vide *Niquetum* de Titulo S. Crucis p. 141. sq.

Vers. 22. Ὃ γέγραφα, γέγραφα) Pilatus nihil in scriptione mutare voluit, non tam, quod per leges id fieri non posset, quam quod ex fixa animi sententia nollet. Vide huc *Jo. Buxtorfii* Catalecta p. 230. sq. Nolebat μεταγράφειν, uti loquitur *Xenophon* Hist. Græc. lib. VI. p. 464.

Vers. 23. ἔλαβον τὰ ἱμάτια αὐτῦ) Dominum duas solum vestes gestasse, pallium & tunicam: aut si alteram indutam habuit, eam fuisse lineam, ab inconsuta diversam, statuit *Casaubonus* in Exercitatt. Anti-Baronian. p. 555. sq. ubi plura de re vestiaria veterum huc pertinentia afferuntur. Consentit *Salmasius* ad Tertullian. de Pallio p. 73. qui, ubi monuisset, τὰ ἱμάτια Johannem hic posuisse pro τὸ ἱμάτιον ex Græce loquentium usu (confer *Casaubonum* l. c. p. 561.) quemadmodum & Latini tunicas sæpe de una tunica dicant, addit: *Ex quatuor igitur pallii Dominici angulis quatuor partes fecerunt milites. Tunicam autem, quod ἄῤῥαφος esset, ideo non sciderunt, nec diviserunt, sed integram sortiti sunt, quæ nulli usui futura fuisset divisa.* Moris fuisse apud veteres, ut milites seu spiculatores damnatorum vestes inter se dividerent, ostendit *de Prado* in Pentecontarcho p. 45.

Ἦν δὲ ὁ χιτὼν ἄῤῥαφος) De tunica hac inconsutili lege *Salmasium* ad Vopiscum Tom. I. Scriptorum Historiæ Augustæ p. 566. ubi observat, ex tunicis alias χιτῶς alias ἀῤῥάφυς fuisse, quæ ex toto textæ ac conclusæ nulla

nulla parte futiles fcissilesque essent, ut sunt camisiæ & interulæ nostræ laneæ vel lineæ: tunicas apertas ex utraque parte in humeris fibulis stringi consuevisse, quas fibulas ῥαφὰς & ῥαφίδας dixerint i. e. suturas. Talem vero non fuisse vestem Servatoris, atque hinc dici ἄῤῥαφον. Sed hanc sententiam impugnat *Ferrarius* de Re vestiaria lib. I. c. 16. qui contra ea statuit, tunicam illam vere fuisse consutam, sed ad instar subucularum & tibialium, quæ apud nos serica vel lanea tota simul texuntur, non quidem pectine & in tela, sed per acus longiores reticulatim conficiuntur. Idem desuper contextam dici ait ideo, quod sursum versum texeretur, quales fuerint vestes rectæ, de quibus *Festus*. Vide eum in dictione: *Recte*; & confer ibi Scaligerum, qui tunicam hujusmodi a Græcis ὀρθοστάδιον χιτῶνα dici observat. Adde, quæ ex *Salmasio* & aliis jam laudatis repetit *Suicerus* Tom. II. Thesauri pag. 1521. Nos quidem in examinandis his aliisque sententiis versari nunc non possumus, præcipue cum quæ hanc in rem dici poterant, plena manu attulisse videatur *Jo. Braunius* in egregio opere de Vestitu Sacerdotum Hebræorum lib. I. c. 14. p. 342. sqq. ubi & p. 346. tunicam ejusmodi ἄῤῥαφον ære descriptam exhibet. Monet idem pag. 342. ejusdem materiæ & formæ fuisse videri cum מעיל seu pallio Pontificis Maximi Hebræorum. In eandem sententiam lege quoque *Altingium* Tom. V. Opp. pag. 277. ubi de Stola Sacerdotis Summi differit. Addemus his *Alex. Mori* sententiam ex Commentario ejus ad Jes. LIII. pag. 153. *Duplex est*, inquit, *etiam hodie suturæ genus. Alterum, in quo pannus imponitur panno, & ita conjungitur, ut alterius ora exstet, altera vero subsit. Alterum, in quo ita pannus panno velut ad unguem committitur, ut æquati coëant, & alter velut in alterum transeat farciendo, nec appareat acus vestigium, & videatur æquabilis panni tenor. Hoc posterius genus in Palæstina usu venisse crediderim, deque eo Chrysostomum & Theophylactum interpretor.* De eadem hac tunica confer *Ferrarium* lib. II. Electorum cap. I. *Jo. Hieron. Sopranem* de re vestiaria Judæorum pag. 329. & ex nostratibus B. *Dorscheum* de tunica Christi inconsutili cum confutatione fabulæ de ejus apud Treviros asservatione, *Rostoch.* 1658. 4. item *Bened. Benzonii* & *Georg. Nic. Foghii* Disputatt. de eadem *Hafniæ* habitas, illam an. 1683. hanc an. 1713. nec non *Jo. Frid. Hekelii* de habitu regio, Christo in passione oblato, *Cygneæ* 1673. Num pretiosa hæc tunica fuerit, disputarunt veteres, affirmante *Nonno*, *Isidoro* vero *Pelusiota* negante: quam in rem lege *Lacerdam* Adversar. cap. LXIV. Ceterum Christum, vestibus privatum, non penitus nudum, sed interula tanquam subligaculo circa partes verendas cinctum, ex cruce pependisse, jam pridem observatum est. Lege interim *Sopranem* l. c. pag. 377. & Programma J. J. *Stübelii* singulare an. 1714. Festo Paschali editum.

Vers. 24. μὴ σχίσωμεν αὐτὸν) Vide *Schotti* Adagialia N. T. p. 94.

διεμερίσαντο τὰ ἱμάτιά μου ἐν ἑαυτοῖς) Cum *Psalm.* XXII. 19. hæc confert *Surenhusius* in libro *καταλλαγῆς* p. 375. ſq.

οἱ μὲν οὖν στρατιῶται ταῦτα ἐποίησαν) Eadem formula *Xenophon* frequenter narrationem aliquam concludit. Vide *Raphelii* Notas Xenophonteas p. 143.

Verſ. 25. *εἱστήκεισαν δὲ*) Lugere alioquin *ſedentes* ſolebant. Hic vero *ſtabant* Maria & ceteræ fœminæ plorantes, ideo forte, quod ſuſpendioſis juſta hac ratione fieri lege vetitum erat. Vide *de Prado* in Pentecontarcho p. 129. ſq. De fœminis hic commemoratis lege *Saubertum* in Palæſtra p. 229. Dubium inprimis eſt, quid per *τὴν τοῦ Κλωπᾶ* indicetur, *uxorne*, an *filia?* Dubitandi rationes lege apud *Jo. Ern. Gerhardum* in Pentade Poſitionum Tom. II. Theſauri Philolog. Diſputatt. p. 55. Per *γυναῖκα* ſupplet *Lamb. Bos* de Ellipſi p. 43.

Verſ. 26. 27. *Ἰησοῦς οὖν ἰδὼν τὴν μητέρα καὶ τὸν μαθητὴν*&c.) Lege huc B. *Dannhaueri* Diſputatt. Theolog. num. VII. ubi de ſeptem verbis Chriſti noviſſimis. Adde Rev. *Georg. Henr. Gœtzii* Eclogam Anti-Pontificiam de eo, quod Maria mater fidelium non ſit dicenda, Lubec. 1717. 4. item *Jo. Aſſelmanni* Syntagm. Exercit. Theol. Part. II. p. 11. & 46.

Verſ. 27. *ἔλαβεν αὐτὴν ὁ μαθητὴς εἰς τὰ ἴδια*) i. e. *in ædes ſuas recepit.* Ita enim ſæpe profani voce *ἴδια* utuntur. Vide *Polyb.* II. 57. p. 199. & *Arriani* Indic. XXV. 1. &c. apud *Raphelium* in Notis Polybian. p. 288. Subintelligendum eſt *οἰκήματα*, quod oſtendit *Lamb. Bos* pag. 139. Ita quoque converterunt *Montenſes* Galli, notati ideo a *Malleto*, contra quem lege *Arnaldi* defenſionem illius verſionis pag. 429. ſq. usque ad pag. 449. prolatis veterum & recentiorum Interpretum exemplis, argumentisque ex re ipſa & Styli ratione repetitis.

Verſ. 27. *Διψῶ*) Vide B. *Dannhaueri* Diſputatt. Theolog. num. VII. *Kidderum* in Demonſtrat. Meſſiæ Part. II. pag. 187. ſeq. *Guil. Surenhuſium* in libro *καταλλαγῆς* pag. 377. ſeqq. & *Vogleri* Phyſiologiam Hiſt. Paſſionis Jeſu Chriſti, pag. 26. ſq.

Verſ. 29. *Σκεῦος οὖν ἔκειτο ὄξους μεστὸν*) *Caſaubonus* in Exercitatt. Anti-Baronian. pag. 567. & vas illud, & acetum & arundinem & hyſſopum ad ſupplicii apparatum neceſſaria ab hominibus piis, ut alias, quod Maimonidis fide refert, & hic, privato ſumtu parata ad reficiendos ex deliquio miſeros fuiſſe exiſtimat, qui tamen ſimul pro barbaræ immanitatis ſpecimine habet, quod milites hic, aceto non ad revocandum animum, ſed ad ſitim reſtinguendam uſi ſint. Hinc *Lucas* XXIII. 36. in hac cauſa utitur verbo *ἐνέπαιζον.* De potu iſto felleo commentatur quoque *Voglerus* in Phyſiolo-

ſiologia citata p. 29. ſq. & *Jo. Georg. Huttenus*, Gubenæ 1671. Quomodo ex h. l. *Matthæus* & *Marcus*, qui in deſcribendo hoc potu pugnare videntur, conciliari poſſint, oſtendit Rev. *Deylingius* Part. I. Obſſ. Sacr. p. 135.

οἱ δὲ πλήσαντες) Τὸ οἱ δὲ hic idem eſt, quod τινὲς δὲ, *quidam vero*, quamvis non præceſſerit οἱ μὲν. Sic quoque *Luc.* V. 33. & *Matthæi* XXVI. 67. nec minus apud profanos, ut *Arrianum* Expedit. lib. VI. c. 29. & alios, quorum loca affert hic *Elsnerus* p. 346.

καὶ ὑσσώπῳ περιθέντες) Vocem ὑσσώπῳ nonnulli hic temere contra omnium Codicum fidem ſollicitarunt, ex eo, quod *Matthæus* in loco parallelo XXVII. 48. καλάμῳ (περιθεὶς καλάμῳ) hic mentionem faciat, hyſſopus autem, herba quippe exilis & humi quaſi repens, nec in altum aſſurgens arundinis ejusmodi altioris & robuſtioris, ad crucem altiorem porrigendæ, copiam præſtare non potuiſſe videatur. Alii itaque ὑσσῷ vel ὑσσωσῷ i. e. *pilo*, legendum eſſe contenderunt cum *Camerario* in Notis ad h. l. & *Sylburgio* in notulis ad *Nonni* Paraphraſin ſuper h. l. *Videtur*, inquit is, *Johannes id vocabulum* (*ſc.* ὑσσῷ) *de induſtria uſurpaſſe*, *quia fuit* αὐτόπτης, *& ſuo nomine rem exprimere voluit. Pila vero* ὑσσὸς *dici*, *& Romanis uſitata fuiſſe*, *cum ex aliis tum ex Polybio clarum eſt.* Sequuntur eos *Boiſius* in Collatione Veteris Interpretis p. 334. *Claud. Sarravius*, & *Daniel Heinſius*, (cujus & aliam conjecturam mox afferemus,) in Ariſtarcho Sacro p. 951. Sed eam quidem conjecturam auctoribus ſuis recte remiſerunt, tanquam Codicibus omnibus, & omni Interpretum veterum cœtui adverſam, & præterea in ſe minus veriſimilem, ex noſtratibus *Wedelius* Centur. I. Exercitationum Dec. VIII. num. I. & II. & nuperrime Rev. *Deylingius* in Obſervatt. Sacris Part. I. p. 139. ex aliis autem *Salmaſius* de Cruce p. 295. ſqq. *Caſaubonus* adverſus Baronium Exercit. XVI. p. 568. *Bochartus* in Hierozoico Part. I. lib. II. c. L. & *Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra p. 729.

Alii itaque ὑσσυπον ſubſtituendum eſſe commenti ſunt, inter quos idem Heinſius primus eſt, contra quem plerique, quos modo laudavimus, data vero opera *Salmaſius* l. c. p. 293. diſputat.

Alii vocem ipſam retinent, ſed nonnihil mutatam, pro ὑσσώπῳ legentes ὕσσωπον, ita ut milites ſpongia non hyſſopum circumdederint, ſed ſpongiam & hyſſopum calamo, de quo Matthæus, circumpoſuerint. Ita ſentit *Bochartus* l. c. Cum vero ellipſis illa vocis potioris inſolentior ſit, & vox περιτιθέναι ex rationibus linguæ Græcæ omnino vocem requirat, ad quam referatur, merito & hæc mutatio aliis deferenda viſa eſt, nominatim *Stephano le Moyne* l. c. p. 730.

Qui lectionem receptam rectiſſime tuentur, obſervant, per ὕσσωπον hic calamum ſeu thyrſum, ſeu caulem hyſſopi intelligi, quæ & *Origenis* olim fuit ſententia. Eam vero præ ceteris ornavit *Claudius Salmaſius* de

Cruce p. 288. 311. 317. & 582. sqq. ubi de variis hyssopi generibus disserens, aliquod eorum ita comparatum fuisse probat, ut caulem bipedalem præberet, qui sufficiebat in cruce, non tam alta & elata, quam nonnulli sibi falso persuadent. Idem addit, militem hic hyssopi frutice usum videri, ut ejus odore deliquium cordis paulisper averteret. Conf. pag. 323. & 614. Observat quoque pag. 605. Origanum Græcorum respondere hyssopo Judaicæ. Consentit cum illo *Schurmannia* in Opusculis p. 145. quæ tamen p. 147. præterea suspicatur, *calamum* & *hyssopum* a diversis fuisse porrecta, quod ex Johannis verbis mihi quidem elici posse non videtur. Salmasianam sententiam amplectuntur ex nostratibus, præter supra laudatos, B. *Aug. Varenius* in epistola de hoc argumento lectu dignissima, quæ ex *αὐτογράφῳ* edita est in *Relationibus Innocuis de rebus Theologicis* an. 1711. p. 411. sqq. ex ceteris vero *Vorstius*, *Bynæus* & *Jac. Lydius* in Florum Sparsione p. 271. Conf. Cl. *Trilleri* Notas ad *Grotii* Christum Patientem germanicis versibus eleganter expressum p. 406. Ad cognoscendam sententiæ hujus veritatem multum facit accuratior hyssopi consideratio, qua perfuncti inprimis sunt, præter *Salmasium*, *Bochartus* l.c. *Casaubonus* adversus Baronium p. 569. *le Moyne* ad Varia Sacra p. 731. *Jo. Lomeierus* de Lustrationibus p. 441. & *Wedelius* l.c.

Atque hic postremus ad exemplum Patrum nonnullorum ὕσσωπον ab arundine ita distinguit, ut cannam Hierosolymitanam pro arundine, quam Matthæus simpliciter memorat, adhibitam esse existimet una cum hyssopo, eaque communi, de qua 1 *Regg.* IV. 33. cui obducta sit spongia aceto plena. Atque hæc sententia est *Rich. Simonii* ad Versionem Gallic. N. T. Nonnulli ὕσσωπον de *libanotide* arborescente, seu *rosmarino* interpretantur cum Georgio Veneto in Harmonia Mundi Tom. IV. c. 31. Inter hos ex nostratibus est *Fesselius* in Adversariis Tom. I. p. 472. Nos in Salmasiana, quam exposuimus, sententia acquiescimus.

Vers. 30. τετέλεσται) Interpretes hactenus omnes verbum illud de consummatione omnium, quæ ad salutarem perpessionem pertinebant, acceperunt. Unus fere *Zachar. Boganus* in Homero Hebraizante pag. 340. id ad implementum vaticinii Davidici de potu felleo referre maluit, ad Didymum provocans, qui τὸ τετέλεσται apud Homerum per πεπλήρωται interpretatur. Conf. *Amelii* Erörterung Part. II. pag. 42. Enimvero comma 28. in quo diserte dicitur, ὅτι πάντα ἤδη τετέλεσται, quod nonnisi ad totum perpessionis ambitum referri potest, satis indicat, verbum idem, hic repetitum, eadem amplitudine gaudere. Nec pugna hic ulla ex eo fingenda est, quod potus ille, qui itidem prædictus erat, post demum accesserit. Nam ille sigillum quasi imprimebat antecedentibus ceteris. *Schurmannia* in Opusculis pag. 150. eandem interpretationem ex parte amplectitur, ita scribens: *Præterea nulla ratione hoc effatum Christi* τετέλεσται *ultimum fuisse probatur. Etenim cum consummationem potius divinarum prædictionum, quam rerum seriem aut terminum*

num respiciat, quod ex verbis ἵνα τελειωθῇ ἡ γραφὴ palam est, de præteritis omnibus hactenus adimpletis, non item de futuris juxta prophetias adhuc adimplendis intelligendum est. Quæ quidem in tantum probanda sunt, in quantum pugnam tollunt, quæ inter Johannem & ceteros Evangelistas intercedere videri poterat. Ceteri enim, & inprimis Lucas, ultimam Christi vocem per *traditionem animæ in manus Patris* exprimunt. Sed cum illam Domini vocem omnia, quæ perpetienda erant, antecesserint, vel sic hæc conciliatio locum habere potest, si vel maxime τὸ τετέλεσται ad implementum non tam unius aut plurium oraculorum divinorum, quam ad complementum passionis ipsius referamus.

κλίνας τὴν κεφαλὴν) ut solent moribundi, viribus deserti, caput inclinare, tono scilicet tendinum remittente, & motrice vi musculorum fatiscente. Ita Cl. *Trillerus* in Notis MSS. qui conferri vult *Homerum* Iliad. ή v. 306. *Virgil.* Æn. IX. v. 431. & *Silium Italic.* lib. XII. v. 246.

παρέδωκε τὸ πνεῦμα) Simili phrasi utitur *Hippocrates* Aphor. ultimo Sect. 8. & *Vellejus Paterculus* lib. II. c. 123. Augustum Imperat. ait *animam cœlestem Deo reddidisse.* Debes hæc eidem *Trillero.*

Vers. 31. ἵνα μὴ μείνῃ ἐπὶ τῷ σταυρῷ) De instituto hoc Judaico, quod diserto Dei mandato *Deuteron.* XXI. 22. nititur, exponit *Laur. Ramirez de Prado* in Pentecontarcho suo p. 113. sqq. ibidemque satisfacere conatur dubio, quod *Andr. Masio* negotium facessivit, existimanti, absurdum cuiquam videri posse, deponenda juberi cadavera suspensorum, ne pollueretur terra, cum hanc sepulti, non vero pendentes, contingant, ut, si qua sit in suspensis contagio, ea minus inficiat terram, dum illi in sublime pendent, quam dum humati in illius visceribus sunt. Ad hæc noster respondet: *Lex præcipiebat, ne suspensus in ligno esset pernox, quia maledictus a Domino erat, qui pendebat in ligno, & ideo pendente eo contaminari videbatur terra: sed quia non ex pietate vel honoris causa damnati cadaver a ligno deponebatur, non in patrio sepulchro, non in hereditate avita sepeliendum fuisse autumo; sed in communi damnatorum sepultura, vel seorsim, ignominiæ causa projiciendum; unde nec terra tristi illo suspensi cadaveris spectaculo contaminabatur, nec patria hereditas, & sepultura maledictionem imbibebat.* Ad hoc probandum utitur is inprimis verbis Mosis l. c. antecedentibus: *Et nequaquam contaminabis terram, quam Dominus Deus tuus tibi dederit in possessionem;* atque eadem opera de sepulchris Hebræorum & Romanorum hereditariis & familiaribus, quæ in agris habuerint, commentatur. De festi sanctitate, quæ prohibuerit, quo minus corpora in cruce relinquerentur, lege quoque *Petri Fabri* Semestria lib. II. p. 119.

ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνη τοῦ σαββάτου) Vide huc omnino *Jac. Faësium* de Hebdomade Magna lib. I. & *Jo. Wandalinum* in Diatriba contra Wilhelm. Langium cap. VI. pag. 317. sqq. Syntagmatis Græviani. Atque hujus qui-

quidem ista *αὐτολεξεὶ* afferemus: *Subjectum hujus propositionis*, inquit is, *est ἡ ἡμέρα ἐκείνου τοῦ σαββάτου. Nihil autem interest, utrum ἐκείνη cum Arabe, Vulgato, Erasmo, Casaubono, Diodati, Grotio, Vossio; an vero ἐκείνου cum Syro, Luthero, Beza, Scaligero & pluribus Codd. legas. Illud omnino hic subjicitur, quod proprie & communiter Sabbatum vocabatur, nempe feria hebdomadis septima. Prædicatum, quod de illo enunciatur, est μεγάλη, ut hic sensus sit:* dies illius Sabbati (*vel* dies illa Sabbati i. e. dies, quæ erat Sabbatum) *erat magna. Vide Cappelli ἐπίκρισιν ad Cloppenburg. p. 66. Dicitur vero ita πρὸς διαστολὴν tanquam sit quædam ἡμέρα σαββάτου, quæ non sit μεγάλη. Jam nulla ratio reddi potest, quare dies illius Sabbati ἐξαιρέτως magna appelletur, nisi quod in eandem magnam Paschatis solennitas inciderit. Quod Ebraice dicitur* חג, *id Hellenistice μεγάλη ἡμέρα vocatur. Hinc Festum Tabernaculorum ἀντωνομαστικῶς dicitur μεγάλη ἡμέρα, exemplo Judæorum & Samaritarum, qui eam κατ' ἐξοχὴν* חג *appellant, in Oratione olim Petro tributa apud Clementem Alexandr. Strom. VI. Sic & Johannes c. VII. 37. ultimum σκηνοπηγίας diem τὴν μεγάλην τῆς ἑορτῆς ἡμέραν nominat. Tria enim Ebræi proprie* חגים *& Hellenistæ μεγάλας ἡμέρας vocarunt, nempe festum Azymorum, XV. Nisan, cum XXI. Nisan, Pentecosten VI. Sivan & Scenopegiæ primum ac ultimum diem, uti observat Scaliger in Proleg. ad Emend. Temp. Conf. Casaubon. Exer. XVI. n. 18. Sabbatum praeterea ante Pascha proximum Judæis Sabbatum magnum appellatum fuisse, docet Buxtorf. Synag. Jud. c. XV. -- Ex circumstantiis autem Historiæ Evangelicæ id certissimum est, quod nullius* חג *seu festi concursus diei Sabbati illius a Johanne memorato peculiarem sanctitatis cultum addere potuerit, præter solius Paschatis seu magni primique diei Azymorum, cujus expressa alias in passionis Christi descriptione mentio occurrit. Hic cum in Sabbatum isto anno incideret, illud præter communem dierum septimorum religionem peculiariter magnum & sanctum effecit.*

ἵνα κατεαγῶσιν) Vers. 36. dicitur *οὐ συντριβήσεται*, quo verbo in simili argumento utitur *Polybius* p. 113. Ceterum de plano ossa frangi potuisse, eo quod cruces non adeo altæ fuerint, ostendit *Salmasius* de Cruce p. 284. & 316.

Vers. 34. *Ἀλλ' εἷς τῶν στρατιωτῶν*) De percussore equite, quem hic pictores fingunt, lege *Robrium* in Pictore errante, Tom. II. Thesauri Disputatt. p. 870. Equitem eum facit *Xaverius* in Histor. Persica. Eum *Longinum* appellatum esse, multi veterum contendunt. Vide *Casauboni* Exercitatt. Anti-Baronianas p. 573. *Dan. Clasenii* Exercitatt. Passionales p. 325. & alios a Rev. D. *Getzio* in Meletematibus Annæbergensibus p. 49. citatos. Videtur huic nomini effingendo *λόγχη* seu lancea, hic memorata, occasionem dedisse. Ab aliis Græcis non hic perfossor, sed Centurio, de quo *Matth.* XXVII. 54. Longinus vocatur, forte non majori veri specie. Vide *Tillemontii* Memorias Hist. Eccles. Sec. I. Tom. I. p. 81. & 251. Lege plura de hoc Longino apud *Mart. Polonum* lib. III. Chronic. p. 113. & Cl. *Fabricium* ad Codic. Apocryph. N. T. p. 259. nec non B. *Grapium* ad epistolam Achmeti ben Abdala p. 79.

λόγχη

λόγχῃ) Lanceam alias a Græcis Scriptoribus ὑσσὸν appellari, contendit *Salmasius* de Cruce p. 309. De lancea ipsa lege *Jo. Wolfii* Memorabilia lib. XVI. p. 233. *Sagittarium* de lancea, qua perfossus est Christus, *Jen.* 1673. & in Thesauro Disputatt. p. 381. *Gallonium* de Martyrum cruciatibus & *Bartholinum* de Latere Christi aperto c. VI. De eadem exstat *Enochi Suantenii* Dissertatio singularis, *Rostoch.* 1686. 4. in Thesauro Disputatt. p. 388.

τὴν πλευρὰν ἔνυξε) *Latus dextrum* fuisse, tradit præter veterum nonnullos versio *Arabica* & *Æthiopica*, nec non Evangelium Infantiæ Christi cap. 35. Conf. *Th. Crenii* Animadversiones Historico-Philolog. Part. II. p. 165. Approbat hanc sententiam *Jo. Henr. Hæner* in Miscellan. Philolog. Criticis §. 1. & ante eum *Pet. Kirstenius* in Epistola Dedicatoria Grammaticæ Arab. p. 5. cui præterea minus pie fecisse videntur, qui vere miraculosum hunc sanguinis & aquæ ex vulnere illo effluxum plane naturalem esse scripserint, statuentes, illum in sinistro latere factum fuisse ob transfossam capsulam cordis. *Hoc enim*, ita pergit, *si verum esset, cur Evangelista, testis oculatus, versu proxime sequente tam asseveranter diceret:* Et qui vidit, testimonium perhibuit, &c. *Sinistrum* latus hic malunt alii, ut *Franc. Collius* & *Wedelius* loco mox citando. *Prudentius* utrumque perfossum credidit, ut vulnere ex utroque hinc cruor efflueret, hinc latex.

ἔνυξε) *Vulgatus* hic vertit, ac si legisset ἤνοιξε i. e. *aperuit.* Atque hanc lectionem secutus est *Chrysostomus* homilia 88. in Matthæum, *Augustinus* vero ita probavit, ut mysticum quiddam præcipuaque observatione dignum in ea contineri existimaret, ita scribens: *Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret;* latus ejus percussit, *aut* vulneravit, *aut quid aliud*, *sed* aperuit: *ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiæ manaverunt, sine quibus vita, quæ vera vita est, non intratur.* Conf. *Boisii* Collationem p. 335. Interim veram esse receptam lectionem, præter constantem Codicum, si unum excipias, consensum, patet ex v. 37. ubi verbum ἐξεκέντησαν egregie respondet priori illi ἔνυξεν.

καὶ εὐθὺς ἐξῆλθεν αἷμα καὶ ὕδωρ) De utroque liquore, ejusque ratione disquisivit data opera *Bartholinus* in libello de Latere Christi aperto, *Lips.* 1685. 8. & *Wedelius* in Exercitatt. Medico-Philolog. Centur. I. Dec. III. Exerc. I. Posterior factum hoc vulnus a milite putat ideo, ut exploraret, an Christus vere esset mortuus, &, si minus, eum penitus conficeret: idque in latere sinistro, medio fere thorace, eo quod dextra manus promtior sit ad feriendum latus sinistrum. Vulnus vero usque ad cordis thalamos pertigisse, censet, tanquam in quo sanguis & aqua sit, quæ tamen iis circumstantiis hic effluxerint, ut non sine miraculo id factum esse pateat. Cl. *Trillerus* in Notis MSS. ad h. l. cum *Grotio, Casaubono, Scaligero, Vossio, Sauberto* aliisque, partim a *Vossio* in Harmonia Evangelica lib. II. c. II. citatis, statuit, bicolorem hunc laticem partim ex pericardio, læso simul ipso corde, in quo

 sanguis,

sanguis, emicuisse statuit. Lege præterea ex nostratibus B. *Quenstedii*, *Calovii*, *Sauberti* ac *Nic. Jacobi* Disputatt. singulares itemque *Vogleri* Physiologiam Historiæ Passionis J. C. p. 47. sqq. Patrum nonnulli duo Ecclesiæ Sacramenta, Baptismum & S. Cœnam, hoc modo præfigurata existimant, quos appellat *Suicerus* in Thesauro Tom. I. p. 112. Alii vero per sanguinem *emundationem*, per aquam autem *sanctificationem* indicatam censent. Eos vide ibidem p. 113. Confer etiam Tom. II. p. 382.

Vers. 36. *ἵνα γραφὴ πληρωθῇ*) Ita Hebræi in simili argumento לקיים מה שכתוב *ad implendum id, quod scriptum est*. Vide *Surenhusii* librum καταλλαγῆς p. 4. sq.

ὀςοῦν οὐ συντριβήσεται αὐτῷ) Præcipitur hoc de agno Paschali, tanquam typo Christi, in quo idem hoc debebat observari. Vide *Exod.* XII. 46. & *Num.* IX. 12. Adde *Surenhusii* librum citatum p. 380. *Cappellus* huc quoque advocat *Ps.* XXXIV. 20. in Operibus p. 661. b.

Vers. 37. *καὶ πάλιν ἑτέρα γραφὴ λέγει*) Sic Hebræi ועוד הכתוב אומר

ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν) 'Οι LXX. hic habent: *ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο*, ex quo patet, eos pro דקרו i. e. *foderunt*, quod in Hebræo *Zach.* XII. 10. exstat, legisse רקדו i. e. insultarunt. Conf. *Cappelli* Criticam Sacr. Append. p. 482. Hinc humani aliquid passus est *Wagenseilius*, quando p. 70. ad *Sota* scribit, τοὺς LXX. hic habere *ἐπιβλέψονται πρός με, εἰς ὃν ἐξεκέντησαν*. Atque hanc eorum lectionem tueri conatur *Morinus* in Exercitt. Biblicis lib. I. Exerc. III. c. 5. §. 7. sqq. Interpretes illos secundum veterum Hebræorum morem, quo illi ad sensum allegoricum ex sacris literis eliciendum, literas commutare consueverint, hac in parte egisse, vix crediderim, quamvis id suspicetur *Surenhusius* l. c. p. 381. Probabilius enim est, illis convenientiam literarum ד & ר etiam hoc in loco, ut alias frequenter, fraudi fuisse, & huic permutationi occasionem præbuisse; nisi cum *Rich. Simone* in Historia Critica de Textu N. T. p. 243. statuere malis, in antiquis & genuinis τῶν ό exemplaribus *ἐξεκέντησαν* eodem modo, quo hodie apud Johannem, lectum fuisse. Hoc vero ipsi probabile videtur ex eo, quod S. Johannes alias in allegandis V. T. oraculis Interpretes illos Græcos magis quam Hebræum contextum sequi consueverit, & præterea variis exemplis constet, in versionem Græcam varias mutationes sequiori ætate ex aliis interpretationibus illatas esse.

Sunt, qui corruptelæ, textui illatæ, Judæos hic postulent. Inter hos numerantur, ut ceteros taceam, ex Anglis novissime *Guil. Whistonus* in Conatu textum Hebræum restituendi p. 322. Eosdem tale quid, quamvis non perfecerint, ausos esse, quando in margine pro אלי legendum suaserint אליו, præeunte *Rabano Mauro* in libro adversus Judæos n. 12. contendit *Wagenseilius* in Notis ad Sota p. 68. Vicissim rectius hoc crimen a Judæis depulerunt ex nostratibus *Hackspanius*

ſpanius ad *Lipmanni* Nizzachon c. II. n. 4. & in Sylloge n. 443. & 556. & *Friſchmuthus* in Diſſertat. ad Zach. XII. quæ in Theſauro Diſpp. Tom. I. p. 1042. recuſa exſtat, ex Reformatis autem *Steph. le Moyne* in Diſſertat. ad Jer. XXIII. 6. p. 130. ſq. Hinc etiam patet, quid ſtatuendum ſit de Codice MS. Hebr. *Erfurtenſi*, in quo non אלי ſed אליו legi, teſtis eſt *Tenzelius* in Dialogis menſtruis an. 1692. pag. 853. De ipſo oraculi ſenſu, & aliis huc pertinentibus lege præter citatos B. *Scherzerum* in Diſput. de adſpectu Judæorum in Meſſiam transfoſſum, quæ exſtat in Faſciculo Diſpp. ejus num. VIII. *Gebh. Saleman* de Meſſia transfoſſo in Theſauro Diſputatt. Tom. I. p. 1054. *Hackſpanium* in Notis ad h. l. p. 476. & ad Zachar. p. 1055. *Cappellum* in Opp. p. 163. a. *Guſſetum* in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* Part. I. c. 36. §. 72. ſqq. *Vitringam* lib. II. Obſſ. Sacrar. pag. 172. & *Surenhuſium* l. c.

Verſ. 38. ἦλθεν οὖν καὶ ἦρε τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ) In nonnullis editionibus antiquioribus verba hæc deſiderantur, quas ſecutus B. *Lutherus* eadem in verſione ſua omiſit. Genuina vero eſſe, tum ipſius orationis ſeries, ad quam complendam omnino requiruntur, tum conſtans Codd. MSS. conſenſus evincit. Vindicant eadem & retineri jubent B. *Raithius* in Vindiciis Verſionis Lutheri pag. 437. & 639. item *Franckius* in Obſervationibus vernaculis p. 212. ſq.

Verſ. 39. φέρων μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης) De balſamatione hac lege *Wedelii* Exercitatt. Philolog. Centur. I. Dec. V. Exercit. VII. Is intelligit hic myrrham ſolidam & ſiccam, tanquam meliorem, per aloen vero aloen proprie ſic dictam, non vero lignum aloes, ſive *ageliocleum*, pro quo Salmaſius pugnat in Exercitt. Plinianis p. 745. ſq. cujus rationes eadem opera confutantur, deinde vero de mixtura ipſa diſſeritur. De more veterum ungendi cadavera poſt alios ad h. l. commentatur *Picinellus* in L. R. p. 668.

ὡσεὶ λίτρας ἑκατόν) Cur tanta copia allata ſit, diſquirit *Rich. Kidderus* in Demonſtratione Meſſiæ Part. III. p. 145. ſqq. Onkeloſum ſuper Rabban Gamaliel 70. libras thuris combuſſiſſe tradit *Juchaſin* p. 16.

Verſ. 40. Καὶ ἔδησαν αὐτὸ ὀθονίοις) Moris enim erat apud omnes fere gentes, talibus vinculis cadavera vincire, ut aromata, quibus corpora condiebantur, melius ſervarentur, & ut membra & partes corporis minus, tabe & corruptione diffluentes, diſſolverentur, & quælibet locum ſuum occuparet, magisque mortuum integrum vivorum oculis repræſentaret. Hæc recte advertit *Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra p. 298. qui & p. 299. Johannem, ὀθόνια commemorantem, cum aliis Evangeliſtis, qui ſindone involutum Chriſti corpus tradunt, ita conciliat, ut vincula & inſtitas hic dicat intelligi debere, quæ ex majori ſindone ſecta, & in varias

 ac

ac longiores fascias consuta & adornata fuerint. Confer *Deylingii* Observationes Sacras Part. III. pag. 275. Hoc vero ante *Lemoynium Boysius* de Re Vestiaria c. 13. observavit, ex sindone lintea hæc comparata esse tradens, quam interlinea vestimenta numerat *Pollux*, in eo tamen deserendus, quando ὀθόνην apud Homerum ex lana constitisse affirmat. Linea fuisse illa ὀθόνια, ostendit quoque *Ferrarius* de Re Vestiaria Part. II. lib. IV. c. 12. pluribus Græcorum hanc in rem testimoniis prolatis. Adde *Braunium* de Vestitu Sacerdotum Hebr. pag. 147. *Cuperum* lib. II. Observatt. Sacrar. c. 9. *Jo. Jac. Chifletium* in Crisi de linteis sepulchralibus Christi cap. VI. *Dougtæum* in Analectis N. T. p. 64. & *Jac. Elsnerum* in Observatt. Sacris p. 347.

ἐνταφιάζειν) De hoc verbo lege ad *Matth.* XXVI. 12. *Beza* & *Piscator* hic vertunt *funerare*, quod rectum videtur *Boisio* in Collatione ad h. l. p. 339. si modo *funerare* sit pollingere & ad sepulturam parare. Idem recte huc advocat Hebræum חנט Genes. L. 2. quod ibi οἱ LXX. per ἐνταφιάσαι i. e. *aromatibus condire* interpretantur. Confer *Gusseti* Lexicon Hebraic. p. 267. & *Suicerum* Tom. I. Thesauri p. 1124.

Vers. 41. ἐν ᾧ οὐδέπω οὐδεὶς ἐτέθη) Sepulchro prorsus novo Christi corpus, divino consilio, ideo illatum esse, ut ne, si in veteri aliquo repositum fuisset, alterius ope & facultate resuscitatum crederetur, observat *Witsius* Exerc. XVI. in Symbolum Apostol. p. 271. Alii, nominatim *Rhenferdius*, in Comparatione anniversaria P. M. in V. T. expiatione cum unica atque æterna §. 70. respectum hic ad hircum expiatorium, in loco mundo olim comburi solitum, habitum esse, ac simul indicatum putat, quod, qui vivus, peccatis onustus, ipsum contrectantes polluebat, idem jam mortuus omni impuritate vacaret, atque adeo merito suo novo & intaminato sepulchro conderetur. Conf. *Amelium* Parte II. pag. 801.

CAP. XX.

Vers. 2. καὶ οὐκ οἴδαμεν) Pro οἴδαμεν Cl. *Polyc. Leyserus*, in Differt. de noviter adornanda N. T. Græci editione pag. 12. legendum putat οἶδα μέν. Sensum enim obscurum putat, & locutionem minus cohærentem, quia sola Maria venerit ad sepulchrum, sola cucurrerit, ut visa referret Petro & aliis, sola loquatur & indicet, se non invenisse corpus Christi. Atque hanc lectionem jam ante expresserunt quidem Syrus, Persa, Arabs & Æthiops, nullo tamen Codice Græco, qui hactenus oculis usurpatus fuit, suffragante. Quas Vir doctus rationes affert immutatæ lectionis, illæ apud eum nihil valebunt, qui meminerit, ex narratione reliquorum Evangelistarum, non unam Mariam Magdalenam, sed plures cum ea fœminas, sepulchrum adiisse. Itaque Johannes, qui in historia Passionis & mortis Jesu brevior est, ipso hoc verbo in plurium numero posito, reliquas, quæ cum Maria Magda-

Magdalena erant, ſubindicavit, tanquam quarum nomine loquatur una. Taceo, eam numeri enallagen, etiamſi vere una fuiſſet, cujusvis generis Scriptoribus familiariſſimam eſſe.

Verſ. 7. *καὶ τὸ σουδάριον* &c.) Vide huc *Lydii* Florum Sparſionem ad Paſſionem J. C. p. 5.

Verſ. 10. *Ἀπῆλθον οὖν πάλιν*) i. e. *abierunt itaque*, ex uſu *τῶν* LXX. Interpretum, quos, hac phraſi eo ſenſu uti, oſtendit ad h. l. *Keuchenius*. Alii vertunt cum *Beza* per *redierunt*, reſpectu ad *πάλιν* habito. Atque id frequenter idem eſt, quod *retro:* ut apud *Thucydidem* lib. II. p. 115. *Æſchinem* ep. 5. p. 124. & alios, quorum loca habes apud *Elsnerum* p. 348.

πρὸς ἑαυτὰς) i. e. *domum*. Conf. *Keuchenium* l. c. Ita *Polyb.* lib. V. c. 93. & *Arrian.* de Expedit. Alexandri VII. 9. 1. nec non *Terentius*. Conf. *Raphelii* Notas Polybian. p. 348. & *Elsnerum* p. 288.

Verſ. 11. *παρέκυψεν*) i. e. *inflexo corpore proſpexit;* ut v. 5. Conf. *Boiſii* Collat. p. 339.

Verſ. 12. *καὶ θεωρεῖ δύο ἀγγέλους*) Judæi hic pugnam inter Evangeliſtas videre ſibi videntur, cum S. *Matthæus* unum Angelorum memoret, quem *Marcus* juvenem appellat, S. Lucas vero *duos Viros*, & hic S. Johannes *duos Angelos*. Sed in promtu eſt conciliandi ratio. Qui *juvenem* vel *viros* hic memorant, humanam formam reſpiciunt, quam Angeli aſſumſerant, qui Angelos, id dicunt, quod revera erant. Nec in numero verus eſt diſſenſus.

Qui unum ajunt adfuiſſe, non negant alterum, præcipue cum nulla excludendi particula adhibeatur. Ita Abraham, cui tres apparuerunt Angeli, ad eos loquitur tanquam ad unum *Geneſ.* XVIII. 3. 4. Iidem præterea unum tantum commemorant, eo quod unus verba faceret, ſicut Magdalena una loquens plurium numero, reſpectu ad ceteras habito, utitur. Confer *Rich. Kidderi* Demonſtrat. Meſſiæ Part. II. p. 117. & III. p. 127.

ἐν λευκοῖς καθεζομένους) Simili loquendi ratione uſus eſt *Plutarchus* in Cicerone p. 883. *ἐν τοῖς περιπορφύροις καθέζεσθαι* & *Artemidorus* lib. IV. Onirocrit. c. 44. *γυνὴ καθημένη ἐν ἱματίοις πορφυροῖς*, & alii a Cl. *Elsnero* allati p. 348. Idem ex Gentilium Scriptis oſtendit, eosdem diis ſuis candidas veſtes tribuere conſueviſſe, p. 349. Ceterum veſtes albæ diebus feſtis & ſolemnibus in ſignum lætitiæ indui ſolebant. Vide *Picinelli* Lumina Reflexa p. 669.

Verſ. 15. *γύναι, τί κλαίεις;*) Hoc primum eſt Jeſu reſurgentis verbum, quod una cum ſex aliis, ab eodem ſecundum Evangelicam hiſtoriam poſt reſurrectionem pronunciatis, interpretatur Vener. *Læſcherus* in Decimis Evangelic. Part. I. p. 260. ſqq.

 Κύριε

Κύριε) *Domine.* Scilicet, *si nomen non succurrit, dominos salutamus*, ut ait *Seneca* ep. III. & alii, apud *Picinellum* in Luminibus Reflexis p. 669.

εἰ σὺ ἐβάστασας αὐτὸν) Verbum βαστάζειν asportandi notionem habet etiam apud *Polybium* p. 1468. Conf. supra ad *Joh.* XII. 6. & *Raphelium* in Notis Polybian. pag. 289.

Vers. 16. στραφεῖσα ἐκείνη λέγει) Lege *Jo. Buxtorfii* Catalecta pag. 292. ubi existimat, Mariam hanc, tertium ad Christum conversam, hæc locutam esse. Enimvero vox στραφεῖσα hic nihil aliud mihi innuere videtur, quam habitum Mariæ accuratius oculos in Jesum defigentis.

Ραββουνὶ) Forma vocis Syriaca est, de qua lege *Pfeiferi* Quinquagenam Locorum Hebr. & Exotic. N. T. in Opp. Philolog. pag. 494. & *Cheitomæum* de Vocibus Græco-barbaris.

Vers. 17. μή μου ἅπτου) Interdicti hujus rationem alii aliam reddunt. Plerique caussam potiorem quærunt in verbo ἅπτεσθαι, quo inferatur longior & pertinacior amplexatio & osculatio Jesu, quæ efficere poterat, ut Maria nuncium de resurrectione Christi eo tardius ad discipulos perferret. Hic verbi significatus receptus est τοῖς LXX. qui illo utuntur in reddenda voce Hebræa דבק Jobi XXXI. 7. quam alias convertunt per προσκολλᾶν *adhærere, adfixum esse*. Huc tendit *Gussetus* in Vesperis Groninganis pag. 65. qui hoc Christum ait voluisse, non esse nunc tempus moras nectendi, festinandum illi potius esse, ut, quamprimum fieri posset, certiores fierent discipuli de sua ex mortuis resurrectione, ampliores salutationes esse differendas, nec instare adhuc tempus suæ adscensionis in cœlum & ad Patrem: se enim adhuc aliquamdiu in terra commoraturum, ubi amplexibus locus futurus sit. Idem probant *Basnagius* Tom. I. Annalium pag. 409. *Knatchbullus* in Notis ad h. l. itemque *Jo. Clericus* & *Rich. Simon* in Notis ad Vers. Gall. ex nostratibus vero *Saubertus* in Opp. Posthumis pag. 75. qui ita παραφράζει· *noli mihi adhærere, & affixa manere, nondum enim adscendo ad Patrem;* & *Alethæus* Part. I. pag. 403. sqq. Non multum abit *Episcopius* Tom. I. Opp. Part. II. p. 4. nisi quod moram sibi fieri nollet, Christum hic præcipere existimet, in hunc sensum: *noli mihi jam moras nectere, aut me retinere: nondum enim ascendo, vel ascendam, adeoque satis adhuc temporis tibi supererit ad mecum aliquamdiu conversandum.* In alia omnia discedit *Possinus* in Spicilegio Evangelico pag. 24. ita παραφράζων· Non est, quod mihi tam effuse gratuleris isto, quam affectas, amplexu genuum meorum, quia me vivum conspicis: erit mox aliud tempus gratulatione dignius, ubi nempe ad Patrem ascendero. Anonymus, quem affert Cl. *Elsnerus* pag. 350. Christum sibi hic repræsentat, tanquam Patri gratias acturum, antequam reciperet debitum, ob victoriam de morte reportatam, cultum. *Robinsonus* in Endoxis pag. 63. Christum his verbis monitam voluisse putat Mariam, ut altius

tius & supra ea, quæ sensus externi secum ferunt, mentem erigat, neque adeo in tactu fidei præsidium quærat. Sed ut illa omnino ab argumento alieniora sunt, ita minime omnium approbanda *Pauli Bauldrii* conjectura, qui nova interpunctione μή· μȣ ἅπ]ȣ omnem difficultatem tolli posse opinatus est, quasi Christus diceret: *Non*; (scilicet sum hortulanus ille, quem tu putas) *tange me.* Vide Cl. *Polemannum* Diss. III. de Pleonasmis Scripturæ Sacr. §. 28. & *Neocori* Biblioth. Nov. librorum an. 1697. Aug. p. 403. Sane non opus amplius erat, ut Maria moneretur, non esse hortulanum, quem videret. Nam ipsa per se Christum ex compellatione jam agnoverat, exclamans: Ῥαββονί. Aliorum sententias de his verbis leges apud *Alethæum* l. c. & *Amelium* Part. II. pag. 32. Patrum nonnullorum cogitata retulit *Boisius* in Collatione p. 340. Nobis placet prima, quam recensuimus, tanquam maxime obvia, & tum argumento, tum phrasi, præ ceteris accommodata. Confer etiam, quæ de iis habet *Altingius* Tom. IV. Opp. in calce p. 102. sq. & *Joh. Christ. Hornius* de prima Christi e mortuis resuscitati concione, *Lubec.* 1706.

ὄπω γὰρ ἀναβέβηκα) Plerique verbum hoc pro futuro vel indefinito tempore per enallagen hic usurpari censent, quod ex dictis patet. Et recte quidem. Vix enim se Cl. *Herzogii* conjectura de certitudine Hermeneutices N. T. cuiquam probabit §. 30. qui, perfectum tempus hic retineri posse putans, existimat, Mariam verba Christi de abitu ad Patrem Joh. XVI. 18. prave de morte ipsius interpretatam existimasse, Christum jam redire ita, ut inposterum orphanos suos non derelinqueret. Hunc itaque errorem ex animo ejus Christum evellere, &, ut discipulis eundem eximeret, suadere. Rectius *Hombergius* in Parergis p. 175. verba hæc in præsenti tempore accipit: *nondum enim adscendo:* neque tamen opus esse puto parenthesi, cui eadem includi cupit.

πρὸς Θεόν μȣ καὶ Θεὸν ὑμῶν) Auctor libri *Chissuk Emuna* ex his verbis divinitatem Christi oppugnare audet. Sed vide *Gussetum* in Confutatione ejus Part. II. c. 58.

Vers. 19–29. allegorice interpretatur *Herman. Deusingius* in Allegoria Historiarum Evangelic. Prophetica p. 408. sqq.

Vers. 19. ὄσης ὖν ὀψίας &c.) Lege huc *Casaubonum* in Exercitt. Anti-Baronian. p. 605. qui speciatim observat, ὀψίαν hic non intelligendam esse de vespere, neque de prima parte noctis insecutæ diem Dominicum, sed fere, ut ὀψὲ in illo Matthæi: ὀψὲ δὲ σαββάτων. Confer in eandem sententiam *Gussetum* in Addendis ad Lexicon Hebraic. p. 940. Itaque non cogitandum est hic de media nocte cum *Hammondo*, & aliis, inprimis, quia sic non dici potuisset vespera *diei primi hebdomadis*, τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, cum dies Judæorum a vespera incipiat.

καὶ

καὶ τῶν θυρῶν κεκλεισμένων) Chriſtum, ſine foribus apertis, ad demonſtrandam corporis ſui ſpiritualitatem ſe in cœtum diſcipulorum ingeſſiſſe, noſtrates Theologi poſt Patres nonnullos, de quibus *Suicerus* Tom. I. p. 1413. recte contendunt, tum aliis argumentis, tum inprimis ſuſpicione diſcipulorum, ſpectrum ſe videre exiſtimantium, ducti. Vide huc *Hackſpanii* Notas p. 477. & B. *Val. Alberti* Diſſert. de eo an Chriſtus januis clauſis diſcipulorum conclave intraverit? Lipſ. 1693. Adde *Paulini* Philoſophiſche Luſt-Stunden c. 89. & *Amelium* Part. II. p. 42. Similia Patrum utriusque Eccleſiæ cogitata leges apud *Petavium* Tom. VI. Dogmatum lib. X. de Incarnat. c. 6. p. 19. ſqq. Miror, *Jo. Walliſium* de Sabbato Part. I. p. 25. ſtatuere potuiſſe, quod januæ non vere fuerint clauſæ, atque hac phraſi nihil aliud inferatur, quam nocturnum fuiſſe tempus. Sed idem illud jam ante diſerte ab Evangeliſta dictum erat: οὔσης ὀψίας, nec veriſimile eſt, idem repetita vice, & quidem obſcurius ſignificari. Judæos olim hinc argumentum corporis glorificati cepiſſe, oſtendit *Pocockius* in Notis Miſcellan. ad Portam Moſis cap. VI. Ceterum in Hiſtoria Eccleſ. varia afferuntur exempla hominum ſanctorum, qui, clauſis oſtiis, palatium aliquod ingreſſi ſint, v. c. *S. Patricii* & *Thomæ* Apoſtoli. Vide Cl. *Elsnerum* l. c. Iis adde *S. Bartholomæum*, quem Pſeudo-Abdias lib. VII. Regi, oſtio clauſo, in cubiculo ipſius apparuiſſe, narrat p. 675. Tom. I. Codicis Apocr. N. T. Cel. *Fabricii*. Gentes incantationibus adhibitis fores nonnunquam apertas eſſe, tradunt apud eundem *Elsnerum* p. 351.

ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς) Lege huc *Nic. Köppenii* Diſſertat. de Domini noſtri poſt reſurrectionem apparitionibus, earumque ordine, *Gryphiswald.* 1701.

Verſ. 22. ἐνεφύσησε) Externo hoc ſymbolo inſufflationis indicavit Dominus noſter, ſe certiſſime Spiritus S. gratiam ſingulari & eminenti modo ipſis conferre, eam ſcilicet, qua opus ſit, ut munere ſuo, remittendi ſcilicet & retinendi peccata, recte defungi poſſent, ad quam facta poſtea effuſione Spiritus S. Actor. II. accedebat extraordinaria facultas miracula patrandi, quo ſenſu Spiritum S. poſt abitum ſuum illos exſpectare juſſerat Dominus *Joh.* XVI. 7. Conf. Rev. *Pfaffii* Origines Juris Eccleſiaſt. p. 27. ſq. qui ibidem oſtendit, cur Chriſtus hic ab impoſitione manuum in Eccleſia Judaica alioquin, quamvis non ſemper, recepta abſtinuerit. Eadem hæc inſpiratio argumento quoque erat, Spiritum S. a ſe non minus quam a Patre procedere, quod Patres complures recte cenſuerunt, de quibus exponit *Petavius* in Dogmatibus Theologic. lib. VII. de Trinitate c. XII. §. 7. Confer præterea B. *Chriſtoph. Sonntagii* Diſput. de afflatu Chriſti Paſchali, *Schleuſing.* 1688.

Verſ. 23. Ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας &c.) Quomodo hæc capienda ſint, noſtrates Theologi, & præter eos aliarum quoque Eccleſiarum doctores

ctores ostenderunt, quos supra ad *Matth.* XVI. 19. attulimus. Quorum monitis in usum conversis occurri potest illis, qui ex recentioribus facultatem hanc remittendi aut retinendi peccata extra ordinem, & solis Apostolis hic concessam volunt, tanquam talem, quæ immissione pœnarum in pertinaces peccatores aut amolitione earundem a pœnitentibus absolvatur. Ita sentientes allegat Rev. *Pfaffius* l. c. p. 29. & *Amelius*, non multum dissentiens, Part. I. p. 222. sqq. Summa totius rei hæc est, quod, quamvis facultas illa in Apostolis cum singularibus quibusdam donis conjuncta, & ab iisdem exercita fuerit, eadem tamen hodienum, quod ad rem ipsam Ministris verbi concessa sit, vel publice in prædicatione pœnitentiæ & Evangelii, vel privatim exercenda, sicut inde a primis Ecclesiæ originibus, post Apostolorum abitum, in cœtu sacro exercita fuit. Reliqua, quæ huc pertinent, Lector apud illos quæret, qui de re Exomologetica nostra ætate diligenter commentati sunt. Novissime inprimis contra *Limborchium* hanc potestatem Ministris Evangelii vindicavit Rev. *Jo. Franc. Buddeus* in Institution. Theologiæ Dogmatic. p. 1727. sqq.

Vers. 25. Ἐὰν μὴ ἴδω ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ τὸν τύπον τῶν ἥλων &c.) Sunt, qui hinc colligi posse putant, pedes Christi, tanquam quorum hic una cum manibus perfossis non fiat mentio, non perfossos clavis, sed tantum vinctos fuisse. Ita inter ceteros *Hammondus* & *Clericus* ad h. l. Sed non meminerant Viri docti, auctore Luca XXIV. 39. Christum non solum manus suas, ex illis scilicet clavorum indiciis tanquam suas cognoscendas, sed & pedes ostentasse. Confer Biblioth. Bremens. Class. III. p. 197. sqq. De clavis illis lege inprimis singularem librum *Corn. Curtii* de Clavis Dominicis, Antwerp. 1670. 12. editum, tum vero *Aringhii* Romam Subterraneam p. 165. 195. Clavos illos columnæ porphyreticæ a Constantino M. impositos esse, veteres testantur, de quibus lege *Cangium* ad Zonaram p. 29. sq.

εἰς τὸν τύπον τῶν ἥλων) Nonnulli, sed perpauci Codd. legunt hic τόπον, quod scilicet putarent per τύπον non tam foramen a clavis relictum, quam ipsam clavorum figuram indicari. Atque hanc lectionem præferunt, post *Bezam*, *Boisius* in Collatione ad h. l. p. 341. *Grotius* & *Rich. Simon* in Notis ad Versionem Gallic. Sed cum ex illis foraminibus de forma ipsorum clavorum judicium ferri posset, non video, cur hoc sensu τύπος τῶν ἥλων appellari nequeat. Ceterum de varia vocis τύπος significatione lege *Gatackerum* in Adversariis cap. IV.

Vers. 27. μὴ γίνου ἄπιστος, ἀλλὰ πιστός) Ex hoc loco *Fullerus* Miscellan. lib. I. c. 19. recte contendit, vocem πιστὸς non tantum passivam habere notionem, ut denotet eum, cui fides merito adhibeatur; sed & activam, ut significet eum, qui fidem alteri habet. Conf. *Suicerum* Tom. II. p. 742.

Verf. 28. Ὁ Κύριός μου καὶ ὁ Θεός μου) Formulam hanc non esse simpliciter exclamantis & admirantis, sed Deum ex animo profitentis, contra Socinianos oftendit *Hackspanius* in Notis ad h. l. p. 478. & ex simili *Arriani* phrasi Rev. *Raphelius* in Notis Polybian. p. 290. Adde *Pearsonium* ad Symbolum Apostolic. p. 231. qui recte observat, in his verbis vel ellipsin esse, ita supplendam: σὺ εἶ ὁ Κύριός καὶ ὁ Θεός μου, vel antiptosin Nominativi pro Vocativo. Atque hanc confessionem similem esse illi Petrinæ *Matth.* XVI. 16.

Verf. 29. μακάριοι οἱ μὴ ἰδόντες) Vide *Schotti* Adagial. N. T. p. 94. Quomodo Christiani hodierni, etiamsi non viderint res a Jesu gestas, certissimi esse possint de doctrina ejus, ostendit B. *Olearius* in Commentatione vernacula de Jesu vero Messia p. 454. sqq.

Verf. 30. Πολλὰ μὲν οὖν καὶ ἄλλα) i. e. *multa praeterea etiam alia signa fecit Jesus.* Hoc enim sensu particula μὲν οὖν passim occurrit, v. c. *Luc.* III. 18. & apud profanos Scriptores, ut apud *Æschinem* in Timarcho p. 176. πολλὰ μὲν οὖν καὶ τἄλλα καταγέλαστα πέπρακται Τιμάρχῳ h. e. *præter alia autem multa, risu digna, quæ fecit Timarchus* &c. & apud *Ælian.* Var. Hist. III. 18. Confer Cl. *Elsnerum* p. 196. Quod ad rem ipsam attinet, varia miracula, quæ Christus vel in ætate tenera, vel alias ediderit, recensita, dubia quamvis & sublesta fide, leguntur in Evangelio Infantiæ Christi, & aliis Evangeliis Apocryphis, quæ ab eruditissimo & diligentissimo Fabricio nostro recusa sunt in Apocryphis N. T. Confer *Casauboni* Exercitatt. Anti-Baronian. p. 172. *Spanhemium* in Dubiis Evangelic. Part. II. Dub. XCVI. & ex nostratibus B. *Jo. Frid. Mayerum* in Differtat. de miraculis, quæ Christo tribuuntur ante miraculum in nuptiis Canæ in Galilæa editum, Gryphiswald. 1703. 4. Cumque ipsum hoc miraculum Johannes ἀρχὴν τῶν σημείων c. II. appellet, recte omnino Patres contendunt, ante illud non aliud editum a Christo esse. Vide loca eorum apud Cl. *Fabricium* ad Tom. I. Apocryph. N. T. p. 129.

Verf. 31. ἵνα πιστεύοντες ζωὴν ἔχητε) Codd. nonnulli & versiones quoque post ζωὴν addunt αἰώνιον præter rem. Vide *Mareschallum* ad Verf. Gothicam p. 507. Constat enim, ζωὴν passim in N. T. simpliciter de vita æterna dici. Vide v. c. *Joh.* III. 36. ὁ δὲ ἀπειθῶν τῷ υἱῷ οὐκ ὄψεται ζωήν. Ceterum versum integrum illustrant *Balth. Bebelius* de vera Theologia Johannea, *Argentorat.* 1685. *Calovius* de gloriosa Christi a mortuis resurrectione, *Witteb.* 1674. *Seb. Schmidius* in Collegio Biblico Posteriori pag. 13. sqq. & *Dorscheus* in Pentade Differtatt. Theolog. p. 319. sqq. Adde *Suicerum* Tom. II. Thesauri p. 729. ubi ex Patribus differit de Scriptura S. ad vitam ducente.

CAP XXI.

INtegrum hoc caput ab Ecclesia Ephesina post mortem S. Johannis ceteris additum esse, existimat *Grotius* in Notis ad caput XX. v. 30. inprimis ideo, quod isto commate conclusio totius Evangelii satis diserte inferatur, tum vero, quod cap. XXI. v. 24. dicatur: *οἴδαμεν, ὅτι ἀληθὴς ἐςιν ἡ μαρτυρία αὐτῦ*, quibus verbis, in plurium numero positis, Ecclesia ostenderit, se de rebus a Johanne traditis minime dubitare, cum alioquin, si Johannes hoc scripsisset, dicturus fuisset, ut supra *κἀκεῖνος οἶδεν, ὅτι ἀληθῆ λέγει*, c. XIX. 35. Sequitur *Grotium*, ut solet, *Clericus* in Biblioth. Universali, Tom. XII. p. 437. & in Biblioth. Selecta Tom. XIV. p. 387. nec non in notis ad Versionem Gallicam. Vicissim confutat Grotium *Simon* in Historia Critica N. T. lib. I. ubi de textu ejus pag. 151. & Clericum quoque in Novis Observationibus super N. T. p. 123. sq. Ex nostratibus vero conjecturam hanc præpropere, ut puto, adoptavit Rev. *Christoph. Matthæus Pfaffius* in Dissertat. de Variis N. T. lectionibus p. 201. ubi argumenta, a Simonio opposita, non magni esse momenti contendit. Rectius hanc suspicionem valere jussit *Millius* in Prolegomenis ad N. T. suum §. 249. recte observans, ex eo, quod in calce capitis XXI. clausula similis isti, qua caput XX. finitum est, legatur, non consequi, postea demum accessisse: cum repetitio earundem rerum & sententiarum Johanni familiarissima sit. Idem addit, verbum *οἴδαμεν* v. 24. in plurium numero positum, non fortius idem adstruere, cum v. 25. plurale hoc per singulare explicetur, *ὐδὲ αὐτὸν οἶμαι τὸν κόσμον*. Johannem denique de se, tanquam de alio, in tertia persona loqui consuevisse; ut Joh. XIX. 35. Confer omnino ex nostratibus B. *Calovium* in Bibliis Illustratis ad h. l.

Alii Johannem primo quidem in capite XX. scribendi finem facere voluisse, deinde vero, eorum, quæ prætermissa erant, recordatum, ultimum caput adjecisse existimant. Atque ita rationes instituit *Gerhardus Joh. Vossius* in Harmonia Evangelica lib. III. c. 4. §. 8. qui tamen adhuc magis in sententiam Grotianam propendet, & *Rich. Simon* in Observationibus Novis p. 123. & in Notis ad Versionem Gallicam N. T. Sed conjectura ejusmodi valere forte, si alia non obessent, poterat, ubi de scriptione mere humana sermo est, non vero item, ubi de Auctore agitur, quem non sibi soli relictum, sed *θεοπνευςίᾳ* actum scripsisse contendimus. Ceterum in tanto Codicum & versionum consensu eoque prorsus universali, cogitari non debebat, caput hoc ab Ecclesia demum Ephesina accessisse. Quis enim negare tuto potest, Evangelium Johannis ante ipsius obitum adeoque ante additum hoc, quod creditur, supplementum accessisse, & quis crediderit, vel sic omnes Codices in exhibendo isto capite tam constanter consentire potuisse?

Verf. 2-14. illuftrantur, vel potius allegorico fenfui involvuntur a *Deusingio* in Allegoria Hiftoriarum Evangelic. Prophetica p. 445. fqq.

Verf. 3. ἐν ἐκείνῃ τῇ νυκτὶ) *ea nocte.* Profanos quoque Scriptores τὸ ἐν in ejusmodi phrafibus adhibere, oftendit *Pfochenius* §. 47.

Verf. 5. παιδία) Ex affectu tenero Jefus difcipulos adultiores ita alloquitur. Sic quoque profani Scriptores apud *Picinellum* in Lumin. Reflexis p. *669*.

μή τι προσφάγιον ἔχετε;) προσφάγιον per *pulmentarium* reddiderat *Vulgatus*, inepte, judice *Beza*, cum a pifcatoribus pultem petere non conveniat. Sed vide caufam ejus tuentem Cl. *Jac. Hasaeum* in Biblioth. Bremenfi Claff. IV. p. 345. qui variis veterum locis oftendit *pulmentarium* idem valere, quod *obfonium*. Hinc *Varro* lib. IV. c. 22. de lingua Lat. dicit, ufu pro omni obfonio hanc vocem poni. Idem fecerat ante *Hasaeum Boifius* in Collatione p. 342. advocato quoque *Cafaubono* ad Athenæum lib. VII. c. 2.

Verf. 7. Λέγει οὖν ὁ μαθητὴς ἐκεῖνος, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς) Quod Johannes, & quibus de caufis phrafi hac indicetur, oftendit *Feffelius* in Adverfariis Tom. II. pag. 431.

τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο) Non tunicam five veftem fuperiorem & extimam, fed indufium, ex lino factum, hac voce indicari exiftimat *Jo. Buxtorfius* in Catalectis pag. 11. Interius aliquod veftimenti genus, & tale quidem fuiffe, quo coram aliis comparere pudor prohibeat, manifeftum eft. Suidas ita: ἐπενδύτης, τὸ ἐσώτατον ἱμάτιον, ὃ καὶ ὑποκάμισον λέγεται. Adde *Pollucem* in Onomaftico, & inprimis lege *Guil. Guifium* ad Berachoth IX. 5. Tom. I. Mifchnæ Surenhuf. p. 35. Diligens quoque hic eft *Boifius* in Collatione p. 343. fq. qui præeunte *Nonno*, in Paraphrafi, pro velamento pifcatorio habet earum partium, quæ honefte confpici non poffunt, & ex veteribus tum Interpretibus, tum Gloffariis, plura huc pertinentia affert. Conf. *Suicerum* Tom. I. Thefauri p. 1160.

Verf. 9. καὶ ὀψάριον ἐπικείμενον) De voce ὀψάριον diximus ad *Joh.* VI. 9.

Verf. 11. μεστὸν ἰχθύων μεγάλων) Quales fuerint hic pifces, difquirit *Thom. Brown* in Tractatibus Mifcellaneis non ita pridem editis, num. III. Putat vero, eos fuiffe, quos Galli *des truites, des brochets, des tenches* &c. appellant. Tales enim in lacu Tiberienfi dari. Conf. Memorias Literar. Tom. VIII. p. 481.

ἑκατὸν πεντήκοντα τριῶν) Totidem recenferi pifcium fpecies ex *Hieronymo* ad Ezech. XLVII. obfervat *Poffinus* in Spicilegio Evangel. p. 45. quo ipfo parabolice indicetur, electos ex omni hominum genere futuros.

Verf.

Verſ. 12. *ἀριϛήσατε*) Non de prandio hoc poſſe capi, cum mane fuerit, quemadmodum & verbum hoc de cibo mane ſumto uſurpetur, oſtendit *Keuchenius* ad h. l.

ὐδεὶς δὲ ἐτόλμα-ἐξετάσαι) *Heinſius* verbum *τολμᾷν* pro pleonaſtico habens, in Exercitatt. Sacr. p. 237. verti ſimpliciter vult: *nemo vero eum interrogabat.* Neque enim opus erat quæſtione in ea re, quam nemo diſcipulorum ignorabat, nempe, ipſum eſſe re vera Chriſtum. Conf. *Gatackerum* in Cinno p. 42. & *le Cene* in *Projet* p. 590.

Verſ. 15-18. illuſtrantur ab *Olivero Bowles* in Pedo Paſtorali, ſive Concionibus duabus in 12. editis. Quod argumentum idem amplius perſecutus eſt in *Paſtore Evangelico*, Lond. 1655. 8. edito. Adde ex noſtratibus *Bernhardi Sandenii* Diſputat. Regiom. 1696. 4.

Verſ. 15. *Βόσκε τὰ ἀρνία μυ* & v. 16. *ποίμαινε τὰ πρόβατά μυ*) Ex his verbis Chriſti Bellarminus & Pontificii Doctores alii Petrum pro Monarcha & Summo Eccleſiæ Præſide habendum eſſe contendunt. Lege contra eos *Hackſpanium* in Notis p. 481. & noviſſime Rev. *Pfaffium* in Originibus Eccleſiaſt. p. 33. ſq. qui præter alios, ibidem de primatu Petri Pontificisque Romani citatos, conferri huc jubet *Sam. Basnagium* in Annalibus Politico- Eccleſiaſt. Tom. I. ad A. C. 33. §. 157. qui ſpeciatim ex Patribus oſtendit, trinam illam Chriſti compellationem, ad Petrum de ſuſcipiendo munere Apoſtolico factam, reſpondere abnegationi Petri ter repetitæ. Adde quoque *Launojum*, veritatis in hoc negotio teſtem, in Epiſtolis p. 90. ſqq. 637. ſqq. & 703. ſqq. & paſſim alibi. Recte obſervat *Caſaubonus* adverſus *Baronium* p. 712. *τὰ ἀρνία* per *agniculos* ſive *agnellos* hic explicari debere ad teneritudinem affectus in Chriſto repræſentandam. Confer & *Bernhardi Sandenii* Diſſertat. *Regiom.* an. 1696. habitam.

Verſ. 18. *ὅταν δὲ γηράσῃς, ἐκτενεῖς τὰς χεῖράς σε, καὶ ἄλλος σε ζώσει*) Verbis his ſupplicium crucis, Petro aliquando irrogandum, ſignificari, quod & ſenex ſuſtinuerit, oſtendit *Amelius* Part. I. p. 241. & ante eum *Arndius* in Miſcellaneis Sacris p. 148. idem contra *Tremellium*, hanc ſententiam pro inepta temere habentem, evincens. Afferemus verba quædam ejus ex libro minus obvio: *Ita*, inquit, *crucifigebantur: Collum furcæ intrudebatur, manus diſtendebantur & ad furcæ cornua deligabantur. Habes τὸ, ἐκτενεῖς τὰς χεῖράς σε. Ita compoſiti circumgeſtabantur per urbem i. e. τὸ, οἴσει σε ὅπε ὐ θέλεις. Tandem poſt peractam hanc miſere ſpectabilem pompam in crucem dabantur. Qui Plautum πεπάτηκε, ſubſcribet mihi. Is Moſtellar.* Patibulatum per viam *talem dixit*, *φερόμενον ὅπε ὐ θέλει. Et Carbonar.* Patibulum feram per urbem, deinde affigar cruci. *Cinctione* ſpeciatim ad vincula in cruce reſpici, in qua funibus extendi & ſtringi ſolebant, contendit *Lipſius* de Cruce p. 210.

Verſ. 19. *ποίῳ θανάτῳ δοξάσει τὸν Θεὸν*) i. e. *quo mortis genere glorificaturus ſit Deum.* Ad *qualitatem* enim mortis reſpici, vox ipſa *ποῖος* indicat, id quod ex collato *Joh.* XII. 33. apertius perſpicitur. Confer *Arndii* Miſcellanea p. 149. De martyrio ſuſtinendo verbum hoc interpretantur Patres apud *Suicerum* Tom. I. pag. 949.

Verſ. 22. *Ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν*) *Vulg:* habet: *ſi ſic eum volo manere*, quaſi legerit *οὕτως* poſt *ἐάν*. Vide hanc in rem *Zegerum* & *Rich. Simonem* in Novis Obſervationibus p. 383. quibus lectio hæc genuina videtur. Confer tamen in contrariam ſententiam *Raithium* in Vindiciis Verſionis B. Lutheri p. 439. Verbum *μένειν* perſiſtentiam in hac vita infert, ut 1 *Cor.* XV. 6. & *Phil.* I. 24. Cave tamen, Syriaſmum hic ſtatuas cum *Heinſio*. Eadem enim phraſi utitur *Arrianus* in Epictet. lib. III. cap. 24. *μέχρι νῦν διά σε ἔμεινον*, h. e. *tua cauſa huc usque permanſi in vita.*

ἕως ἔρχομαι) De quo Domini adventu hoc verbum ſit accipiendum, utrum de extremo illo ad judicium univerſale, an paulo poſt imminente ad particulare in Judæos eorumque Rempublicam, ad quem hic reſpici cum *Oecumenio* putat *Joſ. Mede* in Operibus p. 708. diſputatum eſt. Vide *Jo. Marckii* Exercitt. Exegeticas num. XXXV. p. 610. Diſcipulos Chriſti de ultimo illo adventu accepiſſe, ex immortalitate Johannis falſo ab iſtis credita patere videtur. De eodem quoque poſt alios & pleroſque noſtratium Theologos interpretatus eſt B. *Aug. Pfeiferus* in Scepticiſmo Speneriano c. IV. p. 95. ſqq. ſed eo tamen ſenſu, ac ſi dixiſſet Dominus: *ſi vellem eum manere, quid hoc ad te?*

Τί πρός σε;) Similiter *Arrianus* Epictet. p. 389. *τί πρὸς ἐμέ; quid hoc ad me?* & *Anacreon* Oda IX. *τίς ἐστί σοι μελήδων;*

Verſ. 23. *ὅτι ὁ μαθητὴς ἐκεῖνος οὐκ ἀποθνήσκει*) Hinc non valde mirum, idem ſequentis ævi hominibus viſum eſſe, quod Johannes adhuc ſuperſit. Vide huc, quos ex veteri memoria affert Cl. *Fabricius* ad Codicem Apocryphum N. T. p. 533 ſq. Sed fabula hæc recte exploſa jam eſt ab *Auguſtino* Tract. XXIV. in Johannem, & *Beſſarione* libello ſingulari adverſus *Trapezuntii* opuſculum de eo, quod S. Johannes Evangeliſta nondum ſit mortuus. Conſule præterea de tota hac cauſa *Joh. Sebaſt. Mitternachtii* Diſſertatt. XIX. ad locum Joh. XXI. 22. Geræ 1665. *de eo, an Johannes Evangeliſta & Judæus quidam a tempore Paſſionis ſint ſuperſtites? Joh. Erneſt. Gerhardi* Exercitatt. Philolog. tres, Jen. 1649. *Tillemontium* in Vita Johannis c. XI. & nota 17. ſq. item B. *Ittigium* in Selectis Capitibus Hiſt. Eccleſ. Sec. I. p. 441. ſqq.

Verſ. 24. *Οὗτός ἐστιν ὁ μαθητὴς* &c.) Verba hæc nonnullis non Johanni, ſed Eccleſiæ Epheſinæ, una cum toto cap. XXI. tribuenda viſa ſunt. Sed vide quæ in limine hujus capitis ſcripſimus. Adde *Jo. van der Waeyen* Diſſertat. de *λόγῳ* præmiſſam Libræ veritatis Rittangelianæ, & *Amelium* Parte I. der Erörterung p. 145.

καὶ

καὶ οἴδαμεν) In duas diſtinguere unam hanc vocem mavult, ut legatur *οἶδα μὲν*, *Polyc. Leyſerus*, Acad. Juliæ Profeſſor, in Diſſertat. de noviter adornanda N. T. editione p. 12. Sed vide, quæ huic conjecturæ inſolentiori oppoſuimus ad Joh. XX. 2. ubi eandem locum habere poſſe opinatus eſt. *Chryſoſt.* & *Theophylactus* quidem in Commentariis ſuis itidem legunt *οἶδα*, non tamen, ac ſi iſta ſit genuina textus lectio, ſed ut ſenſus indicetur.

Verſ. 25. Ἔςι δὲ καὶ ἄλλα πολλὰ) Similiter *Arrianus* Expedit. Alex. VI. 11. 5. πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα ἀναγέγραπ]αι τοῖς ξυγγραφεῦσι ὑπὲρ τῦ παθήματος.

ἅτινα ἐὰν γράφηται καθ' ἓν, ὐδὲ αὐτὸν οἶμαι τὸν κόσμον χωρῆσαι τὰ γραφόμενα βιβλία) Hyperbolen hic plerique ſtatuunt, qualis in eodem, de quo hic ſermo eſt, argumento recepta eſt Sacris, Rabbinicis, Græcis & Latinis Scriptoribus, quorum hanc in rem loca attulit Cl. *Fabricius* ad Codicem Apocryphum N. T. p. 321. Confer *Kidderi* Demonſtrationem Meſſiæ Part. III. p. 129. ſq. & *Rich. Simonem* Hiſtor. Crit. lib. III. p. 309.

Alii hyperbole, tanquam verbo Sacro indigna, valere juſſa, vel vocem κόσμος, vel verbum χωρεῖν ita interpretantur, ut phraſis hæc, prout jacet, facile admitti poſſit. Per κόσμον enim intelligunt *homines*, qui non *capere* ſeu adſequi intelligendo poſſint multitudinem miraculorum, concionum, dictorum, & rerum geſtarum Chriſti, ſi quidem circumſtantiæ omnes curate expendi & deſcribi debeant. In hanc ſententiam verba interpretatur B. *Franzius* de Interpretatione Scripturæ Sacræ p. 875. Huc tendit quoque *Amelius* Part. II. p. 623. ſq. ubi de copia laborum & miraculorum Jeſu ex B. *Sandhagenii* Introductione ad Hiſtoriam Vitæ Chriſti vernacule ſcripta p. 62. & *Witſii* Meletematibus Leidenſibus p. 334. exponit. *Capacitatem intellectus* hic innui cenſet quoque *Jo. Buxtorfius* in Catalectis p. 69. Alii τὸ ὐ χωρεῖν idem hic eſſe cenſent, quod *non recipere*, *non approbare*, aut fidem habere. Ita jam olim *Heinſius* ad h. l. adductis ad fidem faciendam locis *Matth.* XV. 17. XIX. 11. *Joh.* VIII. 37. & 2 *Cor.* VII. 2. cumque eo *le Cene* in *Deſignatione* novæ verſionis p. 591. & ex noſtratibus Celeber. *Valent. Erneſt. Læſcherus* in Stromatibus p. 36. ubi ita hæc παραφράζει. *Cum, quæ in Evangelica hac hiſtoria ſcripta ſunt, ideo ſint ſcripta, ut fides in legentium animis inde prodeat, ſufficiant hactenus enarrata. Nam reliqua, etiamſi maximis voluminibus conſcriberentur, neceſſaria ex conſilio divino non ſunt, neque mundus illis permovebitur ad fidem Chriſto habendam, non capiet illa animo, vel pio obſequio recipiet, ſi hactenus dicta illum non permoveant.* Idem placuit Cl. *Elsnero* in Obſervatt. Sacris p. 351. ita ſenſum reddenti: *quæ etiamſi ſigillatim conſcriberentur, non tamen mundo impio accepta ea fore, aut ad fidem illum & obſequium permotura.* Eodem modo obſervat loqui ſacrificulum Bethelis ad Jeroboamum de Prophetia Amoſi את כל דבריו לא תוכל הארץ להכיל i. e. ὐ δύναται ἡ γῆ χωρεῖν πάντας τὺς λόγυς αὐτῦ. Conf. ad *Matth.* XIX. 11.

IN

IN ACTA SS. APOSTOLORUM.

Πράξεις τῶν ἁγίων Ἀποστόλων) Πράξεις recte dixeris *acta*, *actus*, *actiones*, item *res gestas*, sive *gesta*. Nullum enim horum vocabulorum est, quod Græco non respondeat. Nolim enim hic subtilius disputare de discrimine gestorum & actorum, quasi illa sint rerum majorum & ad Rempublicam pertinentium, hæc minorum tantum & privatarum. Atque ne sic quidem verear πράξεις interpretari *res gestas*. Quid enim magis ad universorum salutem pertineat, quam res in hoc libro expositæ? Ita Rev. *Raphelius* in Notis Polybianis p. 291. sq. qui eadem opera ex *Polybii* locis variis *rerum gestarum* notionem voci πράξεις vindicat. Confer Cl. *Fabricii* nostri Bibliothecam Græcam lib. IV. c. 5. p. 137.

Cum *Petri* & *Pauli* res gestæ hoc libro inprimis tradantur, eos Apostolorum nomine hic indicari tantum censuit *Grotius*: imo *Gronovio* in Posthumis Francii p. 384. inscriptio hæc, in plurium numero formata, mira videtur. Sed non poterat aliter aut rectius formari titulus operis, quod in limine historiam ordinis & cœtus Apostolici ejusdemque per Matthiam, in locum Judæ suffectum, instaurationem edisserit, totiusque Ecclesiæ, universorum opera plantatæ & coactæ, rationem exponit, & subinde aliorum Apostolorum meminit, tanquam qui operam suam in promulgando Evangelio collocarint.

Mirum quoque nonnullis visum est, quod *Lucæ*, ut Scriptoris, nomen in titulo ipso non sit commemoratum. Causam omissionis inde repetit *Henricus Dodwellus* in Diss. I. ad Irenæum p. 69. quod Actorum liber tanquam δεύτερος λόγος Evangelio, ab eodem scripto, statim subjunctus sit, atque adeo nominis ejus repetitione opus non fuerit. Atque hoc sensu Actus illos pro altera parte Evangelii Lucæ habuerunt B. *Lutherus* & *Erasmus*. Lege B. *Raithii* Vindicias versionis German. B. Lutheri p. 440. Interim tamen multi Codices S. *Lucæ* nomen diserte exprimunt hoc modo: Λουκᾶ Εὐαγγελιστοῦ Πράξεις Ἀποστόλων vel Πράξεις τῶν ἁγίων Ἀποστόλων διὰ Λουκᾶ Ἀποστόλου. Vide in hanc rem *Rich. Simonis* Hist. Crit. N. T. lib. I. p. 19. sqq. Neque tamen omissio nominis, si etiam perpetua foret, vel minimam suspicionem cuiquam cordato movere potest dubitandi, utrum a Luca profectum sit, an minus? Nam & Evangelii commemoratio, per πρῶτον λόγον facta, & dictio Lucæ recepta, & constans antiquitatis testimonium, & circumstantiæ aliæ, in oculos legentis incurrentes, rem extra dubium collocant.

In Actis his potissimum Imperii Romani ad fidem Ecclesiæ conversionem ideo enarrari, statuit *Jac. Gussetus* in Commentario Linguæ Hebr. p. 700. & 703. quod ibi præcipua in persuadendo Evangelio difficultas se exseruerit.

Quæ

Quæ alia hic afferri poterant, ea, tanquam ab eruditis pridem occupata, de industria prætermitto. Lege, præter Interpretes, & Scriptores de libris Biblicis *Joh. Alb. Fabricium* in Biblioth. Græca lib. IV. c. V. §. 5. & *Jo. Millium* in Prolegomenis ad suam N. T. editionem §. 118. sq. Id merito hic addidero, quod Cl. *Thomas Hearne* Actorum librum laudabili industria Græce & Latine ex Codice Laudano, characteribus uncialibus exarato, & in Bibliotheca Bodlejana obvio, luculente & ea ipsa forma, qua ibi descriptus est, edidit *Oxon.* 1715. 8. Lege de hac editione, cujus 120. tantum exempla lucem viderunt, *Acta Erud. Lipsiens.* an. 1717. p. 100. sqq.

Ad illustranda Acta præter Interpretes multum præsidii afferent illi, qui in Vita, itineribus, & rebus gestis Pauli edisserendis operam navarunt. Eos vide appellatos a doctissimo *Fabricio*, l. c. p. 151. Istis nuper accessit D. *Joach. Langius*, Theologus Hallensis, in luculenta Commentatione Historico-Hermeneutica de Vita & Epistolis Apostoli Pauli, *Hal.* 1718. 4. Ex nostratibus huc inprimis pertinet B. *Casp. Sandhagenius* in libello vernaculo, quem *Introductionem in Acta Jesu Christi & SS. Apostolorum* inscripsit. Idem in Epistolis Theologicis, Germanice editis, Dec. II. p. 1. sqq. de itineribus Pauli commentatur. Adde B. *Christophori Cellarii* Amœnitates Historicas & Geographicas ex itineribus S. Pauli collectas, quæ exstant in Dissertationibus ejus Academicis n. VII. item *Bernhardi Schmidt* Dissertat. de gestis selectioribus ex Actis Apostolorum. Eruditi auctores des freywilligen Heb-Opfers Tom. III. p. 24. sqq. ex versionibus Syriaca & Neo-Græca, cum contextu Græco comparatis, nonnulla afferunt non contemnenda.

Ceterum exstant & alia Apostolorum Acta fublestæ fidei, de quibus post Venerab. *Jo. Andr. Schmidium* in Pseudo-Novo Testamento diligenter commentatur *Jo. Alb. Fabricius* in Codice Pseudepigrapho N. T.

CAP. I.

VErs. 1. Τὸν μὲν πρῶτον λόγον ἐποιησάμην) Particula μὲν eleganter hic utitur *Lucas*, quamvis non sequatur δέ. Ita quoque *Xenophon* libros II. III. IV. V. & VII. de expeditione Cyri orditur, quod probe observavit Rev. *Raphelius* in Notis Xenophonteis pag. 144. Nec minus Græcis Scriptoribus λόγον ποιεῖσθαι idem est, quod *librum conficere*, *historiam componere*, seu *narrationem contexere*, quemadmodum Historici λογοποιοὶ iisdem appellantur. Vide ejusdem *Notas Polybianas* p. 295. ex lib. III. p. 373. 423. 814. 1388. &c. nec non Cl. *Maji* Obss. Sacr. lib. III. p. 121. sqq. & *Valesium* ad Notas Maussaci in Harpocrationem p. 304. Τὸ δὲ non semper illud μὲν excipere, quod insolens visum est *Camerario* ad III. 21. ostenderunt idoneis exemplis *Erasmus Schmidius* in Act. III. 21. *Vigerius* itidem de idiotismis Gr.

L. c. VIII. Sect. 8. *Devarius* de Particulis, *Stolbergius* de Soloecismis p. 87. & *Majus* l. c. p. 121. Recte igitur *Beza* vertit: *primum librum confeci*, nisi malis, *priorem*: & *Erasmus*: *superiore volumine*. Pro *Beza* lege *Fesselium* Tom. I. Adversar. Sacr. p. 384. Per πρῶτον λόγον indicari heic Evangelium a Luca scriptum cuique patet. Itaque πρῶτον simul apparet positum esse pro πρότερον, quod itidem fit Joh. I. 15. 30. & XV. 18. Confer quæ scripsimus ad *Luc.* II. 2. Modestiæ causa non εὐαγγέλιον, sed λόγον hic memorasse divum Scriptorem *Oecumenio* ad h. l. præter rem visum est. Lege *Rich. Simonis* lib. III. Hist. Crit. N. T. p. 466. Multo minus huc pertinet *Henr. Dodwelli* observatio Diss. VI. ad Irenæum §. VIII. p. 435. quod Sophistæ veteres libellos, quibus rerum publicarum moderatoribus salutaria consilia suggesserint, λόγους appellare consueverint, quemadmodum Christiani Scriptores, *Irenæus*, *Justinus M. Tatianus* scripta sua ad Gentiles optimo consilio exarata λόγους appellarint. Placuit id tamen *Amelio* Part. I. p. 148.

ὦ Θεόφιλε) Vide, quæ dicta sunt ad *Luc.* I. 1. Non enim potest cum ratione dubitari, eundem hunc esse Theophilum, quem ibi Lucas appellat, quamvis aliter visum sit *Augustino* IV. 8. de Consensu Evangelist. contra quem lege Biblioth. Bremens. Class. IV. p. 499. ubi eadem opera ostenditur, κρατίστου nomen, quod in limine Evangelii exstat, h. l. omissum esse, quod ea ætate summi quique Viri sine præmissa honoris præfatione nomine suo simpliciter appellari consueverint.

ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν) *quæ Jesus fecit.* Sæpe enim verbum ἄρχεσθαι de actu completo accipitur, quod ad Evangelia passim ostendimus.

ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν) Hinc Constitutt. Apostol. p. 828. monent Doctorem facere prius, quam docere debere. Similes profanorum phrases affert *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 670. Totum comma hoc philologice persecutus est *Jo. Hoier* Dissert. singulari, *Wittemb.* 1669. 4.

Vers. 2. ἐντειλάμενος τοῖς Ἀποστόλοις διὰ πνεύματος ἁγίου, οὓς ἐξελέξατο) Verba hæc Codices duo Stephaniani, & versiones *Syr. Arab. Æthiop.* tum vero *Augustinus*, ita distinguunt, ut post vocem Ἀποστόλοις comma ponant, adeoque τὸ, διὰ πνεύματος ἁγίου referant ad verbum ἐξελέξατο. Eos sequitur *Scaliger* in Actis Schurzfleischii Literariis p. 16. ad 2 Thessal. II. 7. provocans. Alii τὸ διὰ πνεύματος referunt ad ἀνελήφθη, ut causa notetur, per quam Christus in cœlum receptus fuerit, nempe per Spiritum S. quemadmodum *Act.* VIII. 39. *Philippus* per Spiritum Domini & *Ezechiel* c. XXXVII. 1. & *Elias* 1 Regg. XVIII. 12. translati dicuntur. Ita Cl. *Elsnerus* p. 353. qui & p. 355. addit, per Spiritum S. h. l. divinam Christi naturam intelligi posse, ut alias, ubi de resurrectione Christi sermo est. *Martianæus* in Conatibus novæ versionis pag. 303. διὰ πνεύματος ἁγίου idem esse vult, quod *touchant le S. Esprit*, i. e.

i. e. *de Spiritu Sancto*, quem ſcilicet exſpectare eos jubet v. 4. Sed ut hæc ſignificatio præpoſitioni διὰ nunquam idoneo exemplo vindicari poterit; ita nec trajectione illa opus eſt. Senſus enim ſimpliciſſimus hic innuitur, quod Chriſtus Apoſtolis ſuis præcepta dederit per Spiritum, ſicut per eundem dæmonia ejecit, & ſicut ſine illo nec hactenus fecerat quicquam, nec inpoſterum facturus erat, ſed potius per Spiritum S. eos in omnem veritatem ducturus, ut & ſcirent, quæ facere & docere deberent, & præſtare ea poſſent. Inter hæc vero præcepta non poſtremum erat illud, quod exſpectare deberent donum Spiritus S. de quo v. 4.

ἀνελήφθη) Vide *Gatackerum* ad Antonin. pag. 136. & quæ diximus ad *Marc.* XVI. 19.

Verſ. 3. *ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις*) Reſpiciuntur hic ea indicia & argumenta, quibus Apoſtoli ipſi certi reddebantur de reſurrectione Chriſti vere facta, quibusque uti poterant ad plenam fidem etiam aliis faciendam. Hæc argumenta a multis Scriptoribus de veritate Religionis Chriſtianæ, inprimis vero ab *Humfr. Dittono* in eximio libro, de Reſurrectione Chriſti Anglice *Lond.* 1714. 8. edito, excuſſa ſunt. Adde *Tillotſoni* Conciones Anglicanas Tom. III. Conc. CXXXIX. p. 251.

ὀπτανόμενος αὐτοῖς) i. e. *ἐμφανιζόμενες*, *apparens*, *conſpiciendum ſe exhibens. Boiſius* in Collatione Veteris Interpretis p. 347.

Verſ. 4. *καὶ συναλιζόμενος*) Codd. quidam hic legunt *συναλισκόμενος*, alii *συναυλιζόμενος*, ex vitio librariorum, qui non ſatis intelligerent, quid ſibi vellet *συναλιζόμενος*. Vide *Millii* Prolegomena §. 946. Interim *συναυλιζόμενος* non eſt lectio mere *ϛοχαϛικὴ*, quæ *Melanchtoni*, *Strigelio*, *Stephano* in Theſauro Gr. L. & aliis arriſit, ut opinatur *Boiſius* l. c. Sed Codicibus nonnullis, a *Millio* adductis, confirmatur. Eandem quoque probavit *Epiphanius*, ad quem vide *Petavium* pag. 311. Attamen communem illam lectionem *συναλιζόμενος* rectiſſime tuentur *Boiſius* l. c. *Caſaubonus* ad Athenæum II. 3. pag. 83. & *Pearſonius* ad Ignatii epiſtolas pag. 44. itemque alii. Iidem tamen non æque in definienda hujus verbi notione conſentiunt. Alii enim cum *Vulgato*, *Syro*, *Arabe*, *Chryſoſtomo* vertunt *conveſcens*, inter quos eſt *Caſaubonus*, *Boiſius*, ll. cc. *Saubertus* poſt *Knatchbullum* in Opp. Poſthum. pag. 180. provocans ad *Luc.* XXII. 30. ubi cum relata hac ipſa hiſtoria convictus diſerta fiat mentio, & *Rich. Simon* tum in Notis ad Verſionem Gall. tum in Hiſt. Critic. N. T. lib. II. p. 259. Alii malunt: *conveniens cum illis*, quo ſenſu frequentiſſime occurrit apud Græcos Scriptores: vide *Elsnerum* pag. 355. Ab his non multum abit *Caſtalio*, vertens *frequentando eos*, qui ſe adverſus *Bezam* tuetur in Defenſione p. 442. Alii idem volunt eſſe, quod *congregans*, inter quos ſunt *Camerarius*, *Eraſmus Schmidius*, B. *Lutherus* noſter, pro quo lege B. *Raithii* Vindicias verſionis German. pag. 440. *Seb. Schmidius*, & noviſſime *Jo. Alberti* in Obſervatt.

Sacr. pag. 216. *Ego tamen*, inquit is, *potius in forma media & sensu activo verterem: Et congregans eos, vel, cum eos congregasset, iis congregatis, ut subintelligatur αὐτοὺς. Sequitur enim commate 6. οἱ μὲν οὖν συνελθόντες. Ita συναλίζεσθαι* est ab ἅλις, simul, confertim. *Etymol.* M. ξυναλιζόμενοι, συναθροιζόμενοι, *Hesychius* συναλιζόμενος, συναλισθεὶς, συναχθεὶς, συναθροισθεὶς, &c. Alii *congregandi & conveniendi* notionem conjungunt, ut Scaliger in Actis Literariis a Schurzfleischio editis p. 26. Nihil in hac causa definit Cl. *Jo. Henr. Lederlinus* in Dissertat. de Sale insatuato p. 3.

Mihi quidem illi se præ ceteris probant, qui *congregandi* notionem præferunt, inprimis ob vers. 6. *Lucæ* cap. XXIV. 30. minus convenienter hic allegatur. Illa enim apparitio, postquam Jesus cum discipulis, ad fidem illis faciendam, cibum cepit, non fuit ultima neque adeo cum adscensione Christi proxime conjuncta, ceu *Knatchbullo* persuasum fuit, sed aliquot diebus eam antecessit, quod tum ex temporum rationibus patet, tum ex Johannis XXI. intelligitur, ubi alia post hanc apparitio commemoratur.

ἀπὸ Ἱεροσολύμων μὴ χωρίζεσθαι) i. e. *ne Hierosolymis discederent*, ut infra XVIII. 1. 2. Sic *Galenus* Protrept. ad Scient. pag. 1. *Polybius* Excerpt. Legat. pag. 1337. & alii apud *Elsnerum* p. 355.

ἣν ἠκούσατέ μου) Ab oratione obliqua transit ad rectam. Unde verbum, *inquit*, perspicuitatis causa potest inferi: *quam*, inquit, *audistis*. Ita *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 145. qui hoc sermonis genus frequens esse apud utriusque linguæ Scriptores multis exemplis ostendit. Vide *Xenophont.* Cyropæd. lib. V. p. 105. & lib. I. p. 17. *Livium* lib. I. c. 13. & c. 47. ac 57. Conf. *Elsnerum* p. 204. Τὸ μου cum ἠκούσατε in gignendi casu *violente* jungi præter rem visum est *Knatchbullo*, qui ideo illud cum πατρὸς conjungendum censuit. Ita enim idem *Xenophon* lib. III. initio, eodem recte observante, loquitur: ἤκουσε τοῦ ἀγγέλου τὰ παρὰ τοῦ Κύρου.

Vers. 5. οὐ μετὰ πολλὰς ταύτας ἡμέρας) Sic *Xenophon* Hist. Græc. lib. I. init. μετὰ δὲ ταῦτα οὐ πολλαῖς ἡμέραις ὕστερον.

Vers. 6. Κύριε, εἰ ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ ἀποκαθιστάνεις τὴν βασιλείαν τῷ Ἰσραήλ;) Verbum ἀποκαθιστάναι significat *rem instaurare & in pristinum ac meliorem statum restituere*. Hesychius ἀποκατάστασις interpretatur per τελείωσις. *Polybius* lib. IX. cap. 30. dicit: καὶ τὸ πάτριον ὑμῶν ἀποκατέστασε πολίτευμα. Conf. *Raphelii* Annotatt. Polyb. pag. 296. & *Vitringa* Observatt. Sacr. lib. V. pag. 83. Hoc ut certo cognitum habemus, ita non æque patet, de cujusmodi regno sermo sit, quod hic Israeli dicitur instaurandum. Alii de spirituali illud interpretantur hoc magis, quod Christus per 40. dies, quibus cum Apostolis suis post resurrectionem versatus fuit, illius rationem satis exposuisse vide-

videtur. *Brenius* ad regnum gloriosum refert, quod in fine seculorum per mille annos sit duraturum. Sed cum illud ab Apostolis ipsis deinde non sit prædicatum, neque hic vel Apostolos de eo cogitasse, vel Christum de illo ad ipsos antea, quod *Brenius* supponit, locutum esse, aut hic respondisse, manifestum est. Alii itaque de regno Messiæ mundano accipiunt, quale sibi tum temporis Judæi, tanquam proxime imminens, fingebant, & quod ipsos quoque Apostolos ante resurrectionem Christi somniasse historia Evangelica testatur. Atque id mihi videtur verisimillimum. Regnum enim Israelis hic, quæritur, an sit restituendum? Itaque sermo est de regno quodam collapso & depresso. Tale vero erat inprimis externum illud, quandoquidem Judæi sub Romanorum jugo fatiscebant. Neque mirum videri debet, Apostolos ejusmodi sententiæ etiam post resurrectionem indulsisse. Quamvis enim cogitationes eorum tunc magis essent spirituales, quam antea, hæ tamen tam inolitæ ipsis erant, ut non penitus vel tunc deseruisse videantur, quamvis alioquin persuasissimi essent, Jesum, ut Redemtorem hominum spiritualem, inposterum annunciandum esse. Scilicet Spiritus S. tunc nondum ipsis datus erat ea mensura, secundum quam ducendi erant in omnem veritatem. Quemadmodum & S. Petrus ope singularis revelationis postea docendus erat; Gentilibus quoque præconium salutis commune esse cum Judæis. Obverti poterat, hoc modo Christum in responsione sua discipulorum cogitationes videri approbasse, quippe qui tantum nolit, Apostolos de tempore, illi instaurationi destinato, solicitos esse, non autem spem omnem præscindat. Sed in promtu est, quod responderi possit. Dominus hac responsione regni, de quo cogitabant, instaurationem adeo non promittit, ut potius nihil certi in alterutram partem affirmet, sed Apostolos potius dubios relinquat: quod idem fecerat *Joh.* XVI. 12. ubi ipsos nondum omnia ferre posse affirmabat, & cetera ad illud differebat tempus, quo Spiritus S. omne veritatis genus ipsis instillaturus sit. Vel etiam nihil obstat, quo minus dicamus, Christum hic sperare jussisse restitutionem regni, sed non eo sensu, quo accipiebant Apostoli, & quem brevi post ipsi, ut falsum, abominaturi erant. Ita recte *Gussetus* in Confutatione libri *Chissuk Emuna* p. 50. *Idea*, inquit, *illa eorum verbis non exprimitur*, *quicquid de eorum mente fuerit; verba enim certe restitutioni spiritualis regni per translationem ad regnum gratiæ peragendæ satis conveniunt. Quapropter verba discipulorum non eguerunt ea in re corrigi. Mens autem eorum, quæ adhuc præjudiciis laborans, ut vel ex gentium ab Ecclesia exclusionis exemplo patet, relinquebatur, rectior facienda fuit per Spiritus S. donum, Scripturarumque ejus auxilio intelligentiam.* Conferatur idem p. 413. Ita ex nostratibus B. *Calovius* in Bibliis Illustratis ad h.l. largitur, *Apostolos indulgere adhuc potuisse opinioni de regno mundano Messiæ satis inolitæ*, idemque adstruit *Elias Veielius* in Dissertatt. *de Errore Apostolorum & discipulorum Christi*, circa regnum Messiæ mundanum, Præside *Dannhauero* habita, & in hujus Disputationibus Theologicis p. 1213. sqq. legenda. Ibi is inter reliqua p. 1231. hæc habet:

Quamvis post resurrectionem Dominicam adhuc turgerent persuasione potentatus civilis, quem cum regno Christi spirituali ἀσύγκλωστον esse, nec dum vel ex se ipsis intelligebant, nec ex Christi responsione Act. I. 6. exacte perceperant, beneficia tamen mortis Christi citra dubium maxima esse, mortemque æternam averruncare, tum quidem satis cognoverant. Confer præterea de hoc argumento *Nic. Richteri* Disput. præside *Fechtio* de restauratione regni Israelis, *Rostoch.* 1694. habitam, & in Thesauro Dispp. Tom. II. p. 401. sq. recusam, item aliam D. Phil. *Mulleri* Jen. 1704.

Vers. 7. οὐχ ὑμῶν ἐστι) Subintellige ἔργον, *non vestrum est, non pertinet ad vos* nosse. Vide *Lamb. Bos* de Ellipsi Græc. L. p. 69.

χρόνους ἢ καιροὺς) Duo hæc eodem modo conjunxit *Demosthenes* Olynth. III. pag. 11. τίνα γὰρ χρόνον ἢ τίνα καιρὸν — ζητεῖτε; Non male Lutherus καιρὸν interpretatus est *horam*: ipse enim articulus temporis significatur. Ita *Raphelius* in Notis Polybianis p. 297. Eodem modo *Boisius* in Collatione p. 350. per καιρὸν *articulos temporum* intelligit, quia καιρός ἐστιν, ἐν ᾧ οὐκ ἔστι χρόνος. Contra *Vulgatum*, qui καιροὺς per *momenta* vertit, lege *Bezam*, & *Raithium* in Vindiciis versionis Lutheri pag. 441. Nimiam in futuris investigandis curiositatem profani Scriptores passim castigant, quos lege apud *Picinellum* in Luminibus Refl. pag. 670.

Vers. 8. ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου Πνεύματος) *Castellio* vertit *Spiritus S. vos invadet*, quam in rem confer Defensionem ejus pag. 443. De Spiritu S. ut Dei dono ex Patribus huc commentatur *Petavius* in Dogmat. Theolog. Tom. II. p. 453. sq.

ἔν τε Ἱερουσαλὴμ καὶ ἐν πάσῃ τῇ Ἰουδαίᾳ) Scriptores Judaici eodem modo Hierosolymam a reliqua Judæa distinguunt, tanquam מקדש a מדינה conf. infra *Act.* X. 39. Vide quæ scripsimus ad *Job.* III. 34. Profanos quoque Scriptores ita loqui, evincit *Elmerus* p. 303.

ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς) Phrasin hanc pro hebraizante habet *Vorstius* Part. II. pag. 31. Philologiæ Sacræ, recte repugnante *Horatio Vitringa* in Animadversionibus ad eum pag. 234. Per γῆν hic nonnulli intelligunt *terram Judaicam*, quæ hic a τῇ οἰκουμένῃ i. e. *orbe Romano* distinguatur. Sed præstat in communi notione vocis, qua universam terram infert, persistere, cum Judæa & Samaria paulo ante commemorata sit, adeoque amplius aliquid hic significetur: præterea vero constet, Apostolorum sermonem ad omnes mundi fines perlatum esse.

Vers. 9. νεφέλη ὑπέλαβεν αὐτὸν) Lege ad hunc versum *Tillotsoni* Conciones Anglic. Tom. III. Conc. CLXII. pag. 271. Nubes præsentiæ divinæ symbolum est: vide *Matth.* XVII. 5. Sic Filius Dei, nube vestitus, Israelitis olim in deserto apparuit, *Exod.* XIII. 21. & in Tabernaculo, *Exod.* XL. 34. & in Templo, 1 *Regg.* VIII. 10. Profani quoque Scriptores Deos suos inter-

interdum *nube tectos* exhibent. Vide *Homerum* Iliad. έ. v. 185. *Horatium* lib. I. Ode II. v. 31. ibique præstantissimum *Rich. Bentlejum*. Adde *Elsnerum* p. 354. & p. 356. ubi posteriore loco observat, *Josephum* lib. V. Antiquitt. p. 132. tradere Mosen *nube tectum* in vallem quandam esse avectum. Quod ipsum Josephus ad imitationem profanorum, ut iis historiam suam gratiorem redderet, finxisse ipsi videtur, quippe qui Romulum & Deos suos eodem modo sublatos esse tradant, ut *Livius* I. 16. *Ovidius* IX. Metamorph. v. 271. ubi de Hercule. Interim memorabile quoque hic est, Rabbinos in *Rosch hasschana* f. 31. a. referre, *schechinam*, præsentiæ divinæ in templo Salomonis symbolum, relicto templo & urbe, solitudinem petiisse, indeque pœnitentiam populi Judaici sex menses frustra præstolatam, in cœlum remeasse. Confer *Wagenseilii* notas ad *Sota* c. 9. Sect. 11.

ὑπέλαβεν αὐτὸν) susceptum abstulit. Vide *Boisium* p. 351. Collat.

ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν) Veteres tradunt, Christum monti oliveti eo loco, ex quo cœlum adscendit, vestigia sua impressa reliquisse. Lege B. *Ittigii* Hist. Eccles. Sec. I. p. 410. ubi etiam de Templo, ibidem ab Helena postea exstructo.

Vers. 10. *καὶ ὡς ἀτενίζοντες ἦσαν*) sc. *τὰς ὀφθαλμὰς*. V. *Lamb. Bos* de Ellipsi p. 150. & quæ infra scribentur ad III. 4.

Vers. 11. *Ἄνδρες Γαλιλαῖοι*) In orationum præcipue initiis usitatissima est apud *Xenophontem* aliosque Scriptores Græcos pleonastica hæc compellandi formula. Sic Cyropæd. lib. II. p. 33. *ἄνδρες Πέρσαι*. Conf. *Raphelii* Notas Xenophonteas p. 147.

ὁ Ἰησοῦς ὁ ἀναληφθεὶς ἀφ᾽ ὑμῶν) *Montensis* ita: *ce Jésus, qui en vous quittant s'est élevé*: quod a *Malleto* impugnatum defenditur ab *Arnaldo* in Nova Defensione illius Versionis p. 485.

οὕτως ἐλεύσεται) Respicitur hic ad adventum extremum Christi, orbem judicaturi. Tunc enim veniet *καθήμενος ἐπὶ τὴν νεφέλην*. Vide *Apoc.* XIV. 14.

Vers. 12. *ἀπὸ ὄρους τοῦ καλουμένου Ἐλαιῶνος*) Montis hujus aliquoties meminit *Josephus* v. c. Antiquitt. VII. 8. ubi *ἐλαιῶν ὄρος* vocat, & XX. 6. ubi stadia quinque i. e. iter Sabbati distare ab Hierosolymis dicitur. Confer *Adriani Relandi* Palæstinam p. 338. & *Jo. Marckii* Exercitationes Script. n. XVI. p. 525.

σαββάτου ἔχον ὁδὸν) De spatio itineris Sabbatici ex nostratibus exponunt præter *Jo. Frischmuthum*, & *Mich. Waltherum* in singularibus Dissertatt. quas Thesaurus Disputatt. Tom. II. f. 417. & 423. recusas exhibet, *Nic. Kürsner* de itinere Sabbati, *Rinthel.* 1698. *Carpzovius* ad Schickardum de Jure Regio p. 385. *Pfeiferus* in Locis Hebraic. & Exoticis N. T. Loc. XXV. p. 488. Opp. Philo-

Philolog. & in Antiquitatibus Hebraic. Select. c. 25. *Wagenseilius* de Norimberga p. 126. sq. *Wolfburgius* p. 530. Obss. Sacr. & *Saubertus* p. 73. Palæstræ. Ex ceteris *Buxtorfius* in Lexico Talmud. p. 2582. *Seldenus* de Jure Nat. & Gentium lib. III. c. 9. p. 317. Interpretes ad *Erubbin* T. II. Mischnæ Surenhusianæ p. 101. *Jo. Marckius* in Exercitatt. Scripturar. p. 515. sqq. *Sam. Petitus* Observatt. III. 1. p. 242. sq. *Adrianus Relandus* in Palæstina p. 341. 400. 426. 449. & 630. item in Antiquitatibus Hebraicis p. 486. *Eduard. Bernardus* de Ponderibus & mensuris Antiqu. p. 239. sq. & *Hottingerus* ad Discurs. Gemaric. de Incestu p. 111. Hebræi in eo fere conveniunt, fuisse spatium bis mille cubitorum seu mille passuum: hoc vero *Epiphanius* Hær. 66. ad sex stadia revocat, quæ ex computo Relandi quadrantem horæ requirerent, quia 24. stadia efficiunt tria milliaria Romana, sive horam unam itineris. *Ammonius* septem stadia hic indicari putat, quæ confert idem cum milliari uno. Vide locum ejus a me productum in Anecdotorum Tom. III. p. 92. Quæ hic de conciliandis his verbis cum *Luc.* XXIV. 50. sqq. dici poterant, ea ad ipsum Lucæ locum occupavimus. Confer *Marckium* l. c. & *Relandum* p. 630. Palæstinæ. Afferamus nonnulla ex *Bernardi* libro rariore l. c. p. 239. *Milliare Hebraicum*, inquit, *σαββάτου ὁδὸς in Actis Apostolicis: limes Sabbatinus*, תחום השבת, *Scribarum antiquissimorum decreto* 2000. *cubita*, אלפים אמה, $\frac{1}{4}$ *parasangæ*, *aut* פרסדה, 1200. *palmi*, ἢ *θεπαχίμ*, *Tanchumus in Lexico Talmudico*, *Chronicon Gedoliæ fol.* 90. *Fuse Maimonides Hilcot Sabbat c.* 27. *Idem ille Moses & Obadias ad Babba Kama c.* 77. *Mechilta egregie f.* 20. *Midbar rabba fol.* 211. *Semot rabba fol.* 159. *Gemara Babylon. Sota f.* 27. *b.* & 42. *Babba Mezia f.* 33. & *Pesachim fol.* 93. *b. Tanchuma, conditor Aruch, Sal. Jarchius & D. Kimchius ad Jos. c.* 3. 4. & *ante hos omnes Sacerdotii Judaici decus ultimum Fl. Josephus*, *item Deuterotæ prisci Massichta Erubbin c.* 4. & *c.* 5. *Et ab istis, præsertim a R. Akiba, noster Hieronymus Quæst. Algasianarum decima. Ubi pedes minute legimus pro passus aut justius πήχεις. Sic enim viderat beatus Eucherius. Tantum sane jam olim dixerat celebris ille Akiba Massichta Erubbin. c.* 5. *Quantum distant in monte olivarum vestigia ultima Servatoris, unde cœlos repetebat ab urbe Hierosolyma iter Sabbati, Act. I.* 12. *Syrus ponit ἑπτασάδιον*, & *Fl. Josephus certius ac æquius πεντασάδιον eo intervallo. Nam pedes* [illegible] *reddunt* 5. *stadia* 6. Hæc ille.

Vers. 13. *ἀνέβησαν εἰς τὸ ὑπερῷον*) De voce *ὑπερῷον* lege *Seldenum* de Synedriis Hebræorum p. 1279. *Pearsonium* in Lectionibus ad Actus Apostolic. p. 31. & *Jo. Gregorium* in Observatt. Sacris c. 3. contra *Ludov. de Dieu* disputantem, & per *ὑπερῷον* בית עליה sive oratorium intelligentem, quod Judæi, versus templum oraturi, in superiore ædium parte habere consueverint. *Pearsonius* l. c. privata illa loca *ὑπερῷα* semper sacris usibus a Judæis ait destinata, saltem ex quo Daniel Propheta ascendisse in cœnaculum ad orandum diceretur, ut & Sara filia Ragulis dicitur descendisse *ἐκ τοῦ ὑπερῴου*, ubi oraverat. Vocem ipsam nonnulli, interque eos *Basnagius* in Exercitatt.

tatt. Anti-Baronianis p. 345. ex ὑπὲρ & ὢον conflatam credunt, quod posterius Spartanorum lingua domicilium seu habitationem inferat. In eandem sententiam lege *Vitringam* de vetere Synagoga p. 150. & in Archi-Synagogo p. 200. Sed magis se mihi probant *Lamb. Bos* rationes, in Exercitatt. Philolog. ad N. T. p. 64. contendentis, postremas duas hujus vocis syllabas nihil esse nisi adjectivi nominis terminationem, ut in πατρῷος, nihilque aliud denotare, quam *superum*, & *superius*, contractam ex ὑπερῷον, ut πατρῷον ex πατρώϊον. Hinc LXX. Intt. *Ezech.* XLII. 5. οἱ περίπατοι οἱ ὑπερῷοι de ambulacris superioribus, & *Lucianus* in Asino p. 107. οἴκημα ὑπερῷον memorat. Ex quo *Luciani* loco idem conficit, si ὑπερῷον in neutro genere occurrat, semper intelligendum esse οἴκημα, id quod idem de Ellipsi Gr. L. p. 137. adstruit. Confer etiam, quæ de hac voce commentatur *Pet. Zornius* in Dissert. de Scholis publicis §. 5. & *Dougtæus* in Analectis N. T. p. 66. quem cave audias, quando ὑπερῷον ex ὑπὲρ & ὢον dici autumat, ad denotandum locum, in quo columbæ ova sua deponere soleant. Unde enim quæso, si hæc nominis ratio admittatur, jota illud, τῷ ω subscriptum, repetetur? Ex veteribus lege *Eustathium* ad Odyss. κ p. 1420. & *Iliad.* π p. 1054. ed. Rom. Priore loco ait ὑπερῷον idem esse, quod ὑπερκείμενον οἴκημα, addita hac ratione: ὦα γὰρ κατὰ γλῶσσαν τὰ οἰκήματα. Posteriore provocat ad Lacedæmonios, qui μετέωρα τῶν οἰκημάτων ὑπερῷα appellare dicantur.

ὅ τε Πέτρος) De his Apostolorum nominibus aliisque huc pertinentibus abunde diximus ad Evangelistas.

Ἰούδας Ἰακώβου) scilicet ἀδελφὸς, quam ellipsin in ep. Judæ v. 1. suppleri monet *Schœtgenius* ad Lamb. Bos de Ellipsi p. 11.

Vers. 14. σὺν γυναιξὶ) *cum mulieribus*, ut Vulg. Alii *cum uxoribus*, quas illi quidem de uxoribus Apostolorum interpretantur, quos non satis causæ habere recte arbitratur *Boisius* in Collatione ad h. l. p. 351. Has enim si tantum voluisset Lucas, scripsisset potius: σὺν ταῖς γυναιξὶν αὐτῶν. Itaque non solum Apostolorum uxores, sed & aliæ mulieres, Christum viventem consectatæ, per γυναῖκας rectissime hic comprehendentur.

καὶ Μαρίᾳ) h. e. *& speciatim Maria*, ut *Matth.* XVI. 16. εἴπατε τοῖς μαθηταῖς καὶ Πέτρῳ. Vide ibi dicta, & confer *Casauboni* Exercitatt. Anti-Baronian. p. 599.

Vers. 15. ἀναστὰς Πέτρος) Hinc προστασίαν quandam & prærogativam præ ceteris Apostolis Petro veterum quidam tribuunt, de quibus vide *Suicerum* T. II. Thesauri p. 707. sq. ubi idem ostendit, quousque illa prærogativa sit extendenda. Causam hanc integram edisseruit *Salmasius* in Apparatu ad librum de Primatu Papæ.

ἐν μέσῳ τῶν μαθητῶν) MS. *Alexandr.* & unum *Stephani*, itemque versiones nonnullæ antiquæ, inter quas *Vulgata* est, legunt ἀδελφῶν, quod

mavult *Rich. Simon* in Versione Gallica. Sed ista quidem lectio vel ex v. 16. ἄνδρες ἀδελφοὶ huc repetita est, vel nata ex interpretamento, cum convenientius forte videretur, præsentes illos, qui non omnes erant Apostoli seu μαθηταὶ, appellari ἀδελφοὺς. At enim vero nomen μαθητῶν non necesse est, ut restringatur hic ad solos Apostolos, nisi dicere velis, Petrum pro concione dicturum, a ceteris Apostolis, tanquam corona quadam, cinctum fuisse.

ἦν τε ὄχλος ὀνομάτων) Sic ὄνομα pro *persona* Apoc. III. 4. & XI. 13. & apud *Polybium* p. 1426. μαρτυρίας δὲ χάριν ὁμολογούμενα δύο ὀνόματα i. e. *testimonii loco duorum virorum exempla* adducam. Conf. *Raphelii* Notas Polybian. p. 297. *Cotelerium* ad T. I. Monument. Græc. p. 814. sq. *Fesselium* in Adversariis Sacr. lib. I. §. 18. & *Suicerum* in Thesauro Tom. II. p. 492.

ἐπὶ τὸ αὐτὸ) i. e. *simul*, ut hanc phrasin *Hesychius* exponit per ὁμοῦ, εἰς τὸν αὐτὸν τόπον, i. e. *eodem loci*. Conf. *Luc.* XVII. 35. & infra II. 1. & III. 1. LXX. Intt. Hebraicum יחדו *Deut.* XXII. 20. vertunt ἐπὶ τὸ αὐτό. Adde *Boisii* Collationem p. 352. & Cl. *Starckii* Notas Selectas p. 113. Malim equidem locum eundem hic innui, in quo congregati fuerint. Lege infra ad II. 1.

Vers. 16. Ἄνδρες ἀδελφοὶ) Vide supra ad v. 11.

διὰ στόματος Δαβὶδ) nempe Ps. XL. 10. Vide, quæ scripta sunt ad *Joh.* XIII. 18. & XVIII. 3.

ὅτι κατηριθμημένος ἦν σὺν ὑμῖν) *Ælianus* similiter Var. Hist. II. 41. dicit συγκατηριθμήσε, pro quo paulo ante προσιθέασιν, & postea τίθει μετὰ τούτων. Conf. Cl. *Jo. Alberti* Observatt. Sacr. p. 218. qui honoris & dignitatis ideam hac voce contineri suspicatur. *Erasmus* vertit: *cooptatus est*; sed id quidem improbat *Scaliger* in Actis Literariis a Schurzfleischio editis p. 27. *Neque enim cooptatur*, inquit, *qui forte ducitur*. Respicit, opinor, vocem κλῆρος proxime sequentem, sed illa non semper & simpliciter *sortem* infert, quæ nec in Juda, ad Apostolatum a Domino adscito, obtinuit.

καὶ ἔλαχε τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης) *accepit munus ministerii hujus*, ut iterum v. 25. *Neque enim* κλῆρος, quod recte hic observat Rev. *Raphelius* in Notis Polybianis p. 296. *sortem tantum significat, sed transfertur etiam ad ea, quæ cui quocunque modo obtingunt & attribuuntur*. Hinc *Polybio* lib. X. p. 837. δίδοσθαί τινι κλῆρον idem est, quod *laborem alicui injungi*. Confer dicenda ad v. 17.

Vers. 18. οὗτος μὲν οὖν ἐκτήσατο χωρίον) *Heinsius* τὸ χωρίον interpretatur per *partem terræ aut loci, quantum occupat defunctus*, ut idem sit, quod Latini dicunt *loculum*. Hoc sensu Lucas id sibi vellet, quod Judas proditione sua nihil aliud lucratus sit, quam terræ aliquantum, sive locum exiguum, pro ratione corporis ac modo. Sed recte in ista animadvertit *Steph. le Moyne* ad Varia

Varia Sacra pag. 515. *Nam χωρίον*, inquit is, non notat ſepulchrum: ſed agrum, prædium, locum, vas in genere. Deinde non legendum eſt δοκεῖον apud Heſychium, ſed δοχεῖον. Nec loculus notat ſepulchrum, ſed feretrum: nec conſtat, an in iſto agro ſanguinis proditor Judas ſepulchrum invenerit. Nam non erat peregrinus, & peregrinorum ſepulturæ tantum deſtinatus erat, & fortaſſe ſepultus erat, antequam de agro emendo cogitaſſent Sacerdotes. Quod vero dicitur Judas illum poſſediſſe, hoc intelligendum, quod fecerit poſſidere, & occaſionem dederit mercede ſua iniquitatis emendi iſtum agrum, qui peregrinis inſerviret. In ſacris literis hoc eſt frequentiſſimum, ut occaſio pro cauſa deſignetur. Sic *Geneſ.* XLII. 38. *Exod.* XXIII. 8. & 1 *Regg.* XIV. 16. Confer in eandem ſententiam B. *Glaſſium* in Philolog. Sac. lib. III. Tract. III. can. X. & *Elsnerum* pag. 358.

καὶ πρηνὴς γενόμενος) Quidam h. l. legendum putarunt πρηστὴς, vel πρησθεὶς, qua voce LXX. utuntur, *Num.* V. 27. Sed ea lectio neque ullius Codicis conſenſu probatur, & ſuſpecta merito habetur, quia πρηστὴς in Lexicis non reperitur, πρησθεὶς autem a πρηνὴς nimis recedit, & γενόμενος fere cum nominibus conſtruitur, non cum aliis participiis. Quod itaque ad ſignificationem phraſeos hujus attinet, *Jac. Perizonius* eam ita definit, ut idem ſit, quod *pronus in faciem*, in Diſſert. de Morte Judæ cap. III. p. 16. Ita enim interpretantur *Euſtachius*, *Heſychius* & *Suidas*. Ita etiam adhibent Scriptores Græci *Apollon. Rhodius* III. Argonaut. v. 1393. *Euripides* in Rheſo v. 795. & alii apud *Elsnerum* p. 359. Atque hic τὸ γενόμενος paſſive accipit, ut indicetur, Judam, laqueo rupto, ex quo ſe ſuſpenderat, juxta Matthæum XXVII. 5. pronum cecidiſſe, & crepuiſſe medium.

Eodem modo Matthæi & Lucæ de exitu Judæ narrationes conciliat *Caſaubonus* in Exercitatt. Anti-Baronianis p. 527. & ex noſtratibus poſt *Gerbardum* in Harmonia p. 1848. plerique alii, interque hos *Raphelius* in Notis Polybianis p. 106. ita totius rei geſtæ ordinem repræſentans: *Judam primo vitam finiiſſe ſuſpendio, deinde cum ad ſepulturam detrahere vellent pendentem, vel, quod ita moris eſſet, decidere paſſos fuiſſe cadaver ferro rupto laqueo, vel caſu de manibus ipſorum lapſum cecidiſſe pronum non ſine divino conſilio.* B. *Wedelius* in Exercitatt. Medico-Philolog. Cent. I. Dec. I. Exerc. I. p. 1. ſqq. hanc init conciliandi rationem. Ex Matthæo conficit, Judam ſe ipſum ſtrangulaſſe, deinde abdomen, quod medium eſt corporis, crepuiſſe, & quidem cum ſono, ruptis ſcilicet internis quibusdam partibus atque inteſtinis. Cum vero proni corporis meminerit Lucas, quod ad ſuſpenſionem non ſit accommodatum, hunc ait non ſuſpendium deſcripſiſſe, tanquam jam notum, ſed ſtatum antecedentem, nempe cruciatus animi & angorem cum dolore corporis εἰλεώδη conjunctum, quo ad laqueum ſumendum adactus ſit. Sed in his Viri docti cogitatis merito requiras exempla Auctorum, quibus conſtet, vocem πρηνὴς ad indicandum animi angorem doloremque corporis unquam adhibitam eſſe.

Novam hic nuper viam ingressus est *Jo. Alberti* in Obss. Sacris p. 220. præeunte tamen ex parte, quem ipse laudat, *Lamb. Bos.* Is scilicet πρηνὴς γενόμενος commode per *suspensus* verti posse putat, auctoritate *Vulgatæ* & alius versionis Latinæ veteris apud *Millium*, tum vero Achillis Tatii, Scriptoris Alexandrini, qui lib. III. p. 153. de navigio, in altum sublato dicit: μετεωρίζεται κὴ πάντη πρηνὲς ἦν. Ita *Erasmus* quoque & *Castalio* τὸ πρηνὴς per *suspensus* interpretantur, & quod *Tatius* de navigio ante dixit, id *Lucianus* Var. Hist. lib. I. p. 645. per ἄνω μετέωρον κὴ ἐξηρτημένην τὴν ναῦν i. e. *navem in altum elevatam & suspensam*, exprimit. Accedit, quod simili modo κρημνάω & κρήμνυμι sumatur pro *præcipitem dare*, Κρημνίζειν, ut *Eustathius* tradit; & pro *suspendere*, idem quod κρεμάω. Vide Lexic. Pindar. Porti pag. 508. & κρημνὸς, *præcipitium* sit idem quod κρεμάμενος *suspensus* sive *pendens locus*. Vid. Antonin. Liberal. fab. XIII. in fine. Sic itaque Lucæ cum Matthæo probe putat convenire, & priorem quidem per reliqua ἐλάκησε μέσος, &c. id innuere contendit, quod postquam se suspendisset, (id enim aoristum secundum γενόμενος innuere) ex alto super saxum fortasse asperum, vel in ligni truncum acutum, aut alias delapsum, atque ita medium disruptum esse, sive laqueum fractum, sive minus fixum fuisse dicamus. Addit quoque, non necesse esse, ut illud ἐλάκησε μέσος veluti consequens accipiatur illius, quod πρηνὴς ἐγένετο, sed proditori id singulari vindictæ divinæ indicio usu venisse videri. Erudite hæc, fateor, observantur. Sed sunt tamen, quæ cum ratione excipi possint. Versiones illæ vel veteres vel recentiores non tam ad vocem ipsam, quam ad rem, a Matthæo narratam, respexisse videntur, quando πρηνὴς pro *suspenso* accipiunt. Ex Tatio non confici potest, quod πρηνὲς εἶναι idem sit, quod in altum tolli, sed status tantum sive habitus rei, in altum sublatæ, significatur. Hinc antecedit μετεωρίζεται, tum sequitur, καὶ πάντη πρηνὲς ἦν. Idem apparet ex *Luciani* loco. Si præterea illustria illa loca inprimis *Josephi* Antiquitt. XVIII. 4. lib. I. de B. Jud. pag. 769. conferamus, in quibus πρηνὴς omnino is dicitur, qui *pronus* in terram cadit, non video, qui communem illam & propriam vocis notionem deserere tuto possimus.

Non prætereundus denique hic est *Jos. Arndius* in Miscellaneis sacris pag. 106. sq. Is, ubi aliorum sententias exposuisset, & nonnihil ornasset, tandem pag. 108. suam ita exhibet: ἀπάγχεσθαι est suffocari laqueo, quæ mors ἀγχονιμαῖος θάνατος Græcis dicitur, & est desperantium. Judas autem desperatissimus mortalium, unde tam cito ad morbum (*forte legendum* mortem) sibi ipsi creandum idoneus factus? Certe verba hæc de αὐτοχειρία hic esse necessario capienda, docet omnis textus. Et similiter de Ahitophele censendum. Cum videret, a Sacerdotibus nullam solatii spem affulgere, cœpit facere, quod desperabundis solenne. Cadit de trabe, ligno, arbore, clavo, sive quicquid fuit; ex violentia lapsus cum sonitu finditur alveus & intestina expelluntur.

Mihi

Mihi quidem ex iis, quos ad partes has vocavimus, illi præcipue probantur, quos primo loco vides appellatos & *Casaubono* ὁμοψήφυς.

Apollinarii ſententiam ſingularem, qui Judam non ex laqueo mortuum, ſed liberatum a fune, poſtea in hoc morbi genus, a Luca relatum, incidiſſe autumat, ex quo vitam finivit, ex Catena MS. commemoravi in Tom. III. Anecdotorum p. 93.

Lege præterea, quæ ſcripſimus ad Matth. XXVII. 5. & confer *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 407. ſq. *Andreæ Auſtenii* Diſſertat. de genere mortis Judæ, recuſam in Theſauro Philolog. Diſputatt. Tom. II. p. 410. ſqq. *Bartoloccium* in Diſſert. de Juda proditore, patria, & opificio & morte, Tom. III. Biblioth. Rabbin. p. 24. ſqq. & *Mart. Kempii* Epiphyllides Patriſticas de Judæ proditoris ingenio, vita & fine. Judas proditor, ut veritatis Evangelicæ teſtis affertur in Diario Salano 1720. Trimeſtri I. p. 133. ſqq. Chriſto mortuo & in cœlos ſubvecto Judam demum periiſſe cenſet *Grotius*; *Saldenus* vero in Otiis p. 395. verius, meo judicio, id factum vult, poſtquam Chriſtus morti eſſet addictus. Hinc enim diſerte *Matth.* XXVII. 3. τότε ἰδὼν Ἰούδας &c.

ἐλάκησε μέσος) i. e. ἐσχίσθη, vel διεῤῥάγη. Thema τοῦ ἐλάκησε eſt λακάω, & λακάω eſt διαῤῥήγνυμαι diſrumpor. Vide *Caſauboni* Exercitt. Anti-Baronian. p. 527. & ad *Perſii* Satyras p. 234. item *Boiſium* in Collat. ad h. l. p. 353. nec non *Arndium* l. c.

Verſ. 19. καὶ γνωστὸν ἐγένετο) Hic Judæ exitus in diræ exſecrationis formulam abiit, ut liquet ex marmore cœmeterii ad viam Nomentanam, quod exſtat in *Aringhii* Roma Subterranea p. 436. & *Mabillonii* Muſeo Italico p. 149. Confer *Jo. Alberti* l. c. p. 222.

Ἀκελδαμά) De nominis hujus ratione Syro-Chaldaica lege *Cheitomæum* de vocibus Græco-Barbaris, *Pfeiferum* in Locis Hebraicis & Exoticis N. T. p. 495. Opp. Philolog. & *Ruſſium* in Diſſert. de Uſu Linguæ Syriac. in N. T. p. 71.

Verſ. 20. Γέγραπται γὰρ ἐν βίβλῳ ψαλμῶν) Ita Judæi etiamnum ספר תהלים i. e. *librum Pſalmorum* memorant, ubi ejus auctoritate utuntur. Conjunguntur vero hic duo Pſalmorum loca, nempe LXIX. 26. & CIX. 8. quæ cum allegatione hic facta diligenter comparat *Surenhuſius* in libro καταλλαγῆς p. 383. ſq. eaque ad Chriſtum pertinere oſtendit.

τὴν ἐπισκοπὴν αὐτοῦ λάβοι ἕτερος) In Hebræo eſt: פקודתו יקח אחר quod οἱ LXX. eodem modo reddunt. Vox פקודה in genere qualemcunque præfecturam, reique curandæ munus ſignificat, ut *Numer.* IV. 16. ubi *Eleaſar* præfectus (ופקודת) dicitur oleo luminaris curando. Confer *Campeg. Vitringam* de vetere Synagoga p. 643. & in Archi-Synagogo p. 70. Apoſtolatus

latus vero rectiſſime vocatur ἐπισκοπὴ, ſiquidem Apoſtoli erant ἐπίσκοποι ὅλης τῆς Ἐκκλησίας, totius Eccleſiæ *inſpectores* & *curatores*. Confer in eandem ſententiam *Guſſeti* Commentarios L. Hebr. p. 694. ſq. ubi eadem opera oſtendit Pſalmum CIX. omnino inter cetera momenta, non ad Davidis, ſed ad Meſſiæ hoſtes, ſpeciatimque *Judam* referri debere. De voce ἐπισκοπὴ in hoc ſignificatu lege *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 1176.

Verſ. 21. ἐν ᾧ εἰσῆλθε καὶ ἐξῆλθε ἐφ' ἡμᾶς) *Ingredi & egredi* eſt publico munere fungi, Hebraica loquendi ratione, quæ exſtat *Deut.* XXXI. 2. & 2 *Paral.* I. 10. Conf. ſupra ad *Joh.* X. 9. & *Raphelii* Notas Polybian. p. 298. qui præterea poſt *Camerarium* obſervat, eſſe hic locutionem ſyllepticam, ut idem ſit, ac ſi dixeris: εἰσῆλθεν ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐξῆλθεν ἀφ' ἡμῶν, cujus ellipſeos exemplum ſimillimum idem affert ex *Polybio* p. 1386. ubi fit mentio τῶν στρατιωτῶν τῶν ἐξιόντων καὶ εἰσιόντων εἰς τὰς πόλεις.

Verſ. 22. ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος Ἰωάννου) *Harduinus* pag. 627. Operum Selectorum intelligit hic baptiſmum, non illum, quem Dominus a Joanne accepit, ſed quem Joannes prædicavit. Conferatur idem de ſupremo Chriſti Paſchate p. 85. Hanc in rem provocat ad Act. X. 37. ὑμεῖς οἴδατε τὸ γενόμενον ῥῆμα καθ' ὅλης τῆς Ἰουδαίας ἀρξάμενον ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας μετὰ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐκήρυξεν Ἰωάννης. Sed aliter hic ſtatuendum eſſe, ſeries narrationis Evangelicæ evincit. Joannem ante baptiſmum Chriſti prædicaſſe & adminiſtraſſe baptiſmum patet ex *Matth.* III. 1. & 13. Dominum vero non niſi poſt baptiſmum, a Johanne receptum, & ſuperatam tentationem, quæ cum eo ἀμέσως conjuncta erat, docendi munus obiiſſe apparet ex *Matth.* IV. 17. ubi diſerte dicitur: Ἀπὸ τότε ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς κηρύσσειν. Neque obſtat *Act.* X. 37. Quod ibi enim memoratur ῥῆμα (i. e. *concio* de Jeſu) illud omnino jam cœpit prædicari, poſtquam Johannes de baptiſmo ſuſcipiendo verba fecit. Ipſe enim Johannes regnum Dei appropinquare jam tum teſtabatur, & provocabat ad Dominum (Meſſiam) poſt ſe venturum, eundemque exſertis digitis commonſtrabat. Vide *Joh.* I. 26. ſq. Itaque ῥῆμα illud *Act.* X. 37. non referendum ad concionem ipſius Chriſti.

ἕνα τούτων) Reſpicit hoc antecedens τῶν συνελθόντων ἡμῖν ἀνδρῶν v. 21. cujusmodi hyperbata apud Scriptores quoque profanos obvia ſunt. Vide *Polybium* p. 1280. apud Raphelium in Notis Polybianis p. 299. Cl. *Starckius* in Notis Selectis p. 113. vocem ἕνα non ad voces τῶν συνελθόντων, ſed ad propinquiorem μάρτυρα, referendam putat, ita ut τούτων energetice hic afferatur. Sed id quidem non uſque quaque procedere videtur, cum τούτων illud omnino reſpectum habeat ad vocem ἀνδρῶν.

Verſ. 23 – 26. Ad hæc commata meditationes ſuas nuper retulit M. *Chriſtianus Cruſius* in libro ſingulari, quem inſcripſit **den wolberuffenen Prieſter**, *Hamb.* 1721. 8.

Verſ.

Verf. 23. Ἰωσὴφ τὸν καλούμενον Βαρσαβᾶν) Ἰωσῆν quidam Codices vocant. Scilicet Ἰωσὴφ, Ἰωσῆς, Ἰωσῆ promifcue dicitur, quod recte monuit *Drufius*, in Præterit. p. 67. & 79. Cognomen Βαρσαβᾶν alii Codd. efferunt per Βαρσαββᾶν, quod & apud *Eufebium* Hift. Eccl. lib. III. c. 9. occurrit, ubi confer notas *Valefii*, nec minus *Tillemontii* Memorias Tom. I. Part. II. in notis ad Vitam Petri.

καὶ Ματθίαν) Matthiæ hujus vitam præter alios *Guil. Cavius* exhibet. Conf. B. *Ittigii* Hift. Ecclefiaft. Sec. I. p. 464. fq. *Tillemontii* Memorias Hift. Eccleſ. Tom. I. p. 1186. item Acta Sanctorum ad d. 24. Februar. & *Jo. Floriani Hammerfchmidii* Differt. de Senatore Apoftolico five Matthia, *Pragæ* 1700. 4. De *Actis* ejus ab Anonymo fcriptis & *Traditionibus*, quas veteres fubinde memorant, lege Cl. *Fabricii* Codicem Apocryphum N. T. p. 782. fqq. *Jo. Millius* in Prolegomenis ad N. T. §. 53. *Traditiones* illas narrationes de dictis & factis Chrifti complexas effe cenfet, quas Chriftianus quidam ex ore *Matthiæ*, in Judæa prædicantis, haufertit, & in literas retulerit. Eadem fere conjectura eft *Jo. Ernefti Grabii*, quam tamen non fine ratione in dubium vocat *Fabricius* l. c. p. 785. cui potius ex fragmentis, quæ adhuc exftant, adhortationes feu διδαχὰς a Matthia propofitas videntur comprehendiffe. Ad Acta illa fupplementum de inventione & translatione reliquiarum Matthiæ habes in P. *Bezii* Anecdotis T. II. Part. III. p. 1. fqq. cujus legenda quoque eft Differtat. Ifagogica p. 49.

Verf. 24. Σὺ Κύριε καρδιογνῶστα) Lege huc *Suicerum* Tom. II. p. 46.

Verf. 25. λαβεῖν τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης) Vide fuperius ad v. 17. Adde de eadem phrafi commentantem *Elsnerum* p. 360. qui cum obfervaffet, κλῆρον non folum *fortem*, fed etiam *agrum* & *fundum*, ideo fcilicet, quod agri olim colonis forte dividerentur, auctore *Thucydide* lib. III. p. 207. denotare, addit, h. l. improprie transferri ad munus & provinciam Apoftolatus, qui itidem forte obtingebat v. 25. & cui non minus atque alii agro fuo excolendo toti vacare, atque hinc reditus ad vitam fuftentandam neceffarios exfpectare debebat 1 *Cor.* IX. 14. Phrafeos originem idem repetit ex V. T. ubi Levitis & Sacerdotibus nullus κλῆρος obtingebat, cum reliqui Ifraëlitæ agros quisque fuos & prædia acciperent *Num.* XXVI. 62. & *Deut.* X. 8. 9.

καὶ ἀποστολῆς) Vocem hanc *Polybius* p. 1223. & 945. generatim de miffione adhibet, quæ hic fpeciatim de munere eorum, quos Chriftus fibi ut legatos & nuncios delegerat, ufurpatur.

πορευθῆναι εἰς τόπον τὸν ἴδιον) Locum illum proprium alii ad Judam, alii ad futurum ejus in Apoftolatu fucceffcorem referunt. Inter pofteriores funt, poft *Oecumenium*, *Hammondus* ad h. l. *le Cene* in fpecimine novæ verfionis

nis p. 707. & noviſſime *Hombergius* in Parergis p. 167. Senſus itaque foret, Deum aliquem eligere, qui reciperet provinciam Apoſtolatus atque adeo ſuccederet in locum Judæ antea proprium, vel in locum novo ſucceſſori a Deo deſtinatum. Hoc fine Hombergius verba illa *ἐξ ἧς παρέβη Ἰούδας* parentheſi vult includi, ut ultima hujus commatis phraſis ad verbum *ἐξελέξω* referatur. Sed hæc interpretatio & a ſtructura ſermonis, & a re ipſa aliena eſt. Si enim *τὸ πορευθῆναι* non cum *παρέβη*, ſed cum *λαβεῖν* conjungendum, & ſic ad ſucceſſorem Judæ referendum eſſet; D. Lucas duplicem phraſin ex more Græcorum per *καὶ* copulaturus fuiſſet, hoc modo, *λαβεῖν τὸν κλῆρον καὶ πορευθῆναι.* Confer hanc in rem Cl. *Starckii* Notas Selectas p. 114. Deinde afferri debebat exemplum auctoris, qui phraſi illa *πορευθῆναι εἰς τόπον ἴδιον* de ſucceſſione in locum & munus ab altero geſtum adhibuiſſet. Denique verbum *παρέβη*, quod de Juda dicitur, exſerto quaſi digito commonſtrat, diſceſſionem illam ab Apoſtolatu impie & temere ſuſceptam *viam* ipſi ſtraviſſe ad locum & interitum infeliciſſimum. Nec minus res ipſa aliena eſt ab hac expoſitione. Agitur hic de ſucceſſore Judæ deſtinando. Id vero jam ſat explicite exprimitur per *λαβεῖν κλῆρον τῆς διακονίας*, nec opus erat phraſi altera, iſta quidem in hoc ſenſu omnino obſcuriore. Propterea merito horum partes deferuntur a *Guſſeto* in Conſiderationibus Theologicis lib. V. *Jac. Basnagio* T. I. Hiſt. Eccleſ. *Georg. Bullo* Vol. I. Concionum Anglican. Sermone II. p.41. ſeq. *Elsnero* in Obſſ. Sacr. p. 361. *Clerico* ad Hammondum & Cl. *Bernh. Raupachio* in Decade II. Obſervationum ex Patribus Apoſtolicis Obſerv. II. p. 7.

Atque illi quidem cum aliis nonnullis recte phraſin de Juda accipiunt: ſed iterum alio atque alio ſenſu. Alii enim per *τόπον ἴδιον ædes* ſeu *domum* Judæ intelligunt, in quam, Apoſtolatu abjecto, recipere ſe voluerit. Ita *Keuchenius* ad h. l. p. 167. ſq. oſtendens, Hebræis & *τοῖς* LXX. *locum* frequenter idem eſſe, quod *domum.* Quod ut negari non poteſt, ita hinc non conſequitur, Lucam eandem notionem hic amplexum eſſe, præcipue, cum nullum ejuſdem ſignificatus exemplum ex N. T. afferri poſſit. Quomodo præterea Judas Apoſtolatum ideo deſeruiſſe dici commode poteſt, ut *domum ſe reciperet?* Hiſtoria tranſitus Judæ, eumque proxime conſecuti exitii oſtendit, defectionem illam cum intimo animi angore, & longe aliis cogitationibus conjunctam fuiſſe. Cur vero viciſſim non dici poteſt abjeciſſe munus ſuum, ut ex hac vita in aliam diſcederet, mortemque ſibi conſciſceret?

Alii per *τόπον ἴδιον* intelligunt *τὸ χωρίον, ὃ ἐκτήσατο*, de quo v. 18. hoc ſenſu: *Judam non contentum fuiſſe κλήρῳ (forte) Apoſtoli, quæ ei omnium agrorum ac poſſeſſionum loco obtigerat, ſed lucri cupiditate majorumque acquirendorum gratia κλῆρον ſortem illam deſeruiſſe, at vero infelici eventu; nihil enim inde conſecutum eſſe, quam alium κλῆρον h. e. χωρίον, τόπον agrum & locum, turpiſſimo ejus ſcelere perpetuo infamem*

famem futurum. Vide in hanc fententiam *Elsnerum* p. 362. Admitti hæc poterant, fi vel ager ille in commodum feu fepulturam Judæ ceffiffet, quod factum non effe ad v. 18. oftendimus, vel idem ager a nomine Judæ, tanquam proprius ejus, fuiffet appellatus: quod non magis factum eft, cum Ἀκελδαμα vocaretur.

Non magis audiendus eft C. ille Profeffor, quem *Joh. Mich. Dilberrus* in Electis Sacris lib. I. c. 18. appellat. Is fcilicet τόπον ἴδιον opponi hic putat τῷ κοινῷ h. e. *loco communi*, (quem *Plautus* in Prologo Cafinæ de loco fepulturæ pluribus communi adhibet,) eo fenfu, ut Judas, tanquam αὐτόχειρ non in cœmeterio aliquo communi, fed a carnifice in loco ignominiofiffimo fepultus dicatur. Sed *Dilberrus* l. c. recte monet, *locum communem* ex ufu veterum non tam dici aream, qua promifcue omnes humari confueverint, quam potius *orcum*, ad quem omnes deferri credebant: ut proinde Vir doctus ferio rem non egiffe, fed lufiffe potius videatur. Interim negari non poteft, Latinis interdum *locum* de fepulchro dici. Vide *Salmafium* ad Infcriptionem Herodis p. 50. 67. & 209.

Itaque præftat, ut phrafin illam de ftatu animæ poft mortem, atque hic quidem ex circumftantiis de ftatu apud inferos infeliciffimo interpretemur, qui per εὐφημισμὸν, Sacris, Ecclefiafticis & profanis Scriptoribus receptum, τόπος ἴδιος appellatur. Loca huc ex LXX. Intt. pertinentia affert *Keuchenius* l. c. Ex Patribus huc fpectat *Ignatius* in ep. ad Magnefianos c. 5. p. 21. edit. recentiffimæ Oxonienfis, ubi confer *Pearfonii* notas, & alii a Cl. *Raupachio* l. c. allati. Ex profanis lege *Dougtæum* in Analectis N. T. p. 68. quorum locis adde *Æfchinis* illum in Dialog. III. §. 5. τῆς ψυχῆς εἰς τὸν οἰκεῖον ἱδρυνθείσης τόπον, i. e. *anima in locum meritis proprium delata.* Confer ibi notas *Jo. Clerici.* Placent verba *Dilberri* l. c. p. 108. *Dicimus itaque, vel hoc velle Evangeliftam, quod Judas (fur quippe & proditor,) hactenus locum veluti alienum occuparit, jam vero ad proprium abierit: vel, quod hactenus quidem jufto, quod Deus ftatuerat, ftadio cucurrerit, jam vero inde exceſſerit, & peculiare fibi propriumque fixerit, quod injuftum, & in perniciem abduxerit.* Confer *Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra p. 510. & *Wolfburgium* in Obfervatt. Sacr. p. 290.

Ceterum pro ἴδιον Codex *Alexandr.* legit δίκαιον i. e. *juftum*, quod merito pro interpretamento alterius habetur, deinceps in locum genuinæ lectionis temere fubftituto.

Verf. 26. ἔδωκαν κλήρους) De electione ejusmodi, per fortem fieri folita, lege, quos citat *Jo. Alb. Fabricius* in Bibliographia Antiquaria p. 460. quibus adde nuperam *Augujt. Calmeti* Differtat. fingularem, quæ in limine Commentarii ejus fuper Acta exftat, & *Pet. Zornii* Opufcul. Sac. T. I. p. 376. fqq. nec non *Guil. Beveregii* Conciones Anglican. Tom. I. Serm. II. pag. 47. fqq. Qua cautione in ifto fortiendi negotio opus fit, oftendit *Steph. Morinus* in Differtatt. VIII. *Genevæ* 1683. editis p. 188.

καὶ συγκατεψηφίσθη μετὰ τῶν ἕνδεκα Ἀποςόλων) Errant, qui vertunt: *communibus calculis vel suffragiis allectus est.* Nam suffragia hic nulla fuerunt. Optime Vulgatus: *annumeratus est cum undecim Apostolis.* Ut enim ψηφίζειν sæpe est *ἀριθμεῖν*, sic *καταψηφίζειν* est *καταριθμεῖν*, *συγκαταψηφίζειν*, *συγκαταριθμεῖν*. Supra v. 17. idem hic exprimitur per: *ὅτι κατηριθμημένος ἦν σὺν ἡμῖν*. Conf. *Lamb. Bos* Exercitatt. p. 67.

CAP. II.

VErs. 1-4. illustrantur a *Pet. Benzonio* in Exercitat. singulari, *Hafn.* 1721. Conf. *Jo. Eliæ Reinhardi* Dissertat. de Pentecoste, *Jen.* 1693. Adde *Beveregii* Conciones Anglican. T. VI. Serm. XIII. p. 358. & *Tillotsoni* Tom. III. Serm. CXLIII. p. 277.

Vers. 1. *καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς Πεντηκοςῆς*) Sensus non est, diem Pentecostes præterlapsum fuisse, sed *eum venisse, & præsentem fuisse.* Nihilominus tamen ad præteritum tempus simul respicitur, ut ad compositum quoddam ex variis temporis articulis sive partibus, cujus compositi ultima quasi pars sit illud tempus, quo aliquid est factum. Hæc recte monet *Vorstius* Part. I. Philolog. Sacr. p. 146. & ex Hebraismo fusius explicat.

τὴν ἡμέραν τῆς Πεντηκοςῆς) *Scaliger* in Canonibus Isagogicis lib. III. p. 217. & in *Scaligeranis* pag. 304. pro *ἡμέραν* legere mavult in plurium numero *ἡμέρας*, & vertere: *finientibus diebus Pentecostes.* Sed recte hic judicat *Jo. Wandalinus* in Diatribe Histor. Theolog. contra Wilhelm. Langium c. VI. p. 323. Syntagmatis Dissertationum Græviani: *Utrum hic ἡμέρας in plurali cum* Syro *&* Arabe *legas, an ἡμέραν in singulari cum* Chrysostomo, *& plurimis Codd. quos* *Lutherus, Beza, Diodati, & alii sequuntur, nihil prorsus refert. Si ἡμέρας legas, intelligi poterit tota illa periodus quinquaginta dierum, cujus clausula seu ultima dies tum advenerat. Inepta autem est Scaligeri ratio, propter quam alteram lectionem (ἡμέραν) rejicit, nempe,* quod si *ἡμέρα τῆς πεντηκοςῆς* pro solenni sexta Sivan sumi debeat, non possit dici *συμπληρωθῆναι*, nisi postquam præteriit. *Nam quod ille etiam dies dicatur stylo scripturæ συμπληροῦσθαι, qui non præteriit, sed vel advenit, vel instat saltem, supra cap. III. luculenter ostendimus.* Ita ille. Itaque tenenda est vulgata lectio, omnibus Codd. ipso fatente Scaligero, probata, quamvis *Millius* pro altera illa (*ἡμέρας*) Valesianas lectiones afferat. Patres, quos omnes in plurium numero legisse affirmat *Scaliger*, ad sensum magis, quam vocem respexisse existimandi sunt, præterea vero ex eorum numero eximendus venit *Chrysostomus*, & forte alii. Sed hæc quidem tanti forte non sunt. Plus autem valet, quod hic ab eruditis disputatum video, in quem nempe dies ultimus ille Pentecostes inciderit, utrum in Sabbatum Judæorum, an in feriam hebdomadis primam, seu diem nostrum Dominicum.

nicum. Scilicet *Ludov. Cappellus* contra *Cloppenburgium* contendit in Ἐπικρίσει n. 22. & 23. Festum Pentecostes Judaicæ in Sabbatum incidisse, missionem vero Spiritus S. altero post die, qui primus sit hebdomadis, contigisse. Sed id quidem repugnat phrasi *Lucæ*, ἐν τῷ συμπληροῦσθαι, quod *Cappellus* præter rem per μετὰ τὸ συμπληροῦσθαι interpretatur. Et inde non videtur verisimile, tam frequentem concionem, qualis a Luca memoratur, post Pentecostes Judaicæ ἐξόδιον confluxisse. Lege plura apud *Wandalinum* l. c. p. 324. sq. & *Altingium* Tom. V. Operum p. 87. ubi de Sabbato disputat, itemque *Marckium* in Exercitatt. Scripturariis num. XVII. In eandem sententiam *Henr. Morus* p. 169. Opp. Theol. recte monet, commode mirum istum Spiritus S. descensum factum esse, eo tempore, quo magnus populi concursus erat in Festum. Quæ alia divinæ providentiæ singularis indicia in tota illa narratione de effusione Spiritus S. occurrant, ea summatim profert & urget *Allixius* in Considerationibus super libris N. T. p. 381. ed. German.

τῆς πεντηκοστῆς) sc. ἡμέρας. Quinquagesimus enim dies a Paschatos secunda die festus habebatur. Ellipsis vero illius vocis frequentissima est, quod patet ex *Lamb. Bos* de Ellipsi p. 77. Conf. *Suiceri* Thesaurum Tom. II. p. 667. Nuper quidem *Cornel. Adami* in Exercitationibus Exegeticis Exerc. III. vocem ἑορτὴ hic subintelligere maluit, ideo, quod proxime antecedat ἡμέρα, eamque repetere durum videatur. Sed magis durum & rei ipsi adversum foret, ἑορτὴν πεντηκοστὴν id festum appellare, quod quinquagesimo die celebratur. In altera vero ellipsi si quid insolens est, id usus vocis receptus, ut alias fit, abolevisse merito existimatur. De ipso Festo Judæorum Pentecostali, ejusque nominibus variis, & computandi ratione lege, quos affert Cl. *Fabricius* in Bibliographia Antiquar. p. 313. Adde Cl. *Jo. Meyerum* in Diatribe de Festis Hebræorum c. IX. p. 260. *Melch. Leydeckerum* de Republ. Hebræorum lib. IX. c. 5. p. 553. sqq. *Dan. Gerdesium* de Tempore messis Hebr. *Ultraj.* 1720. 4. & ex nostratibus Cl. *Jo. Andr. Danzium* in Dissert. de Festo Septimanarum Judaico abrogato, surrogato in ejus locum Festo Pentecostes, *Jenæ* 1723. De Festo Pentecostes Christiano inspice laudatos a *Fabricio* l. c. p. 337.

ἦσαν ἅπαντες ὁμοθυμαδὸν ἐπὶ τὸ αὐτό) Alii disjunctim ἐπὶ τὸ αὐτό. Significat autem plerumque *in eundem locum*, vel *eodem loci*, & ita apud *Polybium* quidem ubique: ut pag. 115. 323. 569. &c. & sic sæpius in N.T. ut *Matth.* XXII. 34. *Luc.* XVII. 35. *Act.* I. 15. &c. quod observat Rev. *Raphelius* in Notis Polybian. pag. 301. Atque hæc significatio optime se heic tuetur, quamvis alii hic de *eodem fine & scopo* cogitare malint, quasi non solum uno in loco fuerint, sed animos quoque ad eandem rem intentos habuerint. At hoc ipsum jam latet in voce ὁμοθυμαδὸν, neque debebat iterum indicari. *Alciphron* in epp. p. 442. dicit εἰς ταυτὸν συνελθόντες. Subintellige hic τόπον, sicut in nostra ἐπὶ τὸ αὐτὸ supplendum χωρίον. Conf. *Lamb. Bos* de Ellipsi p. 243.

 Quis

Quis ille fuerit locus, in quo congregati erant credentes, disputatur, quam in rem diversorum sententias lege apud *Marckium* in Exercitatt. Scripturariis n. XVII. Privatam fuisse domum, atque illud ejus ὑπερῷον, ubi supra c. I. 13. Apostoli commorati fuisse dicuntur, existimat *Jos. Mede* in Operibus p. 322. & *Pearsonius* in Lectionibus ad Acta pag. 30. ubi scilicet *Cyrillus Hierosolymit.* suo tempore tradat exstitisse τὴν ἀνωτέραν τῶν Ἀποστόλων ἐκκλησίαν Catech. XVI. quamque ab Apostolis, eo quod ibi Spiritum S. acceperint, fundatam narret *Beda* de Locis Sanctis. Eandem sententiam præ ceteris ornat *Marckius* l. c. p. 580. variis allatis rationibus. Primum enim historia Sacra prorsus tacet de Templo in historia tum Paschatis ultimi, tum mansionis Apostolicæ post reditum in urbem, & effusionis quoque Spiritus S. Deinde in templo, cœnaculis alioquin & ædiculis non destituto, tale tamen, quod hominibus 120. capiendis aptum fuerit, præsto fuisse non veri fit simile. Porro metus Apostolorum vix permisisse videtur, ut Templum ipsum, ejusque cœnaculum quoddam in locum conventus elegerint; quemadmodum nec præfecti Templi seu Sacerdotes passuri fuissent, tale quid ab hominibus, sibi vehementer exosis, tentari. Quæ pro contraria sententia allata sunt a *Lud. de Dieu*, *Cloppenburgio* & aliis, argumenta, ea sub examen vocavit idem *Marckius* p. 585. in cujus sententia & nos acquiescimus. Adde, quæ infra scribentur ad II. 46.

ἦσαν ἅπαντες) Apostolos hic inprimis indicari manifestum est vel ex v. 26. cap. I. ubi τῶν ἕνδεκα Ἀποστόλων, & *Matthia* in eorum ordinem cooptati mentio fit. Hinc & in nonnullis Codd. Ἀπόστολοι diserte memorantur. Neque tamen putem alios illos, qui inter 120. computantur I. 15. & quibus præsentibus electio Matthiæ, prævio sermone Petri, facta erat, excludi debere. Lege pro hac sententia *Lightfootum* in Horis Hebraic. ad h. l. & *Marckium* l. c. p. 563.

Vers. 2. *καὶ ἐγένετο ἄφνω ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἦχος*) Ad *Bath Kol*, oraculi quoddam genus, de quo alibi diximus, referri hunc sonum voluit *Heinsius*, contra quem recte disputat *Hanerus* in Dissertat. de *Bath Kol* Tom. II. Thesauri Philolog. Disputatt. pag. 959. Certe graviorem aëris commotionem hic tantum inferri ex sequente phrasi, φερομένης πνοῆς βιαίας, manifestum fit. Taceo, *Bath Kol* vocem quandam articulatam secum ferre consuevisse, qualis si tum audita fuisset, credibile est, Sacrum Scriptorem vocis illius sententiam hic relaturum fuisse, ut *Matth.* III. 17.

ὥσπερ φερομένης πνοῆς βιαίας) Πνοὴν & πνεῦμα de *vento* synonyma esse, patet ex *Arriano* de Expedit. Alexand. VII. 22. 4. ubi meminit primo πνεύματος βιαίου, deinde vero τῆς πνοῆς. Idem vero II. 6. 3. πνεῦμα βίαιον commemorat. Ad integram Lucæ phrasin proxime accedit Pythagoræ illud Symbolum, quo ἀνέμων πνεόντων τὸν ἦχον dixit, sicut *Virgilius* Æneid. I. 57. ubi de Æolo *tempestates sonoras* & v. 86. & 89. *ventos ruentes* appellat: ut proinde

inde cum *Sanctio* ad h. l. non cogitandum sit de tonitru. Conf. Cl. *Elsnerum* pag. 363. qui ibidem observat, apud Sacros & profanos Scriptores ventum præsentiæ divinæ Symbolum esse. Vide *Psalm.* XVIII. 11. ubi Deus dicitur volare על כנפי רוח ἐπὶ πτερύγων ἀνέμων. Conf. *Joseph.* Antt. III. 4. pag. 77. & *Jamblichum* de Mysteriis Sect. III. pag. 60. Ventum illum vehementem *pro Symbolo vis illius externæ, quam Deus mundo illaturus erit, introducendo in eum Filii sui notitiam*, haberi vult *Henr. Morus* in Opp. Theologg. p. 169. Hujus ait cognitionem, per miracula inprimis Apostolorum prolatam, totum mundum ita replevisse, sicut ventus totam domum. Flatus ipse indicat præterea futurum Spiritus S. in Apostolos illapsum, recte monente ad h. l. *Keuchenio.* Conf. 2 Pet. I. 21.

καὶ ἐπλήρωσεν ὅλον τὸν οἶκον) Ita olim Templum implebatur Deo præsente *Jes.* VI. 1. *fumo* i. e. nube, qualis aderat in Dedicatione templi 1 Regg. VIII. 10. & Tabernaculi *Exod.* XL. 34. Vide *Elsnerum* p. 364. qui simul hoc modo putat declaratum esse, quod Deus impiæ gentis templum reliquerit, & inposterum singulari ratione nullibi futurus sit, nisi ubi Apostoli, eorumque testimonio credentes *Matth.* XVIII. 20. & *Joh.* XIV. 23. essent futuri. Ceterum illud *ἐπλήρωσε* hic omnino referendum est ad *ἦχον* seu sonum, qui non minus quam ipsa *πνοὴ* seu ventus domum illam implevit, quod recte contra non neminem, qui ad *πνοὴν* omne hoc referendum esse contendit, observat *Hombergius* p. 176.

Vers. 3. *Καὶ ὤφθησαν αὐτοῖς διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρὸς*) Variorum de his linguis sententias vide expositas a *Jo. Mich. Dilherro* in Dispp. Academ. Tom. II. pag. 119. sqq. Auctore Programmatis, quod exstat in Sylloge *Terniana* pag. 590. *Godofr. Wegnero* in Dissertatt. Sacris pag. 129. sqq. *Thilone* in Diss. singulari de Linguis ignitis, quæ exstat Tom. II. Thesauri Philolog. Disputatt. pag. 427. *Marckio* in Exercit. Exeget. XXXVI. pag. 619. sqq. *Thoma Crenio* Part. IX. Animadversionum cap. II. §. 9. pag. 152. sqq. & *Rohrio* in Pictore Errante ibidem pag. 870. Postremus hic cum recte rejecisset linguas, quas super capitibus Apostolorum conspiciendas dare solent pictores, *Carpzovii* sententiam amplectitur, in Diss. de Mose cornuto statuentis, *γλώσσας* illas fuisse flammulas quasdam scintillantes. Similiter accepit *Vitringa* de Archisynagogo pag. 199. sq. & de vetere Synagoga pag. 146. inde vero Rev. *Pfaffius* in Originibus Juris Ecclesiast. pag. 93. Hi scilicet *flammas ignis* putant per totum cœnaculum dispersas, & ab ipsis Apostolis visas, inque eam rem afferunt simile quid, quod in *Schalscheleth Hakkabbala* p. 27. *Juchasin* p. 23. & alibi affertur a Judæis, referentibus, R. *Jochananem*, filium *Saccai*, *& ejus discipulos, omnesque sapientes adscendisse* **aulam superiorem**, (עליה) *ibique tamdiu de rebus, ad Legem divinam attinentibus, inter se contulisse, donec* **ignis totam domum ambiverit**, *plane eum in modum, ut data fuit lex de monte Sinai.*

Quam quidem hiſtoriam ita conceptam eſſe affirmat *Vitringa*, ac ſi Judæi Scriptores vel levem retinuiſſent memoriam, vel invidia correpti eſſent miraculi, quod Lucas hic refert Apoſtolis eveniſſe ἐν τῷ ὑπερῴῳ congregatis. De igne, cum prima legis latione conjuncto, vide *Hebr.* XII. 18. & *Deuter.* XXXIII. 1.

Alii non ſolum *flammas ignis*, ſed integras linguas, ſive *igneas figuras integrarum linguarum*, numero duodecim viſas fuiſſe putant, quæ primum junctæ ſe diſpertiverint Apoſtolis, ita ut ſuper ſingulos eorum reſederint ſingulæ linguæ. Ita ſtatuit *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 67. Quam in rem duo idem obſervat, primum, quod paſſivum διαμερίζεσθαι reciproce hic ſumatur pro διαμερίζειν ἑαυτὰς, deinde, quod pronomen αὐτοῖς ad utrumque referatur, nempe ad verbum ὤφθησαν, & ad participium διαμεριζόμεναι, cujusmodi aliquid occurrit apud *Ælianum* Var. Hiſt. III. 11. ut idem ſit, ac ſi diceretur: ὤφθησαν αὐτοῖς γλῶσσαι, διαμερίζουσαι ἑαυτὰς αὐτοῖς.

Alii *linguas* illas viſas metaphorice accipiunt, eo ſenſu, quod apertum os Apoſtolorum ignem retulerit, ſpiraritque. Ita *Barcochab* apud Hieronymum Apolog. II. adverſus Rufinum divinum miraculum ſceleſta fraude imitatus legitur, quippe qui *ſtipulam in ore ſuccenſam anhelitu ventilabat, ut flammas evomere videretur.* Similem impoſturam Syri Euni refert *Florus* lib. III. c. 19. Conf. Cl. *Fabricii* notas ad Codicem Apocryph. N. T. pag. 641. & *Hammondum* ad *Matth.* III. 16.

Nobis quidem eorum placet ſententia, qui *flammulas* hic indicari putant, per cœnaculum diſperſas, & *linguarum* ſpeciem repræſentantes, quæ tum ab Apoſtolis tum a ſpectatoribus præſentibus (aderant enim præter Apoſtolos alii ex credentium numero) conſpectæ ſint. Confer B. *Calovium* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. Etenim phraſis ὤφθησαν αὐτοῖς hic non reddenda eſt: *viſæ ſunt ſuper eos*, aut, *viſæ ſunt in illis*, ſed, *viſæ ſunt ab illis*. Id enim tum conſtructio vult, tum locorum omnium N. T. conſenſus, ubi verbum ὄπτομαι tertio caſui junctum, exponi ſemper debet per Latinorum ablativum, addita præpoſitione *a*, vel *ab*. Id quod recte obſervat Cl. *Majus* in Obſſ. Sacr. lib. IV. p. 70. Similiter *Boiſius* in Collatione pag. 351. reddit: *apparuerunt eis*, Græce: ἐπεφάνησαν, vel ἐφάνησαν. Ceterum de Linguis his confer quoque *Urſini* Analecta lib. I. p. 408. *Henr. Morus* p. 169. Opp. Theolog. per *igneam* hanc linguarum *ſpeciem* vim Spiritus S. explorantem, penetrantem, colliquefacientem & purificantem, per *diſpertitionem* vero earum ſermonis vivi affectum, quem διαιρῦντα λόγον appellare poſſumus ex *Hebr.* IV. 12. indicari arbitratur.

ἐκάθισέ τε ἐφ' ἕνα ἕκαςον αὐτῶν) *conſedit ſuper eos*, ſcilicet Spiritus S. cujus mentio fit v. 4. καὶ ἐπλήσθησαν ἅπαντες πνεύματος ἁγίου. Pervulgatum enim eſt, quod ellipſis vocis ſubinde ex membro proxime ſequente ſuppleri debeat. Vide *Luc.* XXII. 36. & *Epheſ.* II. 1. Conf. *Glaſſii* Grammat. Sacram lib.

lib. IV. Tract. II. Obs. XII. & *Gatackerum* in Cinno lib. II. c. 1. Adde ad h. l. *Hackspanii* Miscellanea p. 157. De hoc non cogitarunt librarius, Codic. *Cantabr.* & *Syrus*; *Arabs* & *Coptus*, itemque Patres nonnulli, qui ita verbum ἐκάθισε interpretati sunt, ac si legissent ἐκάθισαν. Inter Patres illos falso a *Millio* numerari *Athanasium* & *Cyrillum*, ostendit *Whitbius* in Examine p. 51. Itaque nec audiendus est *Boisius* in Collatione p. 353. qui τὸ ἐκάθισε per ἐκάθισαν interpretatur cum *Erasmo*. Vulgatus ipse recte habet: *sedit*. Ceterum *Jamblichus* de Mysteriis Sect. III. c. 6. ignem prævium indicium facit enthusiasmi sacri, dicens: ὁρᾶται δὲ τῷ δεχομένῳ (sc. πνεῦμα) τὸ τοῦ πυρὸς εἶδος πρὸ τοῦ δέχεσθαι, *qui autem Numen concipit, ante susceptionem videt quandam ignis speciem:* quod ad h. l. monuit *Majus* l. c. p. 71. Ceterum & alias a Scriptoribus externis flammæ mirandorum eventuum indices memorantur. Vide *Picinelli* Lum. Refl. p. 673.

Vers. 4-8. illustratos vide a Cl. *Jo. Henr. Lederlino* in Dissert. singulari de Dono Linguarum in Festo Pentecostes, *Argentor.* 1714. 4. cujus summam habes in Memoriis Trevultinis an. 1716. Part. I. p. 799. sq. & in *Fama erudita* Part. IV. p. 30. Adde *Jo. Cocceji* Orationem de eodem argumento, quæ exstat in ejus Opp. Posthumis Tom. II. p. 531. sqq.

ἤρξαντο λαλεῖν) B. *Glassius* cum aliis nonnullis verbum hoc inchoativum complетive accipit, quasi dicatur simpliciter: *locuti sunt*. Vid. Philolog. Sacr. lib. III. Tract. III. Can. 3. Nec negari potest, eam hujus verbi notionem alibi occurrere, v. c. *Matth.* XI. 7. ubi vide, quæ scripsimus. Sed hic tamen genuinum & proprium verbi significatum deserendum non puto, quia eo innuitur, tunc demum Apostolos novis & antea ipsis incognitis linguis uti potuisse & uti incepisse. Quæritur vero hic, utrum solis Apostolis, an reliquis quoque in Christum credentibus linguarum donum concessum fuerit. Prius affirmavit nuper *Jo. Casp. Santoroccius*, Prof. Marpurg. in Cogitatis de stupendo linguarum miraculo ad h. l. *Marpurg.* 1718. 8. Exempla varia hominum πολυγλώττων ex Historia Ecclesiastica & profana huc affert *Picinellus* in Luminibus Refl. p. 673.

ἑτέραις γλώσσαις) i. e. καιναῖς, *novis*, ut *Marcus* XVI. 17. exprimit. Aliæ enim erant linguæ, quam qua hactenus usi erant.

καθὼς τὸ Πνεῦμα ἐδίδου) Vocem καθὼς minus Græcam, adeoque cum καθὰ vel καθὸ permutandam judicant *Phrynichus* in Eclogis Atticis pag. 80. & *Thomas Magister* in Eclogis suo loco, temere uterque: cum eam particulam, præter *Aristotelem* libro de Mundo alii quoque Scriptores adhibuerint. Verti h. l. poterat per *postquam*, quem significatum obtinet *Act.* VII. 17. Sed præstat interpretari *prout*, eo sensu, quod non singuli Apostoli omnibus & singulis linguis, sed alii aliis locuti sint, prout Spiritus S. facultatem cuique erat largitus.

ἀπο-

ἀποφθέγγεσθαι) Verbum hoc proprie *sententiose* & *praclare* dicta infert, ut patet ex *Laertii* Proœmio §. 6. p. 5. & ex derivato *ἀπόφθεγμα*. Hinc apparet, quam commode & sapienter idem verbum de Prophetarum oraculis & sermonibus adhibeatur, v. c. 1 *Paral.* XXV. 1. & alias, quemadmodum idem a *τοῖς* LXX. pro Hebræo הביע i. e. *scatarivit, effudit*, usurpatur Ps. CXIX. 171. Plenitudo scilicet & abundantia innuitur, qua, quippe Spiritu divino pleni, carere non poterant. Itaque h. l. rectius in Apostolos *πνευματοφόρους* confertur hæc phrasis, conjuncta cum *ἐπλήσθησαν ἁγίου Πνεύματος*, quam quidem in vates Ethnicos, quos *Deo* aut *divino Spiritu impletos* loqui dicunt *Justinus* XXIV. 6. & *Florus* XLIII. 1. Conf. *Elsnerum* ad h. l. p. 365.

Vers. 5. *Ἦσαν δὲ ἐν Ἱερουσαλὴμ κατοικοῦντες*) De Hierosolyma, a Judæis exteris copiose habitata, lege *Pearsonii* Lectiones in Acta p. 32.

ἄνδρες εὐλαβεῖς) *viri pii* & *sancti*, de qua voce vide, quæ scripsimus ad *Luc.* II. 25. Adde *Jo. Christian. Biel* in Biblioth. Bremens. Class. III. p. 682. ubi totum hoc comma illustratur.

ἀπὸ παντὸς ἔθνους τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν) i. e. *ex omni gente terrarum, quæ sub cælo sunt.* Scilicet in phrasi: *τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν* subintelligi debet *χωρῶν* i. e. *regionum*, quemadmodum in singulari *ἐκ τῆς ὑπ' οὐρανὸν Luc.* XVII. 24. ubi vide quæ scripsimus. Conf. *Bielium* l. c. p. 663. Ceterum per gentes illas terrarum, ex quibus Judæi hic adfuisse dicuntur, non omnes & singulas orbis habitabilis innui manifestum est, cum id sibi potius velit S. Lucas, quod ex tribus orbis habitati partibus, *Asia, Africa,* & *Europa,* quidam Judæi Hierosolymis commorati sint. In omnes vero has partes ea quoque ætate Judæos dispersos fuisse, testatur *Philo* de Legatione ad Cajum p. 725. idemque in Flacco p. 667. & alii. Conf. *Grotium* de Verit. Relig. Christ. lib. III. §. 16. *Braunium* in Selectis Sacris lib. I. c. 1. *Jos. Medum* p. 74. Opp. Theolog. *Bielium* l. c. & B. *Schudtii* librum eximium, quem *Memorabilia Judaica* inscripsit.

Cur Judæorum tanta tunc frequentia Hierosolymis fuerit, disputant Interpretes. *Pearsonius* in Lection. ad h. l. pag. 32. duas affert caussas, nempe festum Pentecostes, & imminentem Messiæ, tunc a multis exspectati, adventum. *Lightfootus* in Horis ad h. l. posteriorem tantum caussam hic admittit, cum ceteri, qui Festi caussa ab exteris advenerint, non ibi permansisse, sed, Festo peracto, ad suos remigrasse censendi sint. Sed *Lightfooto* se nuper data opera opposuit laudatus *Bielius* l. c. p. 670. sq. qui vicissim caussam Judæorum exterorum, Hierosolymis commorantium, in quæsita Festi Pentecostes celebratione tantum collocat. Mihi quidem per Judæos, ibi *κατοικοῦντας*, in universum indicari videntur illi, qui, veteri sede relicta, tum temporis Hierosolymis habitabant,

bant, & inposterum quoque habitare constituerant. Hæc enim propria verbi κατοικεῖν notio est, quemadmodum de commoratione ad tempus facta παροικεῖν & παρεπιδημεῖν (vide Luc. XXIV. 18. 1 Pet. I. 1. & II. 11.) proprie adhibentur. Quamvis enim negari non possit, τὸ גור Hebræorum nunc per κατοικεῖν nunc per παροικεῖν converti, quod recte monuit *Grotius*, & *Jos. Mede* p. 74. Opp. nativum tamen significatum vocis nunquam puto deserendum, ubi prægnans causa, qualem hic adhuc desidero, dari non potest. Quod enim idem *Grotius* ad h. l. affert, credibile esse, eos, qui Hierosolymis habitarint, & linguam Hierosolymitanam cognitam habuisse, id, si admittamus, nihil aliud efficit, quam illos intellecturos fuisse Apostolos, lingua Hierosolymitana loquentes: non autem, quod patriarum linguarum, quibus olim adsueverant, oblivione correpti de illis non amplius judicare potuerint. Idem scilicet Judæis tunc usu receptum fuisse videtur, quod adhuc a nonnullis eorum fieri consuevit, ut nempe, singulari religione ducti, ab exteris regionibus terram Canaan, speciatimque Hierosolymam adeant, vitæ finem ibi exspectaturi. Hujus consilii rationes tunc temporis vel maxime inire poterant, quod hoc modo facultatem haberent, sacrificia perpetuo Deo offerendi, quod alibi non licebat, Festa solemniora celebrandi, & coram videndi, quid de populo Judaico, Messiam exspectante, ageretur. Atque ita animatos fuisse plerosque eorum, qui hic ex terris exteris in urbe habitare dicuntur, mihi persuasum est, quamvis inficiari nolim, nonnullos eorum recens, & quidem Festi causa, eo advenisse, fortasse ad suos postea remigraturos. Accedit in nostræ sententiæ præsidium, quod Lucas ipse τὺς κατοικῦντας vers. 5. ab ἐπιδημῦσι Ῥωμαίοις v. 10. diserte distinguat, per priores scilicet illos indicans, qui in exteris regionibus alias habitantes, v. 9. jam rerum suarum sedem Hierosolymis perpetuam fixerint; per posteriores vero istos, qui ibidem tantum ad tempus commorati sint. Afferam *Salmasii* consentientis verba, quæ in Commentario ejus de Lingua Hellenistica p. 200. ita leguntur: *Generatim primo* Ἰȣδαίȣς *appellavit, qui ex diversis partibus orbis, quæ in subjectis recensentur, urbis sanctæ incolatum elegerunt. Inter eas orbis regiones etiam* Ἰȣδαίαν *numeravit, ut doceret, non solum ex propinquis locis, ut erat Judæa, sed etiam ex longinquis, & toto orbe dissitis, ortos Judæos Hierosolyma incoluisse. Postea etiam illos Judæos recensuit, qui non* κατοικῦντες *Hierosolyma erant, sed* ἐπιδημῦντες, *advenæ, non incolæ. Hi propter festum, vel alterius negotii causa Hierusalem venerant, tantisper in urbe mansuri, donec id, cujus rei gratia advenerant, peregissent. -- Qui superius memorati sunt, Judæi fuere ex variis totius orbis provinciis* ἐν Ἱερȣσαλὴμ κατοικȣ̃ντες, *hi sunt* ἐπιδημȣ̃ντες, *non inquilini Hierosolymorum Judæi, sed advenæ ad breve tempus in urbe Judæi, Romani & proselyti, qui propter festi solennitatem venerant.* Hæc ille. Conf. dicenda ad v. 10.

Ceterum per illos inquilinos seu hospites ex exteris hic non *Gentiles*, quos nonnulli putant, sed *Judæos* religione intelligendos esse, patet

Ooo ooo inpri-

inprimis ex v. 10. ubi diserte vocantur Ἰουδαῖοί τε καὶ προσήλυτοι, h. e. tum *Judæi* ortu, tum *proselyti*, seu a gentilium superstitione ad Judæorum sacra conversi. Hinc Petrus v. 14. eos, ut Judæos alloquitur, totumque, qui sequitur, sermonem ita statuit, ut cum Judæis ipsi rem fuisse facile intelligas. Confer *Jos. Mede* l. c. Judæos hos si non maximam, certe aliquam saltem partem, ex reliquiis X. tribuum, per orbem dispersarum, fuisse, qui fortasse una cum Judæis stricte sic dictis, & inter eos habitantibus, Hierosolymam venerint, ex eo verisimile fit *Witsio* in Dissertat. de X. Tribubus p. 368. Ægyptiacorum, quod in Media vicinisque regionibus dispersorum Israelitarum sedes fuerit.

Vers. 6. *γενομένης δὲ τῆς φωνῆς ταύτης*) Sunt, qui cum *Beza* & *Grotio* φωνὴν hic de *fama* seu *rumore*, rem gestam declarante, accipiunt. Sed his occurrit *Lud. de Dieu* ad h. l. confidenter negans, קול Hebræorum aut φωνὴν Hellenistarum pro *rumore* unquam accipi, cum potius semper vel *vocem*, vel *sonitum*, vel *tonitru* significet. Sed aliter ut statuamus, *Gen.* XLV. 16. efficit, ubi Hebræa phrasis והקול נשמע a τοῖς LXX. redditur; καὶ διεβοήθη ἡ φωνὴ h. e. *fama divulgatum est.* Adde *Jerem.* IV. 15. & L. 46. & confer *Gatackerum* de Stylo N. T. c. XIV. p. 144. Interim tamen voci φωνὴ merito cum B. *Luthero* & *Vulgato* iste significatus hic relinquitur, ut *vocem* seu *sonum* inferat per aëris commotionem editum. Id jubet pronomen ταύτης, quod hic additum vides voci φωνῆς, certissimo argumento, de ea voce hic sermonem esse, quæ v. 2. ἦχος dicebatur. Sic *Syrus* utramque vocem, ἦχος & φωνὴ per קלא i. e. *sonitum*, expressit. Accedit, per *rumorem* seu *nuncium*, de mirabili illa cœtus Apostolici inspiratione pervulgatum, integram urbem adeo commoveri non potuisse, ut tam cito confluerent homines ad rem ipsam spectandam. Vicissim vero id facile efficere poterat ventus vehementior per omnes urbis partes, instar præconis cujusdam, diffusus. Unde & concursus hominum efficaciter exprimitur duplici phrasi: *συνῆλθε τὸ πλῆθος, καὶ συνεχύθη.*

ὅτι ἤκουον εἷς ἕκαστος τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ λαλούντων αὐτῶν) Miraculum hoc non in Apostolis, diversas linguas adhibentibus, sed in auditoribus, Syriacam, qua illi usi sint, intelligentibus, quærendum putant nonnulli, ex veteribus quidem *Cyprianus* in Sermone de Spiritu S. p. 475. sq. ex recentioribus vero *Erasmus* ad h. l. *Probabilius*, inquiens, *est*, *Apostolos sua lingua fuisse locutos*, & *miraculo factum*, *ut nemo non intelligeret*, *perinde ac si suam quisque linguam audiisset.* Alii vero ad Apostolos, tanquam diversas linguas expedite pronunciantes, miraculum hoc referunt. Inter hos ex veteribus est *Greg. Nazianzenus* in Oratione Pentecostali p. 266. subtiliori tamen, in quam *Heinsius* lib. V. c. 2. Exercitt. Sacrar. animadvertit, ratione, ab interpunctione petita, usus. Easdem partes tuentur *Seb. Castalio*, *Suicerus* Tom. II. p. 766. & ex nostratibus *Erasmus Schmidius* ad h. l. *Thom. Ittigius* in Hist. Eccl. Sec. I. p. 434. sq. *Lederlinus* in Disput. citata p. 18. & nuper-

nuperrime *Jo. Casp. Santoroccius* in Cogitatis de ſtupendo linguarum miraculo Sect. I. & II. ubi & in annexis contra *Salmaſium* commonſtrat, miraculum hoc non fuiſſe momentaneum, aut ſtatim ceſſaſſe. Ex Pontificiis autem auctores *Memoriarum Trevoltinarum* an. 1716. Tom. I. p. 801. ſqq. Atque hi omnino prioribus iſtis præferendi ſunt. Variorum enim linguarum donum promiſſum erat a Chriſto Apoſtolis *Marc.* XVI. 17. tanquam tale, quo inprimis ad præconium Evangelii faciendum opus erat. Iidem a Luca dicuntur ἄρξασθαι λαλεῖν γλώσσαις ἑτέραις. Itaque auditores non ἤρξαντο ἀκούειν ἑτέραις γλώσσαις. Audientes ad Apoſtolos ipſos rem referunt v. 11. ἀκούομεν λαλούντων αὐτῶν ταῖς ἡμετέραις γλώσσαις, quod non poteſt aliter converti, quam, *audimus ipſos linguis noſtris utentes*. Ubi, ſi lingua Hieroſolymitana uſi eſſent Apoſtoli, dicturi potius fuiſſent: συνίεμεν αὐτοὺς quemadmodum ἀκούειν & συνιέναι ſibi invicem contradiſtinguuntur *Matth.* XIII. 14. 15. Alii illis, tanquam diverſis linguis utentibus, illudunt v. 13. Nihili eſt, quod adverſus hanc ſententiam objecit *Eraſmus*, nempe, *eundem hominem eodem tempore diverſis linguis uti*, *implicare contradictionem*. Nihil enim hic eſt, quod alteri adverſetur & ſic contradictionem inferat, modo res ita concipiatur, ut acta eſt. Neque enim debet cogitari, Apoſtolum eundem eodem tempore eandem rem & vocem diverſis, v. c. decem linguis expreſſiſſe, aut diverſos Apoſtolos eodem tempore diverſis linguis toti concioni eandem rem enunciaſſe: ſic enim & ſe ipſos, & audientes turbaſſent, nec quisquam fuiſſet inter hos, qui vel patriam linguam intelligere potuiſſet. Ita igitur res acta eſt. Petrus dialecto Hieroſolymitana in ſermone, ad totam concionem habito, uſus eſt, quippe quam ſaltem plerique eorum, qui aderant, intelligere poterant. Propterea Lucas non affirmat, Petrum diverſas linguas adhibuiſſe. Tum vero & Petrus & ceteri Apoſtoli, reliquique nomen Chriſti profeſſi, tum ante, tum poſt illam Petri concionem, eos, quos pro peregrinis habebant, ea allocuti ſunt lingua, quam ipſis patriam adeoque cognitam eſſe noverant. Ita omnis, quæ hic fingitur, vel difficultas, vel abſurditas, exſpirat. Ceterum ex verbis his, prave acceptis, natam puto fabulam, quæ apud Pontificios circumfertur, quod peregrini quivis diverſarum nationum *Anton. a Padua* & *Vincentium Ferrerium*, ſua lingua concionantes, probe intelligendo adſecuti ſint. Hoc ſcilicet docere nos vult *Surius* in vita *Antonii* menſe *Junio* p. 192. & de altero Annales Dominicanorum.

τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ) διάλεκτος hic non diverſam ejusdem linguæ rationem, ſed linguam, a ceteris omnibus diverſam, denotat, quod vel ex eo patet, quia de gentibus ut ortu, ita lingua diverſiſſimis vox διάλεκτος hic uſurpatur. Confer *Eraſmi Schmidii* libellum de Dialectis Græcorum principalibus pag. 2. ſqq. & *Raphelium* in Notis Polybian. p. 302.

Verſ. 7. οὐκ ἰδοὺ πάντες οὗτοί εἰσιν οἱ λαλοῦντες Γαλιλαῖοι;) Per *Galilæos* hic

Christianos intelligi statuit *Jo. Edwards* in Explicatione quatuor insignium locorum N. T. Anglice edita *Cantabrig.* 1692. 8. In eadem sententia video esse *Relandum* pag. 184. Palæstinæ. Sed aliter judicandum videtur. Quamvis enim Christiani sequentibus seculis v. c. a *Juliano* Galilæi appellati sint, quo confer *Macrorum* fratrum Hierolexicon, id tamen nominis eo jam tempore usurpatum fuisse de hominibus Christianis, cum primum innotescerent, vix vero est simile, saltem nullo historiæ Sacræ exemplo commonstrari potest. Atque h. l. homines per Galilæos non ad religionem, sed ad rationem loquendi Apostolis receptam respexisse, manifestum est. Dialectus enim Galilæorum in ceteris admodum distincta erat, adeoque cognitu facilis. Vide *Marc.* XIV. 70. & quæ scripsimus. Ea itaque Apostoli, tanquam ex Galilæa orti, utebantur communiter, ubi aliis linguis opus non erat, & Petrus quoque in concione sua, ceu ante monuimus, usus est. Hinc itaque intelligebant præsentes, eos esse patria Galilæos.

Vers. 9. Πάρθοι καὶ Μῆδοι &c.) i. e. Judæi, qui inter *Parthos*, *Medos*, &c. nati sunt, & inter hos olim habitarunt. Frequens illa τοῦ καὶ repetitio placuit quoque *Xenophonti* Cyropæd. lib. I. p. 18. & lib. VI. p. 126. De gentibus his earumque nominibus Geographi, & inprimis *Bochartus*, consuli possunt. Confer & summatim *Erasmi Schmidii* Annotat. ad h. l.

Ἰουδαίαν τε) *Mirum videri possit, qui κατοικοῦντες τὴν Ἰουδαίαν hic recenseantur: cum citra omne miraculum Judæam inhabitantes, Apostolos Judæos, Judaice loquentes, intelligere potuerint. Sunt proinde aliqui, qui pro* Ἰουδαίαν Ἰνδίαν *legendum (& primitus etiam scriptum fuisse) existiment, conjectura, ut apparet, non plane infelici; quum præsertim respondeat seriei enumerationis.* Ita ad h. l. *Erasmus Schmidius* p. 781. Alius Viri docti, nescio cujus, *Schmidio* ἐμοψήφου, notas ad h. l. MSS. affert B. *Spizelius* in Arcanis Bibliothecarum Sacris Retectis p. 367. Cave tamen utrumque contra universalem Codicum, versionum, Patrumque consensum hæc conjectantem audias, inprimis cum in rationibus allatis parum situm sit momenti. Quod enim ad prius Schmidii argumentum attinet, incolæ Judææ illi hic memorantur, qui, in exteris terris orti, adeoque linguæ patriæ seu peregrinæ adhuc adsueti, Apostolos docentes intelligebant. Vel locum etiam tueri potest *Salmasii* observatio, existimantis, Judæam hic ideo speciatim commemorari, quod in illa diversa dialectus a Galilæa recepta esset. Neque, quod secundo loco affertur, ordo terrarum, hic appellatarum, multum ad hanc rem valet. Facilius enim & tutius credimus, ordinis illius rationem non esse habitam a Luca, quam vocem prorsus novam recentissimæ illi substituamus. Non magis audiendus est *Casp. Barthius*, qui in Adversariis libr. V. c. II. pro Ἰουδαίαν legere mavult Ἰδουμαίαν. Utramque hanc conjecturam recte rejecit B. *Spizelius* l. c.

Πόντον) Pontus *Colchidis* est vicina, in qua multos fuisse Judæos argumen-

gumentis non contemnendis evincit *Steph. Morinus* in Dissertationibus VIII. p. 47.

Vers. 10. *καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες Ῥωμαῖοι*) De verbo *ἐπιδημεῖν* diximus ad vers. 4. & ostendimus, per illud non *incolatum* perpetuum, sed moram *advenæ*, iterum abituri, inferri. Aliud visum est *Jac. Gronovio*, & qui hujus auctoritate nititur, Cl. *van den Honert*, qui uterque eos hic indicari putat, qui fixum domicilium habuerint Hierosolymis, & quasi inter cives recepti sint. Sed vide, quæ in contrariam sententiam disputat *Cornel. Adami* in Observatt. Theolog. p. 264. Adde *Raphelii* Annotatt. Polybian. p. 302. *Salmasius* de Lingua Hellenist. p. 201. recte observat, Judæos non solum illos, qui jure Romanæ civitatis, ut moris erat, donabantur, Romanos dictos esse; sed eos quoque, qui urbem tantum incolebant, vel olim incoluerant. Similiter Judæi, *Alexandriam* habitantes, *Ἀλεξανδρεῖς*, *Antiochiam*, *Ἀντιοχεῖς* dicebantur, quod ex *Josephi* lib. II. contra Appionem c. II. & alias constat.

Vers. 11. *Κρῆτες*) Per hos non *Cretenses* illos, alioquin notos, sed כרתיים Orientis populum, quos LXX. Intt. *Ezech.* XXV. 16. & *Sophon.* II. 5. per *Κρῆτας* reddunt, indicari cum *Lud. de Dieu* existimat *Keuchenius* ad h. l. p. 170.

τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ) i. e. non solum talia, quæ a solo Deo tantum effici possent, sed in quibus etiam majestas Dei certissime effulgeat. Vide Cl. *Gerhardi Havercampi* Diss. de voce *μέγας*, *Lugd. Bat.* habitam.

Vers. 12. *καὶ διηπόρουν*) i. e. *anxio animo volvebant, & soliciti hærentesque quærebant.* Vide *Luc.* XXIV. 4. & *Actor.* X. 17. 24. Ita *Plutarchus* in Cicerone p. 870. *ταῦτα τοῦ Κικέρωνος διαπορoῦντος*, *cum Cicero hac solicite animo volveret.* Conf. *Elsnerum* ad h. l. p. 366.

τί ἂν θέλοι τοῦτο εἶναι;) *quidnam id monstri esset?* Sic *Ælianus* Var. Hist. III. 20. *τί βούλεται τὸ πέμμα ἐοικέναι εἶναι;* *quid illud cupediarum esset?* & lib. IV. 9. Adde *Gatackerum* ad Antonini X. 8. p. 357. & in Cinno p. 43. tum vero *Elsnerum* p. 367.

Vers. 13. *χλευάζοντες*) Verbo hoc *Polybius* aliquoties utitur v. c. p. 1038. ubi *διαχλευάζειν*, p. 1040. nec non *Herodianus* lib. IV. p. 550. Ex quorum usu Rev. *Raphelius* in Annotatt. Polybian. p. 304. conficit, idem esse, quod *verbis alicui illudere*, quod non semper gestum contumeliosum simul complectatur, quamvis interdum & is accedere possit, cum *χλευασία* apud *Dionem* dicatur, quando alterius vitia corporis imitando in scena expressa proponuntur cum irrisione spectantium. *Bezam* per *cavillari* vertentem notat *Scaliger* in Actis Literariis Schurzfleischii p. 27.

ὅτι γλεύκους μεμεστωμένοι εἰσί) *γλεῦκος* per *mustum* non bene transferri

Beza & *Pricæus* affirmant, qui *vinum dulce* intelligunt. Iis applaudit *Adr. Relandus* Part. II. Differtt. Mifcellan. p. 301. *vinum palmeum* i. e. οἶνον σπαθίτην *Alexandri Tralliani* lib. III. p. 52. hic indicari fpeciatim exiftimans, quo fcilicet totus Oriens tefte *Plinio* XIV. 16. ufus fit. Hoc autem vini genus dulce effe, prodidit *Xenophon* lib. II. Ἀναβάσεως & ex eo *Athenæus* XIV. 22. Similiter *Wedelius* cum B. *Luthero* noftro, pro quo contra *Emferum* difputat B. *Raithius* in Vindiciis verfionis German. p. 443. τὸ γλεῦκος per vinum dulce interpretatur, ideo, quod muftum mane non bibitur, utpote fic magis turbaturum corpus, nec ad compotationes folemnes facile adhibetur, imo nec inebriat fibi relictum. Vide eum Centur. I. Exercitationum Dec. VI. Exercit. VIII. & *Jo. Anton. Lindenii* Selecta Medica Exerc. X. *Muftum* tamen proprie dictum intelligi hic poffe, cenfuit Cl. *Elsnerus* p. 367. tanquam quod a tempore Pentecoftes, quod Beza fibi perfuafit, non fit alienum, cum, tefte *Plutarcho*, in Quæft. Natural. p. 928. muftum, fi a frigore ambiatur, dulce permaneat longo tempore. Idem l. c. fufpicatur, Apoftolos *mufto* fpeciatim *plenos* cavillantibus auditoribus vifos effe ideo, quod *rapido quodam orationis flumine* uti eos viderent, adeoque indicare voluerint, eos quafi *eructare* fermonem, & vomitu, qui a mufto cieri folet, indigere. Sed præftat, vinum dulce hic intelligere, tanquam quo difertos eos effectos effe temere & ftolide calumniabantur: quam in rem legatur idem p. 368. Calumniam interim hanc & temporis & aliarum circumftantiarum, ab aliis fatis expofitarum, confideratio ab Apoftolis fatis amoliebatur.

Verf. 14. καὶ ἀπεφθέγξατο) Vide ad v. 4.

καὶ ἐνωτίσασθε) Nonnullis verbum hoc a LXX. Interpretibus, qui per illud Hebraicum האזין exprimere folent, noviter formatum effe, exiftimat *Feffelius* Adverfar. Sacr. lib. VIII. c. 1. p. 209. fed eodem tamen auctor libri *Sapientiæ* utitur. *Suidas* exponit per εἴσω τῶν ὤτων γενέσθαι ποιεῖσθαι. B. *Cafpar Neumannus* in Genefi Linguæ S. c. II. §. 26. idem ait effe, quod *arrectis & admotis quafi auribus perpendere.* Lege plura apud *Vorftium* Philolog. Sacr. Part. I. p. 7. & *Tob. Eckardum* in Technic. Sacr. p. 122.

Verf. 15. Οὐ γὰρ οὗτοι μεθύουσιν· ἔστι γὰρ ὥρα τρίτη τῆς ἡμέρας) Tertia hora hic ab ortu Solis numeratur, & noftræ *nonæ* refpondet. Ea vero preces folemniter fieri folebant in templo, quod jejuni adire confueverant Judæi religiofiores. Hinc patet, quomodo a tempore ipfo calumniæ cavillantium repelli recte potuerint. Subtilior jufto eft *Spencerus* de Legibus Ritualibus Hebræorum pag. 894. verba *Petri* ita παραφράζων· *Nullum adhuc oblatum eft facrificium, nec feftum inchoatum, unde fufpicari quis poffit, homines hofce poculis immoderatius indulfiffe. Nondum advenit illa fefti hora, qua folent homines ita fe vino mergere, ut nec mens, nec lingua fatis officium præftet.* Sufpicatur fcilicet, Judæos tunc ad exemplum Gentilium, in Feftis fuis nimium quantum epulantium

& vino

& vino ſe ingurgitantium, in Paſchate & primitiarum feſto largiori potui indulgere conſueviſſe. Ceterum compotationes matutinas corruptiſſimæ indolis indicium apud veteres fuiſſe, oſtendit *Corn. Adami* in Exercit. Exeg. p. 210.

Verſ. 16. *Ἀλλὰ τοῦτό ἐστι τὸ εἰρημένον διὰ τοῦ προφήτου Ἰωήλ*) Simili modo allegandi Hebræi utuntur, dicentes: וזה שנאמר & *hoc eſt, quod dictum eſt.* Conf. *Surenhuſii* Βίβλον Καταλλαγῆς, ubi locum integrum cum Hebræo *Joëlis* contextu confert, commemoratis etiam minimis, quæ hic occurrunt, varietatibus. Ad ſententiam verborum rectius perſpiciendam lege variorum diſſertationes a M. *Wildeshauſenio* in Bibliotheca Diſp. ad Joël II. citatos, inprimis vero illam B. *Val. Alberti* de munificentia divina, *Lipſ.* 1668. & ejusdem Vindicias Exegeticas, *Lipſ.* 1695. ubi ſpeciatim oſtenditur, vaticinium hoc, de dono prophetandi ſingulari datum, tempore Pentecoſtes impletum eſſe, nec adhuc implendum, quod nonnulli volunt, reſtare. Dici hic poterat de dono Prophetico, naſcente Eccleſia, aliis Chriſtianis præter Apoſtolos conceſſo. Sed hæc ad alium locum pertinent. Confer interim *Gurtleri* Syſtema Theolog. Propheticæ p. 427. ſqq.

Verſ. 20. *πρὶν ἢ ἐλθεῖν τὴν ἡμέραν τοῦ Κυρίου τὴν μεγάλην καὶ ἐπιφανῆ*) Diem hunc de excidio Hieroſolymorum accipi vult Grotius in comment. ad Joëlem, item Tom. III. Opp. p. 463. a. & 479. b. Sed rectius illum de adventu Chriſti primo intelligi, oſtendit *Calovius* in Bibliis Illuſtratis ad Joëlis locum. Verſio *Montenſis* Gall. vocem *ἐπιφανὴς* per *terribilem* reddit, provocans ad fontem Hebr. ubi legitur נורא. Sed Hebræum illud optime, pro re nata, per *illuſtris* reddi poſſe, poſt *Grotium* obſervavit *Rich. Simon* lib. II. Hiſt. Crit. N. T. p. 464.

Verſ. 22. *ἄνδρα ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἀποδεδειγμένον εἰς ὑμᾶς*) *Beza* vertit *approbatum*, alii rectius *demonſtratum*, cum quibus facit *Homberg.* ad h. l. vel *celebrem factum inter vos*, ut nuper *Jo. Alberti* in Obſervatt. Sacr. p. 223. Ita *Arrianus* in initio Peripl. Maris Erythræi *ἀποδεδειγμένους ὅρμους insignes celebresque ſtationes* idemque p. 160. *ὅρμον ἀποδεδειγμένον portum nobilem* dixit. Interim neceſſe eſt, ut inprimis hic reſpiciatur ad miracula, per quæ Pater teſtatus eſt, & *demonſtravit*, Chriſtum Filium ſuum eſſe, adeoque talem, quem in hominum ſalutem miſerit. Hoc enim ſenſu Chriſtus paſſim affirmat, Patrem de ſe teſtari.

δυνάμεσι καὶ τέρασι καὶ σημείοις) Vocibus his & multitudo & varietas miraculorum, a Jeſu editorum, infertur. De differentia vocum diximus nonnihil ad Joh. IV. 48.

Verſ. 23. *τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ*) *definito conſilio*, i. e. quod conſilium Dei ita

ita definiverat, ut exponitur a Luca XXII. 22. ὁ μὲν υἱὸς τȢ ἀνθρώπȢ πορεύεται κατὰ τὸ ὡρισμένον. Confer infra IV. 28. Ita *Demosthenes* pro Corona p. 329. ait: νόμοις ὥρισται, *legibus definitum est. Diodorus Siculus* generatim docet, omnia, quæ fiunt, fieri ȣ̓χ ὡς ἔτυχεν, ȣ̓δ᾽ αὐτομάτως, ἀλλ᾽ ὡρισμένῃ τινὶ κ̀ βεβαίως κεκυρωμένῃ θεῶν κρίσει l. 2. p. 116. Conf. *Elsnerum* ad h. l. p. 370. Interim *Calvinus* & alii prave inde conficiunt, Deum occulto quodam impulsu Judam, Pilatum & Caipham permovisse, ut Christum tam crudeliter tractarent. Contra hos lege *Fesselii* Adversaria Sacra T. I. p. 36. Is scilicet recte judicat, distinguendum esse inter factum ipsum proditionis impium & diabolicum, (vide *Luc.* XXII. 3. & *Joh.* XIII. 2.) & salutarem ejus usum; hunc a Deo intentum & definitum, non item illud promotum, sed tantum permissum fuisse. Addiderim ego, τὴν ὡρισμένην βȢλὴν hic referri ad ἔκδοσιν, per quam Christus factus est ἔκδοτος. Illa vero ἔκδοσις seu *deditio*, non ad homines hic pertinet, sed ad Deum, Filium suum potestati Judæorum permittentem: id quod paulo post videbimus.

προγνώσει τȢ Θεȣ̃) πρόγνωσιν Interpretes plerique in proprio & communissimo significatu de *præscientia* accipiunt. At *Beza*, *Grotius*, & cum iis nuper *Elsnerus* p. 370. per *decretum* malunt interpretari, provocantes inprimis ad 1 *Pet.* I. 20. ubi Christus προεγνωσμένος dicitur ἀπὸ καταβολῆς κόσμȢ i. e. *designatus ante fundatum mundum* & 1 *Pet.* I. 2. Ita quoque profani, γινώσκειν & γνῶσιν, ubi de consilio & judicio sermo est, pro *decernere* & *decreto* adhibent, ut *Dionys. Halicarn.* lib. VII. p. 459. & X. p. 669. cujusmodi loca plura affert *Josua Barnes* ad Euripidis Danaën v. 43. Sed præstat in nativa verbi hujus notione & hic acquiescere. Alioquin enim nulla foret inter βȢλὴν & πρόγνωσιν Dei differentia, quas tamen voces hic non præter rationem tanquam diversas Petrus conjunxit. Deinde βȢλὴ hic commode refertur ad finem, a Deo in crucifixione Christi intentum, qui erat salus hominum, πρόγνωσις vero ad consilia hominum maleferiatorum, quorum statim fit mentio. Porro verbum hoc ubi in N. T. occurrit, præscientiæ significatum obtinet. Ita Paulus apud nostrum infra XXVI. 5. προγινώσκοντές με ἄνωθεν, de iis dicit, quibus *ante* in Judaismo *cognitus* erat. Ad *Rom.* VIII. 29. ȣ̔̀ς προέγνω contradistinguitur τῷ, καὶ προώρισε, quod posterius ut *decretum* infert, ita prius *prævisionem* denotare necesse est. Atque idem statuendum de locis *Rom.* XI. 2. & 1 *Pet.* I. 2. Clarus quoque est Petri locus in eandem sententiam 2 ep. III. 17. ὑμεῖς ȣ̃ν, ἀγαπητοὶ, προγινώσκοντες φυλάσσεσθε h. e. *vos vero, dilecti, cum ista præsciatis, cavete vobis.* Alter ille locus Petrinus 1 ep. I. 20. fateor, habet aliquid, quod alteram illam interpretationem per *decretum* juvet. Sed si recogitemus, verba, quæ *scientiam* inferunt, nonnunquam esse efficacia & prægnantia, ut aliquid complectantur, quod scientiam consequi solet aut debet, facile apparebit, πρόθεσιν seu *consilium* Dei hic simul per reliquas rei, de qua sermo est, circumstantias inferri, ita tamen, ut præscientia ipsa non excludatur. Sed hoc exemplum

plum non efficit, ut ceteris in locis *præscientiæ* notionem deferamus, quæ voci apud Sacros Scriptores propria est, & a *περικειμένοις* contextus stabilitur. Accedit, nullum ex profanis Scriptoribus allatum esse exemplum, quo constet, *προγινώσκειν* de *decreto ante facto* dici, quamvis simplex verbum *γινώσκειν* de *decreto* ab iis usurpetur. Jam vero compertum est a *simplici* verbo non semper ad *compositum* licere argumentari.

ἔκδοτον λαβόντες) *Carolus le Cene ἔκδοτον* hic per *donatum* a Deo scilicet, non vero *traditum* in potestatem, verti vult in Specimine novæ versionis Gall. p. 474. Sed obstat proprius hujus vocis usus etiam apud profanos Scriptores, quibus *ἔκδοτος* vocatur, qui hostibus, ab adversariis exposcentibus ad supplicium pro arbitrio tractandus traditur. Ita *Polybius* pag. 685. *πρεδώκασιν ἐκδότες* & p. 874. *ἐκδότες δεδώκατε* & p. 1248. *δοθεὶς ἔκδοτος*. Similiter Scriptores alii allati a Rev. *Raphelio* in Annotatt. Polybianis p. 371. & Cl. *Elsnero* ad h. l. p. 305. Germanice dixeris **ausgeliefert**. Itaque recte in *le Cenium* animadvertit *Gussetus* in Considerationibus Theolog. super illo Specimine Sect. III. lib. I. Nec quicquam valet, in quo is interpretationis suæ præsidium collocat, nempe, quod hic non verbum *παραδῦναι*, quod alias de Juda aut Judæis in hac causa adhiberi soleat, occurrat. De eadem enim re diversa verba phrasesque usurpari posse, quis negaverit? Deinde nec sermo hic est de Judæis, sed de Deo, qui destinato consilio Filium suum in vincula rapiendum arbitrio Judæorum permiserit, ipsorumque potestati subjecerit, sine quo nihil ejusmodi in eum licuisset. Conf. Joh. XIX. 11. & X. 18.

Vox *λαβόντες* in Codd. & versionibus nonnullis deest, ac propterea irreptitia videtur *Millio* in Prolegomenis ad N. T. §. 747. Sed ea omnino ad sensum opus est, & phrasi eadem utitur *Polybius* p. 1218. *ὡς μὲν Φυγαδεῦσαι, τινὰς δ' αὐτῶν ἐκδότες λαβόντας-ἀποκτεῖναι*. Sic *Josephus* Antiquitt. VI. p. 202. de Saule *καὶ μαθὼν, ὅτι λαβὼν αὐτὸν ἔκδοτον οὐκ ἀπέκτεινεν*. Conf. *Raphel.* l.c.

διὰ χειρῶν ἀνόμων) Voces has nonnulli ad *λαβόντες* referri malunt, quam alii rectius cum sequente *προσπήξαντες* conjungunt, *στιγμῇ* post vocem *λαβόντες* posita. Priores per *manus iniquorum* Judam proditorem intelligunt, tanquam qui Jesum tradiderit. Cum vero, quod jam monuimus, vox *ἔκδοτος* rectius ad Deum Patrem referatur, cujus consilio id factum dicitur, patet, hic non de Juda, sed de aliis *ἀνόμοις* cogitari debere, inprimis, cum plurium hic fiat mentio. Isti vero sunt Pilatus & milites Romani, quorum ille Christum cruci adjudicavit, hi vero, non Judæi, sententiam exsecuti sunt. Unde & vox *προσπήξαντες* proxime cum *ἀνόμοις* conjungitur. Ita non opus est, ut cum *Syro* vertamus per *tradidistis eum in manus impiorum*, quippe quod verbo *λαβόντες* vim infert præter necessitatem. Vox *ἀνόμων* rectius pro substantivo hic habe-

tur, quam pro adjectivo, cum χειρῶν conjungendo. Gentiles scilicet ἄνομοι dicuntur κατ' ἐξοχὴν, 1 Cor. IX. 21. sicut alias ἁμαρτωλοὶ *Gal.* II. 15. Τὸ διὰ χειρῶν idem est quod διὰ χειρὸς, quæ phrasis per Hebraismum causam instrumentalem infert, & voculæ Latinorum *per* respondet. Cl. *Starckius* in Notis Selectis p. 115. aliter hic sentit, quem vide. Si quis χεῖρας ἀνόμους tanquam substantivum & adjectivum dici hic censeat, provocare poterit ad *Ælianum* Var. Hist. IX. 9. & *Eunapium* περὶ πρεσβ. p. 163. qui χεῖρας ἀδίκους similiter dicunt.

Vers. 24. λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου) Codex *Stephanicus* unus & *Cantabr.* quoque pro θανάτου legunt ᾅδου, quos sequuntur versiones nonnullæ, a Millio memoratæ, quibus adde *Copticam*, & Patrum quosdam. Hinc *Millius* in Prolegomenis §. 285. & 438. suspicatur, vocem θανάτου ad marginem primum interpretamenti loco scriptam, deinde in contextum irrepsisse, quod miror approbasse Rev. *Deylingium* in Observatt. Sacris Part. III. p. 269. Non quidem utar hic argumento *Whitbii* in Examine Variant. Lectionum pag. 51. lectionem θανάτου necessariam hic esse statuentis, ideo, quod Christus, si vel maxime in infernum descenderit, nullos ibi dolores pertulerit, a quibus esset liberandus. Recte enim ad hæc respondebitur, per ᾅδην hic non locum inferum, sed *mortem* denotari, quam notionem voci huic, tanquam profanis Scriptoribus, & τοῖς LXX. nec minus Novo Testamento v. c. *Apocal.* I. 19. & XX. 13. 14. ubi ᾅδης & θάνατος conjunguntur, passim receptam satis post *Windetum* de Vita functorum statu, & alios vindicavit *Deylingius* l. c. p. 267. sq. Confer, quæ scripsimus ad *Matth.* XVI. 18. Nolim tamen vocem θανάτου pro ireptitia hic habere, quippe quæ in uno tantum alteroque Codice exstet, nec verisimile sit, lectionem alteram, si a librario nata sit, tot alios occupare potuisse. Interpretamento præterea hic opus non erat, si vel maxime ᾅδης in textu olim exstitisset, cum iste vocis significatus, tanquam τοῖς LXX. familiaris, legentibus ignotus esse non posset.

ὠδῖνες θανάτου) ab aliis aliter explicantur, quorum diversas sententias diligenter, more suo, repræsentat doctissimus *Deylingius* l. c. Eorum alii ex Pontificiis *dolores infernales*, ab anima Christi eo proficiscente, exantlatos, inepte hic intelligunt, cum Salvator noster ab obitu in cruce nullis talibus, consummatis scilicet omnibus, obnoxius esse potuerit. Alii ad partus dolores, de quibus vox Græca adhiberi solet, respici hic volunt, eo sensu, quod mors Christum, vita functum, in alvum suam recepisse dicatur, deinceps iterum in lucem proferendum. Vide huc *Erasmum Schmidium*. Ex parte huc accedit *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 69. cui phrasis hæc desumta videtur ab eo, qui parturienti dolorum vincula solvit, & facit, ut partu liberetur mulier, adducto loco *Æliani* Hist. Animal. XII. 5. Alii cum *Beza* ὠδῖνας θανάτου idem esse volunt, quod θάνατον ὠδινηρὸν i. e. *dolores mortem inferentes*.

ferentes. Sed nullus amplius dolor erat in morte, ex qua Chriſtus ſuſcitatus eſt, quod recte contra hanc ſententiam advertit *le Moyne* in Notis ad Varia Sacra p. 294. & *Guſſetus* in Commentariis L. Ebr. p. 237.

Alii ſpectari hic volunt faſcias & vincula ſepulchralia, quibus mortui apud Judæos & alias gentes conſtringi ſolebant, qua de re diximus ad *Job.* XI. 44. Hebræi vero *funes* חבלים appellant, quam vocem *οἱ* LXX. paſſim per *ὠδῖνας* convertunt. In hanc ſententiam *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra p. 298. iſta commentatur: *Non vero quis forſan exiſtimet, hic & alibi funes morti & ſepulchro tribui, tantum propter dominium, imperium, jugum, quod omnium omnino hominum humeris imponere ſolent. Sed meo quidem judicio etiam propter faſcias funerales, & vincula ſepulchralia, quibus mortui vinciri & conſtringi ſæpe ſolerent.* Conjecturam hanc nuper approbavit *Jo. Martianæus* in *Conatibus* novæ verſionis p. 309. ita hæc verba convertens: *mais Dieu l'a reſuſcité, en rompant les liens, qui le tenoient captif dans le tombeau &c.* & *Amelius* Part. II. p. 154. Sed non putem ad faſcias illas ullum hic reſpectum haberi. Leve omnino erat, dicere, Deum ſolviſſe faſcias illas ſepulchrales, quod & ab hominibus fieri poterat, cum hic aliquid afferatur, quod a ſola Dei potentis manu repeti debuerit. Deinde apparet, ut mox videbimus, alludi hic ad loca & phraſes V.T. Jam vero non conſtat, eo tempore inter Judæos receptum fuiſſe illum morem cadavera faſciis conſtringendi, quippe quem una cum aliis ejusmodi ritibus ſucceſſu temporis a gentibus accepiſſe videntur. Ut taceam, Judæos Talmudicos faſcias ejusmodi non חבלי מות ſed תכריכי המת appellare, quod ex *Buxtorfii* Lexico Talmud. voce כרך recte obſervat *Deylingius.*

Alii *ὠδῖνας* ex eadem voce Hebr. חבלי explicant, ſed novo ſenſu, ut *agmina* inferat, ad imitationem *τῶν* LXX. qui Pſ. XVIII. 5. חבלי מות per *ὠδῖνας θανάτου* interpretantur. Hunc enim ſignificatum *agminis* in laudato Pſalmo obtinere putant, qui præterea hiſtoriæ Chriſti optime conveniat, cum Deus agmina hoſtium carnificum & ſepulchri cuſtodum diſſiparit. Atque ſic Petrum nihil aliud hic volunt indicaſſe, quam cuſtodum diſceſſum & fugam, qui *λύεσθαι* dici poſſint, quemadmodum alias *Homerus* & *Xenophon* dixerint *λύεσθαι τὴν ἀγορὰν.* Ita ſtatuit *Guſſetus* in Commentar. L. Hebr. pag. 237. Sed varia contra novam hanc interpretationem excipi poſſunt. Vir doctus ipſe ei diffiſus videtur, qui ſtatim ſubjicit, *ſe non culpare eos, qui de vinculorum ſolutione hæc accipiant.* Porro חבלי מות Pſ. XVIII. 5. ad quem hic alludi putat, non poſſunt non de *vinculis mortis* accipi, quia חבלי מות ſtatim v. 6. per מוקשי מות i. e. *funes mortis* explicantur. Nihili eſt, quod pro ſua explicatione affert Vir doctus, *reſpici nempe ibi mortem corpoream, ut ab hominibus intentatam, in hoc vero* שאול *non eſſe dolorem.* Quæ me non ſatis capere fateor. Credo enim plus eſſe doloris in mortis, quæ imminet, timore & periculo, quam in morte ipſa, qua quis defungitur.

 Acce-

Accedit, si per ὠδῖνας ad *agmina* hostium hic respiciatur, Petrum non dicturum fuisse, καθότι οὐκ ἦν δυνατὸν κρατεῖσθαι αὐτὸν ὑπ' αὐτοῦ, sed ὑπ' αὐτῶν.

Restat igitur, cum Interpretibus cordatioribus ὠδῖνας θανάτου de statu mortis accipere, in quo Christus per triduum hæsit, quasi *vinculis* i. e. ὠδῖσι constrictus. Confer huc *Constant. Lempereur* ad Grammatic. *Mosis Kimchii* pag. 99. & Rev. *Deylingium* l. c. p. 276. ubi is simul monet, se alienum esse ab iis, *qui vincula mortis exponant de tyrannico mortis jugo, & funesto ejus dominio in Christum, fulti verbis Apostoli Rom.* VI. v. 9. *affirmantis*, Christum ex mortuis suscitatum amplius non mori, mortem ipsi οὐκ ἔτι non amplius dominari. *His partim* (ita pergit) *nos adsentimur. Christus enim* διὰ θανάτου *per mortem suam destruxit eum, qui mortis habebat* κράτος, *potestatem, dominium*, h. e. *Diabolum, Hebr.* II. 14. *Ergo Servator in ipsa sua morte sub imperio Diaboli, & dominio mortis non fuit*. Confer cum his notas B. *Calovii* in Bibliis Illustratis ad Rom. VI. 9. Ceterum has ὠδῖνας θανάτου non easdem esse cum descensu Christi ad inferos, ceu visum est *Bocharto* Tom. II. Opp. p. 982. idem *Deylingius* ostendit p. 277. Confer præterea ad hoc comma *Vitringa* Comment. in Jesaiam Tom. II. p. 71. Λύσιοι θεοὶ, quos huc advocat *Jo. Schulzius* in Florum Sparsione p. 197. sqq. longius petiti sunt.

Καθότι οὐκ ἦν δυνατὸν κρατεῖσθαι αὐτὸν ὑπ' αὐτοῦ) Fieri non poterat, tum quod Christus ipsa erat *vita*, adeoque a morte nunquam penitus superandus; tum quod morte Christi fracta erat vis mortis; tum quod vaticinia de resurrectione Christi omnino erant implenda. Verbi κρατεῖν notio hic efficacissima est, & dominium absolutum infert, quod passim per illud significatur. Lege, quæ de hoc verbo commentantur *Perizonius* ad Ælian. II. 4. & *Kühnius* in Pentade V. Dissertationum p. 8. sqq.

Vers. 25. Δαβὶδ γὰρ λέγει εἰς αὐτὸν) i. e. *de eo*, ut *Eph.* V. 32. *Ebr.* I. 7. 8. quod nonnulli ad imitationem particularum Hebræarum ל & אל factum putant, quæ sæpenumero cum על permutentur; ut *Gen.* XX. 13. *Ps.* III. 3. XXXV. 19. 24. &c. Inter hos est *Starckius* in Notis Selectis pag. 371. At enimvero & Græci profani præpositionem εἰς eodem sensu adhibent, v. c. *Aristides* Tom. III. Opp. pag. 642. ἀκούεις δὲ καὶ τοῦ Λάκωνος λέγοντος εἰς αὑτόν τε καὶ τὸν χορόν. *Laconem quoque audis de se atque choro dicentem*, & alii *Elsnero* laudati p. 371. & in Addendis p. 505. Confer *Gatackerum* ad inscriptionem librorum M. Antonini εἰς ἑαυτὸν, quod nonnulli interpretantur: *de se*.

Vers. 25—31. exponit *Storrius* in Decade Exercitationum num. V. Verba Psalmi XVI. 8. sqq. cum allegatione hac Petrina confert *Surenhusius* in libro καταλλαγῆς p. 391. sqq.

Vers. 26. ἠγαλλιάσατο ἡ γλῶσσα μου) Hebræa Davidis vox כבוד, quæ proprie *gloriam* infert, hic per γλῶσσαν, *linguam*, redditur. Atque hæc notio

notio occurrit Pf. XXX. 12. *propterea te laudabit gloria*, ubi ftatim interpretandi caufa fubjicitur: *& non tacebit*. Conf. *Gen.* XLIX. 6.

Verf. 27. ὅτι ὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μυ εἰς ᾅδυ) *Beza* hæc vertit: *non relinques cadaver meum in fepulchro*, variis nominibus ideo notatus a *Caftalione* in Defenfione verfionis fuæ p. 489. & *Suicero* in Thefauro Tom. I. p. 95. fq. ex Viri cujusdam docti epiftola, quanquam ipfe Tom. II. p. 1579. eam interpretationem approbet. *Cadaver* de corpore Chrifti minus convenienter & parum religiofe dici a Theologis noftratibus, & aliis quoque, pridem eft obfervatum. Τὸν ᾅδην vero non nifi per confequentiam de fepulchro accipi, paulo poft patebit. Confer *Rich. Simonis* Hiftor. Critic. N. T. lib. II. p. 306. b.

τὴν ψυχήν μυ) i. e. *me*, quod malim, vel *corpus meum*. Prius per Hebraifmum, in quo נפשי fæpe idem eft, quod *ego*. Vide *Gatackerum* de Stylo N. T. c. 10. contra *Pfochenium* §. 34. difputantem, qui uno alterove Græciæ profanæ loco Hebraifmum hunc amoliri conatur. Pofterius per Synecdochen illam, qua pars pro toto ponitur. Lege *Drufium* ad Leviticum c. LXXV. notarum, *Hackfpanium* in Mifcellaneis lib. I. cap. I. & *Glaffium* in Rhetorica Sacra Tract. I. c. 17. Ceterum *Boifius* p. 354. Collationis eos, qui phrafin hanc non per *animam* interpretentur, audaciam fuam tantum prodere dum affirmat, non fine audacia quidquam pronunciavit.

εἰς ᾅδυ) Hic εἰς pro ἐν ponitur ut *Marc.* II. 1. & ᾅδυ pro οἶκον ᾅδυ. Hujus ellipfeos exempla ex profanis affert *Raphelius* in Notis Xenophonteis pag. 147. & *Mofes Solanus* in Differtat. adverfus Pfochenium de Stylo N. T. §. 52. p. 307. Syntagmatis Rhenferdiani. Per ᾅδην hic *fepulchrum* innui, contendit *Pfochenius* §. 77. eamque fignificationem probari poffe putat ex *Euripidis* Hecuba v. 418. Sed illum quidem locum huc non pertinere præter *Gatackerum* cap. XXVI. Differtat. fuæ Anti-Pfochenianæ p. 223. oftendit *Mofes Solanus* l. c. p. 307. *Terram* innui cenfet *Hombergius* in Parergis p. 177. ex *Sophoclis* Ajace v. 394. 419. ubi quam uno loco γαῖαν dixerat, altero ᾅδην appellat. Sed eum locum non plus puto efficere, quam alterum *Euripidis*. Rectiffime ᾅδης de ftatu mortis in genere accipitur, cum quo ut *fepulchrum* conjunctum eft, ita, confequentia ducta, huc fimul refpici poffe non negarim, modo ne per vocem ᾅδης ipfam id inferri putes. Adde in eandem fententiam Viri cujusdam docti epiftolam, exhibitam a *Suicero* Tom. I. Thefauri p. 93. Lege, quæ fcripfimus ad v. 24. ubi de ὠδῖσι θανάτυ. Adde *Boifium* in Collatione pag. 354. Abit hinc nonnihil *Guffetus* in Commentariis Linguæ Hebr. rad. שאול p. 811. quem vide. Doctrina de defcenfu Chrifti ad inferos ad h. l. non pertinet, de quo ad 1 *Pet.* III. 19. dicemus.

ὐδὲ δώσεις) *non permittes*, quod non ex Hebraifmo fimpliciter videtur repetendum, cum verbum hoc eadem ratione ufurpetur a *Xenophonte* in

Cyropædia lib. 3. p. 58. δίδωμι ὑμῖν σὺν τοῖς ἄλλοις χαλδαίοις βȣλεύσασθαι. Vide ſcripta ad *Marc.* X. 37. Adde *Vorſtii* Philolog. Sacram Part. I. pag. 136. & *Suicerum* Tom. I. p. 907.

Verſ. 29. ἐξὸν εἰπεῖν μετὰ παῤῥησίας) Vide de hac phraſi *Suicerum* Tom. II. p. 605.

καὶ τὸ μνῆμα αὐτȣ̃ ἐςιν ἐν ἡμῖν ἄχρι τῆς ἡμέρας ταύτης) De monumento ſepulchrali Davidis Hieroſolymis exſtante vide *Pinedam* de rebus Salomonis VIII. 3. p. 771. *Hottingerum* in Cippis Hebraicis p. 24. ſq. & alios, a Cl. *Fabricio* ad Codic. Pſeudepigr. V. T. allegatos pag. 1068. Hieronymi ætate adhuc illud frequentari ſolitum ex Hieronymi epiſt. 17. patet, qua Marcellam hortatur, ut ſecum in Davidis mauſoleo oret.

Verſ. 30. ἐκ καρπȣ̃ τῆς ὀσφύος αὐτȣ̃) Lege de hac phraſi *Feſſelii* Adverſaria Sacra Tom. I. p. 102. ſq. & *Pſochenium* §. 117. qui Hebraiſmum, adducto *Euripidis* quodam loco, ab hac locutione amoliri minus feliciter tentat.

τὸ κατὰ σάρκα ἀναςήσειν τὸν Χριςὸν) Hæc verba deſunt in Codd. *Alexandr. Barberin.* I. Edit. 1. *Eraſmi*, *Aldina*, item in verſionibus *Armen. Copt. Vulg. Syr. Æthiop.* & apud *Irenæum*. Vulgatum hic, vel Eraſmi illam editionem, ſecutus eſt B. *Lutherus* noſter, in cujus quippe verſione fruſtra hæc requires. *Nec dubito*, inquit *Millius* ad h. l. *quin irrepſerint hæc ex margine, in quo adſcripta erant a quopiam, qui connexionem argumenti, quo neceſſitas reſurrectionis Chriſti ex promiſſione ſeſſionis ejus in throno David inferebatur, haud perſpiciens, ipſam reſurrectionis promiſſionem appoſuit, ut Petrus ex prædictione rei rem ipſam probare videretur. Ponunt autem verba iſta poſt* ἐπὶ τȣ̃ θρόνȣ αὐτȣ̃ *Cod. vet. Wech.* & *Froben. Oecumenii textus. Non legunt* τὸ κατὰ σάρκα *Genev. Cov.* 4. *Laud.* 3. Conferatur idem in Prolegom. §. 1201. Similiter Cl. *Jac. Lenfant* in epiſtola, quæ exſtat Tom. XVIII. Biblioth. Selectæ Clerici pag. 212. ſtatuit, *incunctanter reſtitui textum*, omiſſis ſcilicet iſtis verbis, *debere ex Codd. Græcis* &c. *quum in loco Pſalm.* CXXXII. 11. *a S. Petro ibi allegato, nulla ſit mentio Chriſti reſurrecturi, ſed tantum ex lumbis Davidis naſcituri. Quin imo*, ita pergit, *Petrus verſu ſequenti reſurrectionem Chriſti deſignari non Pſalm.* CXXXII. *ſed* XVI. 10. *diſerte teſtatur, inde manifeſto conſtat, hæc verba,* τὸ κατὰ σάρκα ἀναςήσειν, *eſſe vanum cujusdam inſcii librarii, aut alius cujuspiam indocti hominis commentum.* Nollem hæc Viris doctis excidiſſent in fraudem verborum procul dubio genuinorum. Bini Codices, qui in contrarium afferuntur, non poſſunt opponi tot aliis ab illis diſſentientibus. De gloſſemate marginali hic cogitari non poteſt, quia lectori attentiori facile patere poterat, Petrum ex adducto illo Pſalmi loco nolle jam reſuſcitationem Chriſti probare, ſed tantum nativitatem Chriſti ex genere Davidis aliquando futuram. Hinc v. 31. demum τῆς ἀναςάσεως τȣ̃ Χριςȣ̃ fit mentio, quam ſcilicet de filio ſuo, quod ad carnem ſibi excitato, David prævideri. Itaque nec verba illa τὸ κατὰ

σάρκα

σάρκα ἀναστήσειν de resuscitatione Christi ex mortuis accipienda sunt, sed de *nativitate* Christi, per quam factum est, ut Christus θεάνθρωπος sederet in throno Davidis. Hac enim phrasi utitur Scriptura S. ubi de Christo in carnem venturo loquitur. Quid clarius est loco 2 *Sam.* VII. 12. ubi Deus ad Davidem: καὶ ἀναστήσω τὸ σπέρμα σου μετὰ σὲ ὃς ἔσται ἐκ τῆς κοιλίας σου, καὶ ἑτοιμάσω τὴν βασιλείαν αὐτοῦ. *Et suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de ventre tuo, & firmabo regnum ejus.* Sic Jer. XXIII. 5. καὶ ἀναστήσω τῷ Δαβὶδ ἀνατολὴν δικαίαν. Eodem sensu usurpatur verbum ἐγείρειν *Actor.* XIII. 23. Sensus itaque totius commatis iste est: *Davidem, qui nosset, Deum sibi jurejurando confirmasse, fore, ut aliquando ex lumbis ejus quod ad carnem excitaretur,* (*i. e. nasceretur*) *Christus, qui sedere debeat in throno suo, instar Prophetæ prævidisse & promulgasse resurrectionem Christi eo in loco, ubi dixerit, ipsum ἐν ᾅδῃ non esse derelinquendum.* Hunc genuinum verborum sensum esse, facile oculatior quivis perspiciet. Et cur non credamus, veteres quoque comma hoc tantum de nativitate Christi accepisse? hoc autem si præstruxeris, omnis occasio glossematis hujus formandi, quam *Millius* fingit, uno ictu collabitur.

Excipitur amplius, in Psalmo CXXXII. 11. ad quem hic omnino respiciat Petrus, nihil ejusmodi de *excitando* seu *exhibendo* Christo, quod ad carnem, tradi. Sed in promtu est, quod respondeamus. Quidni enim Petrus locum 2 Sam. VII. 12. ubi ipsa illa phrasis exstat, in animo simul habuisse dicatur, inprimis cum eo in loco diserta hujus promissionis, Davidi factæ, fiat mentio. Id vero in allegationibus N. T. ex Vetere factis usu receptissimum esse, ut duo vel tria vaticinia uno sermone comprehendantur, tot exemplis a *Surenhusio* in βίβλῳ καταλλαγῆς commonstratum est, ut temere negari non possit. Vel, si cui hoc displiceat, satis, credo, fiet, si dixerimus, Divum Petrum verba illa, τὸ κατὰ σάρκα ἀναστήσειν τὸν Χριστὸν, illustrationis loco addidisse Psaltæ divini verbis. Hoc vero passim a Scriptoribus N. T. fieri idem *Surenhusius* evicit.

Addiderim & illud, ostendi posse occasionem, qua factum sit, ut verba, de quibus disputamus, ex nonnullis Codicibus exciderent. Videntur scilicet cogitasse librarii, verba illa, tanquam quæ de *resuscitatione Christi ex mortuis* accipiebant, huc non pertinere, cum in sequente commate demum de illa fiat mentio. Vel duplex ille infinitivus, hic sine καὶ conjunctus, τὸ κατὰ σάρκα ἀναστήσειν τὸν Χριστὸν, καθίσαι ἐπὶ τοῦ θρόνου αὐτοῦ fraudi esse potuit librariis, ut alterum omittendum putarent. Alterutrum horum majorem veri speciem certe præfert, quam illorum conjectura audacior, qui sententiam hanc, ex glossemate primum natam, in tot codices irrepsisse sibi persuadent. Inter ceteros, qui γνησιότητα horum verborum tuentur, lege *Gerh. Outhovium* in Biblioth. Bremens. Class. II. p. 674. & ex nostratibus *Aug. Hermann. Franckium* in Observatt. vernaculis ad loca quædam Scripturæ p. 215. item Anonymum in Observationibus, quæ in calce Vindiciarum

B. *Rai-*

B. *Raithii* leguntur. B. *Luthero*, verba hæc omittenti, dica hic scribi non potest, cui fraudi fuit exemplar, quo usus est, minus emendatum, vel versio Vulgata. Conf. *Pet. Adolphi Boysen* Diss. Criticam de Codice Græco N. T. &c. p. 27.

καθίσαι ἐπὶ τοῦ θρόνου αὐτοῦ) Per thronum Davidis intelligitur hic regnum Christi Spirituale in Ecclesiam. Lege Patrum loca apud *Suicerum* Tom. I. p. 1409.

Vers. 31. οὐ κατελείφθη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ εἰς ᾅδου) Voces ἡ ψυχὴ αὐτοῦ desunt in Codd. paucis MSS. & versionibus quibusdam, atque hinc *Millio* in Prolegomenis ex v. 26. huc postliminio translatæ videntur, conjectura audace magis, quam vera. In Davidis Psalmo mentio fit & ψυχῆς & σαρκός. Hæc ad Christum, tanquam verum Psaltæ scopum, applicabat Petrus. Itaque & mentio fieri debebat utriusque, nempe & ψυχῆς & σαρκός; de qua ait, οὐδὲ ἡ σὰρξ αὐτοῦ εἶδε διαφθοράν. Confer etiam ad hunc locum *Cappelli* Opera p. 233. b.

οὐδὲ ἡ σὰρξ αὐτοῦ εἶδε διαφθοράν) Σάρξ hic *corpus* infert, sicut בשר & שאר apud Hebræos. Vide Commentar. L. Hebr. *Gussetii* suo loco. Interim & profanos σάρκα dicere de *corpore*, ostendit *Pfochenius* de Stylo N. T. §. 56.

Vers. 33. τήν τε ἐπαγγελίαν τοῦ ἁγίου Πνεύματος λαβὼν παρὰ τοῦ Πατρὸς) Advocat huc, novo exemplo, *Gussetus* in Commentariis L. Hebr. p. 333. locum Psalmi LXXV. 8. כי אקח מועד eamque de Pentecoste prima Christiana interpretatur, quia per eam Christus regnum suum Evangelicum & administrationem imperii in Ecclesia adiverit, ad hoc porro acceperit a Patre dona Spiritus S. distribuenda; denique ea sint dona illius festi, ideoque, ut 2 *Chron.* XXX. 22. dona assignata alicui festo vocentur metonymice מועד, sic & ista dona, eodem jure, quamquam diversa metonymia, hic dona, quæ dat Deus homini, cum illic fuerint dona, quæ homo dabat Deo.

Vers. 34. Κάθου ἐκ δεξιῶν μου) Vide, quæ de Psalmo hoc, ad Christum spectante, diximus ad *Matth.* XXII. 44. Filius hic dicitur sedere ad dextram Patris, & tamen non *Filio*, sed *Patri* tribuitur *ponere hostes ad scabellum pedum Filii: Patri*, non *Filio* assignatur τὸ *mittere sceptrum*. *Si* τὸ βασιλεύειν Filio sit communicatum per φράσιν, *sede ad dextram meam*, eccur Christo non tribuitur *hostium suorum subjectio*, & *missio sceptri*, cujus ipse nunc factus est particeps? Hanc objectionem format *Vitringa* lib. II. Observatt. Sacr. p. 71. atque ita omnino diluit: *Pater licet sceptrum Filio tradiderit, vel* τὸ βασιλεύειν *Filio communicarit, non tamen* derelinquit sceptrum suum, *sed regnat cum Filio, &, si ita loqui fas est, sceptrum quasi per manum Filii gubernat. Ita ut ipse per sceptrum Filii hostes Filii sui Filio suo subjiciat.*

Vers.

Verſ. 35. *Ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου*) Conf. 1 *Regg.* V. 3. *Pſ.* XVII. 38. & XLVI. 3. Indicatur hac phraſi pleniſſima Chriſti de proſtratis hoſtibus ſuis victoria. Solebant ſcilicet victores victis pedes imponere, quod patet ex Joſ. X. 24. Cujus moris veſtigia frequentia ſunt apud profanos quoque Scriptores, ut *Ovidium* Faſtorum IV. v. 858. *Virgilium* Æn. X. v. 490. & 495. &c. Vide Cl. *Elsnerum* ad h. l. p. 372. ſq. itemque *Cuperum* & *Columbum* ad Lactantium de mortibus Perſecutorum c. V. p. 60.

Verſ. 36. *ὅτι Κύριον καὶ Χριστὸν αὐτὸν ὁ Θεὸς ἐποίησε*) Chriſtus factus, h. e. declaratus a Patre dicitur Dominus (ארון) & *Χριστὸς*, *Unctus*, h. e. *Βασιλεὺς*, Rex, quia illius temporis Judæi *τὸν Χριστὸν* vel המשיח ſemper ſub formali *Βασιλέως* ſeu Regis concipiebant, unde vel המשיח vel מלך המשיח *Βασιλεὺς ὁ Χριστὸς* indifferenter uſurpabant, vel, ſicuti apud Danielem eſt IX. 25. משיח נגיד, *Meſſias, Princeps*, dux, imperator: ipſe enim *Rex* eſt *unctus* Pſ. II. 6. *ποιεῖν* vero hic eſt עשה *conſtituere*, & quidem ex decreto, unde *τῷ* זמם ſæpenumero opponitur. Nam decrevit Pater Filio *βασιλείαν Regnum*, in cujus poſſeſſionem cum Filium publice introducit, dicitur, Filium *ποιεῖν κύριον καὶ Χριστὸν*, h. e. Filium ut Regem proclamare. Ita ad h. l. commentatur *Vitringa* lib. II. Obſervatt. Sacrarum p. 70. Confer in eandem ſententiam *Keuchenium* in Annotatis ad h. l. p. 171. & ex eo *Amelium* Part. II. p. 853. *Keuchenius* ſcilicet obſervat, *Χριστὸν* hic non proprie, ut alias frequentiſſime, denotare Meſſiam, in quantum unctus eſt a Spiritu Sancto, (talis enim jam erat ante adſcenſum) ſed evectum ad ſummam dignitatem. Ita enim Targum verbum משח ſolere convertere per רבי *exaltare*, ut *Exod.* XXVIII. 41. & *τοὺς* LXX. *τὸ* שום interpretari per *ποιεῖν* *Geneſ.* XLV. 9. Facit denique huc, quod נסיכים in V. T. paſſim *Principes* dicantur a radice נסך, quæ primario *fuſionem* & unctionem infert tum alias, tum Pſalmo II. 6. ubi Pater ait de Filio: נסכתי מלכי h. e. ut *Guſſetus* in Comment. Linguæ Hebr. p. 516. explicat: *ex me emiſi aut emanare feci Regem meum*, quia ſcilicet Pater filio imperium ſuum communicat, retenta tamen ordinis prioritate. Eodem modo *κύριος* hic non *οὐσίαν*, *eſſentiam* infert, ſed *ἐξουσίαν* *poteſtatem*. Lege *Suicerum* Tom. II. p. 196. qui & p. 787. verbum *ποιεῖν* idem hic eſſe, quod conſtituere, recte oſtendit.

Verſ. 37. *κατενύγησαν τῇ καρδίᾳ*) Summum animi dolorem & cordis contritionem humiliationemque hoc verbo inferri, ex uſu vocis, apud *τοὺς* LXX. frequenter obviæ, oſtendit *Keuchenius* ad h. l. p. 172.

Verſ. 38. *μετανοήσατε, καὶ βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν* &c.) Diverſas hujus commatis interpretationes lege apud *Sandium* in Interpretatt. paradoxis pag. 111. *Frider. Erneſt. Meiſium* in Diſputat. ſingulari ad h. l. *Lipſ.* 1699. & *Alethæum* Gründlicher Erläuterung Tom. I. pag. 590. ſeq. Inter *μετανοεῖν* & *μεταμέλεσθαι* nonnulli poſt *Bezam* ad *Matth.* cap. III. id diſcrimi-

 nis

nis statuunt, quod prius illud non nisi *in bono* usurpatur, hoc vero etiam *in vitio*. Sed non perpetuo hoc observari, patet vel ex *Matth.* XXI. 29. 32. ubi μεταμέλεια de salutari animi mutatione adhibetur. Lege plura hanc in rem apud Alethæum p. 591.

βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ) Quod hic dicitur βαπτισθῆναι ἐπὶ τῷ ὀνόματι, id alibi in N. T. exprimitur per βαπτίζειν aut βαπτίζεσθαι εἰς Χριστὸν, εἰς ὄνομα Χριστοῦ, ἐν ὀνόματι Χριστοῦ. Phrases has suis singulas locis instruxit & munivit *Vitringa* in lib. III. Observatt. Sacr. c. XXII. p. 319. sqq. eademque opera ostendit, quodnam inter eas discrimen occurrat. In nostra hac phrasi id inprimis mirum visum est nonnullis, quod solius *Christi*, non item *Patris* & *Spiritus S.* nomen commemoretur, cum tamen Christus ipse Matth. XXVIII. in trino illo nomine baptismum administrari jusserit. Sed recte hic a multis admonitum est, hoc loco non inferri, qua Petrus formula usus sit, aut uti voluerit in baptizandis novis illis catechumenis, sed indicari potius a Petro, quid opus sit ad baptismum illum, qui in nomine SS. Trinitatis deinceps administrandus sit, rite recteque suscipiendum. Sensus enim est, catechumenos ante baptismum & nosse & profiteri debere ea, quæ de nomine Christi, h. e. persona, officiis, statibus Christi, beneficiis ab eodem partis, cognita esse debent illis, qui Christi sacris sint initiandi. Ejusmodi vero professionem ante baptismum ab adultis requisitam fuisse, patet ex *Actor.* XXII. 18. ubi Christus Paulum jubet baptismum recipere, *invocato ante nomine Domini:* ἀναστὰς βάπτισαι καὶ ἀπόλουσαι τὰς ἁμαρτίας σου, ἐπικαλεσάμενος τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου. Atque hanc consuetudinem observavit Philippus, Æthiopem illum *Act.* VIII. 27. memoratum baptisaturus. Ante enim quam hoc faceret, prævia interrogatione: εἰ πιστεύεις ἐξ ὅλης τῆς καρδίας, sc. ea, quæ de Christo antea ab ipso exposita erant, hanc *fidei confessionem* ex ore ejus elicit: πιστεύω, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ εἶναι τὸν Ἰησοῦν Χριστὸν v. 37. Hanc itaque nominis Christi professionem h. l. requirit Petrus a baptisandis. Huc pertinet ἐπερώτημα illud baptismale, quod *Petrus* appellat 1 ep. III. 21. Confer in hanc sententiam ex nostratibus *Fechtium* in Philocalia p. 39. *Læscherum* in Disput. de baptismo in nomine Christi §. 14. *Amelium* in der Erörterung Tom. I. p. 79. *Alethæum* in der Erläuterung Tom. I. p. 603. sq. ex *Pontificiis*, *Jo. Harduinum* S. J. in Dissertat. singulari de baptismo in nomine Christi, quæ in Operibus ejus Selectis exstat p. 229. sqq. *Tillemontium* in Memoriis Hist. Eccles. Tom. I. p. 389. & *August. Calmetum*, Ordinis Benedictini Monachum, in Dissert. singulari de baptismo in nomine Christi, quæ in limine Commentarii ejus super Acta Apostolorum comparet. *Harduinus* quidem l. c. p. 238. in epistola ad Langemantelium, mutata nonnihil priore sententia, τὸ *baptisari in nomine Christi*, idem esse vult, quod baptisari per invocationem Domini Jesu, quæ fiat verbis istis Evangelicis: *in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Sed id quidem parum commode ita dicitur, cum invocatio illa Paulo Actor. XXII. injuncta,

cta, catechumeni fit, verba vero: *baptiso te in nomine Patris, Filii, & Spiritus S.* a baptisante proferantur, a catechumeno quidem approbanda, postquam scilicet cognitionem & professionem huc necessariam antea probavit. Ceterum catechumenos olim ejusmodi professione ante baptismum perfunctos esse, ex *Tertulliano* contra Praxeam c. II. & XXX. item ex Constitutt. Apostolic. lib. VII. c. 41. satis constat, quemadmodum hodieque catechumeni adulti ad baptismum simili modo præparantur.

Ex his intelligitur, Clericum in Notis ad Hammondum *Matth.* XXVIII. 19. phrasin hanc nimis coarctasse, quando idem esse vult, ac si dixeris, *baptisari, ut Christi nomine appellemur.* Contra eum lege *Vitringam* l. c.

καὶ λήψεσθε τὴν δωρεὰν τοῦ ἁγίου Πνεύματος) Per donum Spiritus Sancti recte hic intelligimus ipsum Spiritum S. cum donis suis, partim ordinariis, quæ ad remissionem peccatorum, fidem &c. pertinent, partim extraordinariis & miraculosis, prout ea in baptisatum conferre ipsi liberet.

Vers. 39. *ὑμῖν γάρ ἐστιν ἡ ἐπαγγελία*) *ad vos enim spectat promissio.* Vide *Boisii* Collationem ad h. l. p. 355.

καὶ πᾶσι τοῖς εἰς μακρὰν) Per eos hic nonnulli intelligunt Gentes, tanquam quæ Judæis, ut *τοῖς ἐγγὺς*, opponi soleant. Ita olim *Theophylactus*, & cum eo post alios *Boisius* in Collatione pag. 355. contra Bezam disputans, & inter cetera his usus verbis: *Scio, mysterium de gentium vocatione nondum ita clare patefactum fuisse Petro, atque postea: Sed tamen non fuisse eum penitus illius ignarum, vel ex Joëlis verbis superius prolatis liquere utcunque potest.* Et recte quidem hæc ita dici, apparet ex *Ephes.* II. 17. ubi de Christo dicitur: *καὶ ἐλθὼν εὐηγγελίσατο εἰρήνην ὑμῖν τοῖς μακρὰν καὶ τοῖς ἐγγύς*, h.e. ut *Drusius* ad h. l. interpretatur, & *gentibus*, quales scilicet fuerant, ad quos Paulus hic scribebat, & *Judæis.* Confer *Jes.* LVII. 19. quem hic respici ostendit *Crojus* p. 177. Obss. Sacr. Alii cum *Beza* per *τοὺς εἰς μακρὰν* intelligunt *longe post futuros*, quod ipsum Græca quidem phrasis admittit, cum *Xenophonti εἰς μακρὰν* idem sit, quod *longo post tempore* lib. V. Cyropæd. pag. 108. observante recte *Raphelio* in Annotatt. Xenophonteis p. 148. Sed obstat tamen aliud, quo minus id h. l. complectamur. Sic enim hic ad Judæorum posteros respectus haberetur: illos vero jam *τέκνων* nomine indicatos esse largietur, qui noverit, Hebræos æque ac alios Scriptores *filiorum* nomine, latius sumto, posteritatem feram indicare consuevisse. Ceterum quocunque sensu phrasin hanc induas, utrinque vocem aliam subintelligi debere manifestum est, nempe hinc *χώραν*, confer Cl. *Schœtgenii* notas ad *Lamb. Bos* de Ellipsi pag. 241. hinc *γενεὰν* i. e. *generationem. Rich. Simon* in notis ad Vers. Gall. N.T. per *τοὺς εἰς μακρὰν* Gentiles, vel Judæos, inter gentes dispersos, hic indicari existimat.

Vers. 40. *σώθητε ἀπὸ τῆς γενεᾶς ταύτης*) Infertur hic secessio ab infide-

lium cœtu mature facienda, ob imminens scilicet periculum. Eadem phrasi utuntur quoque exteri Scriptores apud *Suicerum* Tom. II. p. 1208. Recte hunc locum *Cappellus* in Opp. p. 135. comparat cum *Zachar.* II. 6. 7. ubi dicitur ad Judæos נסו והמלטי *i. e. fugite, & proripite vos a Babylone & terra Aquilonis*, ut hic *exhibeatur per mimesin quandam Apostolorum ad Judæos cohortatio, ut ad Christum sese convertant, & reliquorum suorum popularium infidelium & contumacium cœtum & communionem deserant, (utpote qui non amplius sint Jerusalem, urbs sancta, sed facti sint potius Babylon quædam spiritualis) & in Ecclesiam Christianam se recipiant, tanquam in veram suam patriam. Scaliger* apud Schurzfleischium in Actis Literar. pag. 27. vocem Græcam Hebrææ העלטו respondere recte monet contra Bezam, qui השברו hic substituit.

Οἱ μὲν οὖν ἀσμένως ἀποδεξάμενοι) Vocem *ἀσμένως*, quæ in Codd. nonnullis & versionibus non legitur, ex scholio marginali natam putat *Millius* in Prolegom. ad N. T. §. 628. Sed veri similius est, librarios nonnullos vocem *ἀσμένως* inter scribendum omisisse, vel incuria, vel consilio, tanquam qua non opus esse ad sensum existimabant, quam eandem ad marginem primum collocatam in tot Codices, & antiquas versiones & Patrum quoque commentationes irrepsisse. Confer diligentissimum *Raphelium* in Notis Polybianis p. 308. ubi eadem opera variis veterum locis ostendit, verbum *ἀποδέχεσθαι* simpliciter quidem tum de *personis*, tum de *rebus* & *sermonibus* promte receptis adhiberi, sed passim quoque adverbium aliquod v. c. *διαφερόντως* sibi junctum habere. Ita *Polybius* p. 212. ait: *τὰ λεχθέντα μετ' εὐνοίας ἀπεδέξαντο* h. e. *benevole orationem ejus exceperunt.* Imo *Libanius*, *ἑλληνικώτατος* eadem phrasi utitur in epistola LIII. quæ exstat in Centuria Epistolarum ejus a me olim edita: Ἀσμένως, inquit, *ἐδεξάμην σοῦ τοὺς υἱεῖς.* Non dubito ego, Divum Lucam data opera hanc vocem addidisse, ut scilicet intelligeretur, auditores orationem Petri non solum attentis auribus, sed & animo plura audiendi cupido, & cum voluptate hausisse.

Vers. 41. *Καὶ προσετέθησαν*) i. e. *adjunxerunt sese* Ecclesiæ, vel *transierunt in Ecclesiam.* Nam *προστίθεσθαι* Græcis dicuntur, *qui transeunt in partes, adjungunt se partibus alicujus.* Multis veterum locis id evicerunt *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 70. *Gisb. Cuperus* Observatt. lib. I. c. 2. *Gatackerus* de Stylo N. T. c. 10. *Raphelius* in Notis Polybian. p. 308. & *Elsnerus* ad h. l. p. 374. sq.

ψυχαὶ ὡσεὶ τρισχίλιαι) *ψυχὰς*) de *hominibus* per synecdochen partis pro toto dici ex Hebraismo post alios persuasum fuit *Vorstio* in Philolog. Sacr. pag. 94. qui eam sententiam extorqueri sibi non passus est a *Pfochenio* pag. 115. ex *Euripide* & *Ezechiele* quodam, Poeta Tragico, eandem notionem tanquam pure Græcam voci illi vindicante. Sed his locis alium ex *Aristophanis* Thesmophoriazusis pag. 814. addit *Pfochenio ὁμόψηφος Lamb. Bos* in Exercitatt. pag. 69. *ψυχαὶ δὲ πολλαὶ δι' ἐμ' ἐπὶ Σκαμάνδροις ῥοαῖς ἀπέθανον, animæ multæ* (i. e. *homines*) *perierunt.* Vide alia ad v. 43. Ceterum *Porphyrium* in Vita Pythagoræ

p. 25.

p. 25. tradere, Pythagoram una oratione duo hominum millia ſibi conciliaſſe, obſervat hic *Elsnerus* p. 376. non præter rationem ibidem ſuſpicatus, vanos homines id quidem ad imitationem eorum, quæ hic de Petro legimus, commentos eſſe, ſicut & alia, heic loci commemorata, ad Pythagoreos ſuos accommodarint.

Verſ. 42. Ἦσαν δὲ προσκαρτεροῦντες τῇ διδαχῇ τῶν Ἀποστόλων) Ita fere *Jamblichus* in Vita Pythagoræ c. 6. p. 22. de Pythagoreis: νόμους τε παρ' αὐτοῦ δεξάμενοι καὶ προστάγματα. *Pearſonius* in Lectionibus ad h. l. p. 33. voci προσκαρτεροῦντες in MSS. nonnullis & *Chryſoſtomo* addi monet vocem ὁμοθυμαδόν. Sed unum tantum ejusmodi Codicem affert *Millius*. Et videtur omnino vox illa ex antecedentibus I. 14. II. 1. vel conſequente v. 46. προσκαρτεροῦντες ὁμοθυμαδὸν huc temere a librario relata. Illum in doctrina vel percipienda vel tuenda conſenſum *Tertullianus* eleganter *conſanguinitatem doctrinæ* appellat. Quatuor momenta hic numerari, quibus Chriſtianorum cœtus olim inprimis indulſerit, plerique ſtatuunt, quæ ipſe quoque *Juſtinus Martyr* Apolog. II. p. 98. & *Tertullianus* in Apologetico c. 39. commemorant. Conf. Rev. *Jo. Guil. Jani* Diſſert. mox citandam p. 9. ſqq.

καὶ τῇ κοινωνίᾳ καὶ τῇ κλάσει) Τὸ καὶ poſterius nonnulli hic volunt eſſe ἐξηγητικὸν prioris, hoc ſenſu: *erant perſeverantes in audienda doctrina Apoſtolorum & communione, videlicet fractione panis, & precibus.* Ita *Joſ. Medus* in Fragmentis Sacris, quæ exſtant Tom. X. Opuſculorum ad Hiſtoriam & Philologiam Sacram ſpectantium p. 255. & fuſius in Opp. p. 322. & 364. ubi in eandem ſententiam afferuntur Interpretes *Vulg.* & *Syrus*, quorum ille vertit: *erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus;* hic vero: *& communicabant in oratione, in fractione Euchariſtiæ.* Addit idem, conſtare omnino, quod Synaxis veterum Chriſtianorum tribus his momentis abſoluta ſit, nempe auſcultatione verbi, precibus & commemoratione Chriſti in S. Cœna. Accedit his partibus *Hombergius* in Parergis pag. 177. qui figuram ἓν διὰ δυοῖν hic locum habere cenſet. Alii viciſſim κοινωνίαν illam *de communione bonorum* accipiunt, non obſtante eo, quod v. 44. demum dicatur, καὶ εἶχον ἅπαντα κοινά. Id enim explicationis cauſa fieri cenſent, ſicut v. 46. iterum τῆς ἀρτοκλασίας fit mentio. Mihi quidem κοινωνία illa ad Apoſtolos videtur referenda, ſicut antecedens vox διδαχὴ, ut ſignificetur, Chriſtianos non ſolum Apoſtolis *docentibus* adhæſiſſe, & ex ore eorum pependiſſe, ſed cum iisdem quoque in ceteris vitæ negotiis familiariter verſatos fuiſſe. Certe figura Hendiadys locum hic propterea habere non poſſe videtur, quod τὸ καὶ quater omnino hic repetatur, cum alias ſemel tantum occurrat, ubi Hendiadys ex uſu veterum ſtatui poteſt. Confer quæ ſcripta ſunt ad *Matth.* III. 11. *Jo. Fronto* κοινωνίαν illam, ſi ſeorſim a reliquis ſumatur, eam eſſe putat, qua ſeſe fratres diligebant, ſimul ſæpius erant, ut teſtatur S. Juſtinus, ſibi aderant, cum maxima morum, quantum fieri poterat, conſenſione ac conformitate vivebant. Vide eum

de Origine Parochiarum pag. 58. Epiſtolarum & Diſſertationum Eccleſiaſtic. *Hamburg.* 1720. 8. recuſarum.

καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου) Per *fractionem panis* Syrus Interpres intelligit hic *Euchariſtiam*, quod itidem Patribus nonnullis perſuaſum fuit; a *Suicero* in Obſervatt. Sacr. p. 130. & in Theſauro Tom. II. p. 105. & *Pearſonio* in Lectionibus ad h. l. p. 34. allatis, quibus & ipſe aſſentitur, additis his argumentis: *Licet fractio panis poſſit victum communem tantum ſignificare, tamen, cum in Cœna Domini panis ſignanter frangi dicatur, cum in vetuſtiſſimis Eccleſiis quotidie Euchariſtiam celebrare moris eſſet; cum ex oblationibus a populo factis ſumi ſolerent panis & vinum ad eum uſum ſacrum; dubitari vix poteſt, quin hic ter mille homines in quotidiana communione & fractione panis Cœnam Domini celebraverint.* Eandem ſententiam amplectuntur Pontificii, quos ſciam, omnes, nominatim *Jo. Fronto* in opuſculo modo laudato, ubi de triplici Chriſtianorum vinculo, nempe communione doctrinæ Apoſtolicæ, orationum & Sacramenti Euchariſtici commentatur. De *Medo*, idem ſentiente, jam vidimus. Meo judicio, ex phraſi ipſa hæc interpretatio elici non poteſt. Pervulgatum enim eſt, Hebræos victus communionem per *fractionem panis*, ſicut Græci convivium a *potu* tantum *συμπόσιον* appellant, indicare. Vide hanc in rem *Caſauboni* Exercitatt. Anti-Baronian. p. 466. & *Vorſtii* Philolog. Sacr. Part. II. p. 219. Itaque vi phraſeos convictus proxime hic innueretur, quod & *Grotius* voluit, & confirmari poteſt ex v. 46. ubi Chriſtiani dicuntur *κλῶντες κατ' οἶκον ἄρτον, τροφῆς μεταλαβεῖν ἐν ἀγαλλιάσει*, ubi poſterior phraſis explicationem prioris exhibere videtur. Malim tamen h. l. cum veteribus & recentioribus pleriſque phraſin iſtam ad S. Euchariſtiam referre, præcipue cum illi, qui de communi convictu hic agi putant, S. Cœnam eidem ſubjunctam fuiſſe ſtatuant. Et vel ſic habebimus, quod reſpondeatur Pontificiis, loco hoc eo abutentibus, ut panis diſtributione uſum S. Cœnæ abſolvi probent. *Non minus*, inquit *Caſaubonus* l. c. *pueriliter* illi *errant, quam ſi dicerent, in Græcorum conviviis nullum cibum fuiſſe appoſitum, neque omnium quicquam aliud præter vinum aut alium potum, quia convivium illis dicitur συμπόσιον*, compotatio, *cui etiam reſpondet Hebraicum* משתה *pro convivio.* Ceterum ex integro hoc commate Rev. *Jo. Guil. Janus* ſingulari diſſertatione, *Euſebio Renaudoto* oppoſita, commonſtravit, Liturgiam Eccleſiæ Evangelicæ, Liturgiæ Apoſtolicæ hic recenſitæ conformem eſſe, *Witteb.* 1721. 4.

Verſ. 43. *Ἐγένετο δὲ πάσῃ ψυχῇ φόβος*) h. e. *πᾶσιν ἀνθρώποις.* Sic *Polybius* p. 1019. *ἀπηλγηκυῖαν ψυχὴν* de *homine deplorato* dicit. Conf. idem p. 684. 716. & 1382. quos locos affert *Raphelius* in Notis Polybianis p. 309. Adde ſcripta ſupra ad v. 41.

Verſ. 44. *ἦσαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ*) *congregati erant in eodem loco.* Vide ad c. II. v. 1. Sic *Porphyrius* de Vita Pythag. p. 25. obſervat, Pythagoreos *μηκέτι οἴκαδ' ἀποστῆναι, ἀλλ' ὁμοῦ σὺν παισὶ καὶ γυναιξὶν ὁμακοεῖον τι παμμέγεθες ἱδρυσαμένους πολίσαι*

πολίσαι τὴν πρὸς πάντων ἐπικληθεῖσαν μεγάλην Ἑλλάδα ἐν Ἰταλίᾳ. Conf. *Jamblichum* p. 12. & 67.

καὶ εἶχον ἅπαντα κοινὰ) Idem de Chriſtianis teſtatur *Lucianus* de morte Peregrini his uſus verbis: *καταφρονοῦσιν οὖν ἁπάντων ἐξίσης καὶ κοινὰ ἡγοῦνται ἄνευ τινὸς ἀκριβοῦς πίστεως τὰ τοιαῦτα παραδεξάμενοι* i. e. *idcirco omnia contemnunt* (ſc. bona ſeu facultates ſuas) *& communia habent vel ducunt, nulla firma & certa ratione reddita hanc doctrinam recipientes.* Hunc eſſe verborum ſenſum patet ex proxime antecedentibus, quibus idem ait: *Legislator eorum ipſis perſuaſit, omnes mutuo fratres eſſe, ſimul ac repudiatis gentium Diis ſuum crucifixum Σοφιστὴν adoraverint, ac ſecundum ejus leges vitam inſtituerint. Pſochenius* de Stylo N. T. §. 65. vocem *κοινὰ impuritatis* notione induit, atque hoc ipſo tum vulgato vocis hujus apud profanos Scriptores ſenſui, tum rei ipſi manifeſte contraivit, quod egregie oſtendit *Moſes Solanus* in Diſſert. Anti-Pſocheniana de Stylo N. T. §. 37. pag. 289. Syntagmatis Rhenferdiani. Interim notandum hic eſt, abſolutam iſtam bonorum communionem in ſola Eccleſia Chriſtianorum Hieroſolymitana, de qua confer *Act.* IV. 32. ſq. obtinuiſſe, quod obſervavit *Salmaſius* in lib. de Uſuris p. 656. hoc inprimis argumento uſus, ſane idoneo, quod ipſorum Apoſtolorum tempore collectæ in uſum pauperum ex Apoſtolorum præſcripto 1 Cor. XVI. frequentatæ ſint, quibus opus certe non fuerit, ſi quidem bonorum a ſingulis facta univerſorum collatio exſtiterit. Imo & Hieroſolymis liberum cuique fuiſſe, facere hoc aut non facere, idem oſtendit Ananiæ exemplo, ad quem Petrus *Actor.* V. 4. *οὐχὶ μένον σοὶ ἔμενε, καὶ πραθὲν ἐν τῇ σῇ ἐξουσίᾳ ὑπῆρχεν*; De hac libertate commentatur diligenter *Jo. de Mey* Tom. I. Opp. Quod ipſum tenendum eſt contra eos, qui vel noſtra vel ſuperiori memoria bonorum communionem, tanquam in vetere Eccleſia univerſim & perpetuo receptam, introducere vel commendare ſategerunt, inter quos *Becherum* quoque numerare par eſt in Pſychoſophia p. 95. Talis ingenii homo fuit Parochus quidam ruralis in Anglia, nomine *Maſon*, quem auctor libri, *the principles of Deism truly repreſented*, p. 26. ſq. tradit, novæ ſectæ auctorem, aſſeclas inveniſſe complures, qui, facultatibus in commune collatis, placita ejus adorarint, uſque dum diem obiret, certa fide facta, fore, ut poſt triduum in vitam rediret. Quod quidem fruſtra exſpectantes aſſeclæ, ſeque ſpe ſua deluſos videntes, ad ſua ſinguli redierunt. Rectius *Lactantius* jam ſua ætate ab ejusmodi communione alienum animum oſtendit in Epitome Inſtitutionum Divinarum cap. XXXVIII. a Cl. *Pfaffio* edita, cujus prolegomena p. 31. conferri merentur. Ceterum Pythagoreos bona communia habuiſſe, tradit *Jamblichus* de Vita Pythagoræ p. 23. & 59. *ἐν δὲ τῷ χρόνῳ τούτῳ*, inquiens, *τὰ μὲν ἑκάστου ὑπάρχοντα τουτέστιν αἱ οὐσίαι, ἐκοινοῦντο.* Conf. p. 67. & *Porphyrium* p. 26. Adde *Elsnerum* p. 376. Alia ex profanis exempla hujusmodi

κοι-

κοινωνίας affert *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 672. Simile institutum suadet Praxagora, femina, concivibus suis apud *Aristophanem* in Ecclesiazusis p. 741. quem locum cum nostro hoc confert *Lamb. Bos* in Exercitt. p. 71. Illa inter cetera sic infit: Κοινωνεῖν γὰρ πάντας φήσω χρῆναι, πάντων μετέχοντας· Κἀκ ταυτοῦ ζῆν, καὶ μὴ τὴν μὲν πλουτεῖν τὸν δ' ἄθλιον εἶναι. Confer ad h. l. Cl. *Gottlieb Schelguigii*, amici nostri, Diss. de Communione Bonorum, inprimis ætate Apostolica Hierosolymis recepta, *Gedani* 1715. 4.

Vers. 46. Καθ' ἡμέραν τὲ) Ex his verbis nonnulli collegerunt, quotidianum usum S. Cœnæ in primitia Ecclesia receptum fuisse. Lege *Petavii* Dogmata Theolog. Tom. IV. p. 289. lib. V. c. 6. de Pœnitentia.

κλῶντές τε κατ' οἶκον ἄρτον) Ad hæc ita *Scaliger* in Actis Literariis ab *Henr. Leonh. Schurzfleischio* editis, p. 27. *Beza: domatim.* Pessime. Καθ' ἡμέραν est *quot diebus*, ὅσαι ἡμέραι, ὁσημέραι. At κατὰ πόλιν non est *quot urbibus, quot oppidis.* In veteri Senatus consulto: ξένιά τε αὐτοῖς κατὰ τὸ διάταγμα, τόπον, παροχήν τε τὸν ταμίαν τὸν κατὰ πόλιν τούτοις μισθῶσαι. In Latino est: *munusque eis ex formula, locum, lautiaque Q. urbis eis locare. Id est* Quæstorem *Urbis.* In formula καθ' ἡμέραν intellige ἑκάστην. Et sæpe: καθ' ἑκάστην, tacito ἡμέρας nomine, usurpatur. At ingens error, κατ' οἶκον esse καθ' ἕκαστον οἶκον. Et in epistola ad Philemonem v. 2. καὶ τῇ κατ' οἶκον ἐκκλησίᾳ recte vertit: *& Ecclesiæ, quæ domi tuæ est.* Præterea non in singulis domibus conveniebant, sed in una omnes erant, in quam conveniebant. Hæc *Scaliger.* Similiter *Jos. Mede* in Operibus pag. 322. κατ' οἶκον idem esse ait, quod ἐν οἴκῳ, vertendumque adeo, non *domatim*, seu *per domos*, sed *domi*, quemadmodum *Arabica*, & *Syriaca* versiones reddiderunt. Adde *Guil. Beveregium* in Codice Canonum Ecclesiæ vindicato p. 202. & *Guil. Caveum* de Christianismo Primitivo pag. 127. Domum vero illam, in qua congregati fuerunt, interpretantur de ædibus illis, seu ὑπερῴῳ, cujus mentio est *Actor.* I. 13. Hanc in rem *Medus* l. c. affert *Bedæ* verba de Locis Sanctis cap. 3. *In superiori montis Sion planitie Monachorum cellulæ Ecclesiam magnam circumdant, illis, ut perhibent, ab Apostolis fundatam; eo, quod ibi Spiritum S. acceperint: in qua etiam locus Cœnæ Domini venerabilis ostenditur.* Ita igitur existimat, Christianos, cultu quotidiano in templo, tempore precationis solemnis, perfunctos *cœnaculum* illud adire, ibique, celebrata cœna Mystica, cibo se invicem reficere consuevisse, atque hanc primam esse ædium sacrarum originem. Nihil video in hac sententia, quod non magna veri specie se commendet. Clare omnino οἶκος hic distinguitur ab ἱερῷ, per quod ut templum intelligitur, ita per οἶκον non potest non privatum domicilium indicari, in quo ὑπερῷον illud, non autem juxta templum in conclavi quodam contiguo fuisse supra ad cap. I. 13. satis ostensum est. Atque illa explicatio etiam ex hoc commate novum accipit robur. Num quis enim persuaderi sibi patietur, ut credat,

Judæos

Judæos Christianis permissuros fuisse, ut in conclavi Templi, non dicam, sacra celebrarent, sed cibum quoque caperent. Nonnulli quidem, inter quos *Vitringa* est de Vetere Synagoga p. 152. sq. illud προσκαρτερεῖν ἐν τῷ ἱερῷ amplius aliquid inferre putant, quam solummodo statis precum horis Templum frequentare, provocantes ad exemplum Annæ Prophetissæ, de qua *Luc.* II. 37. dicatur: ὅτι οὐκ ἀφίστατο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ τοῦ Θεοῦ. Sed idem ille locus cordatissimis Interpretibus nihil aliud inferre recte visus est, quam assiduitatem Annæ statis temporibus & omni alio divini cultus genere perfungendi. Vide quæ scripsimus ad *Act.* II. 37. Conf. *Marc.* XIV. 15. Sensus itaque est, Christianos nullum diem prætermisisse, quo non sacris publicis & privatis vacarent.

καὶ ἀφελότητι καρδίας) *In simplicitate cordis.* Vide *Suiceri* Thesaurum Tom. I. p. 592.

Vers. 47. Ὁ δὲ Κύριος προσετίθει τοὺς σωζομένους καθ' ἡμέραν τῇ ἐκκλησίᾳ) Lege huc *Guil. Beveregii* Conciones Anglic. Tom. II. p. 407. Forte non præter rem τοὺς σωζομένους recte hic interpreteris ex significatu, quem eadem vox obtinet supra v. 40. σώθητε, ut indicetur, Deum effecisse, ut plures indies infidelium cœtum desererent, & discessu suo saluti animæ consulerent. Confer *Petavii* Dogmata Theolog. T. I. p. 354. ubi de Prædestinat. lib. IX. c. 5. §. 9.

τῇ ἐκκλησίᾳ) Deest hæc vox in MS. uno, & versionibus *Arab. Armen.* & *Æthiop.* imo & *Coptica.* Pro glossemate itaque habet *Zegerus*, & *Millius* in Prolegomenis §. 1451. Sed vide in contrarium recte disputantem *Whitbium* in Examine p. 51. Videtur vox illa ideo a nonnullis temere omissa, quod eam v. 41. ubi de eadem re sermo est, προσετέθησαν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, non viderent exstare. Ceterum hinc intelligitur, Ecclesiam Hierosolymitanam primam esse, in quam vis doctrinæ Apostolicæ se exseruit. Hinc factum est, ut eam *matrem Ecclesiarum* omnium appellaret Concilium CPolitanum in Epistola Synodica ad Episcopos Romæ congregatos, *Justinus* autem Imperator *matrem Christiani* nominis in epistola ad Hormisdam. Confer *Pearsonii* Lectiones super Acta p. 37.

CAP. III.

VErs. 1. Ἐπὶ τὸ αὐτὸ δὲ) MSS. nonnulla & versiones quoque voces has ad finem capitis proxime præcedentis referunt, initium hujus capitis a nomine Πέτρος capientes. Sed minus recte hoc factum putat *Millius* in Notis, errorisque hanc occasionem fuisse credit, quod in plurimis MSS. Codd. post verba ἐπὶ τὸ αὐτὸ δὲ notetur minio Ἀρχὴ, seu principium lectionis: quam vocem cum quatuor illæ, quæ revera ad cap. III. pertinebant, antecesserint, hinc putat factum, ut eas in finem capitis II. conjice-

jicerent. Idem tamen, mutata sententia, in Prolegomenis §. 1451. ab ipso Luca hæc verba ad cap. II. immediate relata contendit, his usus argumentis: *supra dicit, πιστεύοντας fuisse ἐπὶ τὸ αὐτὸ, hic, Dominum addidisse quotidie σωζομένους ἐπὶ τὸ αὐτὸ, seu fideles, qui una vivebant, continuo multiplicasse numerum Christianorum, qui in unum congregati erant. Quod phrasis paulo obscurior videretur, suffectum est a nonnullis ad absolvendum sensum in locum τοῦ, ἐπὶ τὸ αὐτὸ quod rejecerunt in sequentia τῇ ἐκκλησίᾳ.* Ita ille. Hic primo observandum est, nihil prohibere, quo minus ἐπὶ τὸ αὐτὸ, si illa ad caput II. omnino referre velimus, cum vocibus τῇ Ἐκκλησίᾳ stare possit: quia sic innueretur, illum fidelium cœtum hic indicari, quem in superioribus aliquoties eodem loci congregatum fuisse S. Lucas dixerat. Itaque conjectura de vocibus τῇ Ἐκκλησίᾳ, postliminio adjectis, nulla est, de qua confer, quæ supra ad II. v. 47. admonita sunt. Utrum vero voces ἐπὶ τὸ αὐτὸ rectius ad cap. II. finem an tertii initium referantur, disputari omnino potest, unde & dubius hic est Rev. *Raphelius* in Annotatt. Polybian. p. 301. Si enim de *eodem loco* phrasin hanc interpretari velimus, quam in superioribus duobus capitibus semper tuetur, vix videbitur ad caput. III. pertinere, cum ibi diserte locus, in quem se *Petrus* & *Joannes* contulerint, nempe εἰς τὸ ἱερὸν, exprimatur, ut proinde supervacuum videri possit, locum illum per ἐπὶ τὸ αὐτὸ simul significari. Vicissim non admodum apparet, cur τὸ ἐπὶ τὸ αὐτὸ ultimæ capitis II. voci τῇ Ἐκκλησίᾳ jungatur, quippe de qua ex v. 44. jam constabat, quod eodem in loco versari cœtus fidelium consueverit. Itaque malim initium capitis III. ab his vocibus facere, sed eo sensu, ut idem hic sit, quod *simul*, quæ significatio in τοῖς LXX. occurrit 2 *Sam.* II. 13. quamque v. 44. locum habere contendit *Boisius* in Collatione p. 356. B. *Luthero* quoque in versione h. l. approbatam.

ἐπὶ τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς τὴν ἐννάτην) i. e. *sub*, vel *ad horam precationis nonam.* Ita profani Scriptores particula ἐπὶ in designando tempore utuntur, v. c. *Arrianus* Expedit. Alex. p. 131. ἐπὶ τὴν ἕω, *sub auroram*, *Polybius* III. c. 83. ἐπὶ τὴν ἑωθινὴν, scil. ὥραν, *sub matutinum tempus* & alii, a Cl. *Jo. Alberti* in Obss. Sacr. pag. 224. copiose allati. Itaque cave, audias *Salmasium*, Virum alioquin ἑλληνικώτατον, in notis ad *Achillem Tatium* pag. 579. affirmantem, *ἐπὶ τὴν τρίτην ὥραν Græcam locutionem non esse*, sed scribendum potius, περὶ τὴν τρίτην ὥραν. Recte itaque B. *Lutherus* convertit um die neunte Stunde, pro quo lege contra Pontificios B. *Raithii* Vindicias Versionis Germanicæ pag. 445. sqq. Hora hæc *nona* numeratur ab ortu Solis, ut alias in Novi Instrumenti tabulis ex Judæorum more frequenter fit. Igitur illa respondet tertiæ nostræ pomeridianæ. Tres autem erant horæ solemni precationi apud Judæos, atque hinc apud Christianos, destinatæ, nempe *tertia*, *sexta* & *nona*. Vide præter Interpretes ad *Daniel.* VI. 10. & locum nostrum, (interque eos potissimum *Jac. Cappellum*,) *Sam. Petitum* cap. XV. Var. Lect. & alios a Cl. *Fabricio* nostro in Bibliotheca Antiquaria pag. 363. & ad Tom. I. Apocryphorum N. T.

N. T. p. 499. item *Pet. Zornio* in Opusc. Sacris p. 744. citatos. Ex Judæis lege Interpretes ad Codicem *Berachoth*, inprimis III. 4. Ab illis *tertia* precandi hora vocatur תפלת שחרית *precatio matutina*: *sexta* תפלת מנחה *precatio muneris* seu *oblationis*, & *nona* תפלת צהרים *precatio vespertina*. Utrum Christiani statas illas horas semper, & qua ratione observarint, disquirunt eruditi passim, quos *Fabricius* l. c. affert. Confer *Henr. Dodwellum* de Jure Laicorum p. 222. sq.

Vers. 2. *καί τις ἀνὴρ χωλὸς*) De claudo hoc pariter, & eo, cujus mentio est *Actor*. XIV. lege B. *Wedelii* Exercitatt. Medico-Philologic. Centur. II. Decad. I. Exerc. VIII. p. 79. sq. & alios de Morbis Biblicis Scriptores, nec minus V. H. *Voglerum* de rebus naturalibus p. 350. sq.

πρὸς τὴν θύραν τῦ ἱερῦ τὴν λεγομένην Ὡραίαν) Portam hanc *ὡραίας* nomine *Colomesius* in Obss. Sacr. pag. 138. cum *Th. Brunone* dictam putat *ἀπὸ τῆς ὥρας τῆς προσευχῆς*. Sed id quidem parum veri est simile. Quis enim crediderit, Judæos nomen origine Græcum impostituros fuisse portis templi, ut non dicam, vocem *ὡραίαν* i. e. *pulchram*, vel *amœnam*, longe aliud significare, quam ut ab *ὥρα*, quæ tempus infert, repeti possit. Alii convenientius vertunt per *speciosam*, aut *pulchram*, iique omnino ad originem vocis propius accedunt. Lege inprimis Cl. *J. Alberti* in Obss. Sacr. pag. 225. cui non difficulter assensero. Alii malunt *lætam*, *hilarem* & *amœnam* dicere, quam Hebræi נעימה appellarent. Sic enim *Cantic*. I. 15. נעים a *τοῖς* LXX. redditur per *ὡραῖος*. Ita B. *Jo. Christoph. Wagenseilius* in Notis ad *Sota* pag. 40. Atque idem ille hoc nomine Portam Orientalem atrii gentium insignitam censet, quæ Hebraice שער שושן *Porta Susan* dicebatur. Hanc enim portam *Gaudentem*, vel *Lætam*, vel *Gaudii* & *Lætitiæ* vocari posse censet, quia voces Hebr. שושן *Susan*, & ששון *Sason*, i. e. *gaudium* cognatæ sint, sicut & *Susan* in veteri quadam Nominum Propriorum interpretatione ita convertatur. Idem l. c. pag. 39. contra *Lempereurium* & *Lightfootum* disputat, statuentes, Portam hanc in plaga orientali Atrii mulierum exstitisse, idque ideo credi vix posse putat, primum, quod dubitandum sit, num ob loci religionem fas fuerit homini claudo ibi considere, & stipem colligere, quam in rem conferri vult *Kelim* c. I. §. 9. deinde, quod ille locus ad stipem colligendam minus commodus fuerit, quæ amplior expectari poterat, si juxta extimam aliquam sedens a pluribus & inprimis piis alienigenis, Hierosolymam confluentibus, pauper expeteret. Vide plura l. c. ubi eadem opera de ceteris Templi portis exponitur. Adde *Relandi* Antiquitt. Hebr. pag. 82. Gentilium pauperes ad portas templorum stipem petere consuevisse, patet ex *Martiali* lib. I. Epigr. 112. Conf. *Picinelli* Lumina Reflexa p. 672.

Vers. 3. *Πέτρον καὶ Ἰωάννην μέλλοντας εἰσιέναι*) Petrus & Johannes societatem hic ineunt notatu dignam, Petrus qui maxime diligebat Christum, &

Johannes, quem præcipue diligebat Christus, qui ad parandum ultimum Pascha a Christo simul missi sunt, *Luc.* XXII. 8. qui Christum comprehensum & ligatum in aulam Pontificis secuti sunt, qui ad sepulchrum Christi simul perrexerunt *Jo.* XX. 3. Conf. *Pearson.* Lectiones ad h. l. p. 39.

Vers. 4. Ἀτενίσας δὲ Πέτρος) Verbum ἀτενίζειν, Lucæ præsertim familiare, notat: *intentis oculis adspicere, & intueri*, ἀτενέσι τοῖς ὀφθαλμοῖς καθορᾶν, ut *Lucianus* inquit Fugitiv. p. 791. & fere *Heliodorus* lib. 3. p. 137. qui lib. 7. p. 357. ipso hoc verbo utitur. Conf. *Elsnerum* p. 377.

σὺν τῷ Ἰωάννῃ) Desunt hæc in uno Cod. MS. atque ideo præceps nimis *Millius* ea ex margine irrepsisse statuit in Prolegomenis. Cur enim Johannem & Petrum hic non simul commemoratos esse credamus, cum Petrus diserte utrumque adspicere jubeat, dicens: βλέψον εἰς ἡμᾶς, *respice nos*, quorum scilicet oculos in te habes defixos.

Vers. 5. Ὁ δ' ἐπεῖχεν αὐτοῖς) Ita quoque *Luc.* XIV. 7. & 1 *Tim.* IV. 16. nec minus apud *Siracidem* frequenter. Sic *Plutarchus* τὸν Ἰταλὸν ἐπέχοντα τῷ Πύρρῳ dixit in *Pyrrho* p. 393. & *Polybius* p. 531. *Lamb. Bos* p. 150. de Ellipsi subintelligi vult τοὺς ὀφθαλμοὺς, quod *Lucianus* alicubi plene ita dixerit. Rectius vero subaudiri τὸν νοῦν existimat *Elsnerus* pag. 378. ut *Lucianus* in Pseudomant. ἐπέχειν τὸν νοῦν τοῖς μεγίστοις ait. Conferatur idem pag. 505. Atque hoc puto ad rem, de qua h. l. agitur, accommodatius.

προσδοκῶν τι παρ' αὐτῶν λαβεῖν) Ita *Ælianus* Hist. Animal. II. 48. corvos dicit a navigantibus λαβεῖν τι αἰτοῦντας.

Vers. 6. ἀργύριον καὶ χρυσίον οὐχ ὑπάρχει μοι) Videntur hæc nonnullis eo dici, quod nemini, ad Templum proficiscenti, argentum secum ferre licebat: quod observare memini *Gœreum* Part. IV. de Republica Hebræorum.

Vers. 7. Καὶ πιάσας αὐτὸν τῆς δεξιᾶς χειρὸς) Nempe tactu illo restituebat claudum, ut alias manuum impositione infra XXVIII. 8. atque sic proprie διὰ χειρῶν τῶν Ἀποστόλων ἐγίνοντο σημεῖα cap. V. 12. quod promissum erat a Christo *Marc.* XVI. 18. Idem hoc *Jarchæ*, Indorum Philosopho, affinxit *Philostratus* in Vita Apollon. pag. 129. quem solo tactu restituisse narrat annos triginta natum, ita ut εἰς ὀρθὸν τοῦ βαδίσματος ὁ νεανίας ἦλθε, *juveni recte gradiendi facultas restituta sit.* Vide *Elsnerum* pag. 379. Illustrationis loco afferri huc poterat sanatio mali Regii seu strumarum, quæ ab Angliæ Regibus tactu suscipi solet. Sed nihil hic esse miraculosi & supernaturalis, non ita pridem singulari libello affirmavit *William Becket*, quem inscripsit: *Free & impartial Enquiry into the Antiquity and efficacy of touching for the Cure of the Kings evil*, *Lond.* 1722. 12. ubi tota hujus ritus historia & origo susceptæ ejus-

ejusmodi curationis edisseritur. Confer Bibliothecam Anglicanam Tom. X. Part. I. p. 92. sq.

Vers. 7. & 8. καὶ ἐστερεώθησαν) Ita *Sueton.* in Vespas. c. 7. *confirmare crus* dicit, quomodo etiam hic vertit *Castalio.*

αὐτοῦ αἱ βάσεις) βάσεις *Beza* & *Fesselius* Adversar. Sacr. lib. V. c. 1. p. 414. recte exponunt per *pedes*, quo sensu eadem vox occurrit apud *Apollodorum* Biblioth. lib. I. p. 9. ubi de Theti dicitur, quod Vulcanum πηρωθέντα τὰς βάσεις διέσωσε, *claudum pedibus servavit.* Sic & *Pollux* ex Platone per πόδας & Scholiastes apud *Sophoclem* Philoctet. v. 692. βάσιν per πόδα interpretatur. Pro *planta pedis* accipit Interpres Coptus Wilkinsianus, & *Erasmus*, quemadmodum *Lucianus* in Tragopod. p. 804.

χειρῶν ἀπ' ἄκρων εἰς ἄκρας ποδῶν βάσεις
Manibus ab extremis ad infimas pedum plantas.

Vide huc *Jo. Alberti* Obss. Sacr. p. 226. & *Elsnerum* p. 379. qui fortasse *gressum* intelligi posse censet, ut notetur, non solum malleolos, sed & gressum firmatum esse recte incessuro. Conf. *Hebr.* XII. 13. & *Hippocrat.* de Artic. p. 824.

καὶ σφυρὰ) & *malleolos*, a σφυρὸν *malleus*: quo sensu exstat apud *Theocritum* Idyll. IV. v. 51. & *Callimachum* in Dianam v. 128. ubi vide *Spanhemium* p. 225.

Vers. 8. καὶ ἐξαλλόμενος) *exsiliens.* Dionys. Halicarn. Antiqu. Rom. lib. II. p. 130. τὸ γὰρ ἐξάλλεσθαί τε καὶ πηδᾶν σαλίρε ὑπ' αὐτῶν λέγεται. Conf. *Jo. Alberti* p. 227.

Vers. 11. ἐπὶ τῇ στοᾷ τῇ καλουμένῃ Σολομῶντος) De ista porticu lege, quae scripta sunt ad *Joh.* X. 23. Adde *Seldenum* de Jure Naturae & Gentium ex disciplina Hebraeorum p. 301.

Vers. 12. τί ἀτενίζετε;) Vide supra ad v. 4.

ὡς ἰδίᾳ δυνάμει ἢ εὐσεβείᾳ πεποιηκόσι) Vide ad haec verba B. *Raithii* Vindicias Versionis Lutheri Germanicae p. 448.

Vers. 13. τὸν παῖδα αὐτοῦ) *filium suum.* Ita *Xenophon*, quem modo παῖδα vocarat, mox υἱὸν dicit *Cyropaed.* lib. I. p. 6. apud quem tum avus tum mater Cyrum semper hac voce compellant, ut p. 7. & 9. Cambyses ibidem p. 180. Cyrum maturae aetatis παῖδα vocat. Conf. *Raphelii* Notas Xenophont. p. 149. Adde *Homerum* Odyss. ά. in limine, ubi Ulysses Laërtis nunc υἱὸς nunc παῖς vocatur, & *Aelian.* Var. Hist. VII. 5. Itaque non cogitandum est de Hebraismo, quamvis vox נער Hebraeis eodem sensu usurpetur. Lege *Gusseti* Commentarios Linguae Hebr. p. 522.

κατὰ πρόσωπον) i. e. *in conspectu, coram.* Ita *Polybius* p. 1190. *καλεῖν δ' ἐκέλευε κατὰ πρόσωπον εἴ τις αὐτῷ κατηγορεῖ. Si quis accusare vellet, cum jubebat vocari, ut in suum conspectum veniret.* Conf. p. 1093. & 1211. Lege *Raphel.* Notas Polybian. p. 310. Respondet alioquin Hebræo לפני secundum *Starckium* in Notis Select. pag. 115. Itaque non probandus est *Hammondus*, qui exponit *contra voluntatem ejus.*

κρίναντος ἐκείνου ἀπολύειν) Recte hic subintelligitur *δεῖν*, monente *Lamb. Bos* de Ellipsi p. 292. ut infra XV. 24. *λέγοντες περιτέμνεσθαι καὶ τηρεῖν τὸν νόμον* sc. *δεῖν.* Similiter *Xenophon* Cyropæd. lib. II. c. 13. *πότερα δοκεῖ -- ποιεῖν* sc. *δεῖν utrum videtur faciendum?* Itaque nolim vertere cum *Boisio* in Collat. p. 357. *cum ille dimittere decrevisset.*

Vers. 14. *τὸν ἅγιον καὶ δίκαιον*) *Justi* nomine frequenter venit Salvator Optimus in N. T. ut *Matth.* XXVII. 19. 24. *Act.* VII. 52. & XXII. 14. & 1 *Joh.* II. 29. quod recte observat *Wilh. Whiston* in Conatu codicem Hebræum restituendi pag. 97. qui tamen inde temere, more suo, conficit, eundem Messiæ titulum omnino in loco palmario Jes. XLI. 2. XLII. 1-4. exstare debuisse, ubi tamen hodie nec in Hebræo, nec in Græco contextu legatur, a Judæis scilicet postliminio sublatus. Priori loco hæc exstant: מי העיר ממזרח צדק i. e. *quis excitavit ex Oriente justitiam?* quæ verba de Messia omnino accipienda esse contendit. Enimvero, quamvis *Hieronymus*, *Cyrillus* & *Procopius* de Christo hæc intelligant, non tamen res adeo expedita est, an non potius cum aliis, & nostratium plerisque, Abrahamus hic intelligendus veniat, quem ut *virum justum* Sap. X. 5. e Chaldæa Deus evocarit. Sed largiamur, de Christo hic esse sermonem. Nonne idem צדק *justitia* æque ac צדיק *justus* appellari recte censebitur ex more Hebræorum, quos abstractum pro concreto sæpe adhibere nemo ignorare potest? Eadem loquendi ratione Christus nobis dicitur factus justitia 1 *Cor.* I. 30. Nihil pro *Whistono* facit *Philo*, tanquam qui in Decalogo pag. 749. tradat, oraculum hoc repræsentare *ἄνδρα τινὰ δίκαιον*, *virum justum.* Dicere enim hoc poterat Philo, etiamsi in Hebræo legeret צדק ex illa, quam adduximus, ratione. Nec desunt alia loca V. T. ad quæ rectius dicatur respectus haberi, quoties Messias in Novo Fœdere *justi* nomine appellatur. Talis omnino est *Jes.* LIII. 11. Adeo in re obvia inconsulte violenta manus infertur sacris Hebræorum tabulis. Conf. quæ de hoc Messiæ titulo scripsimus ad *Luc.* XXIII. 47.

Vers. 15. *τὸν δὲ ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς*) Vocem *ἀρχηγὸς* pro *auctore & principe* alicujus rei aliquoties adhibet *Polybius* lib. V. c. 10. & p. 842. confer *Raphelii* Notas Polybian. p. 311. Ita *Menander* in Fragment. p. 152. noctem *πολλῶν κακῶν ἀρχηγὸν* appellat. Christus autem h. l. ita appellatur, quod vitam habet a se ipso, ut recte interpretatur Chrysostomus. Vide *Suicerum* Tom. I. p. 532.

ἐν

ὃν ὁ Θεὸς ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν) Quare Christus a Patre ex mortuis hic & alias excitatus dicatur, qui alibi se ipsum legitur excitasse, ostendit *Fesselius* T. II. Adversar. Sacr. p. 389.

Vers. 16. ἐστερέωσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ) *Nomen Dei* alias pro *Deo* ipso frequenter adhiberi, ut *Deut.* XXVIII. 58. tum vero apud Targumistas & τοὺς LXX. recte ad h. l. observavit *Keuchenius.* Idem tamen simul largitur, *divinam gratiam* phrasi ista h. l. indicari. Mihi ad *potentiam* inprimis respici videtur ex v. 6. ubi ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Χριστοῦ claudus hic surgere jubetur, quemadmodum & Judæi tunc præsentes admonentur, v. 12. ne Apostolos respiciant, ὡς ἰδίᾳ δυνάμει ἢ εὐσεβείᾳ πεποιηκότας.

τὴν ὁλοκληρίαν ταύτην) *sanitatem integram.* Sic οἱ LXX. Ebræum מתם vertunt Jes. I. 6. pro quo *Symmachus* ὑγιές.

Vers. 17. κατὰ ἄγνοιαν) i. e. quod non penitus persuasum sibi haberent, Christum esse verum Messiam. Aliqua enim ex parte sciebant, vel saltem suspicabantur, scire autem poterant, si diligentiam omnem, præjudiciis valere jussis, adhibuissent. Hinc & Joh. XV. 22. 24. peccatum habere dicuntur. Ceterum & profani eos, qui per ignorantiam a vero aberrent, venia dignos esse pronunciant, qui τῷ κατὰ ἄγνοιαν opponunt τὸ κατὰ προαίρεσιν & πρόθεσιν. Vide *Polybium* p. 916. & 1415. apud *Raphelium* in Notis Polybian. p. 311. Adde *Erasmum* Tom. IX. Opp. p. 1387.

ὥσπερ καὶ οἱ ἄρχοντες ὑμῶν) Videri poterant hæc adversari parabolæ *Matth.* XXI. recitatæ, ubi Judæorum proceres, sub γεωργῶν habitu repræsentati, scientesque crimen hoc in Christum perfecisse non obscure dicuntur. Sed possunt proceres eorum in duos ordines distingui, quorum alter vere Christum ignorarit, & pro Messia non habuerit; alter vero cognitum habuerit. Nisi malis τὸ, ὥσπερ καὶ οἱ ἄρχοντες ὑμῶν referre non ad remotius illud κατ' ἄγνοιαν, sed ad proximum, nempe ἐπράξατε simpliciter, hoc sensu: *scio vos ignorantia adductos, ut faceretis, sicut duces vestri.* Agebatur scilicet hic de vulgo Judæorum consolando, aliqua criminis eorum non tam excusatione, quam imminutione, ut sic facilius spem veniæ, per fidem impetrandæ, conciperent. Ita *Syrus* verba intellexit, quando vertit: *sicut fecerunt duces vestri.* Sic *Paulus* quoque in hac causa ad ignorantiam suam provocat, 1 *Tim.* I. 13. Confer huc *Gusseti* Confutationem libri *Chissuk Emuna* p. 378. De illis Judæorum ἄρχουσι dictum a me est passim ad Evangelia.

Vers. 18. παθεῖν τὸν Χριστὸν) Desunt hæc in Cod. *Alexandr.* & *Grotius* subdubitat, utrum pro glossemate potius addito, an parte sensus habenda sint? Posterius omnino verius est. Quamvis enim Prophetæ omnes de Christo, aliquando passuro, non æque clare vaticinati videantur, id quod effecisse

effecisse videtur, ut phrasin illam librarius unus omitteret; tamen non necesse est, ut Prophetarum illa vaticinia ad solam passionem referantur, quæ rectius de Prophetarum oraculis, in quantum ad Christum in universum spectant, accipiuntur. Hanc amplitudinem istis Petri verbis hoc loco tribuendam esse, patet ex v. 21. & 24. Passionis vero speciatim propterea mentio fit, quia illa reliquis Christi rebus omnibus, quas Prophetæ prænunciarunt, finem imposuit, & sigillum impressit.

ὅπως ἂν ἔλθωσι) Particulam ὅπως alii aliter hic vertunt. Nonnulli reddunt per *cum* vel *postquam*, ut idem sit, quod ἐπειδὰν, hoc sensu: *cum jam advenerint tempora refrigerii.* Ita *Erasmus*, *Beza*, *Piscator*, ex nostratibus vero *Erasmus Schmidius* & *Sal. Glassius* in Grammatica Sacra p. 443. Alii τὸ ὅπως per & interpretantur: & *veniant* vobis tempora refrigerii. Alii per *quando* explicant, ut Belgæ. Alii denique, propriam τῦ ὅπως notionem tenentes, per *ut* convertunt, ut sic vel *finis*, vel *consequens* rei, de qua sermo est, indicetur. Ita accepit B. *Lutherus* noster, & *Lud. de Dieu.* Contra primam illam versionem hæc excipit *Boisius* in Collatione p. 358. *Primum*, inquit, *in prolatis exemplis est ὅπως sine ἂν. Deinde, quod maxime me movet, parum æquum censeo, ut Lucæ mentem nobis, contra vulgarem & receptum usum, Sophocles & Herodotus interpretentur.* Sed ad hæc tamen facilius, puto, responderi posset, quam defendi illa, quam idem cum Erasmo amplectitur, sententia. Putat enim hic esse ἀνανταπόδοτον, seu deesse aliquid explendæ sententiæ, quod hoc modo possit expleri: *resipiscite igitur & convertimini, ut deleantur peccata vestra: ut, si venerint* (vel, ut, cum venerint, ἂν pro ὅταν) *tempora refrigerationis a conspectu Domini & miserit prænunciatum vobis Christum, non disperdamini a populo.* Durius certe videbitur multis, ex v. 23. ubi legitur: μὴ ἐξολοθρευθήσεται ἐκ τῦ λαῦ, integram sententiam: *non disperdamini a populo*, hic infarcire, quam τὸ ὅπως ea induere significatione, quæ, utut forte ex LXX. Intt. vel N. T. probari non possit, Linguæ tamen Græcæ rationibus non adversatur. Interim non dubito, rectissime τὸ ὅπως per *ut* verti, quæ & propria vocis significatio est, & huic loco inprimis accommodata, quod apparebit ex iis, quæ mox de καιροῖς ἀναψύξεως & ἀποκαταστάσεως πάντων dicentur.

καιροὶ ἀναψύξεως) Tempora illa refrigerii alii de tempore *judicii extremi*, alii de tempore gratiæ Evangelicæ, quod tum illuxerat, alii de tempore gloriosi status Ecclesiæ in his terris accipiunt. De tribus his sententiis lege differentem *Vitringam* in Observatt. Sacris lib. V. c. 6. §. 14. p. 81. & in Comment. in Jes. XXIV. 36. qui tertiam amplectitur. Idem primæ sententiæ id putat adversari, quod Petrus loquatur de καιροῖς & χρόνοις, quod rectius putat referri ad tempora & sæcula mundi, quam ad diem illum magnum, qui sæculum æternitatis secum feret, de quo in singulari Scriptores Sacri loqui consueverint. Deinde, quod talis hic intelligatur ἀποκατάστασις rerum, & talia illius tempora, de quibus vaticinati sint omnes

sancti

ſancti Prophetæ. Hos autem ait non multis, nec præcipue, de ſecundo adventu Meſſiæ noviſſimoque judicio locutos eſſe, ſed viciſſim fata Eccleſiæ varia in his terris, eorumque ſigna expoſuiſſe. Contra ſecundam ſententiam hæc objicit, quod Apoſtolus loquatur de temporibus refrigerii, quæ nondum advenerant: tum vero, quod ex collato v. 19. & 21. liqueat, tempora refrigerii eadem eſſe, quæ tempora ἀποκαταστάσεως; denique, quod vox ἀνάψυξις vera & propria ſignificatione accipi debeat pro reſpiratione a malis & calamitatibus externis. Suam denique, quæ tertia eſt, ſententiam ita ornat: *Tempora ἀναψύξεως & ἀποκαταστάσεως πάντων, de quibus omnes locuti ſunt Prophetæ, aut tempora* conſolationis pacis, *proſperi, læti & glorioſi ſtatus Eccleſiæ Chriſti Jeſu in his terris, ante conſummationem ſeculorum decurſura, tempora* חדוש innovationis & reſtitutionis omnium rerum *in ſuum ordinem (quæ vis vocis ἀποκατάστασις) proxime conſecuturæ veram converſionem Judæorum* ad Deum & Regem ſuum, Davidem myſticum. *Inſpice omnes Prophetas, Veteres, Recentiores; in his temporibus Pacis, refrigerii (נחמתא) conſolationis deſcribendis omnes illorum finiri videbis prophetias* &c. Confer quæ in eandem fere ſententiam commentatur *Grœnewegius* in libro de extenſione & gloria regni Chriſti p. 148. & ex eo *Amelius* Part. II. pag. 819. ſqq. Sed hanc *Vitringæ* ſententiam non minores premunt difficultates, quam quas ipſe ſibi in ceteris videre viſus eſt. Primum enim felix ille Eccleſiæ ſtatus, qui ante ſæculi finem eventurus ſit, ita non eſt ad liquidum perductus, ut ad illum tam confidenter provocari poſſit. Quod ut ab aliis oſtenſum eſt, ita a nobis hoc loco fieri nec poteſt, nec neceſſe eſt. Deinde ad hæc tempora non poterant revocari Judæorum tunc viventium & in limine converſionis jam conſtitutorum, animi. Illi enim hac promiſſione debebant magis excitari ad converſionem perficiendam, tanquam qui ipſi fructum ex ea ampliſſimum percepturi eſſent. Quid vero, quæſo te, illa Eccleſiæ Chriſti in his terris felicitas ad Judæos tunc præſentes, quorum ſcilicet, ſi converterentur, animæ non illius ſed in cœlis felicitatis participes futuræ erant? Nec ſufficit, quod Vir doctus p. 84. regerit, *in oratione Petri nihil aliud latere, quam tempora illa refrigerii & conſolationis univerſalis exſpectari non poſſe ante converſionem gentis Judææ ad Deum & Meſſiam, quod ſit illorum temporum ſignum.* Certe de eo inprimis diſputatur, numquid amplius lateat in illis Petri verbis? Aliud vero hic latere ſcopus Petri perorantis credere jubet. Is excitaturus Judæos illius ætatis erat ad pœnitentiam. In hanc rem utitur, ſi illum quidem audimus, argumento, quod ad poſteros eorum longiſſime remotos ſpectabat, nempe promiſſione de feliciſſimo Eccleſiæ ſtatu in his terris, tum exhibendo, ubi Judæi & gentiles vel in univerſum, vel in magna copia Chriſtum agnituri ſint. Quod ſi hoc ſenſu Judæi verba Petri accepiſſent, obvertere poterant: itaque Dei conſilium & voluntatem non eſſe, ut ipſi convertantur, ſed exſpectandum eſſe illud tempus, ad quod promiſſio illa referatur.

Proinde magis ſe mihi probat illorum interpretatio, qui tempora *ἀναψύξεως* & *ἀποκαταστάσεως πάντων* a ſe invicem diſtinguunt, & priora quidem de adventu Chriſti primo, temporibusque gratiæ N. T. accipiunt, poſteriora autem de adventu Chriſti noviſſimo interpretantur. Vocantur autem hæc tempora *refrigerii* ſeu *ἀναψύξεως*, quia Judæi ad Chriſtum converſi non amplius obnoxii futuri erant æſtui legis tonantis & terrentis, nec oneri legis cerimonialis, ſed utroque liberati, ſub umbra meriti Chriſti, ad veram quietem animæ perducendi. Hoc ſenſu Chriſtus volebat, ut jugum ſuum in ſe reciperent, & ſic quidem ſibi conciliarent: *καὶ εὑρήσετε ἀνάπαυσιν ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν Matth.* XI. 29. Vide, quæ in eandem ſententiam commentatur *Starckius* in Notis Selectis p. 116. Non poteſt his objici, quod *Vitringa* facit l. c. p. 81. tempora illa refrigerii, ſeu gratiæ N. T. tum jam adſuiſſe, quæ tamen hic ut ventura adhuc ſignificentur. Nam illuxerant quidam illa tempora univerſis (*Tit.* II. 11. *ἐπεφάνη ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ πᾶσιν ἀνθρώποις*) venerant in mundum, ſed nondum venerant cum fructu ad eorum animos, qui præconium gratiæ averſabantur. Jam vero conſtat, phraſi Scripturæ *judicia* vel *gratiam* Dei ſuper illos & ad illos dici venire, qui priora ſentiunt & poſterioris fructum cum voluptate admittunt & experiuntur.

Utut igitur hæc ſententia præ prima illa omnino ſe commendet, malim tamen libentius amplecti eam, quæ & *ἀνάψυξιν* & *ἀποκατάστασιν* idem, nempe tempora judicii extremi, denotare cenſet. Tempora enim refrigerii hic immediate conjunguntur cum miſſione Filii a Patre exſpectanda; *ὅπως ἂν ἔλθωσι καιροὶ ἀναψύξεως, - καὶ ἀποστείλῃ ὑμῖν τὸν προκεκηρυγμένον ὑμῖν Ἰησοῦν Χριστόν.* Miſſionem vero illam non de ea, quæ ad *nativitatem* aut *gratiam*, ſed de tali, quæ ad *judicium* peragendum ſpectat, intelligendam eſſe, ex v. 21. patet, ubi de Chriſto dicitur *ὃ δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι*, *quem cœlum quidem recipere oportet.* Itaque de Chriſto ſermo eſt, in quantum *mitti* ſeu *venire* debet ex cœlo, nempe inſtar judicis & cum majeſtate ac gloria. Hunc adventum promiſerant Angeli Apoſtolis, & ceteris fidelibus, qui Chriſtum in cœlum adſcendentem oculis ſuis erant proſecuti. Sic enim illi *Act.* I. 11. *οὗτος ὁ Ἰησοῦς ὁ ἀναληφθεὶς ἀφ' ὑμῶν εἰς τὸν οὐρανὸν, οὕτως ἐλεύσεται, ὃν τρόπον ἐθεάσασθε αὐτὸν πορευόμενον εἰς τὸν οὐρανόν.* Et quid obſtat, quo minus Petrum ad ipſam hanc promiſſionem reſpexiſſe dicamus? Nec obſcurum eſt, tempus judicii extremi tempus eſſe *refrigerii* converſis ad Chriſtum. Eo enim in univerſum omnes a calamitatibus, quibus alioquin in hac vita obnoxii ſunt, in perpetuum liberi pronunciabuntur. Propterea illud tempus eodem modo deſcribitur 2 *Theſſ.* I. 7. ubi dicitur, juſtum eſſe apud Deum, *δοῦναι τοῖς θλιβομένοις ἄνεσιν μεθ' ἡμῶν, ἐν τῇ ἀποκαλύψει τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ ἀπ' οὐρανοῦ μετ' ἀγγέλων δυνάμεως αὐτοῦ.* Nec minus tempus judicii vocari poſſe *tempus reſtitutionis omnium*, patet ex iis, quæ de illo *Petrus* 2 ep. III. 13. *Johannes* Apoc. XXI. 1. 5. & *Jeſaias* LXV. 17. & LXVI. 12. exponunt. Nec obſtat, quod *Vitringa* excipit,

tempus

tempus ſcilicet judicii extremi non per *dies* in plurium numero, ſed per diem in ſingulari a Prophetis deſignari ſolere. Hebræos illa numerorum enallage frequenter uti pervulgatum eſt, quæ vel inprimis tunc occurrit, ubi de re eminentiore & ſingulari ſermo eſt. Id quod de die extremo dici poſſe nemo diffitebitur. Et quid ſi dicamus, *καιρὺς* illos *ἀναψύξεως* & *ἀποκαταςάσεως* eo ſenſu hic accipi, ut ſcilicet nonnulla ipſum extremum judicium proxime anteceſſura comprehendantur? His autem prodromos quosdam imminentis proxime felicitatis ſe fidelibus ſtituros Evangelica veritas docet. Huc pertinet phraſis אחרית הימים, ſeu *dies poſteri*, qua nonnunquam tempus, adventum Chriſti ultimum proxime antecedens, & ipſum judicium ſimul inferri patet ex *Ezech.* XXXVIII. 8. Confer *Feſſelii* Adverſaria Sacra Tom. I. pag. 445. & Diſſertat. meam de diebus poſteris. Non plus valet alterum illud, quod nempe Prophetæ de illo die extremo non præcipue & copioſe locuti ſint. Nam id quidem Petrus h. l. non affirmat, cujus verba id ſibi volunt, venturum eſſe *diem reſtitutionis omnium* (ſcilicet *rerum*) de quibus locuti ſint Prophetæ. Itaque non de ſolo judicio illo, vel præcipue vel copioſe prænunciato a Prophetis, hic cogitavit Petrus, ſed de ceteris omnibus ad Chriſtum pertinentibus, quorum implementum abſolutum exſpectandum ſit in judicio extremo. Patet id ex vaticinio Moſis v. 22. & 23. allato, cujus finis eſt: *ἔςαι δὲ, πᾶσα ψυχὴ ἥτις ἂν μὴ ἀκύσῃ τῦ Προφήτυ ἐκείνυ, ἐξολοθρευθήσεται ἐκ τῦ λαῦ.* Hic excidium animæ cujuscunque incredulæ timeri jubetur. Hoc autem inprimis & omnium oculis manifeſtum fiet illo judicii die, quo omnia in lucem proferentur, & debitus cuique locus adſignabitur. Confer hanc in rem parabolam de tritico & Zizaniis a ſe invicem ſeparandis *Matth.* XIII. Adde dicenda ad v. 21.

Ceterum de notione & efficacia phraſeos *καιρὸς ἀναψύξεως* lege *Keuchenium* ad h. l.

ἀπὸ προσώπυ τῦ Κυρίυ) Lege huc *Vorſtii* Philolog. Sacr. Part. I. p. 293.

Verſ. 20. *τὸν προκεκηρυγμένον ὑμῖν*) Codices varii, & verſiones, & Patres hic legunt *προκεχειρισμένον* i. e. *praordinatum*. Atque id præferunt recentiorum nonnulli, interque eos *Vitringa* l. c. p. 81. Inter utramque lectionem nihil quod ad ſenſum intereſt. Qui enim a Deo *praordinatus* ſeu *deſtinatus* eſt, ut ſit Meſſias, idem a Prophetis eſt prænunciatus. Interim vulgata lectio ſe præ hac tuetur, ſi recogitemus, Petrum aliquoties in hac oratione ad vaticinia Prophetarum ſe recipere, ut v. 18. *ἃ προκατήγγειλε ὁ Θεὸς* v. 24. *καὶ προκατήγγειλαν τὰς ἡμέρας ταύτας.* Conf. *Whitbii* Examen p. 51.

Verſ. 21. *ὃν δεῖ ὐρανὸν μὲν δέξαϑαι*) Particula *μὲν* hic occurrit ſine *δὲ*, non ſine exemplo Scriptorum profanorum. Vide ſcripta ad Act. I. 1.

'Οὐρανὸν δέξασθαι) Ita noſtrates inprimis Theologi hic accipiunt, ut *Chriſtus dicatur cœlum capere*, tanquam ubique præſens futurus; *Calviniani* vero ita, ut *cælum* dicatur *capere Chriſtum*, quo ſenſu *Beza* vertit: *quem oportet cælo capi.* Pro hac interpretatione multis pugnat *Jo. Vorſtius* in Diſſertationibus Sacris lib. III. p. 26. ſqq. Olim quoque inter *Nic. Selneccerum* & *Bezam*, itemque *Esromum Rudingerum* de hac cauſa multis fuit diſputatum. Vide *Ge. Jac. Schwindelii* Bibliothecam pag. 542. Nobis quidem in his excutiendis prolixis eſſe non licet, præcipue cum hoc argumentum ad Theologorum ſcholas pertineat. Id tamen obſervari par eſt, ſi vel maxime largiamur, verba illa eo, quo Calviniani cum Beza volunt, converti poſſe, inde tamen non conſequi, quod cœlo localiter ſit incluſus. Τὸ δέχεσθαι enim per ſe non *incluſionem* infert, ſed *receptionem*. Poteſt vero aliquis dici recipi in locum aliquem, in quo eſt, quamvis propterea non a ceteris locis excludatur. Interim recte *Limborchius* in Comment. ad h. l. p. 47. animadvertit in Bezæ verſionem: *Præſtitiſſet*, inquiens, *meo judicio ambiguitatem, quæ in textu Græco eſt, etiam in Latina verſione retinuiſſe, atque ex textus circumſtantiis genuinam ejus explicationem adſtruere.* Mihi quidem illi ſe inprimis probant, qui verba hæc cum B. Luthero vertunt: *quem* (i. e. Jeſum) *occupare oportet cœlum.* Ita *Euripides* in Alceſt. v. 817. ubi ſervus ad Herculem: οὐκ ἦλθες ἐν δέοντι, δέξασθαι δόμους h. e. *non veniſti opportune has ædes occupatum*, i. e. ut has ædes occupes, inſtar hoſpitis ſcilicet, quod ſeries ſermonis evincit. Ex quo loco ſimul intelligitur, non habuiſſe cauſam *Vorſtium*, cur l. c. pag. 43. ita ſcriberet: *Dicunt ſane Latini:* Italiam occupare, Alpes occupare. *Sed intelligunt id de occupatione violenta. Unde & aliquid addere ſolent, & dicere exempli cauſa:* Italiam præſidiis occupare, Italiam militibus occupare. *Deinde dicunt etiam*, alterius locum occupare. De eo potius hic erat diſquirendum: annon Græci τὸ δέχεσθαι adhibeant de eo, qui *ſedem aliquam ſuam faciat*, quocunque modo. Id vero Euripidis exemplum allatum ſatis commonſtrat. Latinos autem τὸ *occupare* non ſemper de eo dicere, qui vi quadam utitur, vel ipſa illa phraſis, *alterius locum occupare*, evincit. Id enim dicitur etiam de eo, qui in alterius, non inviti, locum, quem vacuum ſponte fecit, ſuccedit. Huic itaque interpretationi utriusque linguæ rationes minime repugnant. Illam vero id præterea juvat, quod *cælum* hic non inſtar loci, Jeſu proprii, & tantum, inſtar loci, occupandi conſiderandum ſit, ſed pro *majeſtatico dominio* habendum, quod Chriſtus ſibi, devictis hoſtibus, vindicarit, usque ad illa tempora glorioſe adminiſtrandum, quibus ὁ θεάνθρωπος regnum traditurus ſit Patri. Conf. 1 *Cor.* XV. 25.

Interim non puto negari poſſe, quod verbum δέχεσθαι interdum ſignificatione paſſiva adhibeatur, quamvis illa ab h. l. alieniſſima ſit. Paſſivo enim ſenſu occurrit *Act.* XV. 4. ubi dicitur: ἀπεδέχθησαν ὑπὸ τῆς Ἐκκλησίας, & *Siracid.* XXXV. 20. θεραπεύων ἐν εὐδοκίᾳ δεχθήσεται. Nec minus

nus apud profanos, de quibus lege *Erasmum Schmidium* in Notis ad h. l. Confer *Hackspanii* Miscellanea lib. I. c. IX. p. 152.

ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων) De his verbis paulo ante ad v. 19. diximus, & diem judicii extremi innui affirmavimus. Firmantur hæc *Erasmi Schmidii*, ad h. l. eique ὁμοψήφε *Raphelii*, cogitatis in Notis Polybianis p. 312. Uterque scilicet verba hæc conferunt cum illis Pauli 1 *Cor.* XV. 25. Quod Petrus paulo obscurius dixit: ὃν δεῖ ἐρανὸν μὲν δέξαθαι, id Paulus quasi interpretans ait; δεῖ αὐτὸν βασιλεύειν. Itemque ista Petri: ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων Paulus planissime eloquitur dicto clarissimi Psalmi CX. 1. ἄχρις ἂν θῇ πάντας τὲς ἐχθρὲς ὑπὸ τὲς πόδας αὐτῦ. Dominatur quidem jam nunc Dominus noster, sed in medio inimicorum suorum Ps. CX. 2. qui undique regnum ipsius attentant, neque unquam a bellis conquiescere sinunt, tumultuantes, & conspiratione facta imperii ejus jugum excutere conantes, Ps. II. 1. 2. 3. Neque prius hæ turbæ conticescent, quam Pater omnia subjecerit Filio suo. Tum demum fiet illa ἀποκατάστασις, quando deletis hostibus, rebusque compositis, & in eum, in quem oportebat, statum restitutis, Deo Patri regnum, nefaria defectione turbatum, tandem pacatum Christus reddet 1 *Cor.* XV. 24. Hanc vocis ἀποκατάστασις notionem, quæ scilicet *quietis & tranquillitatis publicæ post bella aut turbas restitutionem* infert, diligentissimus *Raphelius* confirmat aliquot *Polybii* locis v. c. lib. VI. c. 23. p. 407. ubi dicitur: ἕως ἂν ἐκ τῦ γεγονότος κινήματος εἰς τὴν ἀποκατάστασιν ἔλθῃ τὰ κατὰ τὴν πόλιν, *donec res civitatis, sedente motu præsentium turbarum, ad priorem statum rediisset.* Conf. lib. V. c. 86. p. 596. & p. 1206.

Alias vocis hujus notiones ex profanis ad lucem huic loco faciendam affert Cl. *Majus* lib. II. Obss. Sacr. p. 134. sq. Ostendit enim, vocabulum esse forense, & usurpari de rebus ad liquidum perductis, quo sensu idem hic innueretur, quod Paulus 2 *Cor.* V. 10. ait, πάντας ἡμᾶς δεῖν φανερωθῆναι ἔμπροσθεν τῦ Θεῦ. Est vero etiam vox militaris, ad pristinam corporis configurationem milites in exercitiis redire declarans. Hoc modo innueretur, fore aliquando, ut post multa certamina strenui veritatis milites in pristinum & meliorem statum reducantur. Denique τὸ ἀποκαταστῆσαι de servis, libertate donatis, usurpatur. Scilicet filii Dei sunt in hac vita sub servitute, a qua extremo die in veram libertatem vindicabuntur secundum *Rom.* VIII. 21.

Alii ἀποκατάστασιν pro *impletione* accipiunt, eorum scilicet, quæ Prophetæ prædixerint. Ita *Syrus* & *Oecumenius*, ex recentioribus autem *Knatchbullus* & *Karlius* in Biblioth. Bremens. Class. VI. p. 1112. Et sic *Hesychius*, respectu forte ad h. l. habito, ἀποκατάστασιν per τελείωσιν interpretatur, non inconcinne, modo istius significatus exemplum ex veteri Græcia demonstrari posset.

Longius a Petri scopo abeunt, qui futuram *mundi instaurationem* hac voce denotari censent. Inter hos est *Burnetus* in Archæologia Philosoph. lib. II. c. 2.

Longiſſime autem aberrant, quibus reſtitutio & ſalvatio damnatorum ſignificari videtur cum *Peterſenio*, & aſſeclis vel antiquis vel recentioribus. Sed in eos ſtylum verterunt noſtratium Theologorum plures. Utriusque partis defenſores appellatos lege a Rev. *Buddeo* in Inſtitutt. Theologiæ Dogmatic. pag. 635. Inprimis vero inſpice Cl. *Chriſtiani Gottlieb Kochii* ſolidam & orthodoxam Expoſitionem hujus phraſeos, *Kilon.* 1699. 8. D. *Dan. Pfeffingeri* Diſput. de reſtitutione Diabolorum, *Argentor.* 1709. & Rev. *Wernsdorfii* Diſput. de reſtitutione rerum omnium *Georgio Klein Nicolai* oppoſitam. De iis, qui meliorem Eccleſiæ Chriſti in his terris conditionem his verbis innui cenſent, jam ſupra diximus. Iis adde *Joſ. Mede* in Fragmentis Sacris Tom. X. Opuſcul. ad Philolog. ſpectantium p. 259. & in Opp. p. 612. tum vero *Lampium* in Exercitatt. ad Pſ. XLV. p. 570. qui per *inſtaurationem omnium* omnes gloriæ gradus deſignari contendit, per quos ad ſummam perfectionem Eccleſia eniti debeat.

ἀπ' αἰῶνος) Ita quoque *Luc.* I. 70. & LXX. Intt. Similiter vero profani Scriptores, ubi *de antiquis temporibus* ſermo eſt. Sic *Xiphilinus* in Nerone p. 193. *ὅτι τε Νέρων Καῖσαρ πρῶτος πάντων τῶν ἀπὸ τοῦ αἰῶνος Ῥωμαίων ἐνίκησεν αὐτό.* Conf. *Diodor. Sic.* l. XI. p. 248. & *Longinum περὶ ὕψους* Sect. 34.

Verſ. 22. *πρὸς τοὺς πατέρας*) Hæc Codd. pauci non habent, ideoque ex v. 25. translata videntur *Millio.* Sed cur non utrinque, loco æque commodo, poſita ea a Petro dicamus, cui ſermo erat ad Judæos, quibus confirmare volebat, doctrinam ſuam non eſſe novam, ſed eam, quæ majoribus ipſorum per Prophetas jam pridem innotuerit?

Ὅτι προφήτην ὑμῖν ἀναστήσει Κύριος) Manifeſtum eſt, reſpici hic ad *Deut.* XVIII. 15. & 19. quæ cum hac allegatione confert *Surenhuſius* in *Βίβλῳ καταλλαγῆς* p. 397. ſqq. Adduntur a Petro interpretandi cauſa verba: *κατὰ πάντα ὅσα ἂν λαλήσῃ πρὸς ὑμᾶς*, quod non præter morem veterum Hebræorum, verba Scripturæ S. afferentium, fieri oſtendit idem *Surenhuſius* ibidem pag. 70. & 71. Ejusmodi autem additamenta ex ſermonis ſerie petita adhiberi illi ajunt לתוספת הביאור. Ut non dicam, idem illud, quod hic inſeritur, totidem fere verbis exſtare v. 19. ubi dicitur: *qui non audiverit, quæ loquetur in nomine meo, ab eo repoſcam.*

Verſ. 23. *Ἔσται δὲ*) Hebraiſmum hæc referunt. Vide *Vorſtii* Philolog. Sacr. Part. II. p. 151.

ἐξολοθρευθήσεται ἐκ τοῦ λαοῦ) Pro his *Deuter.* XVIII. 19. legitur: אנכי אדרש מעמו *ego repoſcam ab ipſo*; ubi οἱ LXX. *ἐγὼ ἐκδικήσω ἐξ αὐτοῦ.* Ex quo apparet, Petrum non verba hic, ſed ſenſum eorum reddidiſſe, ut tanto manifeſtius eſſet, quodnam pœnæ genus crimini pertinaciæ irrogandum ſit. Itaque, quod *Moſes* in genere expreſſit, fore ſcilicet, ut Deus pœnam ab ejusmodi homine repetat, id *Petrus*, explicandi cauſa in ſpecie & diſtinctius

ſtinctius repræſentat, *excidii* ſcilicet *pœnam* illi infligendam eſſe tradens. Phraſis enim Apoſtolica reſpondet Moſaicæ, in Pentateucho frequenter obviæ: יכרת מעמו *exſcindetur ex populo ſuo.* Ea vero & temporalem & æternam mortem inferri, alias ad Epiſtolas Apoſtolorum oſtendemus. Hoc autem ſenſu *Kimchius* hæc Moſis verba accepit, ita ad ea commentatus: והנה מיתתו ביד שמים h. e. *ecce mors illius erit per manus cœlorum* h. e. per Deum, quaſi diceret, *Deum immediate mortis pœnam ipſi inflicturum eſſe.* Quis vero dubitet, Scriptori Sacro integrum eſſe, pro verbis ipſis alioquin obſcuris, vel latius patentibus, ſenſum eorum reddere magis obvium & ſuis limitibus circumſcriptum? Nec Judæi habent, quod hic expoſtulent, quoniam majores eorum in ſcriptis Talmudicis eodem modo in citandis Scripturæ S. verbis agere conſueverunt. Exempla habes apud *Surenhuſium* in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 70. quem & ad h. l. confer p. 399. ſqq. Nolim tamen cum eo ſtatuere, Petrum vocis מעמו *meimmo* puncta hic mutaſſe, & legiſſe מעמו *meammo.* Sufficit, quod dictum eſt, Petrum ſcilicet phraſi alteri: *repoſcet ab eo;* alteram, inter Judæos frequentiſſimam: *exſcindetur e populo ſuo;* ſubſtituiſſe.

Ita nec neceſſe erit, ut cum *Guil. Whiſtono* in Conatibus contextum Hebræum reſtituendi p. 304. fontem Hebræum impuritatis aut corruptelæ poſtulemus, quaſi pro ארוש ibi nunc vitioſe legatur אדרש. Id enim ſibi, credo, voluit *Whiſtonus* dum pro litera ר literam ו olim lectam fuiſſe opinatur. Argumenta, quibus hanc in rem utitur, ea non ſunt, quibus temeritatem a ſe amoliri, aut ſpeciem veri conciliare vel minimam poſſit. Sit enim, *Conſtitutiones Apoſtolic.* V. 20. *Recognitiones Clementinas* I. 36. *Origenem* quoque triplici vice eo modo verba Moſis citare, ut ab Apoſtolo hic afferuntur; nihil inde aliud conſequitur, quam eosdem Scriptores Novi Teſtamenti tabulas potius, quam τὰς LXX. conſuluiſſe: minime vero omnium inde elicitur, & Hebræum textum, & antiqua verſionis Græcæ exemplaria ita olim legiſſe. Afferendum minimum vel Codicis vel verſionis antiquioris exemplum fuerat. Et quid, quæſo, efficere poterat, ut verbum אדרש cum ארוש permutaretur? Certe inter ו & ר tanta non eſt affinitas, ut altera in alterius locum librariorum incuria ſuccedere potuerit? Multo minus Judæorum pravo conſilio, quod hic ſtatuitur, immutatio tribui poteſt. Senſus enim utrinque idem eſt, nec quicquam præſidii Judæorum cauſæ ex alterutra phraſi accedit. Denique verbum דוש nunquam cum מעמו in Sacro Codice conjungitur, nec de ejusmodi judicio divino, de quo hic ſermo eſt, adhibetur. Viciſſim vero דרש de Deo vindice paſſim occurrit, v. c. 2 *Chron.* XXIV. 22. & *Geneſ.* IX. 5. Itaque ſatis certi ſumus, τὸ ארוש in veteribus Codicibus nunquam exſtitiſſe, ut non dicam, vocalium nullam hic rationem temere a *Whiſtono* haberi.

Vox ipſa ἐξολοθρευθήσεται Alexandrina videtur *Jo. Alberti* p. 228. quia apud

apud τὸ ϛ ὀ, non item alibi occurrat. Legitur quidem hodie apud Plutarchum in *Dion.* p. 695. versus:

Ὄφρ' ἔτι τὴν ὀλοὴν ἐξολοθρεύσειε χάρυβδιν

Sed ibi rectius Codex Vulcanianus legit ἀναμετρήσειε, quod etiam apud *Homerum*, cujus hic versus est, exstat *Odyss. μ.* v. 428. Ceterum conferendi ad h. l. sunt Viri docti, qui vaticinium Mosaicum singularibus Dissertationibus illustrarunt, nominatim *Seb. Schmidius* in Collegio Biblico Priori p. 229. sq. *Frischmuthus* in Thesauro Philol. Disputatt. Tom. I. p. 384. *Nic. Köppen* de Messia Propheta, *Gryphisw.* 1719. *Gottlieb Wilh. Keller*, contra Abarbanelem, ad Jeremiam Prophetam hæc detorquere instituentem, in Disputat. de convenientia disconveniente R. Abarbanelis, *Jen.* 4. & *Theod. Hasæus* contra *Dav. Huguenium*, qui, quod mireris, in libro, cui *Veritas Catholicæ Religionis* titulum esse voluit, Romano Pontifici vindicare ausus est, *Marpurgi* 1704. Adde *Hackspanii* Syllogen p. 144. & 603. *Leydeckerum* de Republica Hebræorum T. I. p. 250. sq. *Paulum Fagium* ad Onkelosi Paraphrasin Chald. *Rich. Simonem* in Epistolis Selectis Part. I. p. 116. sq. *Altingium* in Heptade V. Diss. VII. Tom. V. Opp. p. 147. & Rev. *Salom. Deylingium* in Observatt. Sacris Part. II. n. 16.

Vers. 24. καὶ πάντες δὲ οἱ Προφῆται ἀπὸ Σαμουὴλ &c.) Totum hoc comma ex Philologia & Historia sacra illustrat *Meinoldus Bæseken* in altera earum, quam sub titulo *Bigæ Disquisitionum Philologic. Lugd. Bat.* 1711. 8. edidit.

καὶ πάντες δὲ) i. e. *quin omnes etiam.* Cum enim id, quod plus est, & majus, superioribus addere volunt Græci, his fere duabus particulis utuntur. Vide *Xenophont.* Cyropæd. lib. I. p. 16. & *Raphelii* Notas Xenophonteas ad h. l. & *Luc.* X. 8. Atque hoc malim, quam cum *Bæsekenio* l. c. p. 91. illud δὲ per *porro* vertere, quamvis hanc significationem alias admittit, v. c. *Matth.* I. 21. coll. cum v. 20. II. 10. 13. &c.

ἀπὸ Σαμουὴλ) Ad Messiam *Samuel* passim respicit, v. c. 1 *Sam.* XII. 14. 15. ubi iisdem fere phrasibus utitur, quibus Petrus hic usus est ex Mose. Vide huc inprimis *Meinold. Bæseken* l. c. p. 113. sq. qui isti quidem jungit alium locum ex XV. 22. & III. 21. Patet itaque, quam audax sit conjector *Whistonus*, qui ad hunc quoque locum provocat in infelici suo Conatu p. 83. quando vaticinia multa ex V. T. periisse asseverat.

Vers. 25. Ὑμεῖς ἐστε υἱοὶ τῶν Προφητῶν) *vos estis discipuli Prophetarum*, quorum scripta & legitis, & prælegi auditis. Phrasis Hebraica est: vid. 2 *Regg.* VI. 1.

καὶ τῆς διαθήκης) Similis est phrasis illi, quando Judæi בני ברית *filios fœderis*, i. e. *confœderatos* appellant, in *Bava Kamma* cap. I. §. 2. ubi confer *Lempereurium* p. 13. qui eandem p. 89. comparat cum altera, iisdem recepta בן קיימא Petrus sibi id vult, Deum cum Abrahamo, cujus posteri sint ipsi

ipſi, fœdus iniiſſe in Meſſia, tanquam ſemine ejus: illum itaque recipiendum eſſe, ſi velint fructum ex fœdere illo ferre.

Verſ. 26. εὐλογοῦντα ὑμᾶς, ἐν τῷ ἀποστρέφειν ἕκαστον ἀπὸ τῶν πονηριῶν ὑμῶν) Verba ultima vel ad Chriſtum, vel ad Judæos referri poſſunt. Prius magis placet *Boiſio* in Collat. ad h. l. p. 360. quia ſic ſalus Judæorum in ſolidum Chriſto tribuatur. Sed poſterius convenientius videtur, ut ſic innuatur conditio, ſub qua ſalus a Chriſto parta ad ipſos ſit perventura, ſi nempe divinæ vocationi ad pœnitentiam & agnitionem Chriſti locum ſint relicturi. Hoc modo reſponderi quoque poterit ad cavillationem Judæi, quæ exſtat Part. I. Bibliothecæ Uffenbachianæ pag. 166. Confer *Guſſeti* Confutationem libri *Chiſſuk Emuna* p. 400.

CAP. IV.

VErſ. 1. καὶ ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ) De illo vide, quæ ſcripta ſunt ad *Luc.* XXII. 4. ut & *Jo. Gezelii* Diſput. ſingularem, Aboæ 1704. 8. Confer ad hoc comma *Vitringæ* Commentar. in Jeſaiæ XXII. 16. p. 650.

καὶ οἱ Σαδδουκαῖοι) Sadducæi hic ſpeciatim memorantur, tanquam qui, reſurrectionem temere & præfracte inficiantes, præ ceteris ferre non poterant, ut doctrina de reſurrectione ex mortuis, quam Apoſtoli urgebant, & Chriſti exemplo confirmabant, promulgaretur.

Verſ. 3. ἐπέβαλον αὐτοῖς τὰς χεῖρας) Eadem phraſi utitur *Polybius* p. 507. τίς ἐτόλμησεν ἐπιβαλεῖν τὰς χεῖρας τῷ Μεγαλέᾳ;

Verſ. 5. τοὺς ἄρχοντας καὶ Πρεσβυτέρους καὶ Γραμματεῖς) De his paſſim diximus ad Evangeliſtas.

Verſ. 6. Καὶ Ἄνναν τὸν Ἀρχιερέα, καὶ Καϊάφαν, καὶ Ἰωάννην Ἀλέξανδρον) De his ita *Pearſonius* in Lectionibus ſuper Acta p. 41. *Hujus Synedrii præſes erat Annas, ſive Ananus, qui ipſe antea ſummum Pontificatum adminiſtraverat; ſed a Valerio Grato Romano, Judææ præſide, dejectus, maximam tamen inter Judæos auctoritatem obtinebat, & Synedrii Princeps fuit, quem* נשׂיא *vel* ראשׁ *vocabant. Huic adjungitur Caiphas, qui per ſeptem jam annos officio ſummo Sacerdotii gaudebat. Quod poſtquam arbitrio Præſidum transferri ea dignitas ſoleret, nemini præter eum contigit, qui alibi diceretur Pontifex ejus anni; non quod illo tantum anno Pontifex fuerit; ſed quod aliqui ante eum & poſt eum plures in unum tantum annum Pontifices creati ſint. Huic tertio loco adjungitur Joannes, Annæ, ut creditur, filius. Quartus autem eſt Alexander, ut videtur, Lyſimachus, Philonis Judæi, Scriptoris celeberrimi, frater. Joſephus Antiquitt. XVIII. 10.* Φίλων ὁ προεστὼς τῶν Ἰουδαίων τῆς πρεσβείας, ἀνὴρ τὰ πάντα ἔνδοξος, Ἀλεξάνδρου δὲ τοῦ Ἀλαβάρχου ἀδελφὸς ὤν. *De fratre ejus* Hieronymus in Catalogo: *Philo Ju-*

lo Judæus, natione Alexandrinus, de gente Sacerdotum. Fuit igitur Alexander de genere Sacerdotum & quidem Judæorum ditissimus. Scilicet Procurator fuerat Antoniæ, matris Claudii Imperatoris, ut testatur Josephus Antiqq. XIX. 4. & templi Hierosolymitani novem portis argentum & aurum infudit, ut Josephus Ἁλώσεως *V. 14. Non Tiberius pater ejus, ut falso tradit Baronius, sed ipse pater alterius Tiberii.* Ita ille. Confer de *Joanne* isto *Tillemontium* in Memoriis Hist. Eccles. T. I. Part. II. ed. Bruxellens. p. 726. ubi contra Baronium disputat, qui eum pro filio Annæ pontificis habet, cujusmodi quinque ipsi fuisse, ex *Josepho* Antt. XX. 8. & Ἁλώσεως II. 25. patet. Sed inter hos tamen cum non appelletur Johannes noster, vicissim vero Johannes eo in loco, quem Baronius affert, vocetur filius Ananiæ, *Tillemontio* probabilius videtur, Joannem illum fuisse filium Ananiæ, de quo *Actor.* XXIII. 2. mentio fit.

ἐκ γένους ἀρχιερατικοῦ) Talis quoque erat *Alexander*, de quo ex *Pearsonio* diximus.

Vers. 9. Εἰ ἡμεῖς σήμερον ἀνακρινόμεθα) Τὸ εἰ idem hic est, quod ἐπεὶ i. e. *quandoquidem*, ut recte Græca scholia interpretantur. Ita infra XI. 17. & *Polybius* p. 926. εἰ καὶ τόπον πρὸς πορείαν εὑρεῖν οὐκ ἀδύνατον, *quandoquidem & via ad iter faciendum apta inveniri poterant.*

ἐν τίνι οὗτος σέσωσται) Τὸ σώζεσθαι hic idem est, quod *valetudini restitui;* sermo enim est de claudo sanato. Hanc notionem ad Evangelia excussimus. Ita v. 11. homo hic dicitur ὑγιὴς & v. 14. τεθεραπευμένος.

Vers. 12. Καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ ἡ σωτηρία) Articulus ἡ hic merito pro emphatico est habendus, ut ea indicetur σωτηρία, quæ, κατ' ἐξοχὴν talis est, nempe æterna, & a qua *Jesus Christus* ὁ σωτὴρ appellatur. Phrasin *Gellius* ita Latine exprimit *Noct. Attic.* III. 7. *Alia, nisi hac, salutis via nulla est;* quod observavit *Jo. Alberti* in Obss. Sacr. p. 229.

ὑπὸ τὸν οὐρανὸν) Voces hæ desunt in MSS. nonnullis, & in Erasmi editt. prioribus, nec minus in B. *Lutheri* versione. Habent tamen eas & plurimi Codd. & antiquissimi, itemque versiones. Et vel sic παρεμβλήσεως suspectæ sunt *Millio* in Prolegomenis §. 1420. quia scilicet tam insignia verba scriba non videatur præteriturus fuisse. Sed ista quidem ratio non videtur satisfactura cogitanti, alia non minoris momenti a librariis subinde omissa deprehendi. Confer ex nostratibus *Franckii* Observationes vernaculas in versionem Lutheri Germanicam p. 221. sq.

ἐν ἀνθρώποις) i. e. *hominibus.* Sic infra VII. 44. ἐν τοῖς πατράσιν i. e. πατράσιν, *patribus.*

Vers.

Verſ. 13. *ἀγράμματοι εἰσι*) De voce hac lege *Jo. Conrad. Dieterici* Antiquitates Biblicas N. T. p. 34.

καὶ ἰδιῶται) Ἰδιώτης denotat hominem *privatum*, nec ullo officio publico fungentem, tum vero *rudem* ſeu *illiteratum*: quod idoneis veterum locis oſtendit *Dougtæus* in Analectis N. T. Exc. XLVII. Priorem hic præfert *Eraſmus Schmidius* in notis ad h. l. atque eandem expreſſit B. *Lutherus*, convertens per Layen, de qua voce confer B. *Stadenii* Expoſitionem vocum difficiliorum in hac verſione obviarum pag 398. Atque ſic ſpeciatim hic Apoſtoli opponentur Judæis, qui vel Sacerdotum, vel Doctorum, vel Præſidum munere in Eccleſia Judaica tunc fungebantur. Per *imperitos* vertere mavult *Gatackerus* in Notis ad Marc. Antoninum I. 9. p. 17. & *Suicerus* Tom. II. p. 1438.

ὅτι σὺν τῷ Ἰησοῦ ἦσαν) *quod cum Jeſu fuiſſent*. Sic *Matth.* XXIII. 30. *εἰ ἤμεν*, *ſi fuiſſemus*. Ita Græci Imperfecto paſſim utuntur pro Plusquamperfecto, ut *Arrianus* de Expedit. Alexandr. I. 17. & alias. Vide *Raphelii* Notas Polybian. p. 315.

Verſ. 15. *συνέβαλλον πρὸς ἀλλήλους*) ſcilicet *βουλὰς*, ut Latini: *conferebant inter ſe conſilia*. Ita *Euripides* plene *συμβάλλειν βουλεύματα* in Phœniſſ. v. 700. Conf. *Lamb. Bos* de Ellipſi Gr. L. p. 31.

Verſ. 17. *Ἀλλ' ἵνα μὴ*) *attamen*, *nihilominus tamen*, ut infra VII. 48. *ἀλλ' οὐχ ὁ ὕψιστος ἐν χειροποιήτοις ναοῖς κατοικεῖ*. Eadem notione particulam hanc adhibet *Ariſtophanes* Lyſiſtr. v. 70. & *Theſmophor*. v. 759. item *Polybius* V. 26. & alii apud *Elsnerum* p. 380. Lege quoque ad hoc comma *Guil. Beveregii* Conciones Anglic. Tom. III. Serm. IV. p. 93. ſq.

Verſ. 19. *Εἰ δίκαιόν ἐστι*) Simili reſponſione Socrates olim a ſe amolitus eſt mandatum, quo abſtinere a doctrina, juvenibus hactenus inſtillata, jubebatur. Dicebat enim: *γελοῖοί ἐστε, οἵτινες ἀξιοῦτε, εἰ μέν με ὁ στρατηγὸς ὁ ὑμέτερος ἔταξεν εἴς τινα τάξιν, ὅτι ἔδει με τηρεῖν αὐτὴν καὶ φυλάττειν, καὶ μυριάκις πρότερον αἱρεῖσθαι ἀποθνήσκειν, ἢ ἐγκαταλιπεῖν αὐτήν· εἰ δ' ὁ Θεὸς ἔν τινι χρείᾳ καὶ ἀναστροφῇ κατατέταχε, ταύτην δ' ἐγκαταλιπεῖν δεῖ ἡμᾶς*. *Ridiculi eſtis, qui poſtulatis, ſi nec me Imperator veſter præficiat alicui muneri, me debere illud ſervare & tueri, ac millies prius malle mori, quam illud relinquere: ſin Deus mihi quendam locum & officium attribuerit, illud nos relinquere oportere*. Vide *Epictet*. lib. I. c. 9. p. 44.

Verſ. 20. *Οὐ δυνάμεθα*) i. e. non decet, non fas eſt: Vide *Suicerum* Tom. I. p. 963.

Verſ. 21. *μηδὲν εὑρίσκοντες*) Videtur hic ſubintelligenda vox *αἴτιον* Cl. *Schœtgenio* in Notis ad *Lamb. Bos* de Ellipſi pag. 13. qui ſimul provocat ad *Luc.* XXIII. 14. ubi plene ita legitur: *οὐδὲν εὗρον ἐν τῷ ἀνθρώπῳ τούτῳ αἴτιον, ὧν κατηγορεῖτε κατ' αὐτοῦ*.

Vers. 24. σὺ ὁ Θεὸς, ὁ ποιήσας τὸν ἐρανὸν καὶ τὴν γῆν) Ad h. l. *Boisius* in Collatione p. 360. multis disputat, rectius ne hæc verba vertantur per: *tu es Deus ille, qui fecit* &c. an per: *tu es Deus ille, qui fecisti.* Sed nodus in scirpo hic quæsitus ipsi *Boisio* recte videtur: nihil enim interest, utro modo interpreteris. Meo judicio præstat prius. Ceterum Hebraica phrasis est, qua Judæi etiamnum, præeunte S. Codice, in precibus suis frequenter utuntur.

Vers. 25. Ὁ διὰ σόματος Δαβὶδ) Nonnulli Codd. & Versiones, inter quas etiam est *Coptica* a Wilkinsio edita, & Patres quoque hic addunt ἐν τῷ πνεύματι ἁγίῳ, vel διὰ πνεύματος ἁγίε. Vide *Millii* N. T. & in Prolegomenis §. 753. Approbat has voces *Erasmus Schmidius* in Annotatt. ad h. l. Sed recte *Millio* æque ac *Whitbio* in Examine N. T. istæ ex aliis locis parallelis, speciatim *Marc.* XII. 36. additæ videntur.

τῦ παιδός σε) παῖς hic denotat *servum*, quem significatum passim etiam apud profanos Scriptores obtinet, inprimis vero apud Sacros, ad imitationem Hebræorum, qui נער i. e. *filius* & אבד i. e. *servus* promiscue adhibent, *Gussetus* in Commentariis Linguæ Hebr. p. 522. per *filium* interpretari mavult, eo scilicet pacto, quo fideles omnes participant cum Christo nomen filiorum Dei, quemadmodum Christus *Act.* III. 13. παῖς Θεῦ appellatur, ubi vide quæ scripsimus. Locum ipsum Davidis ad quem hic respicit Apostolus, cum Ps. II. 1. diligenter comparat *Surenhusius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 404. sq. Psalmum hunc II. ad Christum omnino pertinere, contra Judæos ostenderunt *Bartoloccius* in Bibliotheca Rabbinica Tom. II. p. 85. *Marckius* in Exercitat. Bibl. num. XV. ex nostratibus vero Cl. *Georg. Eliezer Edzardus* in præfat. ad cap. I. *Avoda Sara* p. 15. sqq. Adde tres Dissertationes, quæ exstant in Thesauro Philologico Disputatt. Vol. I. Ex Hebræis veteres Interpretes idem largiuntur, quod ipse *Raschi* in commentario suo in hunc Psalmum monuit, ceu ex MSS. quibusdam illius Codicibus, non item ex editis patet. Vide *Bibliothecam Uffenbachianam* Part. I. p. 13. Conf. infra ad XIII. 33.

συνήχθησαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ) Vires conjunctas & unanimem consensum in delendo Jesu hac phrasi inferri, contendit Rev. *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 150. Scilicet ita *Xenophon* Cyropæd. lib. I. p. 18. eodem sensu dicit συνεςᾶναι εἰς τὸ αὐτὸ, & συνεςᾶναι εἰς ἓν de magnis validisque gentibus, quæ *inter se consentiunt*, & per matrimonia mutua *coëunt in unum.*

Vers. 27. Συνήχθησαν γὰρ ἐπ' ἀληθείας) B. *Lutherus* τὸ γὰρ hic concinne admodum vertit per: wahrlich ja. Ita infra XVI. 37. Et sic quoque Scriptores profani, nominatim *Xenophon* Cyropæd. lib. II. p. 47. Ποιεῖ γὰρ ταῦτα, ἔφη, ὦ Κῦρε, ἐκεῖνος. *Facit utique hæc ille, mi Cyre;* & alibi. Vide *Raphelium* l. c. p. 150.

ἐπ' ἀληθείας) Post hæc MSS. nonnulla, item versiones, Patres, & editt.

editt. nonnullæ addunt: ἐν τῇ πόλει ταύτῃ, quæ *Rich. Simon* quoque in verſione ſua Gallica, exemplo *Vulgati*, expreſſit, approbata quoque ex noſtratibus ab *Eraſmo Schmidio* in Annotatt. ad h. l. Sed recte pro gloſſemate habent *Millius* & *Whitbius* in Examine p. 51. Confer *Grabium* ad Irenæum p. 226. & B. *Raithii* Vindicias Verſionis Lutheri German. p. 450.

ἐπὶ τὸν ἅγιον παῖδά σου) Vide ſupra ad III. 13.

καὶ λαοῖς Ἰσραήλ) Λαὸς non ſemper integrum populum, ſed ſæpe tantum partem ejus deſignat, apud Hebræos & τοὺς LXX. hic vero ſpeciatim familiam Iſraelis infert. Lege *Keuchenium* ad h. l.

Verſ. 28. ποιῆσαι) B. *Jo. Wandalinus* in Hypotypoſi ſua p. 197. verbum hoc referri vult ad antecedens: ὃν ἔχρισας, eo ſenſu, ut Pater Jeſum *unxiſſe* dicatur *ad faciendum*, quæ divino conſilio deſtinata erant. Sed facile apparet, tale hoc eſſe hyperbaton, cujusmodi nullum exemplum dari poſſe certiſſime mihi perſuaſum habeo.

ὅσα ἡ χείρ σου καὶ ἡ βουλή σου) *Oecumenio* manus & conſilium Dei hic idem ſunt, præter rem. Alii pleonaſmum hic ſtatuunt, ut *Vorſtius* in Philolog. Sacra p. 302. Rectius illi, qui vocem χεὶρ de *potentia* accipiunt, ut *Luc.* I. 74 Eandem huic voci ſignificationem tribuunt etiam profani, ut oſtendit *Horatius Vitringa* in Animadverſionibus ad Vorſtium c. IV. & *Jo. Alberti* in Obſervatt. Sacris p. 229.

προώρισε γενέσθαι) Vide, quæ ſcripſimus ſupra ad II. 23. Confer *Wolfburgii* Obſervatt. Sacras p. 61. ſqq. qui recte obſervat, βουλὴν ſive *conſilium* illud & προορισμὸν ad factum h. e. paſſionem & mortem Chriſti, non ad perſonas v. 27. memoratas referri. Sic non neceſſe eſt, ut verbum ὁρίζειν nova notione induamus, & per *declarare* interpretemur cum *Carolo le Cene*, contra quem lege *Jac. Guſſeti* Conſiderationes Theologicas ſuper ejus Specimine novæ verſionis lib. I. Sect. III. Adde *Jo. Georg. Hünefeldium* de dubiis ſelectis circa paſſionem Jeſu Chriſti occurrentibus, *Roſtoch.* 1710. & ejuſdem continuationem Meditationis paſſionis, ibidem 1713.

Verſ. 29. καὶ τὰ νῦν) i. e. καὶ κατὰ τὰ νῦν ὄντα, ut hanc phraſin ſupplendam eſſe contendit *Dan. Fidlerus* in Poſitionibus Philol. ſuper loca N. T. Poſit. 6. cum *Joach. Camerario* ad h. l. niſi malis κατὰ τὰ νῦν ἔχοντα, ut legitur infra τὸ νῦν ἔχον XXIV. 25. ubi vide, quæ ſcribemus. Idem vero eſt, quod Latine dixeris: *in præſentia*, *nunc*. Sic *Xenophon* Memorabil. lib. III. p. 618. τὰ νῦν ὀρθῶς ἀποδέχῃ, & alii plures, de quibus *Elsnerus* p. 381.

δὸς τοῖς δούλοις σου μετὰ παῤῥησίας πάσης λαλεῖν) Hæc formula δὸς in precibus adhibetur potiſſimum, ut *Marc.* X. 37. *Rom.* XV. 5. nec minus apud profanos utriusque linguæ Scriptores, v. c. *Homerum* Iliad. γ'. v. 351. *Xenophontem* Cyropæd. lib. V. p. 119. alios, quorum loca affert *Elsnerus* p. 381.

Verſ. 31. *καὶ δεηθέντων αὐτῶν ἐσαλεύθη ὁ τόπος*) Cum in Feſto Pentecoſtes deſcenderet Spiritus Sanctus, miraculoſa linguarum varietate Apoſtolos donaturus, ventum valde vehementem præmiſit, tanquam adventus ſui præcurſorem. Cum hic rurſus idem vellet donum novis quaſi gratiæ acceſſibus cumulare, locum etiam, ubi in unum collecti precabantur, ſubito & inopino turbine commovit. Non indecenter ſane utrumque; ut ad cujus conſpectum, divini nempe Numinis, terra ipſa mota eſt, & cœli deſtillarunt, Pſ. LXXX. 9. præſentiæ ejus efficacioris, etiam privata qualiſcunque domus, tremore aliquo concuſſa, ſignum daret. Hæc *Dougtæus* monet in Analectis N.T. Exc. XLVIII. ibidemque ex profanis Scriptoribus commonſtrat, Gentiles commentitiis ſuis Numinibus id tribuiſſe, quod non ſine ingenti locorum vatumque prævia agitatione reſponſa ſua largiri conſueverint. Adde ſimilia exempla apud *Picinellum* in Luminibus Refl. p. 672.

Verſ. 32. *Τοῦ δὲ πλήθους τῶν πιστευσάντων ἦν ἡ καρδία καὶ ἡ ψυχὴ μία*) De intimis amicis id *παροιμιωδῶς* dici ſolere obſervat *Ariſtoteles* Ethic. IX. c. 8. *καὶ αἱ παροιμίαι δὲ πᾶσαι ὁμογνωμονοῦσιν, οἷον τὸ, μία ψυχὴ, καὶ, κοινὰ τὰ τῶν φίλων.* Vide etiam *Euripidem* Oreſte v. 1047. & *Minut. Felicem* in Octavio initio: *crederes, unam mentem in duobus diviſam eſſe.* Adde *Elsnerum* p. 317. & *Picinellum* in Luminibus Reflexis p. 673. Confer etiam de hac phraſi *Suicerum* Tom. I. Theſauri p. 1039. & T. II. p. 1579.

καὶ οὐδὲ εἷς τι τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ ἔλεγεν ἴδιον εἶναι) Vide, quæ ſcripſimus ad II. 44. Simili phraſi utitur *Polybius* p. 822. tradens, milites, ubi prædæ occaſio detur, *τὰ δυνατὰ κρύπτεσθαι, ἴδια νομίζειν*, h. e. *quæ occuli poſſint, ſibi propria ducere.*

Verſ. 33. *μεγάλῃ δυνάμει*) Vim illam nonnulli ad *miracula* referunt, quibus conciones ſuas ſolebant comitari Apoſtoli; alii ad ſpiritum & efficaciam dicendi roburque argumentorum, quod equidem malim. Hanc *δύναμιν* Paulus 1 *Cor.* II. 4. vocat *ἀπόδειξιν πνεύματος καὶ δυνάμεως.*

χάρις τε μεγάλη ἦν ἐπὶ πάντας αὐτοὺς) Vide ſupra II. 47. unde patebit, hæc ita interpretanda eſſe, quod accepti fuerint Chriſtiani aliis, extra ſocietatem ipſorum conſtitutis; conf. *Suicerum* Tom. II. Theſauri p. 1499. niſi malis hic accipere de gratia Dei in illos copioſe ſe diffundente. *Rich. Simon* in Notis ad h. l. minus convenienter gratiam illam inde repetit, quod acceptos ſe reddiderint Apoſtoli fidelibus per diviſionem bonorum, quæ communia habebant.

Verſ. 34. *Οὐδὲ γὰρ ἐνδεής τις ὑπῆρχεν ἐν αὐτοῖς*) Hoc in Hieroſolymitana Eccleſia tantum obtinuiſſe, exiſtimat *Salmaſius* de Uſuris p. 656. Confer ſcripta ad II. 44. *Joſ. Mede* in Operibus p. 127. obſervat, ſolos Judæos facultates

tes suas, venditis omnibus, in commune contulisse, eo quod eversionem rerum suarum, tanquam brevi imminentem, præsagirent, atque adeo consultum putarent, opes suas optimo usui destinare, quam fortunæ permittere. Gentiles, ad Christum conversos, idem fecisse, nullo exemplo constare, idem addit, inter quos Apostoli potius ad sublevandos pauperes collectas instituere consueverint.

Vers. 35. Καὶ ἐτίθουν παρὰ τοὺς πόδας τῶν Ἀποστόλων) *Aristophanes* in Ecclesiazusis p. 741. in simili causa ita:

- - - τοῦτ' ἐς τὸ μέσον καταθήσει,
Καὶ μὴ καταθεὶς ψευδορκήσει.

Vers. 36. Ἰωσῆς δὲ ὁ ἐπικληθεὶς Βαρνάβας) Judæus igitur hic fuit, ex Judæis Parentibus, de tribu Levi, non autem in Judæa, sed insula Cypro natus, quem plerique eundem putant cum illo, cujus epistola adhuc exstat, ad quam Interpretes plura de eo ex antiquitate commentati sunt.

ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον υἱὸς παρακλήσεως) Nominis rationem alii aliam reddunt, quos videbis allatos a *Stephano le Moyne* in Notis ad Varia Sacra p. 68. sq. cui junge *Cotelerium* in Judicio de Barnabæ epistola p. 5. Patrum Apostolicorum. Atque hic quidem ostendit, alios per *filium consolationis*, alios per *filium exhortationis* convertisse. Illi ad Hebr. בר נוחא i. e. υἱὸς ἀναπαύσεως, hi ad בר נבא i. e. υἱὸς παρακλήσεως, ex verbo παρακαλεῖν, *adhortari*, respexisse videntur. Vide *Keuchenium* ad h. l. p. 176. sq. Barnabam veri nominis Apostolum fuisse, contendit *Jo. Buxtorfius* in Catalectis p. 39. De aliis huc pertinentibus lege ex nostratibus B. *Ittigium* in Histor. Eccl. Sec. I. p. 477. sq. ex Anglis *Caveum* in Vita Barnabæ p. 34. Patrum Apostolic.

CAP. V.

Vers. 1. Ἀνὴρ δέ τις, Ἀνανίας ὀνόματι) Rem eandem refert *Pseudo-Clemens* in Epistola V. apud *Blondellum* in Pseudo-Isidoro & Turriano vapulante p. 97. his omnino verbis: *Ananias autem, vir austerus, & Sapphira, uxor ejus, qui mentiti sunt Apostolis, de pretio agrorum suorum, quos vendiderant, nobis præsentibus in conspectu omnium circumstantium a conspectu Apostolorum propter peccatum eorum, & mendacium, quod fecerunt, mortui deleti sunt ambo.* Confer ibi *Blondelli* animadversionem. Totam rem gestam persecutus est *Jo. Henr. Ernesti* in Exercitatt. tribus Græco-Philolog. de historia Ananiæ, *Lips.* 1679.

Vers. 2. Καὶ ἐνοσφίσατο ἀπὸ τῆς τιμῆς) *Xenophon* Cyropæd. lib. IV. p. 78. τὸ νοσφίζεσθαι adhibet de ea furti specie, qua quis res communes in usum suum convertit, quemadmodum & *Polybius* pag. 822. de prædæ parte a militibus non avertenda. Vide *Raphelii* Notas ex utroque scriptore ad N. T. relatas

relatas p. 151. & 317. *Boisius* in Collatione p. 362. phrasi Ciceroniana ex lib. de Divinatione vertit: *ex illo pretio aliquid ad se avertit.*

Verf. 3. *διὰ τί ἐπλήρωσεν ὁ Σατανᾶς τὴν καρδίαν σου*) Phrasis est Hebraica, quæ idem vult, quod Latine dixeris: quomodo Satanas te ita occupavit & tam audacem temerariumque reddidit? Vide *Esth.* VII. 5. & *Eccles.* VIII. 11. ubi priore loco οἱ LXX. verbum Hebraicum reddunt per ἐτόλμησε, posteriore vero per: ἐπληροφορήθη. Ceterum ex hac quæstione Petri apparet, Apostolos donum habuisse, fundum cordis & occulta consilia explorandi. Conf. *Pet. Zornii* Opuscula Sacra p. 370.

ψεύσασθαί σε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον) Vertunt plerumque: *ut mentireris Spiritui S.* vel *in Spiritum S.* At *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 74. mavult; ut *falleres vel deciperes Spiritum Sanctum.* Similiter ante eum *Castellio. Boisius* in Collatione pag. 362. & *Petavius* in Dogmat. Theolog. Tom. II. pag. 118. Interpretationis suæ hanc reddunt rationem, quod τὸ ψεύδεσθαι, *dandi* casui junctum, *mentiri alicui*, *accusandi* vero appositum, *fallere* apud Græciæ Scriptores inferat. Nec negari potest, posterius illud idoneis locis *Appiani* in Bello Punico p. 24. *Aristophanis* in Nubibus & *Herodiani* II. 25. probatum esse a *Bosio* l. c. quibus alia addit ipsi ὁμόψηφος *Jo. Alberti* in Observatt. Sacris p. 229. & ante utrumque præstantissimus *Erasmus Schmidius* in Annotatt. ad h. l. Illi itaque v. 3. *decipiendi*, v. 4. autem *mentiendi* significatum obtinere censent. Equidem non dubito, eandem significationem, nempe *mentiendi*, utrique commati tribuere, cum altera alteri vel similis, vel saltem subordinata sit, & præterea ex usu τῶν LXX. pateat, eos sub eadem notione verbum ψεύδεσθαι nunc Dativo nunc Accusativo junxisse. Lege hanc in rem *Grotium* & *Keuchenium* ad h. l. p. 178. *Conatum* hic pro *effectu*, quorum ille in Spiritum S. cor Ananiæ explorantem, cadere non poterat, poni per se patet. Atque id non solum Scripturæ Sacræ receptum est, quod patet ex *Glassii* Grammatica Sacra lib. III. Tract. III. can. VIII. sed & profanis Scriptoribus, ut *Euripidis* Jon. v. 1326. ἤκουσας, ὥς μ' ἔκτεινεν, *audivisti*, *quomodo me interfecerit*, h. e. interficere voluerit. Quod ad peccatum Ananiæ ipsum attinet, dicitur is speciatim Spiritui Sancto mentitus, ea quidem de causa, quod illi alioquin in Scriptura Sacra tum *sanctificatio* cordis ejusque cogitationum, tum *exploratio* ejus, quæ ab hominibus sibi relictis aliena est, tribui consuevit. Vide huc *Jos. Mede* Opera p. 118. Fortasse & ideo Spiritus S. hic mentio fit, quod ille in Apostolis vim suam & præsentiam eodem tempore ita exseruerat, per dona miraculosa, & divinam παῤῥησίαν, ut Ananias intelligere satis potuisset, cum eo sibi rem esse, non autem cum Apostolis, nudis hominibus. Hinc & v. 4. dicitur, non hominibus, sed Deo mentitus. In peccato ipso tum *formalis ratio*, tum *circumstantiæ* ejus considerandæ sunt. Ista ita comparata est, ut *sacrilegi* nomine merito veniat, cum ex eo, quod Deo in corde voverat, eique sacrum esse jusserat,

imo

imo coram Apostolis professus erat, aliquid interverteret, sibique vindicaret. Hinc & pro sacrilegio habent Patres, v. c. *Chrysostomus* homil. XII. in h. l. *Augustinus* Serm. 25. de verb. Ap. *Hieronymus* ep. VIII. *Cæsarius* Dialogo IV. & *Oecumenius*, quorum loca huc affert *Jos. Mede* l. c. *Cæsarius* inquit: *τῦ ἅπαξ Θεῷ ἀνατεθέντος χρυσίȣ ἱεροσυλίᾳ πρωθεὶς ἐνοσφίσατο, ἐρωτηθεὶς δὲ ἠρνήσατο*, *Ananias sacrilegio vulneratus aliquid auri*, *Deo semel consecrati*, *intervertit*, *interrogatus vero negavit.* *Circumstantiæ*, cum hoc sacrilegio conjunctæ, efficiunt, ut *mendacii*, *hypocriseos*, *vanæ gloriæ*, *diffidentiæ in Deum* & *avaritiæ* reus merito habeatur. Hæc omnia si in cumulum conferantur, manifestum evadet, non crudeliter cum Anania & ejus uxore, iisdem vestigiis insistente, actum esse, atque adeo falli, qui de crudelitate & nimia supplicii gravitate hic conquesti sunt. Inter hos olim fuit *Porphyrius*, cui respondet *Hieronymus* ep. VIII. *Augustinus* item contra Parmenianum lib. III. c. 1. *Cassianus*, & *Isidorus Pelusiota*. *Hieronymus* l. c. ita: *Ananias & Sapphira dispensatores timidi, imo corde duplici, & ideo condemnati, quia post votum obtulerant quasi sua, & non ejus, cui semel ea voverant, partemque sibi alienæ substantiæ reservaverant, præsentem meruere vindictam, non crudelitate sententiæ, sed correctionis exemplo.* Idem contra Porphyrium observat, *Petrum nequaquam iis mortem imprecatum esse, sed Dei judicium Prophetico spiritu annunciasse, ut pœna duorum hominum sit doctrina multorum.* Similiter ex Judæis quidam in lib. MS. Petrum in crudelitatis suspicionem vocavit apud *Rich. Kidderum* in Demonstrat. Messiæ p. 220. qui ibidem solide ipsi occurrit, & inter cetera p. 223. observat, peccatum hoc tanto gravius puniendum fuisse, quod illud in hoc genere primum fuerit in Ecclesia Christiana, ideoque in exemplum facile rapi potuerit ab aliis, hac ratione a simili scelere mature avocandis. Hoc consilio *Nadab* & *Abihu*, tum eum, qui Sabbato ligna collegerat, nec minus *Achanem*, furti reum, & filios Eli graves pœnas Mosis tempore dedisse, idem recte monet.

Vers. 4. *ὐχὶ μένον, σοὶ ἔμενε, καὶ πραθὲν ἐν τῇ σῇ ἐξȣσίᾳ ὑπῆρχε*) Sensus est, antequam venderes fundos tuos, nonne tui erant? & cum vendidisses, nonne pecunia inde parta in tua erat potestate? Itaque recte *Beza: nonne, si servasses, manebat tibi?* Et sic B. *Lutherus* convenientissime: Hättest du ihn doch mögen behalten, da du ihn hattest. Confer omnino *Jos. Mede* in Opp. p. 118. sq. qui hinc præterea recte conficit, liberum fuisse tunc temporis cuique Christiano, abdicare se facultatibus suis, aut eas sibi servare, qua de re supra ad II. 44. diximus. Hinc vero etiam consequitur, Ananiam nihil omnino habuisse, quod in excusationem sacrilegii sui prætexeret. Erat enim Dominus fundi absolutus: venditionem ejus non coactus institutis & legibus Apostolorum, sed sponte sua, susceperat: pecuniam denique inde partam integram acceperat, ut totam etiam, sicut videri volebat fecisse, communibus usibus destinare potuerit. Atque hoc modo *Medus* l. c. p. 119. phrasin istam: *καὶ τὸ πραθὲν ἐν τῇ σῇ ἐξȣσίᾳ ὑπῆρχε*; accipi vult, ut non quidem

dem id inferat, ac si integrum Ananiæ adhuc exstitisset, pecuniam, ex vendito agro coactam, sibi servare; sed id potius, quod totam pecuniæ summam, non vero partem ejus, instar *domini absoluti* & *in solidum* acceperit. Hanc in rem observat, voces ἐν τῇ ἐξουσίᾳ idem esse ac ביד *in manu:* hoc vero significare, non tantum dominium, sed etiam possessionem, ut Gen. XXIV. 10. ubi de Eleasare dicitur, omnes facultates Abrahami, Domini sui, *in ejus manu* fuisse. Atque ista quidem recte dici puto. Ananias enim hoc consilio agrum vendiderat, ut pecuniam inde reportatam Apostolis servandam & in communem utilitatem dispensandam traderet. Itaque animo & consilio sacram jam esse Deo jusserat. Sic vero ipsi non licebat amplius, pecuniam vel integram, vel ex parte sibi retinere.

Τί ὅτι ἔθȣ) Plene dixeris: τί γέγονε, *quid est?* ut Joh. XIV. 22. Vide *Lamb. Bos* de Ellipsi p. 259.

οὐκ ἐψεύσω ἀνθρώποις) *Non hominibus mentitus es, sed Deo.* Vide dicta ad v. 3. Vereor, ut *Keuchenius* ad h. l. satis ex LXX. Interpretibus, ad quos provocat, probarit, τὸ ψεύσασθαι idem hic esse quod *furari.* Sub particula οὐ hic μόνον intelligendum esse ab aliis jam pridem admonitum est. Vide *Fesselium* in Adversariis Sacris T. I. p. 330. & *Jo. Vorstium* in Dissertt. Sacris lib. I. p. 291.

ἀλλὰ τῷ Θεῷ) Vox Dei hic non essentialiter de Deo trinuno, sed *personaliter* accipienda est de Spiritu Sancto, cujus diserta mentio est v. 3. Atque hinc recte argumentum petitur pro divinitate Spiritus S. quod speciatim contra *Crellium* diligenter ursit & adstruxit B. *Calovius* in Examine libri Crellii, quod exstat in Theologia ejus Naturali & Revelata p. 1493. sqq. Confer in eandem sententiam *Trilleri* Observationes vernaculas pag. 169. sqq. additis *Pfeiferi* Observatis p. 18. itémque *Petavium* in Dogmatibus Theologicis & *Suicerum* Tom. II. Thesauri p. 769. sq.

Vers. 5. καὶ ἐγένετο φόβος μέγας) Hic exponitur ratio consilii divini, cur pœnam istam dederit Ananias, ut scilicet aliis exhiberetur exemplum, quo sibi ab hypocrisi, & similibus criminibus, Christianismo penitus adversantibus, caverent, omnibusque præterea constaret, non cum Apostolis, ut nudis hominibus, sed cum Deo sibi rem esse.

οἱ νεώτεροι) i. e. νεανίαι, *juvenes.* Vide *Boisii* Exercitationem ad 2 Tim. II. 22. p. 5. Sic v. 10. οἱ νεανίσκοι.

συνέστειλαν αὐτὸν) Recte *Syrus* Interpres συστέλλειν accipit pro *componere ad sepulturam.* Sic περιστέλλειν est *componere mortuum* apud Herodotum p. 216. Ita *Scaliger* in Actis Literariis a Schurzfleischio editis p. 27. Conf. *Boisii* Collationem p. 362. item *le Cene* in Conatu novæ versionis pag. 592. & *Suicerum* Tom. II. p. 1196.

ἐξενέγκαντες ἔθαψαν) Ἐκφέρειν verbum funebre est, ut Latinorum

efferre.

efferre. Vide *Raphelii* Annotatt. Polybian. pag. 317. & *Suicerum* Tom. I. pag. 1075.

Verſ. 12. ἐν τῇ στοᾷ Σολομῶντος) Vide, quæ ſcripſimus ad *Joh.* X. 23. & hic ſupra ad III. 11.

Verſ. 13. κολλᾶσθαι αὐτοῖς) i. e. *adjungere ſe ipſis*, ut *Luc.* XV. 15. Lege de hoc verbo *Suicerum* Tom. II. p. 134.

Verſ. 14. Μᾶλλον δὲ προσετίθεντο πιστεύοντες τῷ Κυρίῳ) *Boiſius* in Collatione p. 363. vocem Κυρίῳ mavult referre ad verbum προσετίθεντο, hoc ſenſu: *credentes adjungebantur Domino.* Sic infra XI. 24. καὶ προσετέθη ὄχλος ἱκανὸς τῷ Κυρίῳ.

Verſ. 15. Ὥστε κατὰ τὰς πλατείας ἐκφέρειν) Voces κατὰ τὰς πλατείας deſunt apud *Æthiopem*, quæ proinde ſcholii loco habentur a *Millio* in Prolegom. §. 1214. inprimis ideo, quod in Codd. MSS. qui illas habent, diverſæ varietates occurrant. Sed eæ confirmant potius, voces has revera a Luca ipſo profectas eſſe. Confer *Whitbii* Examen p. 52.

κἂν ἡ σκιὰ ἐπισκιάσῃ τινὶ αὐτῶν) Lege huc Rev. *Alb. Joach. Krackewitzii* Diſp. de umbra Petri morboſos ſanante, *Roſtoch.* 1704. Poſt hæc verba pauci Codd. addunt: ἀπηλλάσσοντο γὰρ ἀπὸ πάσης ἀσθενείας, ἣν εἶχεν ἕκαστος, quæ etiam ad exemplum *Vulgati* in verſione ſua Gallica expreſſit *Rich. Simon.* At recte ea pro ſcholio marginali habentur, ex Act. XIX. 12. petito, a *Millio* in Prolegomenis §. 773.

Verſ. 16. τὸ πλῆθος τῶν πέριξ πόλεων) urbium circumjacentium. Ita *Xenophon* de Expedit. Cyri lib. IV. pag. 257. κώμας πέριξ πολλὰς dixit. Conf. *Marc.* VI. 36.

Verſ. 17. Ἀναστὰς δὲ ὁ Ἀρχιερεὺς καὶ πάντες οἱ σὺν αὐτῷ) Hinc *Scaliger* in Elencho Trihæreſii Serariani c. XVI. p. 114. conficit, Pontificem hunc Sadducæum fuiſſe, quippe qui alioquin ſibi ceteros adjuncturus non fuiſſet, niſi ejusdem eſſet ſectæ. Sed recte contra hæc *Serarius* in Minervali lib. IV. p. 113. obſervat, in eodem hoc concilio fuiſſe Phariſæos, nominatim Gamalielem v. 34. & *Actor.* XXIII. 6. 7. Phariſæos & Sadducæos una cum Pontifice commemorari: quemadmodum alias Sadducæi ſe libenter junxerint Phariſæis *Act.* IV. 1. 2.

ἡ οὖσα αἵρεσις τῶν Σαδδουκαίων) Græcos & Latinos Scriptores ſtudium omne, quod ſemel amplexi firmiter tenemus, αἵρεσιν, & *ſectam* appellare, oſtendit ad h. l. *Raphelius* in Notis Polybianis pag. 318. De latiore hac vocis utriusque acceptione lege quoque *Wetſtenium* ad Origenem p. 9. ſq. *Calixtum* de Hæreſi p. 3. ſq. & *Chriſtian. Lupum* ad Tertullian. de Præſcriptione p. 192.

Vers. 20. *πάντα τὰ ῥήματα τῆς ζωῆς ταύτης*) Per hypallagen hæc dici pro *τὰ ῥήματα ταῦτα τῆς ζωῆς* observat post alios *Vorstius* in Philologia Sacra Part. II. p. 122. sicut *Act.* XIII. 26. dicitur *ὁ λόγος τῆς σωτηρίας ταύτης ἀπεστάλη* pro *ὑμῖν ὁ λόγος οὗτος τῆς σωτηρίας ἀπεστάλη*, *hic sermo salutis vobis missus est.* Atque ita quoque *Syrus* utrinque accepit in nostro loco vertens: *omnes hos sermones vitæ.* At *Heinsius* ad h. l. nunquam id admissurum se scribit, cui vox *ζωὴ* per Hebraismum ad imitationem vocis חיה idem hic est, quod *conventus* seu *cœtus* Ps. LXXIV. Adstipulatur ei *Carolus le Cene* in Conatu novæ versionis pag. 593. Sed ipse locus *Act.* XIII. 26. ab hac sententia discedere nos jubet, ubi, quæ hic *ῥήματα ζωῆς* dicuntur, manifeste *λόγος σωτηρίας* appellantur. Ita Christo a discipulis *Joh.* VI. 68. *ῥήματα ζωῆς αἰωνίε* tribuuntur. Quod si hypallage illa displiceat, non invitus vocem *ταύτης* & ordini & significatui suo reliquero, ut inferantur verba vitæ *illius*, scilicet æternæ, quam cognitam habebant Apostoli, & quam prædicare cœperant. Confer *Keuchenium* ad h. l. qui ostendit, Interpretem *Syrum* vocem *σωτηρία* passim per *vitam* reddere, ut *Hebr.* II. 3. Itaque nec *Castalionem* puto audiendum, qui phrasin *ῥήματα ζωῆς* per *verba vitalia* reddit, quasi substantivum posterius ad morem Hebræorum loco adjectivi poneretur. *Verba vitæ* hic omnino sunt ea, quæ viam ad salutem æternam commonstrant. Hinc alibi vocantur *ὁδὸς ζωῆς*, & *ὁδὸς σωτηρίας* *Act.* II. 28. & XVI. 17.

Vers. 21. *εἰσῆλθον ὑπὸ τὸν ὄρθρον*) Ad hæc verba *Salmasius* de Hellenistica p. 101. ita: *De die prædicabat, in templo Christus. Ideo turba templum ingrediebantur, simul ac dies erat. Quod Lucas dicit ὑπὸ τὸν ὄρθρον, cum satis clarum esset mane, ut lumine non indigerent viatores, qui sub id tempus iter faciebant. At veteribus Græcis ὄρθρος tempus est auroræ proximum, sed nondum dilucidum. Unde βαθὺς ὄρθρος Platoni summum mane, cum nondum lucescit, sed adhuc noctescit.* XIPHILINUS *in vita Severi: ἐστράτευσέ τι πάντως νυκτὸς ὑπὸ τὸν ὄρθρον:* nocte sub matutinum tempus. Mihi quidem illa *τῦ ὄρθρυ* significatio, quam Vir doctus ex Græcis adstruit, hic locum commode tueri posse videtur, ut scilicet Apostoli sub auroræ ortum, adeoque tenebris adhuc circumfusi, in templum ivisse existimentur. Hora nostra sexta matutina preces in templo fieri solebant, quas תפלה שחרית appellant Judæi. Hoc tempus præverterunt Apostoli, ut advenientem turbam concionibus suis exciperent.

συνεκάλεσαν τὸ συνέδριον) Eadem phrasi utitur *Polybius* p. 954. *συγκαλέσας τὸ συνέδριον.*

γερυσίαν τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ) i. e. *Senatum Judæorum.* Vide *Seldenum* de Synedriis lib. II. c. 14. pag. 387. *υἱὸς Ἰσραὴλ* Judæos per Hebraismum dici recte monet *Vorstius* in Philologia Sacra Part. II. pag. 67. Scilicet *οἱ* LXX. ipsam phrasin בני ישראל passim per *γερυσία* convertunt. *Quis credat*, inquit *Vitringa*

tringa in Archisynagogo p. 356. τὸ συνέδριον καὶ πᾶσαν τὴν γερουσίαν τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ *cujus mentio est Act.* V. 21. *aliud quid indicare, quam* τὸ συνέδριον, *quod memoratum erat cap. IV. præcedenti, cum Josephus hoc idem* συνέδριον *frequentissime* γερουσίαν *soleat appellare, neque nomina hæc diversum quid significent. Mihi ea videtur esse Lucæ sententia, quod, cum sæpe contingeret, ut Senatus ille esset infrequens, Senatus princeps omnia ipsius membra maxima cum cura convocaverit, ut coram omnibus hæc sententia proponeretur.* De voce γερουσία confer præterea *Jo. Alberti* Observatt. Sacr. p. 230. qui ostendit, eam recte verti per *Senatum*, vel *Presbyterium*, ut *Hesychius* γερουσία per Πρεσβυτέριον interpretatur. Adde *Seldeni* Uxorem Hebraic. lib. I. c. 15.

Vers. 24. ὅ, τε Ἱερεὺς) Codex *Alexandr. Cantabrig.* & alii nonnulli omittunt hanc vocem cum *Syro*, quos sequitur *Rich. Simon* in Versione Gallica. Alii ut ed. Complut. *Chrys.* & *Theophyl.* habent ἀρχιερεὺς, atque hoc probat *Millius* in Prolegomenis ad N. T. §. 1184. his verbis: *Qui haud probabant illud* ἀρχιερεὺς, *eo quod postea sequatur* ἀρχιερεῖς, *aut illud tollebant, quod in Codd. aliquot factum videmus, aut ejus loco substituebant* ἱερεὺς, *quomodo se habuit locus iste in omnibus Editt. præter Hispanicam. Unum* Ἀρχιερεὺς *recte: is ipse scilicet, qui jam summo sacerdotio fungebatur. Qui autem semel defuncti fuerant Pontificatu, semper postea titulo illo* ἀρχιερέων *gaudebant apud populum.* Adde §. 1105. Enimvero vox ἱερεὺς omnino est genuina, quam plerique Codd. agnoscunt, quemadmodum vicissim ἀρχιερεὺς in nullo exstat. Scilicet ἱερεὺς Pontifex Summus κατ' ἐξοχὴν appellatur, ut 1 *Maccab.* XV. 1. ubi Σίμων ἱερεὺς primum, sed paulo post ἱερεὺς μέγας vocatur. Eodem modo passim Christus in N. T. ἱερεὺς i. e. *Sacerdos Summus* vocatur. Ita, qui hic ἱερεὺς, is v. 27. Ἀρχιερεὺς dicitur: καὶ ἐπηρώτησεν αὐτοὺς ὁ Ἀρχιερεύς. Quod in nonnullis Codd. deest, inde ortum videtur, quod scioli librarii ea voce opus non esse censerent, cum paulo post ἀρχιερεῖς commemorentur, qui tamen, quod recte ab aliis monitum est, de Sacerdotibus summis accipiendi sunt, quorum olim eadem fuerat dignitas.

καὶ ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ) Vide supra ad IV. 1.

διηπόρουν περὶ αὐτῶν) Syrus hic reddidit: *hæsitabant de illis, & cogitabant.* Ea scilicet est vis verbi διαπορῶ, ut denotet: *dubitans quæro & investigo*, v. c. apud *Polybium* pag. 472. διὸ καὶ περὶ μὲν τούτων σκέπτεσθαι καὶ διαπορεῖν ἄλλος ἁρμόσει καιρός. Conf. Rev. *Raphelii* Notas Polybianas p. 319. B. *Lutherus* vertit: sie wurden über ihn betreten, i. e. ut recte explicat B. *Stadenius* in expositione vernacula vocum difficiliorum p. 125. sie wurden über ihnen zweifelhaftig, verwirret, und verschlagen.

τί ἂν γένοιτο τοῦτο;) i. e. τί ἂν εἴη τοῦτο; *quidnam hoc esset*, vel, *quid sibi vellet?* Ita & *Syrus* convertit. Conf. *Vorstii* Dissertatt. Sacras Part. III. p. 176.

Vers. 26. ἤγαγεν αὐτοὺς, οὐ μετὰ βίας) *Polybius* p. 1074. ita: ἄγειν αὐτὸν ἐκέλευεν,

λεωον, ἐὰν μὲν ἑκὼν βέληται πειθαρχεῖν· εἰ δὲ μὴ, μετὰ βίας. *Ut eum adducant, imperat; si sponte sua obtemperaret, volentem; sin minus, per vim.* De verbo ἄγειν confer *Dieterici* Antiquitates Biblic. N. T. I. p. 36.

Vers. 28. καὶ βέλεσθε ἐπαγαγεῖν ἐφ' ἡμᾶς τὸ αἷμα τȣ̃ ἀνθρώπȣ τȣ́τȣ) Phrasin hanc οἱ LXX. eo sensu adhibent, ut idem sit, quod *cædis aliquem reum peragere, cædis culpam in aliquem conjicere.* Vide *Levit.* XXII. 16. Profani id quidem dicunt: αἰτίαν ἐπάγειν, ut *Demosthenes* pro Corona p. 333. Tum vero, & quidem h. l. potissimum significat: *pœnæ aliquem cædis commissæ objicere.* Hoc sensu αἷμα occurrit *Matth.* XXIII. 35. XXVII. 25. & verbum ἐπάγειν 2 *Pet.* II. 1. ἐπάγοντες ἑαυτοῖς ταχινὴν ἀπώλειαν. Conf. *Gen.* XX. 9. & *Judic.* IX. 24. in Græca versione, & plura lege apud *Elsnerum* pag. 383. sq. Ceterum homines hi in Apostolos conferunt, quod fecerant ipsi clamantes: τὸ αἷμα αὐτȣ̃ ἐφ' ἡμᾶς, καὶ ἐπὶ τὰ τέκνα ἡμῶν. *Matth.* XXVII. 25.

Vers. 29. Πειθαρχεῖν δεῖ Θεῷ μᾶλλον, ἢ ἀνθρώποις) Sic prorsus Socrates, in judicium vocatus, quod nova de Diis doctrina juventutem corrumperet, & sub mortis pœna jussus μηκέτι ἐν ταύτῃ τῇ ζητήσει διατρίβειν, μηδὲ φιλοσοφεῖν h. e. *nunquam posthac in ista inquisitione & in philosophia versari*, nunquam id se facturum dixit, sed ita intrepide responsurum: ὅτι ἐγὼ ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἀσπάζομαι μὲν καὶ φιλῶ, πείσομαι δὲ μᾶλλον τῷ Θεῷ ἢ ὑμῖν. *Ego quidem vos, Viri Athenienses, diligo atque amo: verum Deo parere malo, quam vobis.* Vide Platonem in Apologia Socratis p. 12. Observavit locum eximium *Dilherrus* in Electis lib. I. c. 3. p. 16. & ex eo *Carpzovius* ad *Schickardum* de Jure Regio p. 266. ubi similis a *Schickardo* locus affertur *Maimonidis* ex *Hilchoth Melachim* c. III. §. 9. *Qui negligit decretum Regis propterea, quod occupatur in lege, quamvis præceptum vile sit; ecce is immunis est: ubi enim jussa Domini & servi concurrunt, oportet illa prius exsequi. Dicere nil opus est, si quid contra legem decerneret: tunc enim prorsus non paretur.* Utrumque locum novissime attulit Cl. *Majus* in Observatt. Sacris lib. IV. p. 130. Vide etiam in h. l. *Grotium* de Jure Summmarum Potestatum circa Sacra p. 30.

Vers. 30. & sqq. illustrantur a B. *Jo. Georgio Neumanno* in Programmatibus Academicis p. 50. sq. ubi doctrina de Resurrectione Christi summatim exponitur.

Vers. 32. Καὶ ἡμεῖς ἐσμεν αὐτȣ̃ μάρτυρες &c.) Lege huc *Jac. Altingium* Tom. IV. Opp. in calce p. 105. sqq.

Vers. 33. διεπρίοντο) Multi vertunt per: *frendebant.* At *Henr. Stephanus* in Thesauro Gr. L. per: *cor illis findebatur;* cujus interpretationis causas reddit in Differt. de Stylo N. T. p. 7. Syntagmatis Honertiani, ubi in exemplum phraseos affert ista *Plauti* in Bacchidibus:

Heu cor meum & cerebrum, Nicobule, finditur
Istius hominis ubi quoque fit mentio.

B. *Dann-*

B. *Dannhauerus* in Disput. mox citanda p. 1279. monet, dissectionem animi hic notari ex more Orientalium, qui nocentes διαπρίειν consueverint. Confer τοὺς LXX. 1 *Chron.* XX. 3. Lege præterea de efficacia hujus verbi *Gatackerum* in Adversariis p. 468. *Hammondum* & *Heinsium* ad h. l. itemque *Car. le Cene* in Conatu novæ versionis p. 594. & *Suicerum* T. I. Thesauri p. 880. sq.

Vers. 34. Ἀναςὰς) More veterum, qui verba facturi ad senatum aut populum surgere, & stantes dicere solebant. Vide *Polybii* Excerpta Legationum p. 1341. Conf. *Elsneri* Obss. Sacr. pag. 385. & *Meursium* ad Lycophron. v. 470.

φαρισαῖος, ὀνόματι Γαμαλιὴλ) De *Gamaliele* isto lege, quæ dixi & quos citavi in Biblioth. Hebræa Part. II. p. 822. Iis adde B. *Jo. Conr. Dannhaueri* Disputat. de Gamaliele Hebræo-Teutone, quæ recusa est in Disputationibus ejus Theolog. p. 1277. sqq. & *Jo. Guil. Baieri* Dissertat. de Consilio Gamalielis, Jen. 1680. recusam in Disputationibus ejus junctim editis, Dec. I. n. II. qui uterque de causa, hic relata, diligenter commentantur. Eum animo Christianum fuisse, atque adeo Christianorum rebus favisse, ex veteribus Pseudo-Clemens Recognitionum lib. I. c. 65. tradit, quem ex Pontificiis permulti, nominatim *Lyra*, *Cornel. a Lapide*, *Baronius* &c. sequuntur, sed eos rectius deserunt *Buxtorfius*, *Lightfootus*, *Lud. Cappellus*, *Pearsonius* in Lectionibus super Acta p. 49. *Baierus* in Disp. citata cap. I. & novissime *Jac. Meulengracht* in Dissert. de religione Gamalielis, *Hafn.* 1698. *Pearsonio* l. c. Gamaliel pertinacissimus videtur Pharisæus, qui consilium hoc de dimittendis Apostolis tantum ideo dederit, quod Sadducæi eos accusarent, quodque ipsi resurrectionem tam strenue tuerentur. Vicissim dubius hæret *Gussetus* in Confutatione libri *Chissuk Emuna* pag. 15. *Videlicet*, inquit is, *quia hac Gamalieli in mentem, Deo moderante, venerunt, ipse sive serio dubitans, sive jam veritatis notitia dubitatione liberatus, sociis in sequiorem partem nimium propensis, dubitatione simulata, veram dubitationem ingenerare, & ea arte remoram ipsis injicere studuit: verba autem eum in finem comparata alii Senatores animis suis illabi siverunt, non sine divinæ providentiæ regimine.* Confer dicenda ad v. 38.

νομοδιδάσκαλος) De voce hac passim in Evangelia diximus, speciatim ad *Luc.* V. 17.

τίμιος παντὶ τῷ λαῷ) Sic *Homerus* Odyss. K. v. 38.

Ὦ πόποι, ὡς ὅδε πᾶσι φίλος καὶ τίμιός ἐςιν
Ἀνθρώποις

Similiter *Hesiodus* in fragmento apud Scholiasten *Sophoclis* Trachin. v. 1174. Vide *Jo. Alberti* Observatt. Sacras p. 231. qui ibidem observat, voce hac non solum amorem ob mores honestos, sed & dignationem inferri, ut Latina *honejus*. Conf. *Casaubonum* ad Theophrasti Characteres p. 252.

ἐκέλευ-

ἐκέλευσεν ἔξω βραχύ τι τὰς ἀποστόλους ποιῆσαι) *jussit, foras paulisper abducerent Apostolos*, ut supra IV. 15. Ita *Xenophon* Cyropæd. IV. p. 88. dicit ἔξω βελῶν τὴν τάξιν ποιεῖν, *extra telorum jactum cohortem abducere*, & *Thucydides* lib. V. p. 343. ἐντὸς ποιεῖν pro *includere*. Conf. *Elsnerum* p. 385. qui eadem opera ostendit, reos, aut quorum causa agebatur, dum deliberaretur in concilio, secedere debuisse, de quo more *Pricæus* ad Act. IV. 15. Conf. de eadem phrasi *Boisii* Collationem p. 365.

τὰς ἀποστόλους) Codices quidam hic legunt τὰς ἀνθρώπους, & *Vulg.* quoque cum Copto, a Wilkinsio edito. Atque id mavult *Millius* in Notis ad h. l. & in Prolegomenis §. 878. cui vox ἀπόστολος claritatis gratia substituta esse videtur. Sed nimis præceps hic est *Millius*. Lucas in toto hoc negotio discipulos Christi semper Apostolorum nomine appellat, ut v. 18. & v. 29. cur itaque hic ab eo abstinuisset? Gamalielem eos ἀνθρώπων nomine quasi per contemtum insignivisse largior. Sed Lucas hic non refert verba Gamalielis, sed suis verbis rem omnem exprimit. Atque id non recogitarunt librarii, qui vocem ἀνθρώπους ex sciolo ingenio substituerunt.

Vers. 35. Ἄνδρες Ἰσραηλῖται) De hac compellatione lege supra ad c. I. 11. & 16.

προσέχετε ἑαυτοῖς ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις τούτοις, τί μέλλετε πράσσειν;) *Erasmus Schmidius* vertit: *dispicite de viris his, quid facturi sitis?* Et sic plerique omnes, qui proinde voces ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις proxime jungunt verbo προσέχετε. Cum vero illud Græci cum particula ἐπὶ construere non soleant, rectius illæ voces ad sequentem phrasin: τί μέλλετε πράσσειν visæ sunt referendæ *Boisio* in Collatione p. 365. *Lamberto Bos* in Exercitatt. p. 75. & *Jo. Alberti* p. 231. Ita *Lucianus* in Toxari p. 48. dixit τὰ ὅμοια ἔπραξεν ἐπ' αὐτοῖς, & *Ælianus* Hist. Animal. XI. 11. λέγω γὰρ ὅσα τε δρᾶται ἐπὶ τοῖς δὲ τοῖς ταύροις. Similis verborum, qui hic est, ordo occurrit c. III. 16. Καὶ ἐπὶ τῇ πίστει τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ - ἐστερέωσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ pro: καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐστερέωσε - ἐπὶ τῇ πίστει τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ.

Vers. 36. πρὸ γὰρ τούτων τῶν ἡμερῶν ἀνέστη Θευδᾶς) *Josephus* Antt. XX. 5. Theudam memorat, a Cuspio Fado, ob datas in Judæa turbas, obtruncatum. Sed is quidem hic non potest intelligi, cum illa res aliquot annis post hanc Gamalielis orationem contigerit. Itaque alii Josephum vel erroris vel mendacii hic postulant, quando eam ætatem Theudæ assignavit. Alii duos ajunt fuisse Theudas, quorum ille, quem Josephus memorat, recentior, hic, cujus Gamaliel meminerit, antiquior Juda Gaulonita exstiterit. Ita statuunt *Casaubonus* in Exercitatt. Anti-Baronianis Exercit. II. n. 18. *Scaliger* de Emendat. Temporum lib. VI. & plures alii, in quorum partes discedit *Limborch.* in Commentario ad h. l. p. 68.

Alii

Alii Lucam per prolepsin illius exemplum, tanquam argumento suo conveniens, inseruisse existimant, non recogitantes, sic fidem Lucæ temere suspectam reddi, qui hac ratione sermoni Gamalielis aliquid tribuat, quod ab eo non est profectum, imo qui ordinem rei gestæ parum servarit. Utrumque absit, ut fieri potuisse statuamus.

Alii opinantur, Gamalielem in oratione sua a proximis temporibus suis ad remotiora & ulteriora ascendere, atque hoc respectu Judam Galilæum antiquiorem postponere Theudæ. Ita sentit *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 76. sq. qui sententiæ suæ præsidium collocat in voce τούτων. Pronomen οὗτος, inquit, additum nominibus, tempus significantibus, si de præteritis sermo est, notat tempus, quod proxime præteriit, quod nuperrime elapsum est. Sic infra XXI. 31. *Lucian.* Dialog. Meretric. p. 518. Ἀλλὰ δύο ἔτη ταῦτα, ἐξ οὗ τέθνηκεν ὁ μακαρίτης σου πατὴρ & alii, ut proinde Gamaliel id velit: *ante dies hosce proximos*, &c. seu *non est ita diu, quod exstitit falsus ille Propheta.* Latinos quoque ita loqui Scriptores, ostendit Celeb. *Burmannus* ad Petronii Satyricon c. 38. Enimvero hæc conciliandi ratio optime succederet, nisi ex narratione Josephi, & temporum rationibus, quas præstantissimi Viri hic afferunt, constaret, turbas a Theuda motas ipsius Gamalielis sermone posteriores esse. Itaque nec Josephi, nec Gamalielis, nedum Lucæ fidem in pravam suspicionem hic adducendam censeo, sed in eo potius persistendum, quod duo *Theudæ* exstiterint, quorum antiquiorem neglexerit Josephus, recentiorem vero tanquam suis temporibus proximum commemorarit. Conf. *Joh. Sam. Grosii* Disputat. de Theuda, *Witteb.* 1691. Neque mirum hoc videri debet in *Josepho*, quippe qui & alias, tanquam acerrimus Judaismi propugnator, nullam facit eorum mentionem, quæ a Christi discipulis commemorantur. Ita non meminit descriptionis Judææ sub Quirinio, nec cædis infantum Bethlehemiticorum, imo de Christo quoque tacet, ex nonnullorum sententia, quibus testimonium de Christo ipsi suppositum videtur. Ceterum lege de Theuda & aliis ad hoc argumentum pertinentibus *Henr. Valesium* ad Eusebium pag. 31. seq. *Tillemontium* in Memoriis ad historiam Impp. pertinentibus Tom. I. p. 1060. itemque *Lud. Klingii* Dissertationes Criticas duas de Theuda, *Hafn.* 1714. & 1715. Quicquid hujus erit, Lucæ hic nulla omnino dica scribi potest, quippe qui omnia ista non ex sua, sed Gamalielis sententia recensuit, fidelis narratoris officio perfunctus.

λέγων εἶναί τινα ἑαυτὸν) sc. μέγαν, *magnum*, quod additur infra VIII. 9. & in nonnullis quoque Codd. ex interpretamento marginali exstat. Ita vero vocula τις profani quoque Scriptores utuntur, ut *Demosth.* in Leptin. Μεσσήνιοί τινες εἶναι φάσκοντες, *Theocrit.* Idyll. XI. *Epictetus* Enchirid. c. 12. p. 18. κἂν δόξῃς τισὶν εἶναί τις & alii a *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 386. & *Jac. Elsnero* in Observ. Sacr. p. 387. laudati. Adde iis B. *Jo. Frider. Mayeri* Commentat. de

Pietiſtis Veteris Eccleſiæ p. 26. itemque *Henr. Langenes* in Notis ad c. I. Maimonidis de Æſtimationibus p. 2.

ὦ προσεκολλήθη) Alii Codd. hic habent προσεκλήθη, alii προσεκλίθη. Utrumque vitium vel ex prava aut prave intellecta pronunciatione ortum eſt, quo vide Rev. *Pfaffii* Diſſertat. de Variantibus Lectionibus N. T. p. 145. vel quod vox minus obvia προσεκολλήθη obſcurior videretur. Interim ſimplici κολλᾶσθαι utitur noſter ſupra v. 13. & in Evangelio XV. 15. Temere itaque *Millius* τὸ προσεκλήθη in Prolegom. pro genuino habuit.

ἀριθμὸς ἀνδρῶν) Vide ſupra ad IV. 4.

διελύθησαν) Sic v. 37. διεσκορπίσθησαν, *diſſipati ſunt*, ut *Vulgatus*, vel *domum quisque ſuam reverſi*. Ita ſæpe Hiſtorici, ut *Thucydides* lib. II. p. 117. διελύθησαν κατὰ πόλεις ἕκαστοι. *Polyb.* IV. c. 2. Hiſtor. & alii apud *Elsnerum* p. 387.

ἐγένοντο εἰς οὐδὲν) Opponitur id τῷ λέγειν τινὰ ἑαυτὸν, & ſignificatur, magna quidem impoſtorem illum jactaſſe, multosque res magnas animo concepiſſe, ſed ſpe ſua fruſtratos ad contemtum redactos eſſe. Simili phraſi utitur Paulus 2 *Cor.* XII. 11. εἰ καὶ οὐδέν εἰμι & *Epictetus* apud Arrianum lib. IV. c. 8. εἰ ἄλλον περιμένω, ἵνα με ὠφελήσῃ, ἐγὼ οὐδέν εἰμι. Conf. *Elsnerum* p. 387. & *Raphel.* in Notis Polybian. p. 319. ubi iſta exſtat Polybii phraſis ex lib. IV. c. 34. καὶ εἰς τὸ μηδὲν καταντᾷν εἴωθεν i. e. *nimia audacia in exitu eſſe ſolet amentia & vanitas.*

Verſ. 37. Μετὰ τοῦτον ἀνέστη) *Heinſius* voces μετὰ τοῦτον referri vult ad finem verſus 36. ut ſenſus ſit, aſſeclas Theudæ poſt ipſum periiſſe, & ad incitas eſſe redactos. Qua ratione eidem viſum eſt fieri poſſe, ut Judas Galilæus h. l. non dicatur eſſe Theuda ætate recentior. Amplectitur idem *Car. le Cene* in Conatu novæ verſionis p. 594. Sed vereor, ut ſe hæc conjectura cuiquam probet. Si enim id dicere voluiſſet S. Lucas, ſcripturus procul dubio erat μετὰ τούτου h. e. *una cum ipſo Theuda*, non μετὰ τοῦτον *poſt ipſum*. De clade enim & conſecuta aſſeclarum diſperſione ſermo eſt, quæ eodem tempore contingebat. Præterea hoc modo deeſt vinculum, quo comma 37. priori iſti jungeretur, quod in narratione ejusmodi hiſtorica vix eſt admittendum. Denique alia ratio in promtu eſt, qua difficultati hic objectæ occurrere licet. De ea vero diximus paulo ante.

Ἰούδας ὁ Γαλιλαῖος) Eum *Joſephus* Antiquitt. XVIII. 1. *Gaulanitem* vocat, ſive is ad locum nativitatis, ſive educationis, ſive habitationis reſpexerit. Idem vero Judam noſtrum itidem *Galilæum* appellat Antt. XX. 3. & urbs Gamala patria Judæ erat urbs Gaulanitis, quæ ſita fuit ad ortum Galilææ. Vide *Joſephi* Antt. XVIII. 1. & de Bello Judaico lib. III. c. 2. Confer *Relandi* Palæſtinam p. 181. *Altingium* de Schilo lib. IV. c. XX. *Caſaubonum* Exercitt. Anti-Baronian. l. c. *Seldenum* de Jure Nat. & Gent. p. 791. & notas meas ad R. *Mardochai* Notitiam Karæorum p. 32.

ἐν ταῖς

ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς ἀπογραφῆς) De Cenfu hoc diximus ad *Luc.* II. Conf. Rev. *Gottlieb Wernsdorfii* Differt. de Cenfu, *Wittenberg.* 1693.

Verf. 38. Ἀπόστητε ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων τούτων) Similis phrafis exftat in *Jalkuth* fuper Pf. I. apud *Buxtorfium* in Florileg. Hebr. p. 46.

ὅτι ἐὰν ᾖ ἐξ ἀνθρώπων ἡ βουλὴ αὕτη) Similiter fere in *Pirke Avoth* IV. 11. dicitur: *Congregatio in honorem Dei confiftet, quæ vero non eft in honorem Dei, cadet.* Verba hæc judice *Lud. Cappello* in Spicilegio ad h. l. animum produnt a Chriftianis non valde averfum, vel faltem ingenium mite. Viciffim alii, nominatim *Jac. Meulengracht* in Differt. ad v. 34. citata p. 27. confilium hoc non fidei & pietati, fed prudentiæ & folertiæ civili adfcribit, nec ex amore in religionem Chriftianam, fed ex ftudio in fodales ejus profectum putat. Non dubitem ego, Gamalielem, dum hæc pronunciaret, vere dubium hæfiffe, quid de Apoftolis fit ftatuendum, quos non folum noverat fingulari modo ex carcere liberatos, fed quos etiam cum maxime fumma animi fiducia de Chrifti doctrina perorantes audiverat. Dubius itaque, confultum putavit, confilio hoc tempus lucrari, & tum fibi tum aliis amplius cogitandi fpatium acquirere. Nec erraturum me puto, fi providentiam Divinam in flectendo Gamalielis animo non magis hic otiofam fuiffe cenfeam, quam eadem fuit in Caipha, de Jefu cognofcente, & Pilati uxore, maritum de caute agendo admonente. Certe totam hanc orationem ex fubdolo & verfuto animo tantum profectam effe ut credamus, nec ipfe fermonis contextus, nec circumftantiæ modo commemoratæ patiuntur. Neque obftat odium, quod Judæi paffim Gamalieli in Chriftianos tribuunt. Quid enim prohibet, quo minus ftatuamus, Gamalielem Apoftolorum παῤῥησίᾳ & patrati ab ipfis miraculi evidentia confufum, mitius de ipfis eo tempore cenfuiffe, deinceps vero in duriorem conceffiffe fententiam, cum præter fpem incredibilia Chriftianifmi incrementa cerneret, & Stephani graviffimam increpationem cum indignatione audiviffet. Confer *Witfii* Meletemata Leidenfia p. 13. & *Altingium* in Schilo lib. IV. c. 25. ex noftratibus vero Rev. *Mart. Chladenii* Difputat. de θεομαχίᾳ ex confilio Gamalielis cavenda *Witteb.* 1715. & D. *Joach. Langii* Epicrifin in judicium Gamalielis de caufa Chrifti & Apoftolorum *Hal.* 1715. Ceterum in hoc Gamalielis confilio vim demonftrativam pro Chriftianifmi veritate & divina origine ineffe, non inconcinne oftendit *Guffetus* in Confutatione libri *Chiffuk Emuna* p. 15.

Verf. 39. οὐ δύνασθε) Nonnulli id converti volunt per: *non debetis*, qua notione eadem phrafis occurrere vifa eft *Joh.* III. 28. & *Act.* IV. 20. Vide *Coccejum* Tom. II. Opp. Pofthum. p. 470. Sed præftat verbum hoc communi fignificatui relinquere, quandoquidem in eo majus robur eft ad comprimendam Judæorum acerbitatem, & vere omnino affirmare Gamaliel poterat, eos negotium hoc, fi divinum effet, nunquam impedituros. Id

interim facile largior, si prior illa interpretatio admittatur, sequentia verba: *μήποτε* &c. cum antecedentibus commodius connecti.

μήποτε, καὶ θεομάχοι εὑρεθῆτε) *Henr. Stephanus* τὸ καταλῦσαι vertit per *eversionem moliri*, ut sic factum ipsum pro conatu ponatur, totumque comma ita reddatur: *non potestis eversionem ejus moliri, ne & cum Deo bellare comperiamini.* Vide ejus Differtat. de Stylo N. T. in Syntagmate Honertiano p. 21.

θεομάχοι) Appositissimum hoc esse vocabulum, idem *Stephanus* l. c. recte observat, quod de gigantibus proprie dictum fuit. Sic sensus foret: *ne gigantum more cum Deo bellum gerere videamini.*

Phrasin hanc illustrat copiosius *Frider. Bucherus* in Differtat. de *θεομάχοις*, quæ in Thesauro Philolog. Disputatt. super N. T. p. 431. sqq. recusa exstat.

εὑρεθῆτε) i. e. *sitis.* Sic *Philipp.* II. 7. *γενόμενος* & *εὑρεθεὶς* idem valent. Conf. *Hebr.* XI. 5. 1 *Cor.* IV. 1. Adde *Gatackerum* ad Antonin. IX. 9. & *Suicerum* Tom. I. p. 1264.

Vers. 40. *δείραντες*) De hac Apostolorum flagellatione exstat singularis Differtatio *Wolfgangi Davidis Schæpfii*, recusa in Thes. Dispp. p. 439.

Vers. 41. *ὅτι κατηξιώθησαν ἀτιμασθῆναι*) Elegans hic est *ὀξύμωρον.* Sunt enim sibi contraria *ἀξιοῦσθαι* & *ἀτιμάζεσθαι.* Conf. *Casaub.* ad h. l. & *Gatackerum* ad Antonin. VII. 60. p. 284. b.

ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ) h. e. *in nominis ejus gloriam.* Vide ad hanc phrasin Biblioth. Bremensem Class. III. p. 225.

Vers. 42. *οὐκ ἐπαύοντο διδάσκοντες*) Ita rectissime, & ex usu purissimorum Græciæ Scriptorum Lucas dixit *ἐπαύοντο*, non *ἔπαυον.* *Παύω* enim est *cessare facio alium*, *παύομαι* vero *cessare facio me*, i. e. desino. Vide huc *Thomam Magistrum* voce *Παύω* & Cl. *Jo. Alberti* Obss. Sacr. p. 233. qui tamen ostendit eadem opera, *Euripidem* Ione v. 522. & *Hesiodum* in Scuto Herculis v. 449. *παύειν* in sensu activo pro *desinere* adhibere.

κατ' οἶκον) B. *Lutherus* recte reddidit: in allen Häusern. Pro eo lege B. *Raithii* Vindicias versionis Lutheri p. 452.

CAP. VI.

VErs. 1. *ἐγένετο γογγυσμὸς τῶν Ἑλληνιστῶν*) De Hellenistis hic & infra IX. 29. itemque XI. 20. memoratis diversæ exstant Virorum doctorum sententiæ. *Alii* eos pro *Ethnicis* habent, ut *Lud. Cappellus* in Opp. Posthumis pag. 394. *Alii* pro Judæis, qui Romanorum partes secuti sunt, aut in eorum stipendio vixerunt, ut *Is. Vossius* cap. ult. de Sibyllinis. *Alii* pro nomine,

mine, non tam nationis aut linguæ, quam *factionis* cujusdam accipiunt. *Alii* pro Judæis dispersionis secundæ in provinciis Græcorum sive Gentilium, ut *Pet. de Marca* lib. VI. c. 1. de Concordia Sacerdotii & Imperii. *Alii* pro Judæis, qui habitarint in gentibus, neque gnari fuerint Linguæ Hebraicæ, sed quamvis aliam illius, in qua versarentur, gentis linguam loqui consueverint, ut *Jo. Lightfootus*. *Alii* pro Proselytis justitiæ e Græcis, ut *Joach. Camerarius*, *Beza*, *Salmasius*, *Crojus*, *Pearsonius* Lectionibus in Acta p. 52. sq. *Matth. Cottierius*, *Guil. Caveus* & *Sam. Basnage* ad A. C. XXXV. n. 7. itemque in Exercitatt. Anti-Baronianis. *Alii* pro Judæis Græciensibus, ἑλληνιστὶ διαλεγομένοις, qui verbis Græcis, phrasibus autem Hebraicis usi sint, & extra Judæam habitarint. Ita *Jos. Scaliger* ad *Eusebii* num. 1734. *Dan. Heinsius* in Exercitatt. ad N. T. *Drusius*, *Grotius*, *Hammondus*, *Rich. Simon*, *Coccejus* in præf. ad Cod. Sanhedrin, *Jo. Seldenus*, *Boisius* in Collatione p. 366. *Dion. Petavius*, *Constant. Lempereur*, *Barthol. Mayerus* in Philologia Sacra & alii. *Septem* has dissentientium de Hellenistis sententias recenset, & eadem opera diversas, quæ huc pertinent, eruditorum commentationes de Lingua Hellenistica & Stylo N. T. commemorat diligentissimus *Fabricius* noster in Biblioth. Græca lib. IV. c. 5. p. 226. Adde V. C. *Jo. Conradi Schwarzii* dissertationem de Stylo N. Test. elegantem, quam *Jo. Olearii* Dissertationi de Stylo N. T. *Coburg*. 1721. 8. recusæ inseruit p. 137 - 192. & *Suiceri* Thesaurum Tom. I. p. 1092. sqq.

Ab his omnibus ex parte discessit nuper Cl. *Fourmontius* in Dissertatione singulari, quæ exstat in Historia Academiæ Regiæ Gallicæ Inscriptionum & literarum elegantiorum Tom. III. p. 105. sqq. Hic scilicet Hellenistas h. l. & infra c. IX. 29. memoratos, credit esse Syros, qui a Græcis devicti & subacti paulo post & mores eorum & ritus amplexi sint. In his multos ait fuisse Judæos, ex quorum numero fuerint Hellenistæ hic allati, quos Lucas testatur animo commotos fuisse in Hebræos, h. e. Judæos Palæstinæ. De Hellenistis, quorum mentio est c. XI. 20. statuit, eos non esse diversos a Gentilibus, quibus Evangelium prædicandum esse visio, S. Petro oblata, monebat. In præsidium sententiæ Vir doctus affert varia *Josephi* & Talmudis loca, in quibus nomina Syrorum & Ethnicorum, nec minus Syrorum & Hellenistarum idem significent. Addit idem, rem extra dubium positam esse, si Acta Apostolorum, ceu ipse sibi persuadet, Syriace primum scripta esse credamus. Sic enim sine dubio hic vocem ערמי *Arami* adhibitam fuisse, per quam Syri ubique indicentur. Duplex itaque is Hellenistarum genus statuit, alterum Syrorum, qui Judæorum sacra amplexi sint, alterum ejusmodi hominum, qui adhuc Gentilismi erroribus indulserint. Subjungit denique, si hæc minus placeant, pro Ἑλληνισαὶ legi posse Ἑλενισαὶ cum uno λ, & tunc Helenistas fore Adiabenos, ex asseclis Helenæ, Adiabenorum Reginæ, quæ, teste *Josepho* Antt. XX. 2. Judaismum amplexa sit, & Hierosolymis commorata: a qua

illi nomen suum ita, ut ab Herode *Herodiani*, acceperint. Apparet ex his, Virum doctum pro vi ingenii variis uti conjecturis, inter quas duæ inprimis paucissimis, credo, se probabunt, nempe primum, quod Acta Apostolorum primum Syriaco sermone sint exarata, cujus conjecturæ nullum vel in antiquitate, vel in dictione, qua usus est Lucas, omnium judicio ad purissimam Græciæ dictionem proxime accedens, vestigium apparet. Deinde audacior adhuc est Vir doctus, quando nomen Ἑλληνιστῶν in Ἑλενιστῶν illud convertit, atque adeo a ratione scribendi abit, omnibus N. T. Codicibus MS. & præterea tot aliis ab antiquitatis ultimæ Scriptoribus recepta, & tali præterea, quæ ne quidem ex linguæ rationibus admitti possit. Si enim largiamur, Helenistas ab Helena illa, Adiabenorum regina, appellatos esse, illi certe Ἑλενιανοὶ dicendi erant, non Ἑλενισταὶ, quemadmodum Herodiani, ad quos provocat a voce Ἡρώδης non Ἡρωδισταὶ sed Ἡρωδιανοὶ sunt appellati. Taceo, non videri omnino verisimile, Helenam tot habuisse asseclas, ut illi quidem Hellenistis, quorum non parvam fuisse copiam sacræ tabulæ credere jubent, appellandis & a cetero Christianorum vel Judæorum cœtu distinguendis occasionem præbere potuerint.

Mihi quidem illi hic optime sentire videntur, qui per Hellenistas intelligunt homines, olim ortu & religione Ethnicos, hinc vero ad Judæos, tum denique ad Christianos conversos. Hoc ipsa nominis ab Ἕλλην, quod Gentilem in N. T. infert, deducendi ratio suadet, & aliæ circumstantiæ, in N. T. passim obviæ, poscunt.

Hellenisticum dicendi genus atque adeo novum prorsus, quod a Græcis Scriptoribus intelligi non possit, Scriptoribus N. T. tribui, non magis ferendum puto, quam, si quis genti cuidam Germanicæ, inter alias nationes versanti, linguamque patriam subinde ad peregrinam accommodanti, novam linguam tribuendam existimet. Hebraismi illi, qui hinc inde in Scriptoribus Sacris ad exemplum τῶν LXX. occurrunt, neque tot sunt, quot sibi persuadent nonnulli, ceu ex ipsis his annotationibus manifestum est, neque tanti, ut in genuinum dictionum sensum penetrare non liceat homini etiam Græco, qui scriptis eorum legendis, & secum invicem diligenter comparandis invigilarit. Hoc vero fieri debere in singulis Scriptoribus, de quorum mente certus esse cupias, illis exploratum est, qui interpretandi disciplinam callent.

Ceterum de commate hoc, & oppositione τῶν Ἑλληνιστῶν πρὸς τοὺς Ἑβραίους lege commentantes *Salmasium* de Lingua Hellenistica p. 175. sqq. & 235. item in Funere p. 26. nec non *Crojum* p. 237. Observatt. Sacrarum.

ὅτι παρεθεωροῦντο) i. e. Hellenistæ dolebant, suas viduas & pauperes in comparatione ad egentes ex populo Judaico non perinde curari. Ita Rev. *Raphelius* cum Victorino Strigelio in Hypomnematibus pag. 151. Annotationum Xenophontearum. *Xenophon* enim in Ἀπομνημον. I. 34. ita: καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους

ἄλλυς παραθεωρῶν ἐμαυτὸν h. e. & *contemplans me in comparatione ad alios.* B. *Lutherus* ſcite vertit: ſie wurden überſehen, de qua voce lege *Stadenii* Expoſitionem vocum difficiliorum p. 657.

ἐν τῇ διακονίᾳ τῇ καθημερινῇ) *in miniſterio quotidiano.* Sermonem hic eſſe de diſtributione rerum, ad ſuſtentationem pauperum neceſſariarum, ex communi Eccleſiæ Hieroſolymitanæ ærario inſtitui ſolita, ex ſequentibus patet, ubi διακονεῖν ταῖς τραπέζαις commemoratur. Similiter Xenophon Cyropædiæ lib. VII. p. 145. τράπεζαν de victu uſurpat: ἀποδίδωμι ἤδη γυναῖκά τε ἔχειν, ἣν εἶχες, ϰ τράπεζαν, σὺν οἷα περ ἔζητε. Atque ita quoque ſervi, menſæ olim miniſtrantes, διακόνων nomine vocari ſolebant. Vide *Laurent. Pignorium* de Servis p. 103. Interim de diaconis his primitivæ Eccleſiæ, eorum origine & munere conſtat noſtra ætate inter eruditos acriter diſputatum eſſe, nominatim *Campeg. Vitringam* & *Rhenferdium*, illum quidem in libris de Vetere Synagoga lib. potiſſimum III. Part. II. c. 5. p. 920. ſqq. hunc autem in Diſſertat. II. de Decem Otioſis Synagogæ p. 139. ſqq. ſcriptis item aliis huc pertinentibus, & a me alias commemoratis. Prior eorum διακονίαν hanc τῶν τραπεζῶν extraordinarium munus, ſolique Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, in qua illa bonorum communio tantum vigebat, proprium fuiſſe, adeoque τὰς διακόνυς, a Paulo in epiſtolis ad Timotheum & Philippenſes commemoratos, ab iſtis diſtinguendos eſſe autumat. Hic vero pro perpetuo aliquo & ubivis in Eccleſiis recepto munere habet, & διακόνυς illos cum Hebræorum גבאים & גבאו צדקה i. e. *collectoribus eleemoſynarum*, non vero חזנים comparat. Mihi quidem priorem *Vitringæ* ſententiam præ altera arridere non diffiteor, qui in utriusque partis argumentis ponderandis jam quidem verſari non poſſum. Confer interim Rev. *Chriſtoph. Matthæi Pfaffii* Origines Juris Eccleſiaſtici p. 47. ſqq. Adde *Pearſonii* Lectiones in Acta p. 53. ſq. *Samuelem Baſnage* in Annal. ad A.C. 35. n. 8. ſqq. & alios a Cl. *Fabricio* in Bibliographia Antiquaria p. 452. citatos.

Verſ. 2. ὐκ ἀρεςόν ἐςι) *non arridet:* ita hac phraſi utuntur οἱ LXX. Confer *Keuchenium* ad h. l.

διακονεῖν τραπέζαις) Vide ad v. 1.

Verſ. 3. ἄνδρας ἐξ ὑμῶν μαρτυρυμένυς) De honeſta fama & exiſtimatione hic ſermonem eſſe patet. Itaque particulam εὖ ſubintelligendam putat *Chriſtianus Schœtgenius* ad Lamb. Bos de Ellipſi p. 369. Conf. *Act.* X. 22.

ἑπτὰ) *Henr. Dodwellus* in libro Anglicano de uno Sacerdotio & uno altari ſeptem hos Diaconos repetit a ſeptem Angelis Apocalypticis *Apoc.* I. 12. Sed eum non magis puto audiendum, quam P. v. S. qui in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. III. p. 519. ſqq. ſuſpicatur, ſeptem hos Diaconos ipſis nominibus

nibus

nibus suis Doctores Ecclesiæ N. T. per septem ejus periodos pro diversa earum conditione repræsentasse. Videntur enim illi & numerus septenarius & nomina singulis data non sine omine & singulari consilio esse. De numero non dicam, quem muneris illius amplitudo requisivisse videtur. Nomina vero illa jam ante gerebant Viri septem, quam huic muneri destinarentur. Pristinis enim nova substituta esse, quis, scriptura non præeunte, affirmarit?

ὓς καταςήσωμεν ἐπὶ τῆς χρείας ταύτης) *quos præficiamus huic negotio.* *χρεία* enim hic non *usum*, sed *officium* infert. Ita *Diodorus Siculus*, lib. XVIII. p. 635. *ὐχ ἑκυσίως αὐτὸν ὑπακηκοέναι πρὸς ταύτην τὴν χρείαν, ἀλλ' ὑπὸ τῶν βασιλέων συναναγκάσθαι προσδέξασθαι τὴν τοιαύτην λειτυργίαν*, h. e. *non sponte id se muneris subiisse, verum a Regibus, ut susciperet, esse coactum.* Lege aliorum loca apud *Elsnerum* p. 389. Eadem, qua noster utitur, phrasis exstat 1 *Maccab.* VI. 14. *καὶ κατέςησεν αὐτὸν ἐπὶ πάσης τῆς βασιλείας αὐτῦ.* Confer *Boisii* Collationem pag. 368.

Vers. 4. *Ἡμεῖς δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ διακονίᾳ τῦ λόγυ προσκαρτερήσομεν*) Hinc non consequitur, quod quidam sibi persuaserunt, septem viros illos nihil aliud curasse, quam quæ ad œconomica pertinerent: sed id tantum, quod huic curæ inprimis vacarent, ceteris ab hoc onere prorsus immunibus. Alioquin & illos ipsos Diaconos a verbo Dei prædicando non fuisse alienos, ex iis apparet, quæ paulo post de Stephano & Philippo, quorum nomina v. 5. exstant, commemorantur. Interim nec pro *Presbyteris* eos habere velim, quæ sententia est Cl. *Jo. Henr. Böhmeri* in Jure Ecclesiastico Diss. VI. §. 20. sqq.

Vers. 5. *Στέφανον - καὶ Φίλιππον* &c.) Recensentur hic Diaconorum nomina. Eorum pleraque Macedonum peculiaria fuisse videntur *Salmasio*, in Funere Linguæ Hellenist. p. 73. ut *Τίμων*, *Νικάνωρ*, *Παρμενᾶς*, *Φίλιππος*. *Prochori* effigies habetur apud Lambecium de Biblioth. Vindobon. Tom. III. p. 570. Confer *Dan. Guil. Molleri* Disput. de 7. primis Diaconis, *Altorf.* 1696.

καὶ Νικόλαον προσήλυτον Ἀντιοχέα) Hinc *Heinsius* collegerat, unum Nicolaum proselytum fuisse, ceteros non item, sed Judæos. At *Salmasius* l. c. p. 79. recte observat, *Nicolaum* hic non simpliciter vocari *προσήλυτον*, sed *προσήλυτον Ἀντιοχέα*, ut proinde & ceteri pro proselytis, sed Hierosolymitanis, habendi sint. Confer eundem in Ossilegio Linguæ Hellenist. p. 363. Nicolaus hic non dedit nomen sectæ Nicolaitarum. Vide *Ittigium* de Hæresiarchis p. 92. *Vitringam* lib. IV. Obss. Sacr. c. IX. §. 33. *Hulsium* de Vallibus Prophetarum §. 33. & novissime Rev. *Joh. Guil. Jani* Dissertat. de Nicolaitis. De picturis ejus *Molanus* meminit III. 53.

Vers.

Verf. 6. ἐπέθηκαν αὐτοῖς τὰς χεῖρας) Ritus hic manus imponendi hominibus, diviniori muneri destinatis, recte repetitur a Mose, quem Josuæ manus imposuisse, constat ex *Num.* XXVII. 18. Hinc idem in Ecclesia Judaica servatus fuit, quem סמיכת ידים appellant. Lege *Vitringam* de Vetere Synagoga lib. III. Part. I. c. 15. p. 836. sqq. qui & p. 841. sqq. ostendit, quomodo inde in Ecclesiam N. T. translatus sit ab Apostolis. Confer Rev. *Pfaffii* Origines Juris Ecclesiastici p. 44. sqq. & quæ *Jo. Morinus*, quamvis τῇ ὑποθέσει δουλεύων, huc commentatus est in libro de sacris Eccles. Ordinatt.

Verf. 7. Καὶ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ηὔξανε) i. e. Evangelica doctrina indies latius dimanabat ad plurimorum hominum cognitionem. Sic *Xenophon* Cyropæd. lib. IV. p. 73. de Cyri nomine ait: ἀπὸ γὰρ τῆς μάχης τὸ τούτου ὄνομα μέγιστον ηὔξετο. Conf. *Raphelii* Notas Polybian. p. 152.

πολύς τε ὄχλος τῶν ἱερέων) h. e. *ex plebe Sacerdotes*, quos Judæi vulgo vocabant כהנים עם הארץ *plebejos, rudesque Sacerdotes*, quod rudi vulgo haud multo literatiores essent, contradistincte τοῖς תלמידי חכמים seu eruditis Sacerdotibus, quorum paucos Christo nomina dedisse, ex Joh. VII. 48. 49. constat. Vide *Elsnerum* p. 160. Atque hæc quidem recte observata mihi videntur, nec *Bossuetus* causam habuit, cur similem *Rich. Simonis* in Versione Gallica interpretationem perstringeret, contra quem idem se tuetur in Biblioth. Critica Tom. IV. ep. 35. p. 310. sq.

ὑπήκουον τῇ πίστει) i. e. obtemperarunt doctrinæ de fide propositæ.

Verf. 8. Στέφανος δὲ πλήρης πίστεως) Codd. nonnulli & versiones quoque antiquæ, quibus adde *Copticam*, hic legunt χάριτος, quod mavult *Millius* in Prolegomenis §. 819. Sed proba omnino est lectio receptior, & confirmatur v. 5. ubi idem Stephanus dicitur πλήρης πίστεως. Atque fidei mentio magis omnino hic facienda erat, quam χάριτος, quia additur, καὶ δυνάμεως h. e. facultatis miracula patrandi, quæ statim ab eo facta esse memorantur. Hinc & recte B. *Lutherus* in versione sua vocem πίστεως expressit, pro quo lege B. *Raithii* Vindicias p. 452. De Stephano ipso Protomartyre lege *Caveum* in Vitis Virorum Apostolic. ubi & de reliquiis ejus, quæ venditantur, & miraculis, quæ edidisse fingitur, tum vero translatione corporis, sub Constantino facta, exponitur, quod idem fit ab *Aringhio* in Roma Subterranea Tom. I. p. 47. sqq. Præclara ejus elogia, in Patrum scriptis obvia, congessit *Suicerus* Tom. II. Thesauri p. 1018. De tempore, quo martyrii coronam adeptus est, disputat *Valesius* p. 24. ad Eusebii Histor. Eccles. & *Spanhemius* in quaternione Dissertationum p. 197. Diaconorum caput & primus martyr vocatur a Syris. Vide *Morinum* de Sacris Ecclesiæ Ordinationibus p. 426. De templo Stephani differit ex antiquitate *Steph. le Moyne* in Prolegomenis ad Varia Sacra p. 78. sq. & 128. Apocalypsin ipsi tribui constat. Lege inprimis Cl. *Fabricii* notas ad Codicem Apocryphum N. T. p. 965.

Verf. 9. Ἀνέστησαν δέ τινες τῶν ἐκ τῆς συναγωγῆς τῆς λεγομένης Λιβερτίνων) Pro Λιβερτίνων nonnulli legi voluerunt Λιβυστίνων, quod nec *Relando* penitus difplicuiffe, ex Corollario 7. differtationis ejus de Tryphone Judæo apparet. At rectius *Millius* ad h. l. inanem hanc ait effe conjecturam, cum Codices omnes in vulgata lectione confentiant. Itaque nec audiendus eft *Jac. Godofredus* in Cod. Theodof. Tom. III. p. 221. ubi eandem fententiam ornandam fufcipit. Accipe verba ejus: *Melius illi, qui populi feu gentis nomen ibi latere crediderunt; quod omnino fuadent aliæ Synagogæ ibi nominatæ. Ex hoc vero primum argumento multa indaganti mihi illud fuccurrit, reponendum ibi loco* Λιβερτίνων *vocem* Λιβυρτίνων *i. e.* Λιβυστίνων: *nam* ερ *(i. e.* υρ*)* & υς *(i. e.* ις*) in MSS. eodem ferme modo exprimuntur.* Λιβυστῖνοι *porro Judæi nihil aliud funt, quam* Libyenfes *ex Libya orti. Nam ut* Stephanus *docet, in voce* Λιστὸς *a* Λίβυς Λίβυος *pleonafmo* τοῦ ς *dicitur* Λιβύστιος & Λιβυστῖνος & Λιβυστὴς &c. *Sic & Libyftinus Apollo a Libya apud Macrobium I. Saturnal.* 17. *p.* 228. &c. Eadem conjectura in mentem olim venit *Oecumenio, Lyrano, Gagnejo* & aliis. B. *Calovius* in Bibliis Illuftratis ad h.l. teftatur, *Gothofredum* in differt. fingulari ad 1 *Cor.* XI. 9. de velandis mulieribus, deque exufia capitis λαβαστίνων legere pro Λιβερτίνων. Sed operarum vitium ibi occurrit: nam in ipfa illa Differt. Epiftolica p. 16. vox λιβυστίνων expreffa eft.

Hac igitur conjectura miffa, inquirendum eft, qui tandem per Λιβερτίνους intelligantur? Afferemus primum hanc in rem *Campegii Vitringæ* obfervata ex lib. I. Part. I de Synagoga vetere p. 254. ubi multa in fummam retulit. *Si* Libertinus, inquit, *hic fit accipiendus pro* liberto, *fic proprie dicto, qui e fervitute manu miffus eft in libertatem, de quo nulli dubitamus,* (Gentis *enim hoc nomen effe, ut quibusdam vifum, non admittimus*) *tum quadruplex, ni fallor, voci conftat fignificatio. Vel enim per* Libertinum *notari poffet Judæus, origine & gente, qui vel a fe ipfo, vel a Synedrio, in terra Canaan, Domino Hebræo venditus in fervitutem, deinceps ab eodem illo Domino libertate donatus eft; vel* Judæus *origine & gente, qui Gentili Domino fervivit, (cujusmodi multi in Italia & Romæ) & ab eo in libertatem datus eft; vel Gentilis natu, qui, poftquam Hebræo Domino fervitium præftitit, ab ipfo in libertatem miffus, & fimul cum manumiffione in Judaifmum ut profelytus cooptatus eft (quod utrumque fiebat per ritum baptifmi) vel Gentilis, qui Gentili Domino fubditus, & ab eo manu miffus Judaifmum amplexus eft. Cujus vero generis Libertinis vindicanda eft Synagoga in hoc textu? Variant equidem doctiffimi & exercitatiffimi Viri.* Lightfootus *primi ordinis Libertinos intelligit;* Seldenus, *qui alibi docte, ut folet (de Jure Nat. & Gent. lib. II. c. 5.) de hoc loco agit, tertii;* Grotius *vero, fecundi & quarti fimul. Lightfooti & Seldeni fententiæ non placent: Grotio, cujus magis magisque experior, faniffimum effe judicium, ubi receptis hypothefibus non fervit, accedo.* Vitringæ itaque judicio *Libertini* funt Judæi origine, qui in Italia aut Romæ, Gentilium fervitiis addicti, & ab illis libertate donati erant, & cum iis *Liberti Romani*, aut *Itali*, Judaifmo ut *profelyti Juftitiæ* initiati. Pro hac fententia,

tentia, ceteris confutatis, urget vocem *Λιβερτῖνος* in ſe Latinam, qua *manumiſſi* tum temporis deſignabantur, a Luca ideo in textu conſervatam, ut ſciremus, cujus generis libertinos hîc intelligi oporteret. Deinde ſuffragantur huic ſententiæ *Philo*, & *Tacitus*, qui ejusmodi *Libertinorum Romanorum* exertam mentionem faciunt. *Tacitus* Annalium II. 85. ita: *Actum & de ſacris Ægyptiis Judaicisque pellendis, factumque Patrum conſultum, ut* quatuor millia Libertini generis, ea ſuperſtitione infecta, *queis idonea ætas, in inſulam Sardiniam veherentur, coërcendis illic latrociniis, & ſi ob gravitatem cœli interiiſſent, vile damnum. Philonis* ex lib. de Legat. ad Cajum p. 785. locus non minus illuſtris eſt. Ῥωμαῖοι δὲ ἦσαν οἱ πλείους ἀπελευθερωθέντες. αἰχμάλωτοι γὰρ ἀχθέντες εἰς Ἰταλίαν ὑπὸ τῶν κτησαμένων ἠλευθερώθησαν. *Romani erant maximam partem* Libertini. *Captivi enim abducti in Italiam a Dominis ſuis libertate donati erant. Si itaque*, ita commentationem ſuam obſignat *Vitringa, tanta Libertinorum ſub Auguſto & Tiberio Romæ copia, quid miramur, Libertinorum horum Gymnaſium exſtitiſſe Hieroſolymis?* Confer eundem in Archiſynagogo p. 226. Hæc tam diſtincte & luculente propoſita puto, ut facile aſſenſum cuique non nimis pertinaci extorquere poſſint. Hinc eadem ſententia aliis, ante & poſt *Vitringam*, ſe probavit, nominatim *Salmaſio* in Funere Linguæ Helleniſt. p. 87. *Basnagio* Tom. I. Annal. p. 460. *Leeuwenio* in Comment. ad h. l. *Th. Goodwino* in Antiquitatt. Hebr. lib. II. c. 2. §. 4. *Sigonio* de Republica Hebræorum lib. V. c. 10. ex noſtratibus vero *Pfeiſero* in Opp. Philolog. p. 494. *Calovio* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. *Deylingio* Part. II. Obſſ. Sacr. p. 336. & *Amelio* Part. I. pag. 727.

Ab his tamen ſeceſſit *Jac. Altingius* in Heptade Diſſertationum Tom. V. Opp. p. 238. ſqq. cui *Libertini* ſunt *Nethinæi* ſive *ſervi Salomonis*, qui templo miniſtrarint, & libertatem diminutam habuerint, honeſtiore *Libertinorum* appellatione mactati. Sed huic ſententiæ obſtat, quod ſic genuina vocis *Libertini*, quam Lucas de induſtria hic retinuit, notio deſeratur, nec ullo antiquitatis teſtimonio conſtet, Nethinæos illos, ſeu *ſervos* & templo miniſtrantes, hoc nomine unquam veniſſe. Præterea nec ratio apparet, cur iidem *Alexandrinorum, Aſianorum, Cyrenæorum* & *Cilicum* cœtibus & Scholis proxime jungantur, niſi Libertinos illos, æque ac ceteros ab exteris ad Judæos Hieroſolymitanos veniſſe cenſeas. Nam Nethinæi illi & Judæi erant, & in ſinu Eccleſiæ Cananiticæ educati.

In omnia alia, more ſuo, abit *Jo. Harduinus* in ſingulari Diſſertat. quam, primum in *Commentariis Trevoltinis* an. 1701. proditam, nunc in Operibus ejus Selectis pag. 903. ſqq. leges. Putat is, Libertinorum Synagogam fuiſſe quatuor illarum gentium, quæ a Luca ipſo ſtatim memorantur, nempe *Cyrenæorum, Alexandrinorum, Cilicum* & *Aſianorum*, quæ ſcilicet gentes ex utroque latere Judææ Syriæque prætendantur. Si vel textum inſpexeris, unica particula *καὶ*, quæ ſingularem illarum gentium poſt Liberti-

 tino-

tinorum illam, commemoratis Synagogis præfigitur, certum te faciet, de diſtinctis hic Scholis agi. Argumenta vero Harduini ita comparata ſunt, ut recte judicavit Rev. *Deylingius* l. c. pag. 333. quando eum hæc meditantem ſerio rem egiſſe dubitat. Interim lege, quæ idem in ipſum affert, & adde id quoque agentem M. *Jo. Rudolphum Cademannum* in Diſſertat. ſingulari de Schola Libertinorum, Lipſ. 1704. habita, cujus mentio fit in iisdem Commentariis Trevoltinis an. 1706. p. 2153.

Is autem *Cademannus* non magis, quam Harduinus, acu rem tetigiſſe exiſtimandus eſt. Exiſtimat enim vocem *Λιβερτῖνος* originis eſſe Chaldaicæ, atque eum ſignificare hominem, qui Hebraice loquatur. Synagogam itaque interpretatur de Schola Judæorum in Palæſtina, in qua lingua Hebræa uſi ſint, non Græca, quæ in aliis fuerit recepta. Hoc fine vocem Libertinus derivat ex עברית i.e. Hebraice, addita terminatione Chaldaica ין & præfixo τῷ ל לעברתין, eo ſenſu, ut per ellipſin vocis מדבר i. e. *loquens*, inferatur *Ebraice loquens*, quem Græce dixeris *ἑβραϊστής*. Mireris omnino, laudatum Auctorem in has conjecturas deſcendere potuiſſe, niſi Harduinus præiviſſet, quippe qui vocem *λιβερτῖνος* itidem ex Hebr. עבר i. e. *latus* & Chaldaico תני *duorum* portentoſe derivat. Nihil hic video, quod vel minimam veri ſpeciem ſecum ferat, multa autem, quæ & linguæ utriusque rationibus & rei ipſi repugnent. Ut exiſtimem, Auctorem tantum ludi cauſa *Harduino* oſtendere voluiſſe, quid tandem ex hac voce exſculpi poſſet, ſi ingenio indulgere placeret. Conf. Nova Literaria Germaniæ an. 1704. p. 97. Nihil pro Auctoris ſententia facit vox אלינסתין, quæ in Gemara Hieroſolymitana tr. *Sota* cap. 7. occurrit. Illam enim ex Græco *ἑλληνιστὶ* formatam eſſe per ſe patet. Hinc vero non conficitur, fieri potuiſſe, ut vox Hebræa עבר vel עברית hac forma unquam induta ſit.

Nuperrime Cl. *Jo. Henr. Majus* in lib. III. Obſervatt. Sacr. pag. 87. ſqq. *Libertinos* eſſe dictos credidit a *Liberto* quodam, non cujuscunque Domini, ſed Imperatorum alicujus, qualis *Phlegon Trallianus*, *Phædrus*, *Hyginus*, alii, divites plerumque & magnæ auctoritatis, teſte *Plinio* VII. ep. 29. & VIII. 6. Ejusmodi Libertum ſuſpicatur ſuis opibus Synagogam aliquam in proſelytorum, qualis ipſe fuerit, uſum excitaſſe, quæ *Libertinorum* ab ipſo dicta ſit, ſive in memoriam hujus beneficii, ſive, quod magis probat, ob doctrinam, qua novos ſibi aſſeclas comparavit. Sed parum mihi veri videtur ſimile, ſi quis talis exſtiterit *Libertus* proſelytus, Judæos nomen appellativum potius elegiſſe, a qua ſcholam hanc in patroni memoriam appellarent, quam proprium ejus, quo alias inſignitus fuit. Si a doctrina ejus vel varia vel nova appellatio Scholæ orta ſit, mirum foret, in antiquitatis monumentis nullum hujus rei veſtigium exſtare. Eodem in loco hanc ſuperaddit conjecturam Vir doctus, eam nempe, quod nomen *Liberti* proprium ſit hominis Judæi, a quo deinde Libertini ſint appellati. Ea enim

ætate

ætate Judæos duo nomina gerere consuevisse, Ebræum alterum, alterum Græcum vel Latinum, ut *Jesus* & *Jason*, *Jakim* & *Alcimus*. Lege *Jos. Scaligerum* in Canonibus Isagogicis lib. III. p. 325. & *Grotium* ad *Act.* XIII. 19. Quod ut erudite admonetur, ita vereor, ut probari satis possit. Non exstat sane exemplum, quod ullus unquam Judæus a libertate obtenta vel פטיר vel משולח, aut similiter, appellatus sit, nec forte in antiquitate Romana *Liberti* nomen, ut Proprium, occurrit. Aliorum sententias, tanquam minus probabiles, lubens prætermitto. Huc pertinent illi, qui cum *Franc. Junio* ad h. l. & ad Gen. VIII. item in libro de Academia cap. 2. Tom. I. Opp. existimant, Libertinos hos dictos esse quasi *Lubratenos*, a *Lubra*, quod Synagogam, loco editiore sitam, denotet. Nec minus isti, quibus Libertini dicti videntur Judæi exteri, v. c. *Cilices*, *Asiani* &c. quibus liberum fuerit, Hierosolymas ad celebranda festa &c. accedere, aut in locis patriis permanere, quique, si accederent, Synagogam hanc seu Academiam propriam sibi habuerint. Hanc sententiam memoratam & rejectam vide a *Reitzio* in Notis ad *Goodwini* Antiquitates Hebr. lib. II. c. 2. §. 4.

Ceterum de Libertinis his exstant quatuor Dissertationes *Mart. Bræm*, *Hafniæ* 1698. & sequentibus habitæ, quas inspiciet, qui ad manus habet.

καὶ Κυρηναίων καὶ Ἀλεξανδρέων &c.) In variis nempe locis Judæi, hinc inde dispersi, degebant, unde adventantes singuli eas adire scholas consueverant, quæ ipsis erant destinatæ, *Cyrenæi* nempe illam *Cyrenæorum* &c. Ubi non prætermittendum illud est, quod Synagogæ istæ non tam precibus faciendis, quæ in Synagogis proprie fieri solebant, quam literis excolendis destinatæ fuisse videantur, cujusmodi scholam Judæi alias proprie בית המדרש, sicut Synagogam proprie sic dictam בית הכנסת appellare consueverunt. Ita statuit *Vitringa* de vetere Synagoga in Prolegomenis cap. IV. p. 28. *Qui cum Stephano*, inquit, *disputarunt*, *constat fuisse Scholares*, *qui ex disciplina hujus vel illius Academiæ prodierunt*, *apud ipsos* תלמידים, *apud Græcos μαθηταὶ dicti*. *Non absurdum igitur fuerit*, *rem hoc modo digerere*, *quod*, *cum Hierosolyma non minus esset sapientiæ sedes*, *quam Gentis metropolis & deliciæ*, *plura ibidem satis magno numero structa sint Gymnasia*, *quæ adjunctam sibi habuerint Synagogam*, *domum fundendarum precum*, *in qua Scholares unius quidem gentis*, *sed diversis oriundi locis*, *cum popularibus suis*, *si qui forte cuperent*, *sacra sua matutina & vespertina celebrarunt*. Illustrari hæc causa poterit ex consuetudine nostræ ætatis, per quam in urbibus amplioribus & populosioribus diversarum gentium Christiani, diversisque linguis utentes, sua frequentare templa consueverunt, quæ ab ipsarum nominibus, v. c. *Gallorum*, *Anglorum* &c. appellantur.

Ex hoc commate præterea manifestum est, complures Synagogas Hierosolymis fuisse, quemadmodum Judæi, forte *αὐξήσεως*, more suo, studiosi, testantur, in hac una urbe *quadringentas & octoginta* exstitisse.

 Ita

Ita enim Gemara Hierofolymitana ad *Megilla* cap. III. fol. 73. col. 4. tradit. ארבע מאות ושמונים בתי כנסיות היו בירושלים: Conf. Talmud Babylon. in *Ketuvoth* fol. 105. col. 1. & *Lightfootum* in h. l. Actuum, tum vero diligentiffimum *Vitringam* de vetere Synagoga p. 28. & 256. ex noftratibus vero Rev. *Deylingium* Obff. Sacr. Part. II. pag. 334. contra *Harduinum* difputantem, qui duas tantum Synagogas Hierofolymis exftitiffe, *civium* alteram, alteram *Libertinorum*, more fuo, h. e. confidenter & neglecto infuperque habito antiquitatis teftimonio, affirmat. Confer & nos, fi placet, in Biblioth. Hebr. Tom. II. p. 918. fqq.

καὶ Ἀλεξανδρέων) De magnifica Alexandrinorum fchola Hierofolymis lege *Ottonis* Lexicon Rabbinicum p. 25. & *Vitringam* l. c. p. 256.

συζητοῦντες τῷ Στεφάνῳ) Eruditos itaque hos fuiffe neceffe eft, qua de re paulo ante fumus commentati.

Verf. 10. *καὶ τῷ πνεύματι, ᾧ ἐλάλει*) *& Spiritui, quo loquebatur.* Cafus fcilicet fextus hic obtinet, quo Græci, ufu faltem, non funt deftituti. Vide *Oftermanni* Pofitiones Philolog. Difp. I. §. 14.

Verf. 11. *Τότε ὑπέβαλον ἄνδρας*) Vulg. *tunc fubmiferunt viros.* Ita *Ariftides* de Paraphthegm. p. 618. *ἑτέρους διακόνους ὑποβαλλόμενος τῆς συμβουλῆς, ὡς ἀληθῶς σκιαμαχεῖν ἀναγκάζουσι.* Conf. *Elsnerum* p. 390.

Verf. 12. *καὶ ἐπιστάντες συνήρπασαν*) h. e. *& repente adorti corripuerunt illum.* Verbum enim *ἐφίσταμαι* non folum *παραγίνομαι* fignificat, fed etiam *ἐξαίφνης παραγίνομαι*, quod recte hic obfervat *Boifius* in Collatione p. 368.

Verf. 13. *οὐ παύεται*) Vide fupra ad VI. 42.

κατὰ τοῦ τόπου τοῦ ἁγίου) i. e. *contra templum.* Neque enim hic tam urbs Hierofolymæ, quam fpeciatim templum, pro fanctiffimo femper habitum, indicatur. Confer c. VII. 46-48. & τοὺς LXX. *Jef.* LX. 13. & LXII. 9. Adde *Keuchenium* ad h. l. & *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra p. 522. qui ait: *Templum vero & Ecclefia dicuntur locus, quia funt quafi cœlum & domicilium gloriæ Dei.*

CAP. VII.

VErf. 2. fqq. Analyfin fermonis Stephani exactam legis in Celeb. *Valent. Ern. Lafcheri* Decimis Evangelicis Decade IV. pag. 237. fqq. ex qua apparet, concionem hanc per enthymemata certa & fecum invicem egregie connexa ita adornatam fuiffe, ut ad fcopum, qui v. 51. 52. 53. potiffimum exprimitur, apprime faciat, & auditoribus occafio fuppeditata fit, illas confequentias inde deducendi, quæ ibidem ex ferie fermonis eliciuntur. Confer omnino in eandem fententiam *Herm. Witfium* lib. I. Mifcel-

Miscellan. c. XXI. §. 55. sq. ubi recte asseverat, *orationem hanc non meram rerum notissimarum narrationem complecti, sed sapientissimam esse apologiam, qua ex omni Dei circa populum Israeliticum politia arguat, nihil a se doceri, quod divinæ menti non sit apprime consentaneum.* Addit idem p. 317. *Non diffiteor, in prolixa hac oratione occurrere nonnulla, quæ, quo tendant, prima auditione vix dignoscas, & alia, quæ a Mosaicæ narrationis litera aliquantulum recedere videantur. At non idcirco meritus est Stephanus hanc arrogantis Critici* (Vide Judicia Theologorum Batavorum epist. XI. p. 243. & Clerici Notas ad versionem Gallic. N. T.) *censuram:* Plenus quidem Spiritu Evangelii S. Stephanus erat, quum eam recitaret orationem, quæ exstat Act. VII. attamen multas ei immiscere videtur res historicas, nihil ad causam, quæ disceptabatur, pertinentes, & quæ vix est ut conciliari queant cum historia V. T. Neque desunt homines eruditi, qui existimant, Stephanum lapsu mnemonico quædam distinguenda confudisse. *Profecto* (hæc est sapiens *Witsii* epicrisis) *parum tribuere oportet Spiritui Sancto, (quo non solum* imbutus, *sed &* repletus *fuisse perhibetur Stephanus) qui dictat, tantam eum reliquisse in intellectu Apologistæ ἀκρισίαν judicii defectum, ut præter rem multa effuderit; non dignoscens, quid causæ suæ faveret; tantam etiam memoriæ infirmitatem, ut res notissimas perperam narraverit.*

Vers. 2. καὶ πατέρες) Hoc nomine assessores Concilii & Primates populi vocantur, quemadmodum alias Senatores Romani, & alii in Republica vel dignitate, vel meritis conspicui Patrum nomine appellari consueverunt. Lege huc *Fesselii* Adversaria Sacra Tom. I. p. 368. *Salmasius* in Funere Linguæ Hellenist. p. 77. ex hac compellatione colligit, Stephanum proselytum fuisse. *Vir enim*, inquit, *Judæus dixisset tantum ἄνδρες ἀδελφοί. At Stephanus, qui proselytus erat, Judæos vocat ἀδελφοὺς, ut earundem promissionum cum iis consors, ejusdem legis observator, ejusdemque Numinis cultor.* Πατέρας *etiam appellat, quia proselyti ut discipuli eorum, a quibus legem acceperant, quasi filii censebantur, & illi tanquam patres.* Eo argumento non usus fuisset Vir doctus, si recogitasset, Paulum, Judæum gente, eadem allocutione uti ad Synedrium *Actor.* XXII. 1. ἄνδρες ἀδελφοὶ καὶ πατέρες.

ὄντι ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ) Cum adhuc versaretur in *Ur*, urbe Mesopotamiæ, de cujus situ inter Geographos disputatur. Vide Interpretes ad *Gen.* XI. 28. *Bochartum* lib.II. c. 6. item lib.I. c. 10. Geographiæ Sacræ. *Hottingerum* in Smegmate Orientali p. 293. sq. & singularem dissertat. *Christiani Wagneri* de Ur Chaldæorum, *Lips.* 1681. *Thom. Hyde* nomen Ur contractum esse credit ex *Ptolomæi* *Orchoa* sive *Vrchoa*, vel etiam haberi vult pro nomine Syro-Chaldaico *Urhoi*, quod sit nomen urbis Mesopotamiæ, quæ alias *Edessa* vocetur. Vide eum de religione veterum Persarum c. II. p. 75. De *Mesopotamia* lege commentantem *Andr. Mullerum* de Mose Mardeno p. 4.

ἐν χαῤ-

ἐν χαῤῥὰν) Vide huc Interpretes ad Gen. XI. 5. ult. ſpeciatimque *Joh. Clericum*, cui dicta videtur hæc urbs ab Hebr. חרר i. e. *exuſtus, aduſtus fuit*, propter vicinas ſcilicet ſolitudines, calore ſolis aduſtas. Deſerendum itaque non inconvenienter putat *Bochartum*, qui II. 14. Geographiæ Sac. nomen hoc repetit a *Charane*, Abrahami fratre, quem tamen Charris unquam fuiſſe nullo Scripturæ Sacræ loco conſtat. *Theophilus* ad Autolycum lib. II. ita: *ἐν δὲ τῇ γῇ χαναὰν ἐγένετο πόλις, ᾗ ὄνομα χαῤῥάν.*

Verſ. 4. *Τότε ἐξελθὼν ἐκ γῆς χαλδαίων κατῴκησεν ἐν χαῤῥάν. Κἀκεῖθεν μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν πατέρα αὐτοῦ μετῴκισεν αὐτὸν εἰς τὴν γῆν* &c.) Non parva hic nata eſt Interpretibus difficultas in concilianda Stephani narratione cum Moſaica *Gen.* XI. 26. & XII. 4. Illius difficultatis nervus ſummatim olim a B. *Ægid. Strauchio* in Breviario Chronolog. & poſt eum a Rev. *Mart. Chladenio* in Diſſert. de Conciliatione Moſis & Stephani circa annos Abrahami, *Witteb.* 1710. habita p. 5. hoc ſyllogiſmo comprehenſus eſt:

Tempus, quo Abraham ex Haran exiit in Canaan, fuit annus ætatis Abrahami 75. Gen. XII. 4.

Annus mortis Tharæ fuit tempus, quo Abrahamus ex Haran translatus eſt in Canaan, *Act.* VII. 4.

Igitur annus mortis Tharæ fuit annus ætatis Abrahami 75.

Hoc vero falſum eſt: hi enim anni cum prioribus ſeptuaginta (ſeptuageſimo enim Patris anno dicitur natus Abraham Gen. XI. 26.) conjuncti faciunt annos ætatis Tharæ 145. qui tamen annos ducentos & quinque implevit, *Geneſ.* XI. 32.

In nodo hoc ſolvendo *alii*, tanquam re conclamata, nihil definiunt, inter quos eſt B. *Lutherus* noſter, *Joſ. Scaliger*, in Animadverſionibus Euſebianis, & *Simeon Muiſius* in Cenſura in Exercitatt. IV. Morini. *Alii* lapſum memoriæ Stephano intempeſtive & parum religioſe tribuunt, ut *Grotius*, *Clericus* in Notis ad Verſ. Gall. N. T. aliique. *Alii* annos Tharæ 205. in textu Hebraico aſſignatos, refingi volunt ad textum Samaritanum, ubi 145. eidem tribuuntur, qui exacte toti hiſtoriæ reſpondeant: quia, ſi 70. anno Thara genuit Abrahamum, idemque 75. anno, quo hic Harane exivit, defunctus eſt, prodeunt anni 145. Ita cenſent *Knatchbullus* ad h. l. *Cappellus*, *Jurieus* in Hiſtoria Critica Dogmatum & Cultuum, *Bochartus* Tom. II. Opp. p. 863. ſqq. *Car. le Cene* in Conatu novæ verſionis pag. 539. noviſſime autem *Whiſtonus* in Conatu textum Hebræum reſtituendi p. 26. ad *Philonem* de Somniis p. 572. & *Joſephi* Antiquitates I. 7. provocans. Utraque ſententia tum in Scriptorem Sacrum, quem in his etiam capitibus errare potuiſſe non niſi temere dicitur, tum in fontem Hebræum, quem ex rivulo puriorem reddere diſſentientes conantur, injuria eſt.

Itaque alii rectius dubiis his obviis ita conſulere conati ſunt, ut ſimul

mul

mul & Mosis & Stephani narrationi sine ipsorum, & fontium detrimento, veritas constet. Eos omnes, cum a Rev. *Chladenio* in Disput. laudata diligenter allatos videam, hic non commemorabo; sed in iis acquiescam, quæ idem ad causam hanc conficiendam idonea esse censuit. Scilicet ex Mose constat, Abrahamum 70. anno ætatis a Thara genitum esse *Gen.* XI. 26. Constat etiam Tharam ducentos & quinque vitæ annos Harane complevisse *Gen.* XI. 32. Abrahamum vero anno 75. ætatis suæ, qui incidit in Patris 145. adeoque sexaginta annos ante ejus mortem Harane exivisse *Gen.* XII. 4. & post diuturnas migrationes non prius, quam, Patre mortuo, ad quietem esse translocatum & positum in terra Canaan. *Act.* VII. 4. His momentis fusius adstructis, aliisque, quæ huc pertinent, commemoratis, p. 27. sqq. illud excutitur, quod Interpretibus inprimis crucem hic fixit, nempe, quomodo dici possit a Stephano, quod Deus Abrahamum post mortem demum Patris μετῴκισε, h. e. transtulerit in terram illam, quam eo tempore incolerent Judæi. Observat itaque, Stephanum non dicere, Abrahamum eo *profectum esse*, sed *Deum eum translocasse*. Utramque autem phrasin non æquipollere, sed posteriore hac plus inferri, quam illa priore. Τὸ μετοικίζειν enim non solum notare translationem aut deductionem Abrahami ad illum locum, ubi aliquamdiu commoraturus, & hinc inde profecturus esset, sed transportationem aliquam ad habitaculum & domicilium securum ac perpetuum. Si enim prius tantum indicaretur, non potuisse dici, eum translatum tantum esse in Canaan, siquidem non illuc saltem venerat Abrahamus, sed etiam in Ægyptum, Philistæorum item & Sodomæorum terras. Vicissim vero dici Abrahamum posse μετῳκισμένον in terram Canaan, simulac ibi radices egerit, & aliquod, vel tantillum proprii possederit. Hoc vero non nisi post mortem Patris esse factum, quamvis emigratio ipsa multis ante annis suscepta fuerit. Hanc esse Stephani mentem, vel ex eo apparet, quod distinguit inter πάροικον εἶναι h. e. peregrinum esse, & instar hospitis alicubi commorari v. 6. & inter κατοικεῖν, quod dicitur de eodem in ædibus patriis habitante v. 4. & denique inter μετοικίζειν eodem hoc commate, h. e. transferre in locum alienum, instar domi habitandum. Atque sic Abraham habitavit Hebrone, ibique, tanquam in terra propria est sepultus. Hinc conficitur, Stephanum h. l. non tam emigrationem & peregrinationem, quam consequens ejus ac terminum, nimirum sedem stabilem in illa terra, quam mortuus etiam Abrahamus, deinde vero posteri ejus inhabitarunt, innuere. Hanc sententiam olim proposuit *Augustinus* tum alibi, tum Quæst. XXV. super Genesin: ex nostratibus vero B. *Gesnerus* ad h. l. & ex parte *Waltherus* in Harmonia Biblica p. 65. quibus, ut ceteros taceam, novissime accessit Vener. *Val. Ern. Læscherus* in Decimis Evangelic. Part. IV. p. 205. sqq. Hinc ad Syllogismum supra allatum facilis est responsio, si distinguatur inter *exitum in Canaan*, quem describit Moses, tanquam factum ante Tharæ patris mortem, & *translocationem*

tionem seu μετοικισμὸν *in Canaan*, quam Stephanus innuit, tanquam defuncto Parente factam. Hæc de loco vexatissimo pro nostri ratione instituti sufficiant: de quo, & integra hac causa, inspici præterea merentur *Jo. Marckius* in Exercitatt. Biblic. p. 35. sqq. *Jac. Gussetus* in Confutatione libri *Chissuk Emuna* Part. I. c. XLV. §. 54. sqq. & *Bochartus* Tom. II. Opp. p. 863. seq. ubi de annis Tharæ & Abrahami e Charane egressu commentatur.

Vers. 5. Καὶ οὐκ ἔδωκεν αὐτῷ κληρονομίαν ἐν αὐτῇ, οὐδὲ βῆμα ποδός·) Idem ad *Isaacum* & *Jacobum* quoque transfertur *Hebr.* XI. 8. de quibus simile quid legitur in *Sanhedrin* cap. ult. Conf. *Beth Israel* p. 140. & adde *Hackspanii* Tractatum de usu librorum Rabbinicorum p. 459. in calce Nizzachon Lipmanni.

Vers. 6. καὶ κακώσουσιν ἔτη τετρακόσια) Hic annorum numerus non videtur convenire cum *Exod.* XII. 40. 41. ubi servitus Israelitarum in Ægypto quadringentis & triginta annis definitur. Pugnam hanc tollere nonnulli ita conati sunt, ut textum Hebræum vel ad Codicem Samaritanum, vel ad versionem τῶν LXX. restringerent, inter quos est *Morinus* in Exercitt. Biblicis, *Is. Vossius* in Chronolog. Sacra, & *Eduardus Stillingfleetus* in Epistola ad Deistam p. 98. Hic enim ex optimis τῶν LXX. Codd. ita legi vult: ἡ δὲ παροίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ἣν παρῴκησαν ἐν γῇ Αἰγύπτῳ, καὶ ἐν γῇ Χαναάν, αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν, ἔτη τετρακόσια τριάκοντα. Adde *Lud. Cappelli* Criticam Sacram III. 20. & IV. 10. Cum vero fontes ex rivulis temere & inconsulte emendentur, alii Israelitas revera in Ægypto annos 430. exegisse existimant, ducto computi initio a Jacobi introitu in Ægyptum. Inter hos est *Gerb. Joh. Vossius*, quibus se opponit B. *Pfeiferus* in Dubiis Vexatis Loc. XL. Huic vero majoris numeri, nempe annorum 430. initium statuendum videtur in principio vocationis Abrahæ, per quam egressus est ex *Haran* Genes. XII. 4. & in Canaan peregrinari cœpit. Ab hoc enim tempore usque ad descensum Jacobi in Ægyptum 215. anni elapsi sunt, & totidem ab hoc usque ad exitum Israelitarum ex servitute Ægyptiaca: unde denique conficientur anni 430. Minor numerus, nempe annorum 400. repetendus erit ab expulsione Ismaelis, a quo tempore usque ad eductionem Israelitarum ex Ægypto tot anni effluxerunt. Ubi simul apparet, incolatum Ægypti, qui hic filiis Israelis tribuitur, ita accipiendum esse, ut tota Patrum, Abrahami scilicet, Isaaci & Jacobi peregrinatio in Canaan, quæ durissima fuit, includatur. Ideo enim nulla Ægypti mentio fit Genes. XV. in divina prædictione ad Abrahamum: *semen tuum erit peregrinum in terra, quæ ipsorum non est, servietque ejus incolis, qui illos affligent annis quadringentis.* Lege in hanc sententiam plura apud *Pfeiferum* l. c. & Rev. *Deylingium* in Obss. Sacris Part. I. Obs. XI. p. 38. sqq. nec non *Ægyd. Strauchii* Disput. de anno nativitatis Abrahami, vocationis ejusdem & 430. annis mansionis Israelitarum in Ægypto, Witteb. 1661. cujus summam habes in Breviario ejus Chronologico. Inspice præ-

præterea *Lud. Cappelli* Opp. Posthuma p. 405. *Natal. Alexandrinum* in Selectis Capitibus Hist. Eccles. ad Ætat. III. Diss. I. item *Guil. Beveregium* de præstantia Linguarum Oriental. p. 31. sq.

Vers. 7. *καὶ λατρεύσουσί μοι ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ*) Non exstant hæc *Gen.* XV. 13. ex quo antecedentia desumta sunt, atque ideo imperite, quod sine blasphemia dixerim, his ex *Exod.* III. addita videntur Auctori libri *Chissuk Emuna* Part.II. cap. LXII. Sed imperitiæ nota ipsi rectius impingitur, qui ignoraverit, vel saltem non recogitarit, quod & Moses ipse & alii Scriptores Sacri verba Dei, alibi prolata, aliis in locis nonnihil aliter referre, & amplificare etiam ex aliis Scripturæ locis consueverint. Atque ita quoque ipsos Judæorum Scriptores in citandis divini Codicis oraculis agere, compluribus exemplis a *Surenhusio* in *Βίβλῳ καταλλαγῆς* ostensum est. Scilicet Stephanus ex binis locis *Geneseos* & *Exodi*, ad eandem rem pertinentibus, unam sententiam formavit, ab ipso Deo, diversis tamen in locis, hinc Abrahamo, hinc Mosi pronunciatam. Unde nec Stephanus ait, ea omnia dicta esse Abrahamo, sed simpliciter: *ἐλάλησε δὲ οὕτως ὁ Θεός*, *Deus vero ita dixit.* Lege huc *Jac. Gusseti* Confutationem *τοῦ Chissuk Emuna* pag. 415.

Vers. 9. *ἀπέδοντο εἰς Αἴγυπτον*) *Lamb. Bos* de Ellipsi Gr. L. p. 254. subintelligi hic vult verbum: *ἀπάγεσθαι* i. e. *Josephum vendiderunt abducendum*, vel, *ut abduceretur in Ægyptum.* Utrumque conjunctim ait exprimi *Gen.* XXXVII. 28. *Ἀπέδοντο τὸν Ἰωσὴφ, καὶ κατήγαγον τὸν Ἰωσὴφ εἰς Αἴγυπτον.* Eandem ellipsin suppleverat ante *Beza.* Ita vero etiam profani Scriptores, ut *Herodotus* II. 56. p. 110. *τὴν μὲν αὐτέων εἰς Λιβύην, τὴν δ᾽ εἰς Ἑλλάδα ἀπέδοντο*, *alteram earum in Libyam, alteram in Græciam vendiderunt*; & *Lysias* contra Erasthenem p. 151. de mancipiis, *τὰ μὲν βέλτιστα ἔλαβον, τὰ δὲ λοιπὰ εἰς τὸ δημόσιον ἀπέδοσαν.* Loca hæc affert Cl. *Elsnerus* p. 390. qui ex *Casaubono* ad h. l. monet, ejusmodi venditionem servorum a veteribus vocatam esse *τὴν ἐπ᾽ ἐξαγωγῇ*, cum mancipia ea lege vendebantur, ut in longinquas terras deportarentur. Sed in genere quoque hoc verbo venditionem inferri, iis factam hominibus, qui in longinquas terras vel lucri, vel alia quacunque causa mancipia deportare poterant & solebant, idem *Elsnerus* ex *Herodoti* V. 6. p. 288. ostendit p. 391.

Vers. 14. sqq. Vide huc *Jo. Cocceji* Opera Posthuma Tom. II. p. 636. *Surenhusium* in *Βίβλῳ καταλλαγῆς* p. 407. sqq. *Kidderum* in Demonstratione Messiæ Part. II. p. 226. *Wilh. Langium* de Annis Christi p. 257. sqq. & *Jac. Gussetum* in Confutatione libri *Chissuk Emuna* Part. I. c. 45. §. 60. sqq. & Part. II. c. LXIII.

καὶ πᾶσαν τὴν συγγένειαν αὐτοῦ ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε) Numerus hic 75. animarum difficulter conciliari posse videtur cum eo, qui *Gen.* XLVI. 26. & 27. definitur. Ibi enim v. 26. Moses animas tantum 66. numerat, quibus v. 27. quatuor addit, ut 70. prodeant, assumtis scilicet in compu-

tum duobus Josephi filiis in Ægypto natis, ac præterea *Jacobo* & *Josepho*. Atque idem numerus 70. *Deut.* X. 22. tum in Hebr. tum in τοῖς LXX. occurrit. Unde igitur natæ h. l. sunt animæ 75? Nonnulli mendum hic agnoscunt in Codicibus N. T. & pro πέντε legi volunt πάντες. Ita *Beza* post *Bertramum*, & ex nostratibus B. *Glassius* in Philologia Sacra Lib. I. Tract. II. p. 168. qui & mendum hoc ex nostro loco deinde in versionem τῶν LXX. translatum esse contendit, quæ *Richardi* quoque *Simonii* sententia est in notis ad Vers. Gallic. Sed conjectura hæc audacior est, & constanti Codicum consensui, in quibus nulla heic varietas occurrit, adversatur. Imo repugnat etiam ipsi structuræ sermonis. Ibi enim Josephus dicitur avocasse ad se πᾶσαν τὴν συγγένειαν τοῦ Ἰακώβ. Quo igitur consilio πάντες iterum commemorarentur? Itaque recte hoc nomine notatus est Glassius a *Calovio* in Bibliis Illustratis.

Alii *Lucam* hic τοὺς LXX. quamvis errantes, sed in levi momento, secutum esse contendunt, quod ipsum de *Cainane* quoque Luc. III. factum esse suspicantur. Ita *Alex. Morus* in Causa Dei p. 109. *Lud. Cappellus* ad h. l. & nuperrime *Guil. Whistonus* in Conatu restituendi textum Hebr. p. 124. sq. qui suspicatur, quinque illos, quos nominant οἱ LXX. ex posteris Ephraimi & Manassis, ex 1 *Chron.* VII. 14. sqq. huc translatos esse, qui tamen per rationem temporum tunc nondum nati esse potuerint. Sed, quamvis negari nequeat, Sacros Scriptores N. T. interdum per συγκατάβασιν versionem Græcam, ob frequentem ejus in N. T. usum retinuisse, tamen id ipsis perpetuum non est, cum subinde ab ea in exprimendo sensu recedant: hic vero propterea admitti vix potest, quod ex illorum, qui ita sentiunt, opinione simul error computi Genealogici inferatur.

Alii Stephanum destinato consilio numerum 75. cum Mosaico 70. permutasse existimant, ita ut utrique sua ratio constet, cum Moses alium, alium Stephanus computandi modum inierit. Hoc ut ostendatur, diversis viis utuntur Interpretes. Mosen ajunt numerare personas familiæ Jacobææ, quæ in Ægyptum venerint; inter eas vero comprehendi, quæ in Ægypto natæ sint, v. c. *Ephraim* & *Manasse*, nec non, quæ mortuæ erant, antequam venirent in Ægyptum, nempe binos Judæ filios *Er* & *Onan*. Itaque sermonem esse *Mosi* de omnibus personis familiæ, *quæ in Ægyptum tandem venerit*, non vero de personis, quæ illuc actu & revera delatæ fuerint. Vicissim *Stephanum* h. l. non loqui de membris omnibus familiæ Jacobææ, sed de omnibus personis familiæ illius, quas Josephus in Ægyptum invitarit. Hoc sensu diserte ait: *tunc Joseph mittebat ad accersendum Jacobum, & totam ejus familiam, quæ consistebat* 75. *animabus*. Addunt, Mosen Genes. XLVI. 26. ex hoc numero excipere uxores filiorum Jacobi, Stephanum vero excipere nihil. Quod si itaque duodecim uxores Patriarcharum numero 66. Mosaico addantur, prodire 78. Sed his demi debere tum uxorem

rem *Judæ*, quæ in Canaane obierit, tum *Josephi*, quæ non venerat ex Canaane, sed in Ægypto ducta erat, tum denique ipsum *Josephum*, quippe qui personas illas, ipse jam in Ægypto degens, ad se evocaverit. Hæc computandi ratio debetur B. *Seb. Schmidio* in Disputat. de numero familiæ Jacobææ, quæ *Argentor.* an. 1688. habita, & *Witteb.* 1712. ac in Thesauro Disputatt. Philolog. V. T. p. 246. recusa est. Illa ad omnes difficultates expediendas tam idonea est visa *Jac. Bernardo* in Notis Reipubl. Literar. an. 1701. Tom. II. pag. 565. ut cum ratione nihil quicquam opponi posse existimaret. Eandem, si pauca exceperis, viam ingreditur, P. H. (i. e. ut interpretor, P. *Joh. Harduinus*) in Memoriis Trevultinis an. 1713. Tom. II. p. 1562. sqq. Ex nostratibus vero huc etiam pertinet B. *Calovius*. Is enim in Bibliis Illustrat. ad h. l. ita: *Stephanus eorum init numerum, qui cum Jacobo in Ægyptum accersiti a Josepho sunt, quod a Mose non factum, Genes. XLVI. 27. utpote qui catalogum texit alium, in quo una cum Jacobo posteri ejus comprehenduntur, non autem filiorum Jacobi uxores, cum egressos solum e lumbis Jacobi designet v. 26. animas nempe domus Jacob, exceptis uxoribus, annumerato autem Jacobo, ut stirpe familiæ, quæ in Ægyptum venerunt, seu cum Jacobo, seu ante eundem.* Confer ejusdem Criticum Sacrum pag. 746. sqq. & Commentar. in Genes. cap. XLVII. v. 27. Sententiam hanc ut *accuratam & ingeniosam* laudat Jo. Seldenus *de Synedr.* pag. 409. Sed fuit tamen Vir doctus, qui non contemnenda exciperet in iisdem Novis anni 1704. Tom. I. p. 166. sqq. Is distinctionem, quæ fit inter personas *familiæ, quæ venerit* in Ægyptum, & *personas, quæ istuc venerint*, solidam esse inficiatur: necesse quoque putat esse, ut, si omnes personæ familiæ, quæ venerit in Ægyptum, computandæ sint, quamvis Ægyptum non adierint, ex his non omittatur *Thamar*, tum *Lea, Rahel, Zilpa* & *Bilha*, quæ tamen ab Auctore hujus computi sint neglectæ. Denique monet, posito hoc principio, numerum Mosaicum omnino excedere debuisse illum Stephani, qui tamen hic major sit. Mosen enim vi illius principii non solum personas numerare, quæ in Ægyptum venerint, sed & illas, quæ illuc nunquam sint profectæ. Denique, post allatas alias nonnullas difficultates, novam conciliandi rationem a se sperare jubet. *Schmidii* causam contra hæc agendam suscepit N. *de Marolles* in epistola ad *Bernardum*, quæ in Notis istis legitur an. 1704. April. pag. 403. Illius cogitata in summam hic referre non licet, nisi vel obscurior fieri velim Lectori, vel, præter instituti mei rationem, longior. Itaque epistolam ipsam inspici malim. Interim his vindiciis idem Anonymus, quem primo loco memoravimus, adduci se passus est, ut novam conciliandi rationem ostenderet in libello singulari, quem *Gallice* sub tit. *Conciliatio Mosis cum Stephano & se ipso, sive Examen familiæ Jacobi ratione numeri personarum, quibus constiterit in Ægypto*, edidit, nomine his literis expresso V. P. R. D. L. R. *Amstelod.* 1704. 8. In præfatione præmissa respondetur laudato *Marollesio*. Conciliatio vero ipsa huc redit. Familiam Jacobi ait vere personis 70. constitisse, sed *Genes.* XLVI. 26. ubi 66. numerantur, futura tantum populi capita re-

ta recenſeri, atque adeo duas Jacobi filias, item Jacobum & Saulem, Simeonis filium omitti: Stephanum vero iſtis omnibus in cumulum addere liberos Ephraimi & Manaſſis, quos Joſephus capita populi cum ceteris conſtituerit. Sic autem produci numerum 75. Vide hæc plenius enarrata a *Bernardo* l. c. p. 68. ſqq. & in Memoriis Trevultinis an. 1711. T. I. p. 714. ſq. Adde Unſchuldige Nachrichten an. 1704. p. 358. Nec omitte *Bernardum* an. 1704. T. I. p. 491. ubi idem *Anonymus* editæ ſuæ *Conciliationi* ampliorem lucem conciliare nititur, in quo negotio pergit an. 1705. Tom. I. p. 265. ſqq.

Novam hanc Anonymi illius ſententiam examinandam ſibi ſumſit idem, ut puto, *Marolleſius* in libello itidem Gallico, cujus hæc eſt inſcriptio: *Epiſtolæ Criticæ de difficultatibus, quæ inter Moſen & S. Stephanum intercedunt circa computum poſterorum Jacobi, qui ex Canaane in Ægyptum abierunt, Ultraj.* an. 1705. 8. Hoc volumine duæ comprehenduntur *Marolleſii*, & binæ aliæ *Maſſonii* literæ. Uterque eorum in repudianda nova illa conciliatione, tanquam pluribus & majoribus difficultatibus, quam quibus tollendis allata eſt, obnoxia conveniunt, ſed iidem in ſolvendo hoc nodo etiam inter ſe diſſentiunt.

Marolleſius ſententiæ *Schmidianæ*, pro qua ante pugnaverat, inſiſtit, & *Anonymi* exceptionibus, tum in præfatione ſua ad *Conciliationem*, tum alias in Novis Reip. Literar. ll. cc. allatis, ſatisfacere inſtituit.

Maſſonius vero hunc Actorum locum in mendo cubare exiſtimat. Stephanum credit revera numerum Moſaicum 66. ex Gen. XLVI. adhibuiſſe, non autem 70. ideo, quod in *Geneſeos*, *Exodi*, & *Deuteronomii* locis, quæ ad hanc cauſam pertineant, *Joſephus* numero 70. omnino comprehendatur, qui tamen ex computo Stephani neceſſario omittendus veniat, cum diſerte memoret, *Joſephum* ceteros ad ſe in Ægyptum convocaſſe. Propterea numerum Moſis 66. a Stephano adhibitum, poſtliminio in Actis cum numero 75. a librariis negligentibus & incurioſis permutatum eſſe opinatur. Erroris occaſionem repetit ex more veterum, numeros non per voces, ſed per literas exprimendi, eamque inter numerum LXVI. & LXXV. ſi Græcis literis ſcribantur, affinitatem eſſe putat, ut ſecum invicem facile confundi potuerint. Enimvero jam alias monuimus, morem illum numeros per literas ſignandi non tam antiquum eſſe, ut ad illum tuto provocare liceat, quem ſcilicet antiquiſſimum credere debebamus, ſi inde univerſalem hanc Codicum lectionem repetere h. l. velimus. Præterea tanta inter literas, numeri hujus indices, ſimilitudo non eſt, quantam Maſſonius ſibi videre viſus eſt. Scriptum ſcilicet a Luca putat literis Græcis majuſculis CΞ i. e. 66. librarium vero has literas transpoſuiſſe, & ex C feciſſe O ex Ξ autem E ut ſic tandem prodiret OE i. e. 75. Taceo, hoc modo nodum non tam ſolvi, quam ſcindi, quod in ſacris literis audere nefas eſt.

Non

Non omittenda h. l. est *Christoph. Immigii* commentatiuncula, quam sub titulo: Ausgefundene Berechnungs-Vergleichung der Oerter Gen. XLVI. 27. und Actor. VII. 14. Lipſ. 1718. 4. duabus plagulis edidit. Eo judice in computum τῶν 75. animarum veniunt tres uxores Jacobi tunc adhuc ſuperſtites, *Lea, Silpa & Bilha*, una cum Rubenis & Dinæ liberis hinc ex inceſtu, hinc ex illegitimo matrimonio genitis. Conf. Unſchuldige Nachrichten an. 1718. p. 906.

Sunt etiam, qui arbitrantur, Stephanum h. l. decem perſonas, quarum in Codice Sacro non fiat mentio, & quas ex traditione ad Jacobi familiam pertinere noverat, in computum vocaſſe. Vide huc Unſchuldige Nachrichten an. 1704. p. 359.

Addemus denique *Jac. Guſſeti* cogitata ex Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* pag. 334. quæ ad *Schmidianam* & *Calovianam* ſententiam ex parte accedunt: *Verba iſta*, inquit, ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε, *in animabus 75. vel conſtruuntur cum* τῇ συγγενείᾳ, *cognatione, vel cum* μετεκαλέσατο, *advocavit: Itemque vox* συγγένεια *vel coarctatur ad perſonas ex eodem ſanguine natas, ſecundum primitivam vocis inſtitutionem, ut neceſſe eſt in priori illa conſtructione. Vel extenditur ad affines, ut per uſum licet extendere, quo quadret cum poſteriori. Si itaque animas 75. jungas cum cognatione* τὴν συγγένειαν ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε, *Lucas numerum, quo cognatio naturalis Jacobi conſtaret, denotat, perſonis tantum, quæ cognationis illius partes eſſent, ſpectatis, ſepoſito tranſitus in Ægyptum reſpectu. Cognationem itaque dicere licet Jacobum habuiſſe 75. homines comprehendentem, nempe, ſi illis 70. quos Moſes de deſcenſu in Ægyptum agens notat, addas quinque illos Joſephi nepotes, quos LXX. Intt. inſerunt, Machir, Galead, Sutulaam, Iaam & Edom. Quidni enim hi Joſepho nati ſint vivente adhuc Jacobo? proindeque, ut alii illi, in cognationis ejus cenſum venerint. Verum neceſſe forte videbitur, nec immerito, illas 75. animas exſtitiſſe, Jacobo illuc deſcendente, quaſi ἡ συγγένεια illum numerum æquare, dum id gerebatur, intelligenda ſit. Id autem incredibile putabis, cum Ephraim ne quidem nonum ætatis annum* (*collatis* Geneſ. XLI. 50. & XLV. 6.) *attigerit. Si igitur in alteram te partem convertas, atque ſic cum* μετεκάλεσε *connectas illas animas 75. Joſeph vocavit eos numeris 75. Id quidem reperietur, calculis ſic poſitis. Detractis iis, qui non deſcenderunt, quia nati in Ægypto erant, iſti deſcenderunt: Fratres Joſephi* 11. *Soror una, Filii fratrum* 54. *vel* 53. *ſi Benjamin tantum novem tunc habebat, uxores fratrum* 10. *Summa erit* 76. *vel uno, ut ſupra, ſubducto, 75. Nam Uxores fratrum omittendæ non ſunt, cum Stephanus apud Lucam agat de* συγγενείᾳ *latius loquendo, quam Moſes, qui ſe reſtringit ad egreſſos e femore Jacobi, ut ipſe in alio catalogo declarat, Exod. I. 5. Et nec dubium eſt,* συγγένειαν *ad affines, h. e. non ſanguine, ſed conjugio cum conſanguineis junctos complecti, cum patrui uxor* συγγενὴς *Levit. XVIII. 14. nuncupetur. Quin etiam uxores illæ filiorum potuerunt ſelectæ eſſe ſecundum Abrahami & Iſaaci ac Rebeccæ præcepta, h. e. e conſanguineis. Ut certiſſimum ſit, vocem, qua Lucas utitur, locum uxoribus filiorum dare. Quæ cum ita ſint, Moſes & Lucas pugnare nequeunt, numeros diver-*

diversos ponendo, quia non de eodem ambitu loquuntur. Lucas nimirum spectat omnes eos, qui possunt συγγενεῖς Jacobi denominari, & qui in Canaan peregrinati migraverunt inde in Ægyptum. Sed Moses solos de corpore ejus ortos, & qui, quanquam non descenderant in Ægyptum aliunde, utpote in ea nati, erant partes לבית הבאה *domus, quæ illuc ivit. Interim filiorum uxores non plures, quam decem numerandæ, nam Judæ uxor obierat: De undecim autem duntaxat filiis Jacobi agitur. Vides jam, ut licuerit, non modo animas* 75. *sed etiam* 76. *dicere. Sed & licuit, non ita accuratum esse, & unius discrimen negligere, Mose ipso neglectus harum minutiarum exemplum praeeunte Genes.* XLVI. 15. *ubi dixit* 33. *pro* 32. *quantum calculis assequi possum. Potuere etiam esse* 75. *duntaxat, si Benjamin nimirum liberos adhuc novem tantum habebat; nondum decem, annum agens trigesimum septimum.* Hæc ille: quæ utut longiora ob argumenti gravitatem descripta legere Lectorem, credo, non pœnitebit.

Mihi quidem *Schmidiana*, quam supra exposui, sententia se præ ceteris probat, quamvis non inficier, superesse adhuc aliqua data opera excutienda, qua nunc defungi nobis non licet. Lege præterea de hoc argumento *Petri Trochmanni* Theses Biblico-Genealogico-Criticas, *Hafn.* 1716.

Vers. 16. *Καὶ μετετέθησαν εἰς Συχὲμ καὶ ἐτέθησαν* &c.) Varia sunt in hoc commate, quæ Interpretibus crucem fixerunt, & a Judæis inprimis aliisque veritatis hostibus in calumniandi occasionem abrepta sunt. Præ ceteris lege librum *Chissuk Emuna* Part. I. c. 45. Primo quidem id illi culpant, quod Jacobus hic Sichemi sepultus dicatur, qui tamen, teste Mose *Gen.* XLIX. depositus fuit in caverna Machpela prope Hebron. Jam vero Sichem est in Ephraimi, Hebron in Judæ tribu, utraque autem horarum 24. circiter intervallo sejuncta. Sed observatum hic probe est a multis, orationem Stephani compositam hic esse, & *respective* interpretandam, ut alias fieri solet. In genere locutus erat Stephanus v. 15. quando obiisse dicit & Jacobum & reliquos Patres. Quod ut generatim de omnibus veritati consentaneum est, ita quæ deinceps speciatim v. 16. enarrantur, de aliis atque aliis Patriarchis accipi debent, prout singulis singula vi historiæ & circumstantiarum competunt. Ita aliqui eorum sepulti sunt *Sichemi*, quod de Josepho ex Mose constat: aliqui vero Hebrone in sepulchro ab Abrahamo comparato, quod de Jacobo idem diserte testatur. Reliqui Patriarchæ vel in duobus his locis ratione sepulturæ distribui potuere, vel cum Josepho allati sunt Sichemum, ac deinde, Josepho Sichemi relicto, omnes Hebronem in sepulchrum Abrahami tandem perducti. Similis loquendi ratio occurrit *Exodi* XII. 5. ubi dicitur: *ex ovibus & ex capris sumetis* sc. Pascha h. e. alii ex ovibus, alii ex capris sumetis: ut alia ejusmodi omittam. Confer in hanc sententiam *Gussetum* in Confutatione libri *Chissuk Emuna* pag. 334. & in Addendis ad Commentarios Linguæ Hebrææ p. 933. Similiter *Rich. Kidde-*

Kidderus in Demonstrat. Messiæ Part. II. p. 231. Judaicas istas objectiones perpendens ita verba Stephani παραφράζει: *Jacob & Patres nostri in Ægypto vita functi, inde de Sichem deportati fuerunt: & nonnulli quidem eorum cum Jacobo in sepulchro, quod Abrahamus emit, conditi fuere, alii vero cum Josepho repositi in eo sepulchro, quod a filiis Emmor, Parentis Sichem, mercatus est Jacobus.*

Alterum, quod hic difficultatem parit, latet in verbis: καὶ ἐτέθησαν ἐν τῷ μνήματι, ὃ ὠνήσατο Ἀβραάμ) Contra hæc primum asserit idem Judæus scriptor, non omnes Patriarchas in terra Canaan sepultos esse, sed unum tantum Josephum. Huic vero adversantur, præter Scripturam, ex Judæis *Josephus*, tum vero Scriptor libri de Vita Mosis a Gaulmino editi p. 13. & recentiores ex iisdem itinerum Scriptores, qui sepulchra Patriarcharum in terra Canaan sibi visa gloriantur; ex ceteris vero *Hieronymus*, in epitaphio Paulæ ad αὐτοψίαν suam in hac causa itidem provocans.

Deinde ferri non posse putat, quod *Abraham* hic dicatur emisse monumentum sepulchrale a filiis *Emor:* quippe quod a Jacobo potius emtum esse testetur Moses *Genes.* XXXIII. 19. quemadmodum vicissim idem auctor sit, *Gen.* XXIII. Abrahamum sepulturæ locum ab Ephrone Chittæo in Machpela sibi comparasse. Ad hunc nodum solvendum alii aliis præsidiis utuntur. Nonnulli enim secant, dicentes, *Abrahami* nomen ab oscitante librario pro illo *Jacobi* h. l. positum esse. Ita inter ceteros statuit *Jo. Clericus* in Arte Critica Part. III. Sect. I. c. 12. §. 4. erroris originem a scriptionis compendio repetens, quod effecerit, ut, cum primum scriptum esset, ΙΑΒ i. e. ΙΑΚΩΒ, exscriptor pro initio vocis ΑΒΡΑΑΜ habuerit, sive deletum esset τὸ Ι. lapsu temporis, sive mendose additum judicaret. Ita ait scribi solere ΙΗΛ pro ΙΣΡΑΗΛ. & ΙΛΗΜ pro ΙΕΡΟΥΣΑΛΗΜ.

Enimvero, si ex hoc fonte lectio τοῦ Ἀβραάμ manasset, mirum foret, Codices omnes, versiones item & Interpretes in eam lectionem tam constanter consensisse, in eo inprimis loco, qui inde ab ultima antiquitate cordatissimorum Interpretum ingenia exercuit, quorum tamen nemo, quod sciam, ad conjecturam hanc confugit, tantum abest, ut olim a Luca aliter scriptum esse contenderet. Præterea jam alias a me admonitum est, illa scriptionis compendia tam antiqua non esse, ut hinc in Codices antiquissimos error ejusmodi irrepere potuerit. Nec allata huc usque sunt exemplaria etiam recentiora, quæ nomina propria per compendium exprimere solent, in quibus nomen Ἰακώβ ita fuerit exaratum. Itaque recte hanc conjecturam auctori suo remittit Rev. *Pfaffius* in Dissert. de Variant. Lection, N. T. pag. 159. & 242. Fuerunt tamen ex Pontificiis *Andr. Masius* Commentar. in Josuæ caput ultimum, ubi in hoc loco explicando multus est, ex ceteris *Waserus* de Nummis Hebræorum II. 15. *Joh. Gregorius* Obss. Sacr. cap. X. & *Alex. Morus* in Caussa Dei p. 109. ex nostratibus vero B. *Gesnerus*,

B. *Rungius* in Gen. XXXIII. & *Dan. Arcularius* ad noſtrum Actorum locum, qui Abrahami nomen pro illo Jacobi ſcriptum eſſe crederent. Admitti idem poſſe cenſet *Guſſetus* l. c. p. 335. ſine præjudicio divinitatis Scripturæ, aut religionis, quamvis ipſe id non amplectatur, ſed receptam ſcriptionem defendat.

Alii majora audent, lapſum ſcilicet mnemonicum vel *Stephano* vel *Lucæ* tribuentes, a quibus cur diſcedendum ſit, ex iis apparebit, quæ ad v. 14. allata ſunt.

Alii, contextum ipſum priſtinæ integritati relicturi, diverſas ingrediuntur vias, quas non omnes hic indicabimus, apud eos ſcilicet inſpiciendas, quorum nomina mox appellabimus. Potior eſt illorum reſponſio, qui Abrahami nomen pro Jacobi illo poſitum exiſtimant, ita ut Jacobus, tanquam Abrahami nepos, vere intelligatur, quaſi appelletur *Abrahamides*. Ita ex noſtratibus *Glaſſius* in Philologia Sacra lib. I. Tract. II. Sect. 2. *Feſſelius* in Adverſariis Sacris Tom. II. p. 374. ex Reformatis autem *Surenhuſius* in libro καταλλαγῆς p. 410. Idem perſuaſum ſibi fere habuit *Lud. Capellus* in Spicilegio Notarum ad h. l. qui tamen legi hoc fine vult ὁ τοῦ Ἀβραὰμ & ſic ſubintelligi ἔκγονος i. e. nepos, conjectura non magis, quam altera illa, approbanda.

Quod ad υἱοὺς Ἐμμὸρ τοῦ Συχὲμ ſeu *filios Hemoris Sichemitæ* attinet, a quibus Abraham monimentum emiſſe hic dicitur, cum Moſes Hephronem Chittæum appellet, ſunt, qui utrumque vere dici poſſe exiſtimant, *dummodo ille Moſis Hemor, pater viri Sichem dicti, non deſignetur a Luca, ſed alius quidam Hemor longe antiquior, atque Sichemi itidem vetuſtioris filius, prout Lucas his verbis* Ἐμμὸρ τοῦ Συχὲμ *indicat, Hemorem filium Sichemi potius, quam patrem. Ab hoc autem Sichemo urbs Sichem condita diu ante natum Sichemum Moſi memoratum, ab eodem illo nomen tulerit. Filius itaque fuerit Hemor priſcus: ab hujus autem filiis deducta ſit colonia quædam ex agro, ubi urbs Sichem ſtabat, in agrum, in quo Hebronem condiderit.* Ita commentatur hic *Guſſetus* l. c. p. 335.

In eandem fere ſententiam deſcendit P. H. Jeſuita (i. e. ut interpretor, *P. Harduinus*) in Explicatione v. 16. hujus Capitis, quæ ad Stephanum cum Moſe conciliandum refertur. Exſtat illa in Memoriis Trevoltinis an. 1713. Tom. II. pag. 1572. ſqq. Arbitratur ille, Abrahamum re vera locum, ſepulturæ aptum, Sichemi emiſſe, & quidem a nepotibus illius, a quo ager nomen referebat: non autem a Sichemo, filio Hemoris, qui Jacobi fuit æqualis, de quo Geneſ. XXXIII. ſed ab alio Sichemo, qui hujus Hemoris pater, & alterius Hemoris filius, alterius item Sichemi nepos erat: id quod ex Stephani verbis manifeſte appareat. Ab hoc ait Abrahamum prima vice argento emiſſe agrum ſepulturæ idoneum, idem vero deinde repetita vice feciſſe Jacobum, Abrahami nepotem, qui ſibi eum una cum agris circumjectis pro centum ovibus redemerit, ideo, quod per abſentiam

Abra-

Abrahami, Iſaaci & ipſius Jacobi factum videret, ut Domini Sichemitæ fundum illum, tanquam a poſſeſſoribus derelictum, vindicarent. Itaque emtionem illam & repetiiſſe, & amplificaſſe Jacobum, ut inpoſterum regio illa recipiendis poſterorum ſuorum cadaveribus perpetuo inſerviret. Idem pag. 1574. ſq. Abrahamum Sichemi vere agrum emiſſe, ex Gen. XII. 6. conficit. Ibi enim Abraham dicitur profectus Sichemum usque, ibique altare Domino exſtruxiſſe, eo ſcilicet in loco, ubi Deus ipſi primum pollicitus erat, ſe poſteris ipſius terram hanc poſſidendam daturum eſſe. Ex hoc autem ait recte confeciſſe Judæos (ceu id a Lightfooto oſtenſum ſit) primum quidem, quod Abrahamus locum, ubi altare ſtruxerit, ære ſuo redemerit, ne paulo poſt ab incolis profanaretur, deinde vero, quod idem *in valle illuſtri*, quæ a Sichemo Geneſ. XII. 6. diſerte diſtinguatur, ſibi compararit *locum*, ſepulturæ idoneum. Hanc ſententiam veterum traditione ſubnixam, a Stephano h. l. ait inculcari, proinde nec huc pertinere ſepulchrum illud, quod idem Hebrone pro ſepultura Saræ, uxoris, coemerit Gen. XXIII. 16. Hoc enim Moſen teſtari 400. ſiclorum pretio conſtitiſſe, quemadmodum viciſſim Stephanus pretium argenti, quo ſepulchrum Sichemiticum acquiſitum ſit, generatim tantum exprimat, eo conſilio, ut ab altero Hebronæo diſtinguatur.

Eandem ſententiam ante *Harduinum* propoſitam video in iisdem Memoriis Trevoltinis pag. 1337. ſqq. ab Anonymo, qui nomen ſuum literis P. L. J. ſubindicavit. Is enim eodem modo exiſtimat, Abraham primum partem agri ſibi ære vendicaſſe tum in altaris ſtructuram, tum in ſepulturam, Jacobum autem 80. annis poſt eo tempore, quo ibi ad Abrahami exemplum commorabatur, alteram ejusdem agri partem priori, parata pecunia, addidiſſe. Atque illa ſibi omnia probe conſtare, nec pugnam eſſe inter Moſis & Stephani narrationem. Abrahamum ſuam partem emiſſe a liberis Hemoris alicujus, filii Sichem, Jacobum autem a liberis Hemoris, Patris Sichem. Priorem Hemorem videri fuiſſe avum poſterioris, ſicut Abrahamus fuerit avus Jacobi. Utriusque cogitata, meo judicio, nec ingenio, nec veri ſpecie inſigni deſtituuntur, quibus parum abeſt, quin calculum meum adjiciam. Summa huc redit. Stephanus loquitur de agro, cujus partem alteram primum Abrahamus, alteram vero, interjecto complurium annorum intervallo, Jacobus emerit, tum in alios uſus, tum inprimis in ſepulturæ locum ea quidem differentia, quod diverſo utrinque pretio, & a diverſis perſonis utraque agri pars redemta ſit. Itaque hic prorſus cogitari non debere de ſepulchrali monumento, quod Abrahamus Hebrone ſibi comparaverit.

Reſtat adhuc commemoranda illa interpretatio, quæ non paucis ſe probavit. Illi ita interpungunt textum Græcum: καὶ μετετέθησαν εἰς Συχὲμ, καὶ ἐτέθησαν ἐν τῷ μνήματι (ὃ ὠνήσατο Ἀβραὰμ τιμῆς ἀργυρίου) παρὰ τῶν

υἱῶν Ἐμμὸρ τῦ Συχέμ. Atque hac ratione emtionem agri generatim tantum hic putant indicari, non commemoratis filiis Emmor, qui huc non pertineant. Hos vero ajunt conſtrui debere cum verbo ἐτέθησαν eo ſenſu, ut Patriarcharum cadavera *a filiis Emor* h. e. ab agro, in eorum regione ſito, ſublata & Hebronem in agrum, ab Abrahamo olim emtum, repoſita dicantur. Hanc autem translationem corporum Patriarcharum factam putant ab Iſraelitis, poſtquam in poſſeſſionem terræ Canaan miſſi divina cura fuiſſent. Ita ſentiunt *Lud. de Dieu* in Critica Sacra p. 533. *Nortonus Knatchbullus* in Animadverſionibus ad h. l. & *Hombergius* in Parergis, ex noſtratibus autem *Theophilus Alethæus* in der Erläuterung Tom. III. p. 188. & Cl. *Starckius* in Notis Select. p. 117.

Habet hæc ſententia, quo ſe commendet. Aſſenſum tamen plenum vix extorquebit cogitanti inſolentem illam præpoſitionis παρὰ ſignificationem, per quam *ablationem* & *remotionem* hic inferre creditur. Adſtruit eam *Alethæus* l. c. pag. 187. ex Æliani Var. Hiſtor. XIV. cap. 20. pag. 894. ubi Sybarita quidam ficum παρὰ τῦ παιδὸς ἁρπάσαι h. e. *puero eripuiſſe* dicitur. Sed locus ille evincit quidem, τὸ παρὰ eo ſenſu adhiberi & verti poſſe, ſi ſcilicet reliqua ſermonis ſtructura id vel poſtulet vel patiatur. Atque hoc eo in loco ex verbo ἁρπάζειν ſatis manifeſtum eſt. Hic vero nihil tale exſtat, ubi παρὰ cum ἐτέθησαν ex hac ſententia conjungi debet, quod iſtum præpoſitionis ſignificatum nec definit, nec probabilem facit. Præſtat itaque, verbum ἐτέθησαν referre ad voces ἐν τῷ μνήματι, ad quas natura ſua pertinet, & cetera παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ connectere cum ὠνήσατο, hoc magis, quod eadem phraſi Gen. XXXIII. 19. de Jacobo dicitur: καὶ ἐκτήσατο τὴν μερίδα ἀγρῦ παρὰ Ἐμμὸρ πατρὸς Συχέμ. Atque hæc quidem de loco intricatiſſimo ſufficiant, de quo præterea inſpici poſſunt *Surenbuſius* in libro καταλλαγῆς pag. 420. ſqq. & Rev. *Albertus Joach. Krackewitzius* in Diſſertat. de Sepulchris Patriarcharum *Roſtoch.* 1702. ubi Stephani verba inprimis ab exceptionibus R. *Iſaaci* in libro *Chiſſuk Emuna* vindicantur, nec non *Coccejus* Tom. VI. Opp. in Epiſtolis pag. 38. ſqq.

Verſ. 17. Καθὼς δὲ ἤγγιζεν ὁ χρόνος τῆς ἐπαγγελίας &c.) Verſ. 17-21. illuſtrat Cl. *Cornel. Adami* in Exercitatt. Exegeticis, ubi de Iſraelis in Ægypto multiplicatione & oppreſſione commentatur. Conf. Acta Erudit. Lipſienſ. an. 1713. p. 22. ſqq.

Verſ. 19. ὗτος κατασοφισάμενος τὸ γένος ἡμῶν) *Vulg.* ita: *hic circumveniens genus noſtrum. Boiſius: hic doloſe agens*, vel, *callide agens cum genere noſtro.* Eodem ſenſu occurrere videtur *Judith* V. 11. Sic *Lucianus* in dialogo Promethei & Jovis, ubi Jupiter Prometheum ita alloquitur: κατασοφίζῃ με, ὦ Προμηθεῦ *callide*, ſive *doloſe mecum agis, o Prometheu.* Vide *Boiſii* Collationem pag. 369.

τῦ

τῦ ποιεῖν ἔκθετα τὰ βρέφη αὐτῶν) Hæc verba referri poſſunt ad Pharaonem, hoc ſenſu: *adflixit patres noſtros, dum fecit exponi* ſive *projici infantes*; vel etiam: *ut exponeret infantes* ſcilicet per alios. Nam τὸ ποιεῖν ἔκθετον ſimpliciter per *exponere* verti poteſt. Referri vero etiam hæc poſſunt ad Judæos ipſos, quorum nonnullos id feciſſe, vel ex eo, quod de Moſe factum eſt, conſtat. Conf. *Hombergii* Parerga p. 179. & ſic habebis, quod reſpondeas *Knatchbullo* & *Carolo le Cene* in Conatu novæ verſionis, p. 654. qui id omne de mandato, a Pharaone aliis dato, omninò cenſent interpretandum.

εἰς τὸ μὴ ζωογονεῖσθαι) h. e. *ne vivi conſervarentur.* Ita enim hoc verbo utuntur οἱ LXX. paſſim, & ipſe Dominus *Luc.* XVII. 33. ubi ἀπολλύειν & ζωογονεῖν ψυχὴν ſibi invicem opponuntur. Conf. *Boiſii* Collationem p. 369.

Verſ. 20. ἀστεῖος τῷ Θεῷ) *venuſtus Deo* h. e. venuſtiſſimus, formoſiſſimus. Nomen enim Dei, adjectivis additum, per Hebraiſmum ſuperlativum nonnullis inferre videtur. Hoc ſenſu ajunt Niniven *Jonæ* III. 1. dici עיר גדולה לאלהים i. e. *urbem valde magnam.* Confer. *Vorſtii* Philolog. Sacr. Part. I. pag. 320. & pag. 324. ubi poſteriore loco de ipſa voce ἀστεῖος commentatur. Rectius tamen puto fieri, ſi τῷ Θεῷ idem hic eſſe dicatur, quod *coram Domino, apud Dominum.* Conferatur idem pag. 329. Appoſite *Boiſius* in Collatione pag. 371. vertit: *mire bellus.* θαυμαστὰ enim τὰ θεῖα, *ita bellus, ut forma ejus vel Deo placere poſſet atque grata eſſe.* Minime vero omnium approbanda eſt *Hammondi* conjectura, qui hic legi malebat: ἀστεῖος τῇ θέᾳ *pulcher aſpectu.* Contra eum lege Cl. *Starckii* Notas Select. in Epiſt. ad Hebr. pag. 34. Græci ſimili fere phraſi formoſum hominem θεοειδῆ, & θεοείκελον appellant, ut *Homerus* Iliad. γ. v. 16. *Virgilius* Æneid. I. 592. Æneam *os humeroſque Deo ſimilem* appellat. Vide *Elsnerum* pag. 392. *Moſen præter paternæ ſcientiæ hæreditatem etiam formæ pulchritudinem commendaſſe,* teſtis eſt, *Juſtinus* XXXVI. 2. Adde *Joſephum* II. 5. Antiquitt. p. 56.

Verſ. 21. ἀνείλετο αὐτὸν) *ſuſtulit*, h. e. recepit quaſi naufragum. Verbum idem eadem ſignificatione occurrit apud *Xenophontem* pag. 363. Conf. *Raphelii* Notas Xenophonteas p. 152.

Verſ. 22. Καὶ ἐπαιδεύθη Μωσῆς πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων) Simili phraſi utitur *Lucianus* in Philopſeud. pag. 350. Μεμφίτης ἀνὴρ τῶν ἱερῶν γραμμάτων, θαυμάσιος τὴν σοφίαν καὶ τὴν πᾶσαν παιδείαν εἰδὼς τῶν Αἰγυπτίων h. e. *Vir Memphiticus, quidam ex ſacris illis Scribis, mirabili ſententia, & qui univerſam Ægyptiorum doctrinam callebat.* De ſapientia Ægyptiorum, a veteribus celebrata, idonea teſtimonia lege apud *Cornel. Adami* in Exercitatt. Exegetic. Exerc. II. ad h. l. pag. 95. *Campegium Vitringam* in Jeſaiæ XIX. pag. 566. *Jo. Alberti*, pag. 233. & alios. De Moſe vero, eorum ſapien-

tia exculto, lege Cl. *Henr. Jac. van Basbuysen* in diff. de Mose, Ægyptiorum sapientia imbuto & regni Ægyptiaci Candidato, ubi statuit, Mosen usque ad annum ætatis 40. Ægyptiorum sacra & gloriam consectatum esse, deinde vero fide omnia reliquisse *Hebr.* XI. 24. 26. tantum abest, ut postea eorum ritus ad cultum Dei, quæ *Spenceri* est sententia, accommodarit. Adde Rev. *Moshemii* Vindicias Anti-Tolandinas in præmissa Commentatione de vita Tolandi p. 17. item *Dan. Guilh. Molleri* dissertat. de Mose Philosopho, *Altorf.* 1707. & *Gumprechtii* Programma ad h. l. in *Gabr. Ternii* Sylloge Dissertatt. p. 600. recusum. Ex veteribus de hac Mosis institutione testimonia lege apud *Philonem* lib. I. de vita Mosis, *Justinum* Qu. 25. ad Orthodox. *Origenem* lib. III. contra Celsum pag. 139. & *Clement. Alexandr.* lib. I. Stromatum p. 343. Confer huc *Witsii* Miscellanea Tom. I. p. 46. sq. ubi etiam ex h. l. Mosis sapientiam adversus Jo. Clerici, cui infra mediocritatem sapuisse visus est, criminationem tuetur.

δυνατὸς ἐν λόγοις καὶ ἐν ἔργοις) Hoc elogio frequenter utuntur veteres, ut *Plato* in Symposio de Socrate: *ὅ, τι ἂν λέγῃ και πράττῃ*, in Protagora: *δυνατώτατος καὶ λέγειν καὶ πράττειν*, & alii, quorum loca exstant apud *Alex Morum* in Notis ad N. T. p. 86. & *Jo. Alberti* p. 234.

Quomodo vero hoc conciliari possit cum lingua Mosis balbutiente, ostendit idem *Morus* pag. 87. Scilicet impeditioris linguæ erat natura, non autem, postquam ipsi Deus dixit: *ego ero in ore tuo.* Deinde, quod magis placet, concionibus quidem aptior fuit Aaron: sed Moses oracula & leges dictavit, vi præditus quadam eloquii ad hæc idonea. Addit idem, si cui hæc minus placeant, eum vertere hæc verba posse per: *scriptis & factis pollens*, ut *Josephus* *πεπραγμένα* & *γεγραμμένα* dicat lib. III. extremo. Pro scriptis enim *λόγον* interdum accipi. *Jo. Buxtorfius* in Catalectis pag. 89. sq. distingui vult inter impeditam pronunciandi rationem & facultatem verbis idoneis aptisque utendi.

Vers. 23. *τεσσαρακονταετὴς χρόνος*) Quia hoc ætatis Mosaicæ intervallum in V. T. non commemoratur, argumentum inde ducit *Whistonus* corruptelæ illi illatæ, in Conatu restituendi Codicem Hebræum p. 106. Ita scilicet divinæ revelationi nihil relinquitur, ut taceam, inter Judæos varia antiquitatis capita literis conservari potuisse, quæ in sacris, tanquam eo non admodum pertinentia, non exstant.

ἀνέβη ἐπὶ τὴν καρδίαν αὐτοῦ) scilicet *διαλογισμὸς*, *cogitatio*, quæ vox exprimitur *Luc.* XXIV. 38. Vide Cl. *Schœtgenii* notas ad Lamb. Bos de Ellipsi p. 46.

Vers. 24. *πατάξας τὸν Αἰγύπτιον*) Percussionem violentam, cædis causa factam, hic innui, indubium est. *Plutarchus* in Alcibiade pag. 373. de Phry-

Phrynichi cæde, pugionis ope patrata, ait τὸν Φρύνιχον πατάξαντες. Confer. *Saldeni* Otia p. 453.

Verſ. 26. ὤφθη αὐτοῖς μαχομένοις) i. e. per hypallagen, *vidit ipſos pugnantes*, pro: ἑώρακεν αὐτοὺς μαχομένους. Conſ. *Boiſii* Collation. p. 371.

συνήλασεν αὐτοὺς) i. e. *conciliare ſtuduit:* actus pro conatu c. V. 3.

ἵνα τί ἀδικεῖτε;) i.e. τί γέγονεν, ἵνα ἀδικῆτε, pro ὅτι. Vide *Lamb. Bos* de Ellipſi p. 261.

Verſ. 30. βάτου) Vide *Cocquii* Phytologiam Sacr. p. 237.

Verſ. 31. προσερχομένου δὲ αὐτοῦ κατανοῆσαι) i. e. *cum accederet intuendi cauſa.* Ita οἱ LXX. τὸ κατανοεῖν adhibent pro *adſpicere* Pſ. XC. 8. τοῖς ὀφθαλμοῖς σου κατανοήσεις. Confer *Boiſii* Collationem p. 371.

Verſ. 34. Ἰδὼν εἶδον) Ita quoque profanos loqui poſt *Pfochenium* §. LII. contra Gatackerum adſtruit *Horatius Vitringa* in Animadverſionibus ad Vorſtii Philolog. Sacr. p. 243. Conſ. ſimiles ex *Xenophonte* phraſes apud *Raphelium* in Notis Xenophonteis p. 153. Sic *Arrianus* Hiſtor. Indic. IV. 15. ὧν τοὺς μὲν αὐτὸς ἰδὼν οἶδα. Adde B. *Stolbergii* notas ad Sophoclis Ajacem pag. 194.

Verſ. 36. καὶ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ) Proprie ſinum tantum maris rubri hic indicari, exiſtimat *Adrian. Relandus* Part. I. Diſſ. Miſcell. p. 76.

Verſ. 37. Οὗτός ἐστιν ὁ Μωυσῆς &c.) Vide ſupra ad III. 22.

αὐτοῦ ἀκούσεσθε) Deſunt hæc in verſione Arab. & apud *Chryſoſtomum.* Hinc *Millius* ex Deuter. XVIII. 15. huc putat translata. Sed vide *Whitbium* in Examine p. 52. qui recte hanc epicriſin ſubjungit: *Quaſi vero religio eſſet Judæo verba Moſis citare, prout in textu Hebræo & LXX. Intt. inveniebantur.*

Verſ. 39. Οὗτός ἐστιν ὁ γενόμενος ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ) h. e. *qui, cum conventus ageretur in deſerto, fuit cum Angelo.* Ita *Boiſius* in Collatione p. 372. Vocem ἐκκλησία non tantum de cœtu ad cultum Dei congregato, ſed & de congregatione Iſraelitarum caſtra metantium, aut conventu populi ordinario aut tumultuario a LXX. Intt. adhiberi, conſtabit ex iis locis, quos *Eduard. Leigh* in Critica Sacra & Cl. *Wolfburgius* in Obſervatt. Sacris p. 183. attulerunt. Itaque nihil obſtat, quo minus τὴν ἐκκλησίαν de illo ſpeciatim conventu interpretemur, qui in deſerto actus eſt a populo tunc, cum Moſes in monte Sina cum Deo verſaretur.

λόγια ζῶντα) Gentiles Scriptores λόγια vocare ſolent effata illa, quæ a Diis profecta putabant. Ita *Polybius* p. 365. πάντα δ' ἦν τὰ παρ' αὐτοῖς λόγια πᾶσι τότε διὰ στόματος. *Erant in ore omnibus omnia fatidicis ipſorum libris compre-*

henſa

bensa oracula. Conf. p. 742. Sic *Arrianus* de Expedit. Alexandri VII. 16. 9. λόγιόν σφισιν γεγονέναι ἐκ τοῦ Θεοῦ, *oraculo sese Dei monitos*. Conf. *Raphelii* Annotatt. Polybian. p. 320. Hinc & vaticinia fatidicorum hominum nunc χρησμοὺς nunc λόγια appellabant. Vide *Anton. van Dalen* Differtatt. de origine & progressu Idololatriæ Differt. II. cap. V. *Lamb. Bos* in Exercitatt. ad Rom. III. 2. & Cl. *Elsnerum* in Exercit. de lege per Angelos lata p. 18. sq. Simili phrasi *Sophocles* Oedip. Tyr. v. 489. μαντεῖα ζῶντα dixit, quæ Scholiast. explicat per μαντεύματα ζῶντα καὶ ἰσχύοντα τῇ ἀληθείᾳ. Quod observatum est a Cl. *Jo. Alberti* in Obss. Sacr. p. 234. qui ibidem ζῶντα hic dici divina illa oracula putat, eo quod Moses ista viva voce ἀμέσως acceperit. Sed crediderim, *Pearsonium* felicius vim elogii hujus adsecutum esse quando in Notis ad Expositionem Symboli Apostolici p. 16. observat, viva hic dici oracula, quæ etiam post mortem Mosis vim suam obtentura sint, populumque ad fidem obligatura, etiamsi virga sua maria non amplius diffinderet. Optime omnium *viva* existimantur dici, quia a Deo, vitæ omnis fonte, profecta sunt, vitæque omnis radicem in se habent, unde & Dominus verba sua ait esse πνεῦμα καὶ ζωήν, & Paulus τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ ζῶντα appellat *Hebr*. IV. 12.

Vers. 40. Ποίησον ἡμῖν θεοὺς &c.) Apidis sacra, quæ in Ægypto didicerant, hic imitatos esse Israelitas, atque hoc sensu in Ægyptum dici reversos, jam pridem monuerunt eruditi, idque contra *Moncæjum* de Vitulo Aaronis defenderunt. Ex his lege Rev. *Deylingii* Dissertationem de fletu super Tammuz, quæ in calce Partis III. Observatt. ejus Sacrarum extat p. 425. sq.

ὁ γὰρ Μωσῆς οὗτος - οὐκ οἴδαμεν τί γέγονεν αὐτῷ;) Enallage casuum hic manifesta est, quam Græci vocant ἀντίπτωσιν. Eam compluribus exemplis illustrat Cl. *Jo. Henr. Lederlinus* in Observationibus Miscellan. ad loca nonnulla Actuum Apostolic. Observ. I. & *Boisius* in Collatione ad h. l. p. 372. Atque his malim tueri similem hanc loquendi rationem, linguis omnibus communem, quam cum *Herzogio* in Differtat. de certitudine Hermeneutices in N. T. §. 5. ἀποσιώπησιν quandam hic statuere, ex ira atque dolore profectam, quasi Israelitæ indignabundi dicendi filum abruperint, dicentes: *Moses enim ille, qui ex Ægypto nos eduxit* &c. tandemque exclamarint: *nescimus quid de eo factum sit.*

Vers. 41. Καὶ ἀνήγαγον θυσίαν τῷ εἰδώλῳ) Phrasis hæc rara visa est *Bocharto* in Hierozoico Part. I. lib. II. p. 576. Sed extant tamen ejus exempla, v. c. apud *Herodotum* lib. II. cap. 60. ὁρτάζουσι μεγάλας ἀνάγοντες θυσίας, *Heliodorum* lib. X. p. 457. & alios. Vid. *Elsneri* Obss. S. p. 393. & 188.

Vers. 42. Ἔστρεψε δὲ ὁ Θεὸς) scilicet ἑαυτὸν, i. e. *vertit se autem Deus*, ut idem sit, ac si diceres ἐστράφη, qualem constructionem Græci vocant ἀντιπάθειαν

παθειαν. Ita *Homerus* Iliad. *ί.* μετὰ δ' ἔστρεφον ἡνιοχῆες, pro μετέστρεφον ἑαυτὲς, quemadmodum eidem alibi μεταστρέφειν dicuntur, qui avertunt se ab aliqua re, & consilium prius relinquunt, ut Odyss. β. de Diis: μήτι μεταστρέψωσιν ἀγασσάμενοι κακὰ ἔργα. Hæc recte cum *Casaubono* monet B. *Erasmus Schmidius* in Notis ad h. l. Atque id malim, quam cum *Vitringa* vertere: *reversus est Deus, ut denuo tradiderit:* contra quem lege *Braunii* Selecta Sacra lib. IV. p. 514. seq. ubi & alia huc pertinentia leguntur.

παρέδωκε) h. e. ut convenientissime explicat *Theophylactus*, ἐμμένοντας τῇ ἀσεβείᾳ εἴασε, *perseverantes in impietate sivit.*

λατρεύειν τῇ στρατιᾷ τῦ ὀρανῦ) Corpora cœlestia, ut *stellæ* &c. exercitus cœli appellantur phrasi Hebræis recepta, nec apud profanos obvia. Vide *Genes.* II. 1. 2 *Paralip.* XXXIII. 5. & *Jerem.* XXXIII. 22. ubi οἱ LXX. vertunt ἡ στρατιὰ τῦ ὀρανῦ. Respicit vero hæc phrasis tum *multitudinem*, tum *ordinem* corporum cœlestium, quo utroque momento illa quidem referunt magnam militum, in acie rite collocatorum, copiam. Confer *Vorstii* Philologiam Sacram Part. II. p. 24. sq.

καθὼς γέγραπται ἐν βίβλῳ τῶν Προφητῶν) *Liber Prophetarum* hic appellatur ideo, quod XII. Prophetæ olim uno volumine jungi solebant. Conf. *Siracid.* XLIX. 13. Adde *Vitringam* in Prolegom. ad Comment. in Jesaiam p. 21. & *Surenhusium* in libro καταλλαγῆς p. 13. Ista vero allegandi ratione alias non obvia Stephanus h. l. utitur, quia non unius, sed duorum Prophetarum, puta *Jeremiæ* & *Amosi*, oracula profert. In prima commatis parte καὶ παρέδωκεν &c. respicit ad Jer. VIII. 2. & XIX. 13. in reliquis vero ad *Amosi* I. 25. 26.

Cum vero inter *Amosi* verba Hebræa & allegationem Stephani varietates nonnullæ occurrant, iis tollendis complures operam suam impenderunt. Ex his lege inprimis *Bochartum* Tom. II. Opp. p. 59. *Jo. Braunium* in Selectis Sacris p. 477. sq. & 497. sqq. *Hermannum Witsium* in Miscellaneis T. I. p. 610. sqq. *Campeg. Vitringam.* in Observatt. Sacris lib. II. cap. I. *Jo. van der Wayen* in Variis Sacris p. 491. seq. *Jac. Gussetum* in Confutatione libri *Chissuk Emuna* Part. II. c. LX. & in Commentariis Linguæ Hebr. voce מכות, *Pet. Jurieum* in Historia cultuum & dogmatum Part. III. Tract. IV. cap. 7. *Jo. Spencerum* de Legibus Hebræorum ritualibus p. 466. ex nostratibus vero *Jo. Georg. Svvabii* Dissertat. de Moloch & Remphan, in Thesauro Theolog. Philolog. Tom. II. p. 444. sqq. recusam, D. *Jo. Henr. Maji* Dissertat. de Kiiun & Remphan in Selectioribus Exercitatt. Tom. I. p. 23. sq. Rev. *Salom. Deylingii* Observatt. Sacras Part. II. p. 337. sqq. & *Amelium* Part. I. p. 408. sqq. Præter hos data opera in hoc argumento versatos, lege, qui obiter in idem excurrerunt, nominatim *Seldenum* de Diis Syris p. 173. sqq. *Thom. Goodvvinum* in Mose & Aarone lib. IV. c. 2. *Scaligerum* in Elencho Trihæresii Serariani p. 372. & 389. *Seldenum* in Otiis p. 441. *Gerh. Joh. Vossium* in Opp. T. V. p. 134. & 156. *Henr. Mo-*

rum p. 532. Opp. *Humfred. Hody* de Textibus Original. lib. II. c. 4. p. 116. *Stanlejum* in Historia Philosophiæ Oriental. lib. I. Sect. 2. c. 19. cum notis Clerici in Indice voce *Remphan*, *Kircherum* in Oedipo Tom. I. p. 384. Auctores der Unschuldigen Nachrichten an. 1710. p. 816. Nec ommittendus est *August. Calmetus* in Dissert. de religione Israelitarum in deserto, quæ exstat in limine Commentarii ejus super Prophetas minores, item in Dissert. ejusdem alia de *Molocho*, quæ Commentario in Leviticum præmissa est. Plura hic discutienda occurrunt, quæ amplius spatium requirunt, quam quod nostræ commentationis institutum nobis permittit. Itaque ex indicatis fontibus hauriet Lector, quæ ad hanc causam pertinent. Nos nonnulla adhuc subjungimus, quæ ad dictionem Stephani spectant.

Vers. 43. τὺς τύπυς) Deorum simulacra τύποι dicuntur a *Polybio* p. 499. ubi dicitur: statuas fregerunt πλὴν ὅσοι θεῶν ἐπιγραφὰς ἢ τύπυς εἶχον, *quæ quidem inscriptæ diis non essent, aut formas deûm non haberent.*

ἐπέκεινα Βαβυλῶνος) *trans Babylonem.* Vox hæc composita est ex ἐπὶ & ἐκεῖνα, scilicet μέρη, *partes*, unde pendet Genitivus ille, qui additur; quasi dicas *ad illas* (ulteriores scilicet) *partes Babylonis.* Confer *Lamb. Bos* de Ellipsi Gr. L. p. 118. Apud *Amosum* pro *Babylone* hic legitur *Damascus.* Hinc *Whistonus*, more suo, conficit, & Hebræum Codicem, & τὺς LXX. hic corruptelam passos esse, Stephanum autem genuinam & pristinam lectionem exhibere. Vide eum in Conatu textum Hebræum restituendi p. 100. Sed recte observavit Vir doctus, cujus nomen non occurrit, Stephanum explicationis gratia Babylonem pro Damasco hic appellasse, eo sensu, *quod non solum extra patriæ fines, dulciumque arvorum terminos, qualis Damascus sit terra sanctæ limes, sed & ultra Babylonem transportandi sint in locos magis dissitos extra terræ patriæ fere notitiam, & sine spe redeundi.* Idem addit rationes, cur *Amosus* Damascum, *Stephanus* autem Babylonem hic appellarint. B. *Lutherus* ἐπέκεινα vertit jenseits, pro quo lege B. *Raithii* Vindicias p. 455.

Vers. 45. Ἣν καὶ εἰσήγαγον διαδεξάμενοι οἱ πατέρες) οἱ διαδεξάμενοι hic nonnullis videntur dici *successores*, qui scilicet majores exceperunt. Ita διαδέχομαι idem est, quod *succedo*, in Novell. 22. c. I. Affert hoc post *Knatchbullum Hombergius* in Parergis p. 180. Non minus tamen commode participium hoc vertetur per μετὰ ταῦτα i. e. *postea*, *deinceps.* Participium enim per adverbium nonnunquam vertendum est. Sic Græci dicunt: τελευτῶντες ἄπρακτοι ἀπήεσαν i. e. *tandem re infecta abibant.* Ita infra XIII. 46. παῤῥησιασάμενοι idem est, quod Latine dicas *libere, intrepide.* Confer *Boisii* Collationem ad h. l. p. 373.

ὧν ἔξωσεν ὁ Θεὸς ἀπὸ προσώπυ τῶν πατέρων ἡμῶν) Harum gentium nonnullæ a facie Josuæ & Israelitarum propulsæ consederunt in ora Africæ maritima circa urbem Tingim, ut testatæ olim sunt ibi locorum duæ colu-

mnæ

minæ literis Punicis hanc inſcriptionem exhibentes: ἡμεῖς ἐσμεν οἱ φυγόντες ἀπὸ προσώπου Ἰησοῦ τοῦ λῃστοῦ υἱοῦ Ναυῆ. *Nos ii ſumus, qui fugerunt a facie Joſuæ latronis, filii Nave*, teſte *Procopio* lib. II. de Bello Vandalico c. 10. & ex eo Suida in voce χαναάν. Conf. *Bochartum* Geograph. Sacr. lib. I. c. 24. p. 476. & *Elsnerum* p. 394.

Verſ. 47. Σολομῶν δὲ) Alias ſcribitur Σολομών. Vide *Jo. Ern. Gerhardi* Diſſertat. IV. ad N. T. Syriacum Poſit. III. quæ exſtat Tom. II. Theſauri Diſputatt. p. 50.

Verſ. 48. Ἀλλ' οὐχ ὁ ὕψιστος ἐν χειροποιήτοις ναοῖς κατοικεῖ) Eadem phraſi utitur infra *Paulus* XVII. 24. ubi nos vide. Conf. interim Cl. *Cornelii Adami* Obſervatt. Theologico-Philolog. pag. 295. ſq. Similia ex parte Gentilium judicia, quod Dii, contra ridiculam aliorum perſuaſionem, templis non poſſint includi, affert *Jo. Dougtæus* in Analectis N. T. Exc. XLIX. p. 72. & *Jo. Spencerus* de Legibus Hebræorum ritualibus p. 1193. ſq.

Verſ. 49. Ὁ οὐρανός μοι θρόνος &c.) Vide *Jeſ.* LXVI. 1. ubi Hebraica cum his apprime conſentiunt. Conf. *Surenhuſium* in libro καταλλαγῆς p. 417. ſqq. ubi inprimis oſtendit, cur Stephanus hic v. 48. dicat: καθὼς ὁ προφήτης λέγει, cum apud Jeſaiam verba hæc tanquam a Deo ipſo pronunciata proferantur: כה אמר יהוה *ſic dicit Dominus.*

Verſ. 51. ὑμεῖς ἀεὶ τῷ Πνεύματι τῷ ἁγίῳ ἀντιπίπτετε) Ita *Polybius* pag. 1440. ὁπότε τούτων ἀντιπίπτοι τις προδήλως τοῖς ὑπὸ Ῥωμαίων γραφομένοις. *Si qua lex mandatis populi Romani aperte repugnabat.* Conf. pag. 1447. & *Raphelii* Notas Polybianas p. 321. De diſceptantibus & litigantibus alias hoc verbum uſurpatur a τοῖς LXX. *Num.* XXVII. 14. Confer huc *Keuchenii* Notas. Quidam phraſin hanc deſumtam putant a remigibus, qui, dum remos impellunt, προνεύειν dicuntur, quod corpore propendeant, cum vero remos adducunt, ἀναπίπτειν, quod corpus reſupinent. Vide *Bynæum* lib. I. de morte Chriſti pag. 506. & *Amelium* Parte I. p. 67.

Verſ. 52. Τίνα τῶν Προφητῶν οὐκ ἐδίωξαν οἱ πατέρες ὑμῶν, καὶ ἀπέκτειναν;) Cum de multis V. T. Prophetis tale quid non memoretur in literis divinioribus, ſuſpicatur *Whiſtonus* in Conatu reſtituendi Codicem Hebræum pag. 138. ejuſmodi crudelitatis exempla ex Veteri Inſtrumento a Judæis inducta & deleta eſſe, quæ tamen tempore Chriſti, Joſephi, & Apoſtolorum ibi adhuc exſtiterint. Sed facile apparet, & Chriſto, & Apoſtolis, imo ipſis Judæis facinora hæc, in Prophetas edita, cognita eſſe potuiſſe, etiamſi in Codice Sacro non exſtarent commemorata, neque adeo ex narratione eorum conſequi, quod olim ibi conſignata & poſtea deleta ſint: quemadmodum nemo negaverit, plures etiam divinæ voluntatis

Interpretes ad Judæos olim missos esse, quam quorum nomina in literis sacris appellentur. Propterea Stephanus ipse h. l. τὺς Προφήτας a reliquis distinguit, quos vocat τὺς προκαταγγείλαντας περὶ τῆς ἐλεύσεως τῦ δικαίυ.

τῦ δικαίυ) Hoc nomine Dominus noster κατ' ἐξοχὴν appellatur. Vide quæ scripsimus ad *Matth.* XXVII. 19. 24. & *Luc.* XXIII. 47. item supra ad III. 14.

Vers. 53. οἵτινες ἐλάβετε τὸν νόμον εἰς διαταγὰς ἀγγέλων) i. e. ἐν διαταγαῖς τῶν ἀγγέλων. Sic *Sophocles* Ajace: εἰς δόμυς, pro ἐν δόμοις. *Euripides Rheso* εἰς καιρὸν ἦλθεν, pro ἐν καιρῷ ἦλθεν & alii, ab *Erasmo Schmidio* ad h. l. allati. Ita Joh. XX. 19. 26. ἔστη εἰς τὸ μέσον, *stetit in medio*, pro ἔστη ἐν μέσῳ, quod habetur *Luc.* XXIV. 36. Quinam per Angelos intelligi debeant, non una omnium est sententia. Alii enim intelligunt Prophetas, aliosque V. T. Doctores, ne Mose quidem excepto. Ita post Chrysostomum *Daniel Heinsius* Exercitatt. ad h. l. *Joh. Lightfootus* in Horis Talmudic. ad h. l. & *Jac. Altingius* in Comm. ad Hebr. II. 2. Sed illis obstat primo, quod h. l. Stephanus loquitur de Lege, quam in monte Sinai acceperint: tunc vero, præter Mosen, nulli aderant vel Prophetæ vel Doctores. Deinde v. 52. Prophetæ erant commemorati, tanquam tales, qui adventum Messiæ prænunciaverint, qui sit scopus legis, quam olim edocti sint a Deo per ministerium Angelorum. Itaque horum officium a Prophetico illo longe distinguitur.

Ab his non multum abeunt, qui per *Angelos* intelligunt זקני העם i. e. *Seniores populi*, quos Moses *Exod.* XIX. 7. convocasse dicitur jussu divino, ut eos præpararet, ut Legem sibi in monte tradendam rite reciperent. Ita *Surenhusius* in libro καταλλαγῆς pag. 419. *Jam vero*, inquit is, *hi* זקני העם *quidni* שלוחים *sive* שליחים ἄγγελοι, *legati*, *dici poterant, ita, ut per illorum* διαταγὰς *lex ab Israelitis recepta fuerit, cum revera Legatorum munere functi sint*? Sic idem putat verba Apostoli maxime stringere, quando dicit, quod per hosce legatos legem acceperint, i. e. obsequium illi promiserint, dicentes: *quicquid dixerit Dominus, faciemus.* Hoc enim modo Judæos recte perjurii reos agi, qui promissis sanctis non steterint. Sed vereor, ut Judæi, contra quos hæc disputantur, ista tam faciles admittant. Nam Seniores illi non tam erant legati ad populum, quam Moses ad ipsos. Neque Seniores Mosis verba deferebant ad populum, sed omnes Israelitæ cum Senioribus, qui præcipue adesse jubebantur, præsentes erant, & communi consensu Legem dandam exspectabant, ut patet ex Exod. XIX. 7. 8. Præterea lex ipsa tunc nondum sanciebatur, de qua hic Stephano sermo est, sed animi Israelitarum ad eam audiendam præparabantur. Itaque αἱ διαταγαὶ τῶν Ἀγγέλων huc non pertinent, nec Stephanus ad hanc historiam latæ legis respexisse credi poterit. Propterea recte agit Vir doctus, quando pag. 420. *Spiritus cœlestes* hic innui censet, quorum mentio fiat *Deuter.* XXXIII.

XXXIII. 2. ubi Dominus venisse dicitur e Sinai מרבבות קדש h. e. *cum myriadibus Sanctorum*, quos Judaei ipsi de מלאכים sive *Angelis* accipiunt.

Atque hæc verior omnino est plurium sententia, Spiritus scilicet coelestes per Angelos hos intelligendos esse, qui proprie in Scriptura Sacra hoc nomine appellantur, & quorum aliis in locis, tanquam lationi Legis præsentium, mentio fiat, v. c. *Galat.* III. 19. *Hebr.* II. 2. 3. & XII. 25. Sed iidem in duos iterum ordines abeunt: quandoquidem alii Angelos ita tantum huic negotio adfuisse existimant, ut testes essent, non autem ut ipsi recitarent vel promulgarent Legem; alii vero ipsam legis promulgationem ab iis putant profectam. Priores partes amplectuntur ex nostratibus plerique, nominatim *Calovius* in Theologia Naturali & Revelata p, 387. sqq. & in Bibliis Illustratis ad h. l. ante eum *Erasmus Schmidius* ad h. l. Auctores des Heb-Opfers Tom. III. p. 253. & alii. Atque hi vocem *διαταγὰς* explicant de *ordinibus* seu *agminibus* Angelorum. Ita quoque *Steph. le Moyne* in Notis ad varia Sacra pag. 153. *Moses*, inquiens, *in cacumine montis Sinai videt Angelos, sed instar castrorum exercituum, διαταγῶν, ordinum, unde lex dicitur promulgata εἰς διαταγὰς τῶν ἀγγέλων, inter ordines & castra Angelorum, Deo ut duci & Imperatori supremo ministrantium.* Conf. idem sentientem *Coccejum* in Comment. ad Galat. III. 19. & *Surenbusium* l. c. p. 421. Et hanc interpretationem præsens locus facile admittit, modo illa conciliari possit cum Galat. III. 19. ubi *νόμος* dicitur *διαταγεὶς δι' ἀγγέλων* & *Hebr.* II. 2. ubi idem dicitur *λαληθεὶς δι' ἀγγέλων.* Ex quibus locis contra *Coccejum* hic disputat *Elsnerus* in Exercitat. de Lege Mosis per Angelos data, Lugd. Bat. an. 1719.

Idem itaque *Elsnerus* illorum partibus accedit, qui *Angelos* existimant *Legem Mosis promulgasse in Monte Sinai, nomine, auctoritate verbisque magni Angeli h. e. aeterni Filii Dei, illustrissimo modo præsentis.* Rationes ita sentiendi has potissimum affert p. 20. sqq. quod lex Mosis dicatur *νόμος διαταγεὶς Galat.* III. 19. & *λαληθεὶς*, *Hebr.* II. 2. Jam vero verbum *διατάσσειν* in genere est *jubere, præcipere*, ut *Luc.* VIII. 55. & XVII. 19. tum *edicto* aut *lege lata aliquid constituere*, ut *Luc.* III. 13. *Actor.* XVIII. 2. & apud *Ælianum* Var. Histor. II. 15. aliosque. Hinc deducitur vox *διαταγὴ*, i. e. *declaratio*, seu *constitutio*: quo sensu usurpatur a LXX. Intt. *Esdr.* IV. 11. ubi Chaldaicum פתשגן אגרתא vertitur per *διαταγὴν ἐπιστολῆς* i. e. *declarationem epistola contentam.* Similiter Magistratus *Rom.* XIII. 1. vocatur *Θεοῦ διαταγὴ*, *Dei constitutio.* Itaque nec cum *Beza* de *διακονίᾳ* sive *ministerio*, nec cum *Heinsio* de *exemplo*, vel copia Angelorum ex Chaldæo רשונע interpretanda est. Non obverti huic sententiæ potest silentium Mosis in historia de lata lege. Sufficit enim diserte id traditum esse tot locis N. T. imo & a Mose ipso *Deuter.* XXXIII. 2. quem locum curate explicat *Elsnerus* p. 23. sq. in hanc sententiam: *& venit ex myriadibus sanctorum a dextra ejus* (stantium) *ignis* (&) *lex ei*: i. e. promulgata

Bbbbbbb 3

gata est lex ab Angelis, ut *Dan.* II. 13. dicitur: ודתא נפקת τό δόγμα ἐξῆλθε. & *Luc.* II. 1. ἐξῆλθε δόγμα παρὰ Καίσαρος. Idem ulterius p. 27. confirmat ex eo, quod *Exod.* XIX. 16. dicuntur in legis latione facta fuisse קולות וברקים i. e. *tonitrua & fulgura* וקל שפר i. e. *sonum tubæ.* Jam vero Angeli frequenter cum tubis apparent, ut *Apoc.* VIII. 2.6.7. *Matth.* XXIV. 31. & 1. *Thess.* IV. 16 Ubi existimat, non tam inferri tubæ sonum, quam Angelorum vocem, tubæ sonum intensum vehementissimumque imitaturam, quemadmodum Johannes *Apocal.* IV. 1. dicat: ἤκουσα φωνῆς, ὡς σάλπιγγος λαλούσης μετ᾽ ἐμοῦ, *audivi vocem, ut tubam mihi loquentem.* Idem de *tonitru* statuendum esse, ut vox tonitruum fragori similis intelligatur, putat ex *Apocal.* VI. 1. ubi Johannes se audivisse testatur, unum ex quatuor animalibus (Cherubinis nempe ex *Ezech.* I. 5.) ὡς φωνῆς βροντῆς voce tonitrua imitante dicens: *veni & vide.* Tandem p. 33. sq. ostendit Legem promulgatam esse ab Angelis, Deo vere præsente, speciatim vero Dei Filio, Angelo increato, ejusque auctoritate verbisque Angelos esse locutos. Quod ut in universum contra Socinianos, temere id inficiantes, demonstrat; ita postremum potissimum manifestum evadere censet ex *Actor* III. 38. ubi Angelus dicitur λαλῶν, ut Christus Hebr. XII. 25. ὁ ἐπὶ τῆς γῆς χρηματίζων. Cum vero νόμος itidem dicatur λαληθεὶς δι᾽ ἀγγέλων Hebr. II. 2. utramque hanc phrasin ita statuit conciliandam, ut magnus ille Angelus per Angelos locutus dicatur, h. e. ut Angeli nomine, auctoritate & verbis Angeli Magni usi existimentur. *Ita Joh.* XI. 3. *Maria & Martha* dicuntur *misisse ad Christum* λέγουσαι, *dicentes,* scilicet per missos illos. Eandem hanc sententiam ante suam ex parte fecit *Jo. Camero* in Comment. ad *Hebr.* II. 2.

Mihi quidem, utra pars amplectenda sit, nondum liquet. Qui Angelos nude præsentes hic fuisse volunt & διαταγὰς de *turmis* interpretantur, non satis probare posse videntur, eam unquam fuisse vocis διαταγῆς significationem, quæ potius tam frequenter de *constitutione*, *edicto*, *ordinatione* &c. adhibetur. Qui vero de *promulgatione* ab Angelis facta accipiunt, Deumque vere loquentem in tantum excludunt, auspiciis solum divinis eam tribuentes, sententiam suam difficulter conciliant cum verbis Exodi XX. 1. ubi diserte Deus præcepta illa edixisse perhibetur. Taceo, vix verisimile videri, Deum, qui tam frequenter ipse ad Mosen, cum de specialibus momentis ageretur, dicitur locutus, eo tempore, cum Lex toti populo esset promulganda, Angelorum ope fuisse usum. *Tonitrua & fulgura* de voce Angelorum, sonitum tonitru intensissimum referente, cum Cl. Elsnero accipere nolim, ideo quod illa *Exod.* XX. v. 18. a Dei voce v. 1. commemorata, ita distinguantur, ut, ea voce jam percepta, dicantur intonuisse. Nec video præterea, qui vox ejusmodi Angelis pluribus tribui possit. Itaque hactenus in eorum partes propendeo, qui nudam Angelorum præsentiam hic innui contendunt, διαταγὰς vero retulerim ad alias circum-

stan-

ſtantias hujus negotii, quas divino nutu Angeli curarint, inter quas numero tonitrua & fulgura ſonumque tubarum, quæ alias Angelis tribui ex ſuperioribus liquet. Itaque διαταγὰς cum *Beza* & aliis de διακονία ſive *diſpoſitione* & *miniſterio*, quo ſenſu & veterum plerique, teſte *Suicero* in Theſauro T. I. p. 886. acceperunt, interpretor. Hoc ſenſu, nempe ordinationis, venit vox διαταγὴ *Rom*. XIII. 1. ubi Magiſtratus διαταγὴ vocatur. Eodem ſignificatu νόμος dicitur per Angelos διαταγεὶς *Gal*. III. 16. i. e. *diſpoſitus* & *ordinatus*.

Eruditus Auctor Programmatis Helmſtadienſis *de lege per Angelos* an. 1715. publicato κατ᾽ ἄνθρωπον hæc a Stephano dici exiſtimat, quod nempe Judæis perſuaſum fuerit, legem ab Angelis eſſe promulgatam. Sed non crediderim, Stephanum erronea quadam Judæorum perſuaſione pro argumento uſurum fuiſſe, quo pateret, eos peſſime egiſſe, quando Legi tam ſolenniter promulgatæ tam parum audientes ſe præſtiterint.

Verſ. 54. διεπρίοντο ταῖς καρδίαις) Vide ſupra ad V. 33. & *Suicerum* Tom. I. p. 880.

Verſ. 55. ἀτενίσας εἰς τὸν οὐρανὸν) Eadem loquendi ratio occurrit *Ezech*. I. 1. *Matth*. III. 16. *Apoc*. IV. 1. & XIX. 11. Nonnulli id referunt ad fulmina & fulgetra, quibus æther hominibus dividi & aperiri videtur. Alii concipiunt *chaſma* ſive hiatum, qualem exponunt Phyſici in Meteorologicis, quando nimirum partes aëris extremæ & ſupremæ condenſantur, & lucidiores fiunt, ut adſpectum terminent, intermedius autem aër rarior manens de more non videtur. Alii pugnant, factam eſſe ſupremi cœli realem fiſſuram, & diſtractionem partium ante continuarum. Alii denique exiſtimant, notari hic remotionem omnium impedimentorum, quæ viſus aciem remorari poterant, ut id viderent Sancti, quod videre ipſos volebat Deus. Ita de hujusmodi cœli apertura commentatur *VVitſius* in Miſcellan. Sacr. lib. I. cap. XXI. §. 61. quæ tandem §. 62. ad præſens Stephani exemplum accommodaturus exiſtimat, vel realem partium continuarum disjunctionem factam eſſe in ſupremo cœlo, vel ſaltem eas partes cœlorum, quæ viſum noſtrum terminant, factas eſſe transparentes. Conferatur idem in Melemat. Leidenſ. p. 292.

εἶδε δόξαν Θεοῦ) *vidit gloriam Dei*, i. e. lucem, fulgorem & claritatem eximiam, quæ ſymbolum eſt majeſtatis divinæ. Conf. *Exod*. XXIV. 10. *Ezech*. XXI. 7. *Luc*. II. 9.

καὶ Ἰησοῦν ἑστῶτα ἐκ δεξιῶν τοῦ Θεοῦ) Accurate rem putando hoc *ſtare* ad dextram Dei non magis ſitum certum corporis denotat, quam quod alibi dicitur *ſedere*. Nihil enim aliud hæc verba ſignificant, quam Chriſtum, etiam ſecundum humanam naturam, participem eſſe throni & Majeſtatis divinæ, imperiique in creaturas ac ſigillatim in Eccleſiam. Sic non

non Hebræi tantum, ſed Græci quoque & Latini paſſim utuntur verbis incedere, ſtare, venire, pro eſſe. Vide, quæ Viri docti ad Gen. XV. 2. *orbus incedo.* Neque alio ſenſu *Virgilius* I. 50. Æneid. *Aſt ego, quæ Divûm incedo regina,&c.* Hæc recte Cl. *Fabricius* in Exercitat. Critica de Cruce a Conſtantino M. viſa in notis ad præfationem. Confer quæ ſcripſimus ſupra ad Matth. XXVI. 64. & *Spanhemium* ad Callimach. hymn. in Apollin. v. 29.

Verſ. 57. Κράξαντες δὲ φωνῇ μεγάλῃ) *Vix eſt dubium, quin ſcribi debeat* κράξαντος δὲ φ. μ. cum clamaret, videlicet *Stephanus*, *ea, quæ v. 56. continentur.* Ita *Sam. Battierius*, Prof. Baſileenſis, in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. VI. p. 92. Addit idem, mirum non eſſe, quod Stephanus Dei gloria Jeſuque conſpecto, voce elata ſit uſus, de quo paulo poſt v. 60. dicetur: θεὶς δὲ τὰ γόνατα ἔκραξεν φωνῇ μεγάλῃ. Sed omnes Codices huic lectioni refragantur, & neſcio, qui factum ſit, ut Vir doctus in notis ad l. c. ſcriberet, lectionem hanc retinuiſſe Curcellæum & habere eandem Stephani quendam & Laudanum Codicem apud Millium. Curcellæus enim in textu legit κράξαντες, in variantibus vero lectionibus κράζοντες, quod uterque ille Codex a *Millio* laudatus itidem exhibet. Receptam lectionem præterea tuetur contextus. Adverſarii enim vociferatione ſua impedire volebant, ne vel ipſi vocem Stephani exultantis, vel alii, perciperent, unde & aures ſuas obturabant, factoque impetu irruebant in innocentem: quemadmodum & alias efferatis hoſtibus clamor ejusmodi tribuitur, ut *Matth.* XXVII. 23. *Marc.* XV. 13. 14. *Joh.* XIX. 42. & *Actor.* XIX. 28. & 32. Et poſtremo quidem loco, ſimiliter ac in noſtro, de illis, qui dicuntur κράζειν, v. 28. ſtatim v. 29. adjungitur, ὥρμησάν τε ὁμοθυμαδὸν εἰς τὸ θέατρον συναρπάσαντες Γάϊον. Accidit itaque hic, quod excitatis tumultibus fieri conſuevit, ut furore adacti, homines vocis contentione & ſua conſilia prodant, & alios in ſocietatem abripiant. Taceo, ſi τὸ κράξαντος locum habere debeat, vocem Στεφάνου vel pronomen αὐτοῦ ſubintelligendum eſſe, quod addidiſſet, puto, Lucas, ſi quidem hanc ſententiam exprimere voluiſſet. Denique ut v. 58. participium ἐκβαλόντες connectitur cum ἐλιθοβόλουν, ita τὸ κράξαντες v. 57. non puto ſeparandum a phraſi συνέσχον τὰ ὦτα.

Verſ. 58. Καὶ ἐκβαλόντες ἔξω τῆς πόλεως ἐλιθοβόλουν) Licuiſſe hoc eo tempore Judæis ex Jure Zelotarum, *Seldenus* & alii contendunt. Sed vide *Saldeni* Otia p. 634. Alii per ſeditionem & tumultum popularem hæc facta putant, violata Præſidis provinciæ auctoritate. Hoc autem falſum eſſe ex eo apparet, quod cap. VI. 10. 11. 12. cauſa Stephani, ſubornatis falſis teſtibus, ſolenni examini Synedrii expoſita dicitur, a quo capitis procul dubio damnatus & lapidationis ſupplicio ſubjectus eſt, quippe quod de blaſphemis ſumi ſolebat. Hinc & teſtes more majorum, ſaxa in eum con-

conjecturi commemorantur. Confer *Bynaum* de Morte Jesu Christi lib. III. c. 1. p. 29. & *Deylingii* Obss. Sacras Part. II. p. 317. Ceterum de lapidatione Stephani exstat singularis Dissertatio B. *Jo. Frid. Mayeri* in Dissertationibus ejus Selectis num. VIII.

καὶ οἱ μάρτυρες ἀπέθεντο τὰ ἱμάτια αὐτῶν) Vide Interpretes ad *Deuter.* XVII. 7. & *Fagium* ad Exod. XXI. 16.

παρὰ τοὺς πόδας νεανίου) *Adolescentem* ætate hic innui plerique Interpretes recte arbitrantur. *Baronius* tamen in Annalibus non tam ætate adolescentem, quam audacem vehementisque animi, seu virum audacem significari existimat, a quo parum abit *Lightfootus* in Horis ad h. l. *strenuitatem* vel *robur* hic indicari opinatus ex 2 *Sam.* VI. 1. Sed Baronio recte se opposuit *Petavius* ad Epiphanii Hæresin LI. utrique autem *Sam. Basnage* in Exercitatt. Anti-Baronian. p. 161. Scilicet *adolescentis* notio huic voci frequens est. Vide *Act.* XXIII. 17. XX. 9. Idem *Basnagius* l. c. de ætate, qua tunc fuerit Saulus, commentatur, quamvis difficulter eam definiri posse recte affirmet.

Vers. 59. *Κύριε Ἰησοῦ*) Excidisse hic vocem *Θεὸς* suspicatur Cl. *Rich. Bentlejus* in Observationibus contra libellum Anglicanum de libertate cogitandi. Sed vide contra hæc Rev. *Moshemii* Dissert. de eo, quod justum est circa literarum sacrarum interpretationem, quæ exstat lib. I. Observatt. Sacrar. p. 91. *Franc. Davidis*, Anti-trinitarius, compellationem hanc ad Patrem pertinere opinatur, qui *Dominus Jesu* hic vocetur. Verum ipse *Socinus* recte monuit, sic dicendum fuisse, *Κύριε τοῦ Ἰησοῦ*, *Apoc.* XXII. 20. similiter legitur: *καὶ ἔρχου Κύριε Ἰησοῦ.*

δέξαι τὸ πνεῦμά μου) Ita *Gregor. Nazianz.* apud Tollium in Epist. Itinerariis p. 104. *δέχου με σῶτερ*, & *Lucianus* de morte Peregrini *δαίμονας μητρώους καὶ πατρώους* ita alloquitur: *δέξασθέ με εὐμενεῖς.* Conf. *Elsnerum* p. 394.

Vers. 60. *μὴ στήσῃς αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν ταύτην*) i. e. *ne pendas*, aut *ponderes illis peccatum hoc*, ut *Grotius* & *Heinsius* h. l. verti volunt, ex more scilicet veterum, qui pecunias non numerare, sed ponderare consueverant. Vide *Matth.* XXVI. 15. & τοὺς LXX. Jer. XXXII. 9. Sensus erit: ne summo jure cum illis experiaris, ne imputes hoc illis. In re ipsa consentit cum his Cl. *Elsnerus* p. 395. sed de origine phraseos aliter judicat, eo potius respici contendens, quod res ideo in libram conjiciantur, ut pro earum pondere statuatur pretium, nonnunquam etiam cum aliis paris ponderis commutentur. Sensus itaque foret: *ne statue, quæso, dignam huic sceleri pœnam, perpensa ejus gravitate.* Sic Judæi *postremo die omnium hominum peccata & virtutes duabus lancibus ingentis libræ impositum iri, illosque, prout aut recte aut male facta pondere superent, beatos vel æternum miseros futuros*, contendunt. Quam opinionem Muhammedanos ab istis mutuam sumsisse, observavit Cl. *David*

Millius in Orat. Inaugurali de Muhammedanismo ex Hebræorum scriptis magna ex parte composito p. 32. Similes phrases lege Job. XXXI. 6. & Dan. V. 27. ubi οἱ LXX. ἐστάθη ἐν ζυγῷ καὶ εὑρέθη ὑστεροῦσα.

ἐκοιμήθη) Verbum hoc etiam de iis dici posse, qui violenta morte ex vita tolluntur, ostendit Cl. *Lederlinus* in Observatt. Miscellan. ad quædam loca Actorum §. II. Conf. *Suicerum* Tom. II. Thesauri p. 121.

CAP. VIII.

VErs. 1. Σαῦλος δὲ ἦν συνευδοκῶν) *Saulus* hic est, qui *Pauli* nomine in scriptis N. T. frequentius memoratur. Utrumque etiam ante agnita Christi sacra ipsi commune fuisse, existimat *Altingius* T. III. Opp. p. 3. ita quidem, ut tanquam Judæus, ex tribu Benjamin, diceretur *Saul* de nomine primi Regis Israëlitici ex eadem tribu orti; *Paulus* vero audiret, tanquam Tarsensis, atque adeo civis Romanus, unde & Saulis nomen retinuerit, quoad docuerit inter Judæos, alterum vero Pauli assumserit, cum ad gentes iret. *Alii* Pauli nomen cum altero illo demum post conversionem ad Christum permutatum esse arbitrantur, ejusque varias afferunt rationes, quas complexus est Cl. *Jo. Mollerus* in Homonymoscopia p. 789. sq. Alia, quæ huc pertinent, lege apud Rev. *Zeltnerum* in Dissert. de *Bircath Hamminim* p. 37. & in Bibliotheca mea Hebræa Vol. I. p. 962. De forma nominis Σαῦλος lege infra ad IX. 1. & XIII. 9.

ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν) ἐκκλησία hic infert coetum vere fidelium & piorum: vide *Vitringa* Observatt. Sacras lib. V. p. 120.

πάντες τε διεσπάρησαν) Omnes omnino fideles, præter Apostolos, hic fuga sibi consuluisse, *Baronius* præter veri speciem affirmat, contra quem lege *Sam. Basnagii* Exercitationes p. 11. Recte ille: *an orbi luminibus, agri decumbentes, amaræ senectæ pondera ferentes fugam agitantibus inferendi? dilapsis omnibus, quid opus fuit Apostolis conquiescere Hierosolymis? Quo consilio successive Saulus ibat domatim mulieres & viros in custodiam compingendos quæsiturus, si omnes omnino diffluxerant? Lightfootus* Chron. Temp. ad h. l. omnes illos de 120. ministris, de quibus Act. I. 5. tantum intelligit, quod propterea admitti non potest, quia ille coetus non solis viris, sed & foeminis, nec tantum illis, qui ad docendi officium apti essent, sed & aliis, constitisse merito videtur, nec proinde credibile est, & eos omnes fuga fuisse dilapsos. Itaque præstat significatum vocis πάντες hic nonnihil restringere, quod alias fieri necesse est, ut *Matth.* III. 5. atque adeo de bona eorum parte interpretari.

διεσπάρησαν κατὰ τὰς χώρας) ita *Polybius* p. 242. de exercitu fugam capessente: οἱ δὲ πλείους ἀνοδίᾳ κατὰ τῆς νήσου διεσπάρησαν.

πλὴν τῶν Ἀποστόλων) Apostoli, ut persecutionis procellam sustinerent, adducti videntur tum robore animi, quo instructi erant, tum officii ratione

ratione, qua ad alios fideles excitandos & confirmandos compellebantur, tum ne quid hinc veritati doctrinæ fraudi esset, tum forte ex recordatione præcepti Christi, *Act.* I. 4. dati, ne Hierosolymis discederent, donec promissi Spiritus S. participes redderentur. Eo itaque dono instructi, consultum imo necesse putabant, vim ejus & efficaciam in rebus durioribus exantlandis commonstrare. Si verum esset, quod Apollonius apud *Eusebium* Hist. Eccles. V. 18. testatum reliquit, *Dominum mandasse Apostolis, ne ad 12 annos urbem desererent*, instituti Apostolorum ratio hoc magis pateret, quibus alioquin potestas facta erat a Domino, ex urbe in urbem, ubi adversi quid immineret commigrandi.

Vers. 2. Συνεκόμισαν δὲ τὸν Στέφανον) Vulgatus vertit: *curaverunt*, scilicet funus. In hunc sensum verbum istud interpretatur Scholiastes *Æschyli* ad Sept. adversus Thebas v. 930. ubi postquam docuisset, τὸ συγκομίζειν, ἐκκομίζειν, καὶ ἀνακομίζειν ἐπὶ νεκρῶν λέγεσθαι, *de mortuis dici*, ita eas voces distinguit, ut συγκομιδὴ sit ἡ τοῦ τάφου ἐπιμέλεια, *omnis, quæ mortuis ante sepulturam cura adhibetur.* Atque ita quoque acceperunt *Grotius*, *Hammondus*, *Heinsius*, & cum hoc *le Cene* in Conatu novæ versionis pag. 593. Sed alii malunt vertere cum *Beza* per: *extulerunt*. Ita *Sophocles* Ajace Flagellifero v. 1067.

Οὗτός σε φωνῶ, τὸν δὲ τὸν νεκρὸν χεροῖν
Μὴ συγκομίζειν, ἀλλ' ἐᾷν ὅπως ἔχει.

Alia ejusmodi veterum loca, in quibus συγκομίζειν, ἐκκομίζειν & παρακομίζειν promiscue, secus ac Scholiastes Æschyli censuit, de *elatione* funeris usurpatur, diligenter collegit *Sam. Bochartus* in Tom. II. Opp. pag. 1239. & post ipsum *Jac. Elsnerus* in Obss. Sacris pag. 397. Accedit huic interpretationi, quamvis in Heinsianam illam propendens, *Boisius* in Collatione pag. 374. quo judice Lucas ait elatum fuisse Stephanum, succollantibus viris religiosis.

ἄνδρες εὐλαβεῖς) Vide ad *Luc.* II. 25.

Vers. 3. Σαῦλος δὲ ἐλυμαίνετο τὴν Ἐκκλησίαν) Verbum λυμαίνεσθαι proprie de leonibus, apris aliisque feris, arva segetesque devastantibus, adhibetur. Nec audiendus est *Camerarius*, ad h. l. affirmans, usitatius esse Atticis, *Dativum* huic verbo jungere, sicut *Aristophani* in Nubib. Act. III. Sc. II. Vicissim enim *Callimachus* hymn. in Dian. v. 156. σύες ἔργα, σύες φυτὰ λυμαίνονται. *Ælianus* item Var. Hist. IV. 5. & Hist. Animal. XII. 38. *Polybius* frequenter, nec non alii, a Rev. *Raphelio* in Notis Polybian. p. 321. & Cl. *Jo Alberti* in O. S. p. 235. sq. allati, cum accusandi casu conjungunt. *Raphelius* præterea l. c. ostendit, τὸ λυμαίνεσθαι etiam de illis dici, qui *blanditiis & pecunia aliquem corrumpant, & in partes suas alliciant*; hinc Lucas sapienter hostilem devastandi rationem, Paulo receptam, simul commemorat.

σύρων τε ἄνδρας) Ita prorsus *Arrianus* Epictet. lib. I. c. 29. σύρῃ εἰς τὸ δεσμωτήριον, & *Lysias* Orat XXIX. p. 452. δήσαντες αὐτὸν παραδοῦναι δικαστηρίῳ, sicut Lucas παρεδίδου εἰς φυλακήν. Conf. infra XXII. 4. *Keuchenius* non solum traditionem in carcerem, sed & inclusionem ipsam hic innui arbitratur ex τῶν LXX. *Jes.* XX. 5. Conf. *Act.* XXXVI. 10.

Vers. 4. διῆλθον) i. e. περιῆλθον, *obambularunt.* Vide *Act.* X. 38. & adde *Boisii* Collationem p. 374.

Vers. 5. Φίλιππος δὲ κατελθὼν) Est hic ex septem Diaconis, de quibus supra cap. VI. 5. Conf. *Petavii* Dogmata Theolog. Tom. IV. p. 185. in Dissertt. Theolog. lib. II. c. 1. Itaque non confundendus cum *Philippo* Apostolo, quod factum est in Constitutt. Apostolicis VI. 7. ceu jam pridem observatum est ab eruditis, quos appellatos videbis a Cl. *Jo. Möllero* in Homonymoscopia p. 196. sq. qui tamen *Polycratem* in epistola Paschali, a *Dodvvello*, in Diss. I. ad Irenæum hujus confusionis itidem postulatum defendit, culpamque in Eusebium confert. Lege huc præterea *Valesium* ad Eusebii Hist. Eccles. III. 31. p. 54. b. item *Scaligerum* ad Eusebium & *Caveum* in utriusque Philippi vita. Vicissim veterum apologiam in hac causa suscipiunt *Tillemontius* Tomo I. MemoriarumHist. Eccles. p. 958. & 1156. & *Cotelerius* ad Patres Apostolicos Tom. I. p. 334. Adde de Philippo Menologia, quæ memoriam ejus ad XI. Octobr. referunt (collato *Ughello* in Italia Sacra Tom. VI. pag. 1101.) & quos citat Cl. *Fabricius* ad codicem Apocryphum N. T. pag 741. *Philippum* Ebraice *os lampadis* referre Arator lib. 1. Actor. Apostol. p. 253. dixit his versibus:

- - - impone Philippum
Lampadis os, quod Hebræus ait, qui mentis honorem,
Nomine teste, probat,

nec non *Sedulius* in Collectaneis ad Epistolas S. Pauli in fine Epistolæ ad Romanos, ubi vocem *Philippenses* explicat per *os lampadum.* Commonuit hoc *Laur. Pignorius* in Symbolis Epistolicis pag. 22. sq. Respexerunt illi procul dubio ad voces Hebr. פה i. e. *os* & לפיד *lampas, fax.* Sed longius hanc originem petitam esse, nemo, credo, negarit, qui meminerit, aliam in propinquo positam esse, ex Græca Lingua repetendam, in qua *Philippi*, teste *Ocello Lucano* de universi natura, ab *amore equorum*, (non ut ille apud Pignorium statuit, a custodia amoris) appellantur. Confer, quæ supra ad VI. 5. dicta sunt.

Vers. 6. Προσεῖχόν τε οἱ ὄχλοι τοῖς λεγομένοις) Προσέχειν hic & alibi non solum *attendere*, sed & *facere jussa*, inferre, inductione exemplorum ex Scriptura Sacra probat *Franzius* de Interpretat. Scripturæ pag. 208. qui eandem emphasin confirmat aliquod exemplis *Polybii* p. 323. & 482. ubi priore loco eadem occurrit phrasis: οὐχ οἷον προσεῖχε τοῖς λεγομένοις ἀλλ' οὐδ' ἀνείχετο τῶν ἀποφαινομένων ταῦτα, *tantum abfuit, ut horum consilio uteretur, ut ne ferre quidem ita differentium vocem potuerit.*

Vers.

Verf. 9. Ἀνὴρ δέ τις ὀνόματι Σίμων προϋπῆρχεν ἐν τῇ πόλει μαγεύων) Verisimile est, Simonem hunc eundem esse cum illo, de quo *Josephus* Antiquitt XX. 5. *Felix autem cum esset*, inquit ille, *Judaeae procurator, visa hac feminarum omnium pulcherrima*, (*Drusilla*) *amore ejus captus, Simonem amicum genere Cyprium Judaeum, pro Mago se gerentem, ad eam misit, qui mulierem sollicitaret, ut relicto priore marito, ipsi nuberet.* Haec Josephus, in cujus verbis nomen, ars, tempus, locus apprime cum his a Luca traditis consentiunt, nec discriminis quicquam, nisi in patria, exstare videtur. Haec enim Josepho *Cyprus*, Lucae autem, ex nonnullorum sententia, vicus quidam Samaritanus, *Gitton* nomine, fuisse indicatur. Sed id quidem, non praeeunte Luca, qui patriam prorsus tacet, sed conjectante Justino Martyre in Apologia majore pag. 69. ita dicitur. Is ut cum Josepho concilietur, *Steph. le Moyne* in Prolegomenis ad Varia Sacra apud Justinum non Γιτ]εὺς, sed Κιτ]εὺς vel Κιτ]ιαῖος legi vult, ut urbe *Cittio*, quae *Cypri* fuerit nobilissima, ortus Simon existimetur. Cum vero *Justinus Martyr* eodem loco Simonem diserte Samaritanum vocet, cumque eo *Epiphanius* Haeresi XXI. n. 1. lectionis vero illa mutatio subtilior sit, & ob oppositos Codices minus secura, & Justinus praeterea in rebus historicis passim hallucinetur, praestat omnino, ἁμάρτημα μνημονικὸν in assignanda Simonis patria Justino tribuere, quam a Josepho, Cyprium eum fuisse tradente, discedere, aut alium Simonem ab eo indicatum statuere. Videtur omnino Justinus Martyr, &, qui eum sequuntur, existimasse, Simonem pro Samaritano habendum esse, quia in urbe Samaria comoratus hic dicatur. Sed ex eo id non consequi, tum per se patet, tum inde quoque videtur colligi posse, quod S. Lucas tantum dicat, quod Simon ibi προϋπῆρχεν, i. e. *ante*, quam Philippus illuc veniret, ibi *degerit*, & multorum animos in se converterit. Inde recte confeceris, Simonem ex regione extera Samariam delatum per aliquod tempus ibi rerum suarum sedem fixisse. Confer *Sam. Basnagii* Exercitat. Anti-Baronianas pag. 104. sq. Pro *Justino* tamen lege *Cotelerii* Notas ad Constitutt. Apostolic. VI. 7. p. 334. & lib. I. Recognitt. Clement. c. 12. pag. 489. Adde de *Simone*, ejus patria, ceterisque huc pertinentibus commentantes *Jo Möllerum* in Homonymoscopia pag. 203. sqq. B. *Jo. Frid. Mayerum* de Pietistis veteris Ecclesiae pag. 25. sq. *Nic. le Nourry* in Apparatu ad Biblioth. PP. Max. Tom. I. Diss. I. cap. 3. *August. Calmetum* Tom. III. Dissertatt. junctim editarum pag. 626. tum vero Scriptores Haeresiologicos, interque eos B. *Ittigium* de Haeresiarchis aevi Apostolici, & novissime *Jo Albert. Fabricium* ad Philastrium de Haeresibus p. 54. sqq.

μαγεύων καὶ ἐξιςῶν τὸ ἔθνος) Magicis itaque artibus, sublestisque portentis animas vulgi perculit, & ad se pertraxit. Inane igitur est, quod Scriptor libri *Chissuk Emuna* Part II. cap. 65. delusorias illas Simonis artes cum divinis Christi miraculis impie confert. Lege in hanc rem *Jac. Gusseti* confuta-

futationem pag. 418. ubi quatuor omnino momenta commemorata invenies, quæ de insigni discrimine hic obvio testantur. Simili phrasi utitur *Athenæus* lib. I. de Xenophonte quodam præstigiatore ὃς πῦρ τε αὐτόματον ἐποίει ἀναφύεσθαι, καὶ ἄλλα πολλὰ φάσματα ἐτεχνᾶτο, ἀφ' ὧν ἐξίστα τῶν ἀνθρώπων τὴν διάνοιαν. *Qui & ignem sponte exoriri faciebat, & alia multa spectra artificiose exhibebat, quibus percellebat hominum mentem.*

λέγων εἶναί τινα ἑαυτὸν μέγαν) Itaque certo quodam nomine, quis qualisve esset, aut haberi vellet, non definivit, judice *Epiphanio* Hæresi XXI. ib. eo forte, ut *Allixius* loco citando, *Cotelerius* ad Monumenta Ecclesf. Græc. Tom. I. p. 763. & *Ittigius* de Hæresiarch. p. 36. item in Hist. Eccl. Sæc. I. p. 260. suspicantur, ut occasionem faceret aliis, præclara & singularia quævis de se suspicandi & prædicandi. Adde Rev. *Wormii* diss. de Sabellianismo cap. II. p. 55. Nonnulli hinc colligunt, Simonem Magum se pro Deo vel Numine aliquo venditasse. Atque ita sentiunt post *Irenæum* I. 20. Patres permulti, quorum loca habes apud *Basnagium* l. c. pag. 105. sqq. & *Fabricium* ad Philastrium p. 55. Ex recentioribus vero *Jac. Gronovius* ad v. 10. inprimis provocans, in Dissert. de voce *μέγας*. Sed quod ad Patres attinet, illi quidem hac in parte non consentiunt, nec ex circumstantiis conversionis ejus ad Christum admitti potest, minime vero omnium ex v. 10. quo *δύναμις Θεοῦ ἡ μεγάλη* vocatus esse dicitur, comprobatur. Hæc enim phrasis nihil minus sonat, quam Deum summum, sed Legatum potius ejus & ministrum, sicut 1. Cor. 1. Evangelium dicitur *potentia Dei ad salutem*. Præterea credi non potest, si Simon pro summo Deo vel haberi voluisset, vel phrasi modo allata agnitus fuisset, eum ad Christum, qui vere Dominus & Deus a Christianis habebatur, accessurum, atque hoc modo de superiore sua confessione vel persuasione aliorum tam magnifica quicquam diminuturum fuisse. Itaque Simon nihil aliud quæsivisse videtur, quam ut superstitiosis & credulis hominibus divini Viri, Legatique summi Dei vel Messiæ quoque habitum referret. Hæc in sententiam, priori isti contrariam, argumentatur *Basnagius* l. c. cui tamen vicissim solide occurrit B. *Ittigius* in Selectis Capp. Hist. Ecclesf. Sæc. I. pag. 262. Equidem ita sentio, si Simon ille videri voluit Messias, quod largitur Vir doctus p. 110. Dei quoque & nomen & honorem facile affectare potuit, etiamsi ad Christi sacra deinceps se adjunxit. Hoc enim non prius faciebat, quam se ab asseclis desertum videret. Vide ad v. 13.

Quod *Justinus Martyr* l. c. de cultu divino, Simoni delato, statuaque ipsi posita commemorat, id quidem nihil apud illos valebit, quibus constat, Patrem optimum hic aliquid humani passum, quando statuam *Simoni* cuidam *Sanco* positam, præpropere *Simoni Sancto*, prout illam inscriptionem legit, vindicavit. Vide huc præ ceteris *Ant. van Dalen* in Dissertat. singulari de Statua hac, quæ Commentationi ejus de Oraculis *Amstelod.* 1700.

sub

subjuncta est, & ex nostratibus Rev. *Deylingium* in Observ. Sacr. Part. I. p. 140. sqq. atque ante ipsum B. *Ittigium* loco modo citato p. 267. sq. Adde, quos eodem scopo citat *Jo. Mollerus* in Homonymoscopia p. 205. sqq.

Vers. 10. ᾧ προσεῖχον πάντες) Verbum προσέχειν hic personis, ut v. 6. rebus junctum, significat obtemperare, deditum esse alicui, ejusque partes sequi, ut patet ex *Polybio* p. 15. 228. 231. &c. quæ loca affert *Raphelius* in Notis Polybianis p. 324.

πάντες ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου) i. e. *tam parvi, quam magni, tam plebeji, quam illustres*. Vide *Jo. Vorstii* Philolog. Sacram Part. II. p. 77. ubi quadruplicem Hebraismum in his verbis latere existimat. Vide etiam *le Cene* in Conatu versionis novæ p. 763.

οὗτός ἐστιν ἡ δύναμις τοῦ Θεοῦ ἡ μεγάλη) Huc respexit *Philastrius* de Hæresibus c. 29. p. 55. Simonem ita describens, quod *magicis vacans artibus multos fefellerit, dicens, se esse virtutem quandam Dei, quæ supra omnes virtutes esset*. Lege ibidem alia Patrum loca his similia in notis Cl. *Fabricii* p. 55. In nonnullis Codd. Græcis & versionibus quoque, inter quos & *Vulgata* est, legitur ἡ καλουμένη μεγάλη, quam *Irenæus* quoque lectionem commemorat, & *Rich. Simon* in versione Gallica N. Test. expressit, genuinam vero judicat *Pet. Allixius* in Judicio Antiquitatis Judaicæ contra Unitarios p. 134. versionis Germanicæ, & ex eo *Amelius* Part. II. p. 392. seq. eo scilicet sensu, ut indicare Samaritani voluerint, Simonem eam esse Dei potentiam, quæ *magna* vocetur, i. e. Messiam. Sane, si ex Samaritanorum monumentis constaret, eos Messiam, quem exspectabant, ita communiter appellare consuevisse, vel idem titulus Messiæ in Pentateucho vel Hebræo, vel Samaritano conferretur, non parum ponderis ad hanc sententiam accederet. Cum vero tale quid non exstet, nec ab *Adriano Relando*, in hac causa occupato, in Dissertatt. Miscellan. Part. II. pag. 27. afferri potuerit, nolim a communi illa lectione in gratiam paucorum Codicum discedere. Rectius judicavit *Millius* in Prolegomenis ad N. T. §. 949. *Notarat quispiam ad oram libri virtutem hanc, quæ Simoni a populo tribuebatur, non fuisse* vere, *sed tantum opinione vulgi* divinam. *Interpretamentum, utut ineptum hoc loco, scriba retulit in corpus contextus.* Interim non difficulter largiar *Allixio* l. c. quod Samaritani per illam δύναμιν μεγάλην intellexerint Messiam, quem exspectabant. Eandem sententiam arrisisse video *Relando* l. c. ubi prolatis ex Chronico Samaritano cap. 10. his verbis: *Et recedent Angeli a latere vestro, & nomen Angeli maximi ab auxilio vestro* &c. ista subjungit: *Quia itaque Angelus & virtus Dei* (hanc vero appellationem non disertis locis, sed adhibitis consequentiis, testatam fecerat) *idem sonant Samaritanis, quando Simoni acclamabatur*: οὗτός ἐστιν ἡ δύναμις τοῦ Θεοῦ ἡ μεγάλη, *idem est ac: hic est Angelus ille magnus, custos exercitus Israeli-*

Israelitici, hic est Messias.) *Tunc enim exspectabatur a Samaritanis Messias, uti ex colloquio Jesu Christi & mulieris Samaritanæ liquet.* Confirmatur idem ex v. 12. ubi Samaritani, Philippi concionibus permoti, ad Christum venisse dicuntur, quem scilicet verum esse Messiam demonstraverat. Ab asseclis itaque suis ut impostor & Pseudo-Messias desertus & ipse Christo nomen dedit.

Vers. 13. Ὁ δὲ Σίμων καὶ αὐτὸς ἐπίστευσε) Simonem non solum credidisse, quod Christus fecerit miracula, & ex mortuis resurrexerit, quæ *Grotii & Clerici* hic est sententia, sed Christum pro Messia habuisse, patet ex eo, quod reliquis vere credentibus hic jungitur, quodque diserte dicitur miraculis illis, quæ edi a Philippo viderat, perculsus & in admirationem raptus.

ἐξίστατο) Ille, qui paulo prius ἐξίστα, i. e. obstupefaciebat alios, jam ipse, conspectis, quæ Philippus edebat, signis, ἐξίστατο i. e. obstupefiebat. Tantum interest inter magicas præstigias & ineffabilem potentiam Dei. Hæc scite *Boisius* in Collatione p. 375.

Vers. 14. Ἀκούσαντες δὲ οἱ ἐν Ἱεροσολύμοις) Hierosolymam unius diei itinere Samaria distitisse, nescio quam recte, affirmat *Pearsonius* in Lectionibus super Acta p. 67.

ἀπέστειλαν πρὸς αὐτοὺς Πέτρον καὶ Ἰωάννην) Nulla itaque est *Petri* prærogativa, qui una cum Johanne, Concilii Hierosolymitani auctoritate, missus idem negotium curavit. Conf. *Chamieri* Panstratiam Catholic. T. II. XII. 2. & *Sam. Basnagium* in Exercitatt. Anti-Baronian. p. 38.

Vers. 15. προσηύξαντο περὶ αὐτῶν) Confirmationis sacramentum hinc probare conatur *Bellarminus*, contra quem lege *Dallæum* L. 6. de Confirmatione.

ὅπως λάβωσι πνεῦμα ἅγιον) i. e. dona Spiritus S. miraculosa, seu potestatem miracula edendi. Conf. supra II. 38.

Vers. 16. μόνον δὲ βεβαπτισμένοι ὑπῆρχον εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ) Hæc non de causa formali, sed efficiente & finali baptismi accipienda sunt, ut indicetur, baptismum administratum esse in fidem, doctrinam, agnitionem & nomen Christi. Vide huc *Fesselii* Adversaria Sacra Tom. I. p. 296. Confer supra ad II. 38.

Vers. 17. Τότε ἐπετίθουν τὰς χεῖρας ἐπ' αὐτούς) Hinc veterum nonnulli collegerunt, Philippum Diaconum & Evangelistam, licet multa miracula ediderit, non tamen potuisse Spiritum S. conferre, aut manus baptisatis in eum finem imponere: solos Apostolos id præstare potuisse, aut sane debuisse.

debuisse. Ita *Pearsonius* in Lectionibus in Acta Apostolorum p. 68. qui & illa Patrum loca profert. Idem vero p. 69. ritum Confirmationis hinc ortum & in Ecclesia ita retentum esse affirmat, ut ille solis Episcopis proprius haberetur. Qua de re constat multis disputatum esse, tum a nostratibus adversus Pontificios, tum inter Anglos a Presbyterianis adversus Episcopales: in quem campum hic quidem excurrere non licet. Lege tu, ut ceteros taceam, *Dallæum* de Confirmat. I. 9. & *Sam.Basnagium* in Exercitatt. Anti-Baronianis p. 58. sqq. De impositione manuum adde, quæ scripsimus supra ad VI. 6.

Vers. 20. τὸ ἀργύριόν σου σὺν σοὶ εἴη εἰς ἀπώλειαν) Gravissimam hanc esse imprecandi formulam, ex eo judicat *Keuchenius* ad h. l. p. 183. quod eadem οἱ LXX. *Dan.* II. 5. utuntur.

Vers. 21. Οὐκ ἔστι σοι μερὶς - ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ) non est tibi pars in hac re. Vos λόγος enim ad imitationem Hebraici דבר sæpe *rem* infert, ut *Matth.* XIX. 12. & *Luc.* II. 15. Res vero illa vel de Evangelio ejusque promissionibus in genere, vel de dono illo Spiritus S. de quo hic sermo erat, intelligi potest.

ἡ γὰρ καρδία σου οὐκ ἔστιν εὐθεῖα) Εὐθεῖα ad exemplum Hebr. vocis ישר significat *sinceritatem.* Vide *Vorstii* Philolog. Sacr. Part. I. p. 41.

Vers. 22. ἡ ἐπίνοια τῆς καρδίας σου) Vox ἐπίνοια infert *consilium*, & propositum, nunc bonum, nunc malum, quod ex circumstantiis judicandum est: ut apud *Polybium* p. 553. Adde *Raphelii* Notas Polybian. p. 326.

Vers. 23. Εἰς γὰρ χολὴν πικρίας καὶ σύνδεσμον ἀδικίας ὁρῶ σε ὄντα) Phrasis utraque exstat *Deut.* XXIX. 18. & *Jes.* LVIII. 6. Τὸ εἰς hic interpretes plerique pro ἐν accipiunt, quod tum sacris tum profanis scriptoribus non insuetum est. *Castellio* nove verterat: *Nam tibi acerbam imminere bilem, & te scelere constrictum esse video.* Quo nomine a *Beza* notatus ita deinde rectius vertit: nam te amaro felle præditum & injustitia constrictum esse video. Vide defensionem ejus p. 443. Mihi quidem non displicent nupera Cl. *Jo. Alberti* cogitata in Observatt. Sacr. p. 236. Ejus judicio Petrus id vult, quod Simon totus, quantus sit, *fel amarissimum, & colligatio iniquitatis*, i. e. merum fel, mera iniquitas. Cicero orat. in Pisonem c. 9. ejusmodi hominem *ex omnium scelerum importunitate* concretum dixit. Sic εἶναι εἰς χολὴν idem erit, quod εἶναι χολὴν, ut *Matth.* XIX. 5. dicitur: ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν, pro σὰρξ μία. Conf. *Hebr.* VIII. 10. In Epigramm. Græcis lib. II. c. 11. dicitur: πᾶσα γυνὴ χόλος ἐστί.

ὁρῶ σε ὄντα) i. e. ὁρῶ σε εἶναι) Vide *Perizonium* ad Ælian. Var. Histor. pag. 205.

Verf. 24. Δεήθητε ὑμεῖς ὑπὲρ ἐμοῦ) Et vel fic tamen homo fui fecurus in eadem fraudis & impofturæ, quam ingreffus erat, via perrexit, doctrinam falutarem pervertens, fibique affeclarum cœtum colligens, quod teftatum præter *Juftinum Martyrem* l. c. alii fecerunt. Conf. *Pearfonium* in Lectionibus ad h. l. p. 70. Nec puto audiendum *Vitringam*, qui Simonem hunc ab ifto Gnofticorum auctore, quo de veteres, diverfum effe exiftimat, ideo quod non probabile fit, hominem, ifta S. Petri cenfura quafi infamem redditum, apud Chriftianæ profeffionis homines fidem invenire potuiffe, ut fectam inter eos conderet. Vide eum in Obfervatt. Sacr. lib. V. c. 12. p. 159. & adde B. *Ittigium* in Hift. Eccl. Sec. I. p. 284.

Verf. 26. πορεύου κατὰ μεσημβρίαν, ἐπὶ τὴν ὁδὸν, τὴν καταβαίνουσαν ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ) Via hæc per Chebronem ducta fuiffe verfus Gazam vulgo creditur, per quam nunc quoque Gazam tendunt, & illic fons oftenditur, in quo Philippus Eunuchum baptifarit, cujus & Eufebius meminit ad vocem Βεδσούρ. Poterat tamen iter quoque Hierofolymis Gazam confici per Diofpolin, aut Eleutheropolin, atque ita porro Afcalona, & inde Gazam. Hæc *Relandus* in Palæftina p. 407.

εἰς Γάζαν) Ifta eft עזה in Codice Hebræo V. T. una ex quinque urbibus Philiftæorum Jof. XV. 45. & 1 *Sam.* VI. 15. fita verfus fines terræ Ifraëliticæ auftrales *Gen.* X. 19. de qua diligenter exponit *Relandus* in Palæftina & Cl. *Urbanus Gottfr. Siberus* in erudito Programmate de Gaza, Palæftinæ oppido, ejusque Epifcopis, Lipf. 1715. 4. Confer de eadem, ejusque etymologia B. *Pfeiferum* in Locis Ebr. & Exot. N. T. p. 497. Opp. Critic. *Cheitomæum* de vocibus Græcobarbaris p. 50. *Mafium* ad Jofuam p. 201. & *Pearfonium* in Lection. ad h. l. p. 71. *Valentiam* Latine dici poffe obfervavit *Drufius* Quæft. Ebr. III. 54.

αὕτη ἐστὶν ἔρημος) Quidam hæc verba de urbe Gaza, quæ deferta fuerit eo tempore, utpote ab Alexandro everfa, nec poftea inhabitata, tefte *Strabone* lib. XVI. accipiunt, alii de ipfa via. De via ipfa non videre fe ait *Relandus* l. c. p. 787. cur ἔρημος diceretur magis, quam multæ aliæ viæ in terra Ifraëlitica, adeoque ad Gazam ipfam referre ifta mavult, quam in rem vide, quæ ibidem latius commentatur. Ἔρημος fcilicet dicitur, non eo fenfu, quod incolis omnino omnibus fuerit deftituta, quippe quæ jam fub Gabinio ex clade fua furrexerat; fed quod non munita effet præfidio, adeoque & victoribus & victis aperta, nec in Ægyptum contendentibus viam præcluderet. De via accipit *le Moyne* ad Varia Sacra p. 461. & *Basnage* adverfus Baronium p. 128.

Verf. 27. ἀνὴρ Αἰθίοψ) i. e. Αἰθίοψ τις, *Æthiops aliquis*, non per Hebraismum, ceu *Beza* putavit. Nam ita quoque *Ælianus* Var. Hift. I. 34. ἀνὴρ Μάρδος i. e. Μάρδος τις, & alii Scriptores, apud *Henr. Langenes* in Not. ad

ad Maimonidis Tract. de Æstimationibus pag. 2. De voce 'Αἰθίοψ lege *Dieterici* Antiquitates Biblicas N.T. Tom. I. p. 54. Nomen ejus fuit *Indicb*, si credimus Confessioni Legati Æthiopici ab Imperatore Zagazanto apud Bzovium ad A. C. 1524. p. 542. Perperam eum Κανδάκην vocat, atque adeo Dominæ suæ nomen ipsi tribuit *Josephus* Hymnographus Mense Octobri p. 66. & ante eum *Pseudo-Dorotheus* & *Pseudo-Abdias*, a Beda in Retractatt. ad Acta Apostol. notati. Judæus dicitur fuisse a Pontio in vita Cypriani, forte ideo, quod eum credidit proselytum, qualis tamen fuisse non videtur. Lege *Basnagium* adversus Baron. p. 123. Eum deinde primum doctrinam Evangelii inter populares suos prædicasse tradunt veteres, ut *Irenæus* III. 12. & *Eusebius* p. 40. edit. Valesianæ. Alii *Philemonem* potius, ad quem Pauli exstat epistola, hac opera primum Gazæ perfunctum contendunt, quibus præivit *Dorotheus Tyrius*, sublestæ fidei Scriptor, quem propterea nec *Relandus* l. c. nec *Siberus* p. 8. Programmatis modo laudati audiendum putat, quamvis idem tradatur in Hymnis Græcis mense Nov. pag. 176. 179. & 182. Idem *Siberus* p. 10. observat, se post Philemonem non videre quenquam inter doctores & Præsules Gazæ Christianos commemoratum, usque ad Sylvanum, cujus ætas in Sæculi IV. initium referatur. In sequentibus vero reliquorum Præsulum Gazensium memoriam ex antiquitatum monimentis repetit. Confer quoque *Colomesium* in Observatt. Sacr. p. 57. de religione Christiana apud Æthiopes differentem.

εὐνοῦχος) *Syrus* vertit מהימנא i.e. πιστὸς, *fidus*: ut proinde ab officio, quo fungebatur, non autem a corporis vitio hic appelletur. Vide in hanc sententiam *Lud. de Dieu* ad h. l. *Ezech. Spanhemium* ad Juliani Orationes pag. 174. & alios a *Guil. Saldeno* in Otiis pag. 523. excitatos, inter quos lege inprimis *Heinsium* Introduct. in Hesiodi Ἐργ. καὶ Ἡμέρ. p. 208. Constat alioquin, eunuchos a corporis vitio ita appellatos, seu spadones, toti Orienti, imo Græcis quoque & Romanis adhibitos fuisse, quibus custodia regii corporis, ac Gynæcei, & educatio quoque liberorum Regiorum crederetur. Vide huc *Dilberri* Dispp. Academic. Tom. I. p. 158. *Dougtæum* in Analect. N.T. Exc. L. p. 74. *Gilb. Gaulminum* ad Vitam Mosis p. 200. *Laur. Pignorium* de Servis p. 371. sq. & *Cornel. Adami* in Observat. Theologico-Philolog. p. 39.

δυνάστης) Ex optimatibus itaque & præcipuis Reginæ ministris fuit. Vox enim illa non solum de *Regibus*; sed aliis quoque Magistratibus inferioribus usurpatur, quod *Ezech. Spanhemius* diligenter ostendit ad Juliani Orationes pag. 145. Sic primarios Athenarum cives δυνάστας vocatos esse demonstrat idem *Spanhemius* p. 68. b.. Alia de Eunucho hoc lege apud *Basnagium* contra Baron. p. 112. sq. & 126. sqq.

Κανδάκης τῆς βασιλίσσης 'Αἰθιόπων) Æthiopia a Reginis administrata fuit *Eusebii* adhuc ætate, quod ipse testatur pag. 40. Hist. Eccles. Illæ vero

ab Augusti temporibus usque ad Vespasianum *Candaces* nomen sibi sumserunt; ut ex *Strabone* lib. XVII. p. 820. *Dione* lib. LIV. p. 524. & *Plinio* VI. 29. ostensum est a multis, nominatim *Pearsono* in Lectionibus ad h. l. p. 72. *Tillemontio* Tom. II. Memoriarum Hist. Eccles. nota 2. ad vitam Philippi, *Sam. Basnage* in Exercitatt. Anti-Baronian. p. 113. sq. *Jobo Ludolfo* Comm. ad Hist. Æthiop. p. 89. sq. & Celeb. *Fabricio* nostro ad Codicem Apocryphum N. T. p. 639. Eandem rationem communi quodam nomine diversos ejusdem dynastiæ Reges insigniendi variis gentibus receptam fuisse constat. Catalogum ejusmodi Nominum bene longum habes apud *Andr. Mullerum* in Glossario Sacro p. 49. sqq. *Jo. Mollerum* in Homonymoscopia p. 92. & *Urbanum Chevræum* in Chevræanis Tom. II. p. 22. sqq. De Regina ipsa lege, præter *Caveum* Tom. I. Vitarum in Vita Philippi Diaconi, *Basnagium* loco sæpe citato.

ὃς ἦν ἐπὶ πάσης τῆς γάζης αὐτῆς) Sic infra XII. 20. ὁ ἐπὶ τοῦ κοιτῶνος τοῦ βασιλέως, *præfectus cubiculo Regis*. Ita quoque *Josephus* Antt. VIII. 3. & in Marmoribus Arundelianis: ὁ ἐπὶ τῆς διατάξεως. Subintelligendum vero est καθιςάμενος ex Act. VI. 3. aut τεταγμένος. Conf. *Lamb. Bos* de Ellipsi p. 192. *Raphelium* in Notis Polybian. ad Act. XII. 20. & *Elsnerum* in Obss. Sacr. p. 398. Vox ipsa γάζα thesaurum Regium, ex tributis & vectigalibus præcipue exstructum, Persis denotavit, teste *Mela* lib. I. c. 11. *Eustathio* ad Dionys. Periegetæ fragmentum. v. 910. & aliis a *Brissonio* de regno vett. Persarum p. 121. & *Adr. Relando* in Dissert. Miscellan. Part. II. p. 184. citatis. Posterior p. 185. eam a Persico *Gisja*, i. e. *tributum*, derivat, rectius, ni fallor, quam Cl. *Schrœderus*, qui ex Armenica Lingua eam mavult repetere in Dissert. prævia ad Thesaurum Armenicum p. 56.

Vers. 28. Καὶ ἀνεγίνωσκε τὸν προφήτην Ἡσαΐαν) Hinc nonnulli collegerunt, Eunuchum illum fuisse proselytum. Sed vide in contrarium disputantem *Basnagium* adversus Baronium p. 123. qui eum nec Gentium primitias cum *Eusebio Nicephoroque*, nec Judaicæ disciplinæ tenacem cum *Baronio* aliisque, sed viri pii nomine dignum, Corneliique similem h. e. omissa circumcisione, veri Dei imbutum notitia fuisse existimat. Ceterum ex isto Eunuchi, Scripturam legentis, exemplo liquet, lectionem ejus cuique hominum sorti & licitam & proficuam esse, quod post alios, adductis quoque Patrum testimoniis, ostendit ad h. l. *Basnagius* p. 128. sqq.

Vers. 30. Ἆρά γε γινώσκεις, ἃ ἀναγινώσκεις;) Sic *Julianus* olim: ἔγνων, ἀνέγνων, κατέγνων. Elegans est paronomasia, cujusmodi & alia exstant in sacris literis exempla, ut 2 Cor. III. 2. &c. quæ afferunt *Wagenseilius* in Epistola de Infundibulo suo pag. 107. *Schudtius* in Deliciis Hebræo-Philolog. p. 115. sqq. *Vitringa* ad Jesaiæ V. 7. & *Jo. Alberti* in Obss. Sacr. pag. 237. seq. qui & ex profanis Scriptoribus huc pertinentia recitat, ex quibus illud Catonis huc facit: *legere, & non intelligere, nec legere est.* Ceterum τὸ γινώσκειν Sophistæ veteres

res de inveniendis excogitandisque feliciter dicendi argumentis usurparunt, idque contradistinguunt τῷ ἑρμηνεῦσαι sive *elocutioni*. Ita *Philostratus* in Vitis Sophistarum lib. I. c. 19. §. 1. οἱ μήτε γνῶναι ἱκανοὶ ἔδοξαν, μήτε ἑρμηνεῦσαι τὰ γνωσθέντα. Adde I. 26. §. 1. & confer. *Cresollium* in Theatro Sophistarum. p. 313.

Vers. 32. Ἦν δὲ περιοχὴ τῆς γραφῆς) περιοχὴν hic alii respondere putant Hebrææ voci פרשה, alii vero הפטרה. Sed errant utrique. Prior enim vox Lectioni legali, qualis hic non erat, posterior Lectioni Propheticæ quidem indicandæ adhibetur, quales Judæi ea ætate in Synagogis prælegere publice consueverant. Sed illa *Jesaiæ* verba, quæ hic afferuntur, nullam Haphtharam, prælegi solitam, occupant. Itaque phrasis hæc conferenda potius est cum consueta Hebræorum formula: וזה הפסוק *& hic erat textus*. Inspice *Surenbusium* περὶ καταλλαγῆς p. 422. Idem eadem opera verba Græca confert cum Hebraicis *Jes.* LIII. 7. & 8. legendis, & nullam hic varietatem, quæ pugnam secum ferat, occurrere ostendit. Conf. *Alex. Morum* in Notis ac Diatribis ad Jes. LIII. p. 145. & *Vitringæ* Comment. in Jesaiam. Prior p. 144. varias affert conjecturas, cur Jesaiam inprimis Eunuchus, quem Æthiopem Christi nomine dealbatum, veteres appellant, legerit. An, quod Aulicus principem Prophetam & aulæ Regiæ innutritum præ ceteris adamaret? an quod eloquii flore caperetur, & urbana illa facundia, quam Jesaiæ Hieronymus attribuit? an magis, quod hunc audivisset, magnifice præ ceteris ac lucide Messiam & Messiæ cum perpessiones, tum gloriam prænunciare? Mihi quidem nutus quidam & motus divinus hic intervenisse videtur, ut in Jesaiam & hoc ejus oraculum incideret, quemadmodum, instigante eodem Numine, factum est, ut Philippus iter hoc susciperet, & Æthiopis legentis currui se jungeret. Idem p. 146. opinatur, Eunuchum non Græca τῶν LXX. quæ tunc nondum exstiterint, sed Hebræa, quæ didicerit proselytus, legisse. Sed Græce hæc & quidem ex LXX. lecta fuisse, non dubito. Eam enim tunc nondum exstitisse, nemo temere affirmarit, qui legerit, quæ *Humfr. Hody* ad Historiam Aristeæ & *Jo. Alb. Fabricius* lib. III. c. 11. Biblioth. Græc. de versione illa commentati sunt. Quamvis enim libri Biblici omnes sub Ptolemæo Philadelpho non statim, & eadem Interpretum opera, una cum Pentateucho Græce versi sint, non desunt tamen causæ, cur credamus, eos omnes, non interjecto longo tempore, ante Christum natum conversos fuisse. Et unde, quæso, tanta orta est inter verba hæc a Luca allata, & versionem Græcam, quæ ab Hebræo tamen nonnihil discedit, conformitas, ut ipsa etiam verba, si unum alterumve excipias, repetantur? Quomodo denique Vir doctus sibi constabit, qui supra pag. 76. affirmaverat, S. Lucam interpretationem hanc ex LXX. hausisse κατὰ συγκατάβασιν ad Judæos huic versioni innutritos? Proselytum fuisse hunc Æthiopem, supra ostendimus, minus esse verosimile. Et, si talem fuisse credamus, unde confirmabitur, eundem Hebraica

quoque didiciſſe? Græce eum ſciviſſe, mirum non eſt, cum ea lingua tunc præ ceteris communi fere uſu tereretur.

Verſ. 33. ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη) Ex his verbis *Pezronius* in Antiquitate Temporum reſtituta p. 167. textum Hebræum, qui legit :מעוצר וממשפט לקח corruptum, at verſionem Græcam genuinam & claram eſſe contendit. Sed ei jam occurrit Rev. *Gebbardi* in Vindiciis textus Hebræi Anti-Pezronian. p. 179. Nec audiendus eſt *Alex. Morus* l. c. p. 76. quando non injuſtam ait eſſe ſuſpicionem, olim lectum in Hebræo fuiſſe: בעצרו משפט לקח. Id largiar non illibenter, Interpretem Græcum, quicunque ille fuerit, in ſuo Codice, ut alias non infrequenter fit, vel legiſſe, vel ſaltem legi debere putaſſe: בעצרו ממשפט לקח h.e. *in anguſtia*, ſeu (*in afflictione ſua*) *ex judicio ſublatus eſt.* Fieri enim facile potuit, ut pro מ legeretur ב & τὸ ו quod junctum eſt voci ממשפט ad præcedentem עוצר traheretur. Sed communiter olim in Codd. Hebræis ita lectum eſſe, quis ſine temeritate affirmaverit? Placent potius, quæ ipſe ſtatim addit: Certe verba hæc, quæ diſcrepare videntur ab Ebræo, non ita diſcrepant. Sic enim reddi Ebræa poſſunt: *propter anguſtiam & a judicio ſublatus eſt*, ſive *ſublatum eſt judicium*, *quod idem plane eſt: nam cujus tollitur judicium, ille judicio ſeu condemnationi eximitur.* Idem fere viſum eſt præſtantiſſimo *Pocockio* in Notis Miſcellan. ad Portam Moſis p. 72. qui verti vult: *præ afflictione*, vel *propter afflictionem etiam a judicio ſublatus eſt. Vel ſi*, addit idem, *ut vulgo ſolet, reddatur, ſenſus etiam ita fluet: Cum afflictus admodum eſſet, vel anguſtiatus, & judicio oppreſſus, ſublatus, i.e. liberatus eſt ab afflictione & judicio iſto.* Adde *Grotium* & *le Cene* in Conatu novæ verſionis p. 656. Non probo *Colomeſium* in Obſſ. Sacr. p. 124. ita interpretantem: *in humilitate damnatio ejus elata eſt: ut Jerem.* LI. 9. *de Babylone dicitur:* τὸ κρίμα αὐτῆς ἐξῆρεν ἕως τῶν ἄστρων, *damnatio* vel *pœna ejus elevata eſt usque ad ſidera.* Ut enim hic ἐξαίρειν per ſe de elevatione recte accipitur, & per additas voces ἕως τῶν ἄστρων accipiendum commonſtratur; ita τὸ αἴρεσθαι hoc in loco de liberatione & ſublatione ex pœna ſeu judicio accipi debere & communior vocis αἴρειν v. c. Matth. XXVII. 22. & ſequentia verba: τὴν δὲ γενεὰν αὐτοῦ τίς διηγήσεται; evincunt.

τὴν δὲ γενεὰν αὐτοῦ τίς διηγήσεται;) Nolim hæc cum *Hornejo* in Diſputationibus Theolog. accipere de æterna Filii Dei generatione, ſed potius de vita Salvatoris poſt mortem obitam ſempiterna. Senſum expreſſit Paulus *Rom.* VI. 9. Χριστὸς ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν οὐκ ἔτι ἀποθνήσκει. Atque hic vox γενεὰ reſpondet Hebrææ דור, quod oſtendit *Vorſtius* in Philolog. Sacr. Part. I. p. 267. Conf. in eandem ſententiam *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 744. ubi idem Patres nonnullos affert, qui verba hæc vel de æterna Filii ex Patre generatione, vel de utraque tum æterna ex Patre, tum temporali ex Maria, intellexerunt.

Verſ.

Verſ. 36. ἦλθον ἐπί τι ὕδωρ) Fontem fuiſſe, in vico Βεθσορών, viginti lapidibus Hieroſolymis diſſito, de monte fluentem, in quo baptiſatus ſit Æthiops, tradit *Euſebius* de Locis Hebraicis voce Βεθσόρ. Conf. *Pearſonii* Lectiones ad h.l.p.72. & *Relandi* Palæſtinam p.487. itemque *Caveum* T. I. Vitarum, in Vita Philippi p. 30.

τί κωλύει με βαπτισθῆναι;) Similiter *Ariſtides* Orat. Tom. III. p. 150 τί κωλύει καὶ ὑμᾶς αὐτὰ ἀντιθεῖναι; *quid probibet & nos eadem opponere?* Conf. *Jo. Alberti* O. S. p. 239.

Verſ. 37. Εἶπε δὲ ὁ Φίλιππος, εἰ πιστεύεις &c.) Totum hoc commà omittunt Codd. nonnulli Græci, verſiones item, & Patres. Vide præter *Millium Jo. Morinum* in Exercit.Bibl.lib.I.Exerc.II.p.39. Hinc *Grotius* additum ab aliquo cenſet ex eo,quod geſtum credi par erat, & cum eo *Millius* ad h. l. cui plane incredibile videtur, illud ex incuria vel fraude Scribarum in tot exemplaribus MSS. & vetuſtiſſimis omiſſum eſſe. Dicendum potius ejus judicio, id in ſupplementum hiſtoriæ annotatum primum, ut & alia in libro Actorum Apoſtol. haud pauca, a ſtudioſo quopiam ad marginem libri, ac aſſumtum mox in contextum a librariis. Idque jam a primis Chriſtianiſmi ſæculis, quia legatur in *Vulgato,Irenæo*,III. 12. *Cypriano*,lib.III.ad Quirinum,& Laudano 3. Codice longe antiquiſſimo,ſed ab editis aliquantulum diverſo. Idem tamen *Millius* in Prolegomenis, mutata priore ſententia, recte pro genuino habet,& ad probandam αὐθεντίαν ejus *Vulg. Tertullianum* & *Cyprianum*, qui omnes ita legerint, haud parum conferre arbitratur. Idem adſtruit *Whitbius* in Examine p.32. qui non inſcite cauſam affert, cur verba illa a quibusdam ſequioris ævi Scriptoribus ægre retinerentur. Objici enim ea ſolita eſſe in præjudicium diſciplinæ & πράξεως Eccleſiaſticæ in reſtringendis tam diu a baptismo Catechumenis, ac tot iis fidei capita diſcenda proponendi more, priusquam ad ſalutare lavacrum admitterentur, id quod ex allatis Tertulliani, Hieronymi & Auguſtini locis conſtet, in quibus huic objectioni reſponſum quale quale exhibeant. Confer ex noſtratibus Cl. *Boyſonium* in Diſſ. deCodiceGræco N.T.&c. γνησιότητα hujus loci propugnantem. Mihi quidem quæſtio Philippi & Eunuchi reſponſio adeo eſſentiales & neceſſariæ ad actum baptismi ſuſcipiendum videntur, ut mirer, Viros doctos de additione, ab aliena manu facta, cogitare hic potuiſſe. Neque enim fidem ſuam in Chriſtum hactenus profeſſus erat Eunuchus, nec poterat tamen baptiſari, quam ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ h.e. prævia nominis & doctrinæ ejus profeſſione. Vide Act.II. 38. Proinde hæc profeſſio & elici ante debebat a Philippo, & ab Eunucho edi. Ita præterea interrogatio Philippi conformata eſt, ut egregie reſpondeat quæſtioni Eunuchi antecedenti. Is enim quærebat: *quid prohibet me baptiſari?* Philippus reſpondet: *licet omnino*, h. e. nihil prohibet, modo toto corde credas in Chriſtum, tanquam Meſſiam.

Verſ.

Verſ. 38. Καὶ ἐκέλευσε στῆναι τὸ ἅρμα.) Ita *Arrianus* de Expedit. Alex. III. 30. 7. dixit: ἐπιστήσας τὸ ἅρμα, *ſiſtens currum*.

καὶ ἐβάπτισεν αὐτόν) *Gabr. Dowerſon* in tractatu ſingulari de Sacramento Baptismi Anglice, *Lond.* 1687. 8. edito multis contendit, immerſionis ritum ad baptismum rite recteque inſtituendum omnino neceſſarium & in Eccleſiam Chriſtianam poſtliminio revocandum eſſe, quia is verbo ipſo βαπτίζειν proprie innuatur, praxi Chriſti, Apoſtolorum & Philippi hujus confirmetur, nec aſperſio rite repræſentare poſſit noſtram cum Chriſto mortem & reſurrectionem ſpiritualem, quam Paulus inculcet, ipſa denique primitivæ Eccleſiæ conſuetudo, quæ adhuc vigeat in Eccleſia Græcorum, idem poſtulet. Idem ex Anglis & alii ſtatuunt, ex quibus præ ceteris legendi *Guil. Wall* in hiſtoria Pædobaptismi Part. II. c. 9. p. 402. ſq. *Jo. Floyer* in Antiqua ψυχρολουσία reſuſcitata & *Knatchbullus* ad 1 *Pet.* III. 20. Ex iisdem vero alii, & quidem plures, nudam aſperſionem ſufficere exiſtimant, nominatim *Garnerius* in lib. Anglicano de baptismo primitivo, *Lond.* 1701. edito, quo demonſtrat, ritum immergendi nec in vetere Eccleſia fuiſſe perpetuum, adſperſionem vero propterea præferendam, quia conveniat cum baptiſmo in Moſe, de quo 1 *Corinth.* X. 1. prophetiis quoque, typis & figuris Baptismi reſpondeat, locoque & tempori perſonarum, quæ in Actis baptiſatæ leguntur, magis ſit conformis. Conf. Memorias Trevultinas an. 1702. Tom. I. p. 10. ſqq. Ante ipſum *Jo. Lightfootus* immerſionem pro mera ἐθελοθρησκεία reputat, atque adeo non injunctam ſtatuit, ut rectius omittatur, quia vox Hebr. טבילה de ſacris baptismis V. T. uſurpata a Judæis ſemper adſperſionem tantum inferat. Vide vitam Lightfooti Operibus ejus præfiam * * * 2. Omitto alios in alterutram ſententiam diſputantes, inter quos pro *immerſione* pugnant *Car. Maria de Veil.* ad Actor. II. 38. *Salmaſius* in Apparatu de primatu Papæ p. 192. *Guil. Beverigius* ad Synodicon Magnum p. 30. item l. 7. Codicis Canonum Vindicati, pro *adſperſione* autem *Gerh. Joh. Voſſius* Diſput. I. de Baptismo §. 5. ſqq. Atque huic poſteriori ſententiæ noſtrates Theologi tantum non omnes recte adſtipulantur. Nam verbum βαπτίζειν & *immergere* & *tingere* infert: qua de re diximus ſupra ad *Matth.* XXVIII. 19. Uterque ritus in vetere Eccleſia fuit receptus, quod ex antiquo monumento evictum dederunt *Jo. Mabillonius* Tom. I. Muſei Italici p. 73. & 81. & *Jo. Ciampini* in Explicatione duorum Sarcophagorum, ſacrum baptismatis ritum indicantium, *Rom.* 1697. cujus ſummam habes in Actis Eruditorum Lipſienſ. an. 1698. p. 46.

Fuerunt tamen ex noſtratibus, quibus ille *immergendi* ritus revocandus omnino viſus eſt, v. c. *Philipp. Jac. Spenerus*, contra quem lege Theologorum Wittebergenſium ſcriptum vernaculum theſibus & antitheſibus comprehenſum Art. IX. th. 8.

Mediam hic elegit viam *Guſtavus Georg. Zeltnerus*, Theologus Altorfinus,

finus, in Commentatione fingulari *de merfione in Baptismo Apoftolica, ut fit larga perfufione inftauranda*, wie das Eintauchen in der Taufe durch ſtarckes Ausgieſſen ſolle wieder hergeſtellet werden, *Altorf.* 1720. deinde ibidem an. 1724. recufa cum *Jo. Bugenbagii* Judicio vernaculo de eodem argumento in eandem fententiam lato, & in Appendice libelli ejus *de infantibus non natis*, Witteb. 1552. 8. excufo.

Lege præterea de hoc argumento in univerfum, quos citat Cl. *Fabricius* in Bibliographia Antiquaria p. 387. & *Henr. Pontani* Difputatt. de ritu merfionis in Baptismo, *Traj. ad Rben.* an. 1705.

Verf. 39. ἐπορεύετο γὰρ τὴν ὁδὸν αὐτȣ̃ χαίρων) Ita *Xenopbon* Cyropæd. lib. V. p. 97. τῷ πορεύεσθαι· τὴν ὁδὸν προσεῖχε τὸν νȣ̃ν, *itineri faciundo intentus erat.* Adde *Rapbelii* Notas Xenophonteas p. 153.

Verf. 40. εἰς Ἄζωτον) De urbe hac lege *Relandi* Palæftinam p. 606. fqq. qui p. 608. ex *Diod. Siculo*, Itinerario item Antonini & Hierofolymitano oftendit, inter Gazam & Azotum 34. milliaria fuiffe. Εἰς Ἄζωτον pro ἐν Ἀζώτῳ hic dici nemini infolens videbitur, qui meminerit, præpofitiones εἰς & ἐν fæpe non folum in facris fed & profanis Scriptoribus promifcue adhiberi. Vide *Seb. Pfocbenium* de Stylo N. T. §. 71.

καὶ διερχόμενος εὐηγγελίζετο) i. e. *&, quaqua ibat, evangelizabat omnibus civitatibus.* Conf. fupra v. 4. & adde *Boifii* Collationem p. 376.

CAP. IX.

VErf. 1. Σαῦλος δὲ) Cum Σαῦλον appellat Lucas ante converfionem, nomen Hebraicum inflexit ad Græcam formam. Nam Hebræum eft Σαȣ̀λ, שאול. Cui fi terminatio Græca daretur, trifyllabum exiffet Σάȣλος, non diffyllabum Σαῦλος. Cum manus ei imponeret in baptismum Ananias, Σαȣ̀λ indigitavit, non Σαῦλον cap. IX. Actorum v. 17. Σαȣ̀λ ἀδελφέ. Ex quo Σαῦλος fecerunt Græciffantes difcipuli. Sic enim dum fe accommodant formæ & inflexioni Græcanicæ, Hebraicorum nominum terminationes mutarunt Interpretes etiam Græci. Sic Ἡσαΐας, Ἐζεκίας, Ἱερεμίας feptuaginta Senioribus. Ita Salmafius in Offilegio Linguæ Hellenift. p. 382. Conf. fupra VIII. 1.

ἔτι ἐμπνέων ἀπειλῆς καὶ φόνȣ) Ἐμπνεῖν proprie eft *infpirare*, hic vero ponitur pro fimplici πνεῖν, translatione facta a flatu ad impetuofam animi vehementiam. Ea vero phrafi frequenter utuntur Scriptores etiam exteri, ut *Xenopbon* Hift. Gr. lib. VII. p. 504. *Acbilles Tatius* lib. II. p. 65. dixit: ἔρωτος πνεῖ, *Ariftopbanes* Equit. v. 435. κακίας καὶ συκοφαντίας πνεῖ, *Euripides* in Bacchid. v. 620. θυμὸν ἐκπνέων &c. cujusmodi loca plura poft *Camerar.* & *Erafm. Schmi-*

dium ad h. l. attulerunt *Raphelius* in Annotatt. Xenophonteis p. 154. & *Elsnerus* ad h. l. p. 398.

Verſ. 2. ᾐτήσατο παρ᾽ αὐτῦ ἐπιςολὰς εἰς Δαμασκὸν) Scilicet Synedrii Hierofolymitani ea ætate tanta erat auctoritas, ut non ſolum, qui in vicinia terræ Iſraëliticæ habitabant Judæi, ſed Babylonii quoque & Alexandrini ſtatuta ejus venerarentur. Vide huc *Herm. Witſii* Meletemata Leidenſia p. 23. Ejusmodi homines, quibus ad Eccleſiæ negotia curanda epiſtolæ dabantur, Judæi appellabant שליחים i. e. ἀποςόλυς. Conf. *Suicerum* in Theſauro Tom. I. p. 477. De *Damaſco*, ejusque etymologia & varia ſcriptione lege *Kuhnii* Pentadem II. Quæſt. I. p. 3. *Pfeiferum* in Dubiis Vexatis Centur. I. Loc. 39. *Bochartum* in Phaleg. Part. I. lib. II. c. 3. & *Schudtium* in Compendio Hiſt. Jud. p. 37. ſq.

ὅπως ἐάν τινας εὕρῃ τῆς ὁδῦ ὄντας) *ut ſi quos inveniret hujus viæ*, i. e. hujus *ſectæ*, ut *Beza*, vel potius hujus doctrinæ & religionis, nempe Chriſtianæ, aſſeclas. Hoc ſenſu vocem ὁδὸς hic accipit poſt *Bezam* & alios *Pearſonius* in Lectionibus ad h. l. & *Suicerus* Tom. II. Theſauri p. 454. Sic infra c. XXIV. 14. ὁδὸς ἣν λέγυσιν αἵρεσιν. Similiter *Lucianus* in Hermotimo p. 577. ἁπάσης ὁδῦ πεπειραμένος ἐν φιλοσοφίᾳ, & alii ab *Elsnero* p. 400. Obſ. Sacr. allati, qui præterea oſtendit, *Jamblichum* de Myſteriis p. 161. eadem voce ad deſignanda religionis inſtituta uſum eſſe, nec non *Julianum* ep. 51. De eodem ſignificatu lege *Steph. le Moyne* ad Var. Sacr. p. 922. ſqq. *Pearſon.* ad Symb. Apoſtol. p. 183. *Keuchenium* in Annotatt. ad N. T. p. 198. *Herbelotum* in Biblioth. Orientali, voce *Din*, Cl. *Fabricium* ad Codicem Apocr. N. Teſt. p. 442. & *Amelium* Part. II. p. 618. ſq. Quamvis itaque phraſis hæc ſatis Græca ſit, & Scriptoribus frequentata, credo tamen, S. Lucam eam hic adhibuiſſe, reſpectu habito ad V. T. in quo religio vera & divina paſſim דרך i. e. *via* appellatur. Qui hic τὴν ὁδὸν de *via* ſeu *itinere*, in quo erat Paulus, accipiunt, ac ſi inſtitutum Pauli fuiſſet, quoscunque ſibi in itinere obvios, & Chriſtum profeſſos ſecum abducere, ii non recordantur, Lucam, ſi quidem id voluiſſet, ſcripturum more Græcorum fuiſſe κατὰ τὴν ὁδὸν, ut *Xenophon* Cyropæd. II. 25. Nec recogitant, literas commendatitias ad urbem Damaſcon expetitas & Paulo datas fuiſſe.

Verſ. 3. περιήςραψεν αὐτὸν φῶς) Τὸ φῶς hic nonnulli accipiunt de *luce*, ſeu claritate & ſplendore, tanquam ſymbolo Chriſti præſentis, qui & deinde Paulum allocutus eſt, propterea aliquoties teſtantem, Chriſtum ſibi viſum eſſe. Vide hic infra v. 27. & 1. *Cor.* IX. 1. Sic Ananias v. 17. *Dominus Jeſus miſit me, qui apparuit tibi in via.* Lege huc *Feſſelium* in Adverſariis Sacr. Tom. II. pag. 131. & *Witſii* Meletemata pag. 23. ſq. qui recte exiſtimat, Dominum a Paulo oculis corporis viſum eſſe. Alii hic non lucem aut ſplendorem ſimpliciter, ſed *fulgur fulminis* intelligunt. Inter hos eſt *Vitringa* in Obſſ. Sacr. lib. IV. p. 370. *Primo refertur*, inquit is, *lumen de cælo Paulum proſtraviſſe humi;*

dein

dein vero illum audivisse vocem. Per lucem, sive lumen de cælo, quis aliud hic intelligat, quam fulgur fulminis? Quod si admiseris, non negaveris, per Vocem, fulmini conjunctam, vocem tonantem & gravem intelligendam esse, quia ex lege naturæ fulmina comitari solent tonitrua. Eandem sententiam amplius ornat Cl. *Elsnerus* ad h. l. pag.401. cui fulgur notari videtur verbo περιαστράψαι, & *tonitru*, voce φωνὴ, v. 7. Addit idem, cum Deus appareret in monte Sinai, adfuisse קולות וברקים i. e. φωνὰς καὶ ἀστραπὰς *Exod.* XIX. 16. *tonitrua & fulgura*, quæ præsentiæ divinæ indicia fuisse testatur *Josephus* Antiquitt. III. 4. Conf. *Apoc.* IV. 5. Atque eodem modo profanos quoque Deorum suorum adventum describere solitos, idem demonstrat ex *Æneid.* VIII. v. 524. & *Ovidio* Fastor.III. 367. Confer *Lomeierum* de Lustrationibus c. 10. De *tonitrubus* vero & *fulminibus*, diis & gentilibus tribui solitis, lege *Meursium* ad Lycophr. v. 382. & *Cuperum* in Harpocrate p.98. sq. Sententia hæc de *fulgure* lucido, quod Pauli oculos perstrinxerit, admitti tantisper potest, nec minus de voce valida & tonanti simili, modo ne vera Christi ad Paulum loquentis præsentia detrimenti quidquam inde patiatur.

Ceterum quæri hic solet ab Interpretibus, quo præcise tempore hæc ita gesta sint. Alii rem referunt in A. C. XXXV. & Tiberii XXII. cum *Pearsonio* in Annalibus Paulinis, & *Usserio*, quos sequitur *Joachimus Langius* in Comment. de Vita & Epistolis Pauli p. 15. seq. alii in annum sequentem & Tiberii ultimum: alii ad A. C. XXXIIX. & Caligulæ secundum, cum *Lud. Cappello*: alii in XXXIX. cum *Spanhemio*. Lege de hoc argumento commentantem *Sam. Basnage* in Exercitatt. Anti-Baron. p. 151. sqq.

Vers. 4. Σαῦλ, Σαῦλ, τί με διώκεις;) Ingeminatum Sauli nomen, & persecutionis exprobratio in mentem ipsi revocare poterat, quod Saul olim Davidi, id se nunc Davidis filio & Domino facere: quæ est h. l. observatio *Witsii* l. c. pag.22.

Vers. 5. σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτίζειν) Verba hæc & sequentia usque ad verba v. 6. Ἀνάστηθι &c. in Codd. nonnullis MSS. & versionibus, inter quas & *Coptica* est, (de qua lege *Wilkinsii* Prolegomena ad Vers. Coptic. pag. 30.) desunt, quæ proinde ex *Act.* XXII. 10. & XXVI. 14. ad marginem a quopiam adjecta, & deinde in supplementum historiæ a librariis in contextum relata *Erasmus*, *Beza*, *Grotius*, & alii existimant. Sed temere hæc quidem dicuntur, non solum ob plurium & antiquissimorum Codicum auctoritatem, sed etiam, quod verisimile non est, Lucam eo in loco, ubi rei gestæ seriem data opera exponebat, omissurum fuisse id, quod alio in loco nempe Act. XXII. & XXVI. ipsius Pauli verbis refertur. Itaque magis est probabile, librarios quosdam, intempestive hic solicitos, verba illa propterea omisisse, quod meminissent, Act. XXVI. 14. verba illa: σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτίζειν primæ Christi allocutioni: Σαῦλ, Σαῦλ, τί

τί με διώκεις; statim addi; quæ hic demum responsioni Paulinæ: τί με θέλεις ποιῆσαι; subjunguntur. Hinc & factum est, ut Codex Laudanus 3. versiones item *Syr.* & *Æthiop.* verba: σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτίζειν, retulerint ad v. 4. τί με διώκεις.

Alii itaque rectius *Synchysin* hic statuunt, per quam non tam ordinis ratio habeatur, quam rei gestæ conditio summatim repræsentetur. Sed sunt tamen, qui etiam sine admissa synchysi αὐθεντίαν horum verborum adstrui posse opinantur, quod inprimis h.l. egit Cl. *Wokenius* in Pietatis Criticæ Part. II. contra Synchyses pag. 116. Is vero existimat, verba Christi: σκληρόν σοι π. κ. λ. duplici vice dicta esse, & prima vice expressa referri c. XXVI. 14. altera vero hic IX. 5. Addit idem, dici quoque posse, quod Lucas ista, uno quippe actu continuo facta, ita ordinarit, ut fuerit e re sua. Hinc enim, cum IX. 6. tremor sequatur, minas immediate præposuisse; Act. XXVI. 16. vero gratiosa acceptio Pauli referatur, minas priori loco commodius collocasse videri. Nisi denique dicere malis, Lucam cap. IX. ordinem, quo verba illa prolata sint, observare, sed c. XXVI. ordinem concionis Pauli referre, qui ordinem colloquii aliter, atque habitum sit, recensere potuerit, aut quoniam e mentis confusione verba quidem, ordinem vero secus memoria tenuerit, aut quia ibi non tam historiæ ordinem recenseat, quam oratorem agat, res combinare solitum, uti conceptus optime connecti possint. In his, pace Viri docti, observo, id quod secundo loco affertur de Luca, ordinem verborum ad narrationem suam accomodante, re vera Synchysin quandam, si illa conjectura admittatur, largiri. Quod vero ad primam nodi solutionem attinet, non est verisimile, Christum comminationem illam in Paulum repetita vice strinxisse, quem jam animo perculsum & ad pœnitentiam facti perductum videbat, & consilio gratiæ pleno statim instructurus erat. Tertium denique, meo judicio, prorsus admitti non potest, quasi Paulus ipse, rem gestam enarrans, verborum ordinem, præ confusione mentis olim non recte observatum, aliter hic formarit. Ponamus enim, Paulum, cum verba illa audiret, non omnia recte tenuisse: num propterea statuemus, eundem jam non sibi relictum, sed θεόπνευστον, divini Spiritus ductu in rectiorem viam translatum non esse?

Itaque præstat simpliciter in Synchysi hic acquiescere, cujus & alia exstant in sacris literis utriusque Fœderis exempla. Quamvis enim illa, fateor, a nonnullis cumulentur, quibus ab Interpretibus occurritur, omnia tamen amoveri sine vi adhibita posse non crediderim. Lege hanc in rem ex nostratibus B. *Glassium* in Grammatica Sacra lib. IV. Tract. II. pag. 744. & *Gatackerum* in Adversariis cap. XXI. Nec existimandum est, Synchyses auctoritati & divinitati Scripturæ Sacræ fraudi esse, aut a profanis eo rapi jure merito posse. Nemo enim ignorat, Historicis ἀκριβεστάτοις easdem usu receptas

esse,

esse, ubi scilicet circumstantiæ quædam ordinis mutationi occasionem faciunt, vel per eam rei enarratæ nihil decedit.

σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτίζειν) *Jo.Claudius* in Opp.Posthumis Tom.I.p. 208. τὸ σκληρόν σοι, hic idem esse vult, quod σκληρότης σου, *durities tua*, eo sensu, quod pervicacia mentis Paulina effecerit, ut hactenus gratiæ Dei convertenti se opposuerit. Approbat eum *Amelius* Tom. I. p. 89. Sed eam interpretationem nec vocum structura, nec usus Scriptorum aliorum, nec scopus Christi hic patiuntur. Non vocum structura, σκληρόν σοι. Quamvis enim neutrum adjectivi sæpe pro substantivo ponatur, hic tamen simile quid locum non habet, cum sic scribendum fuisset σκληρόν σου, non autem σκληρόν σοι. Adversatur usus Scriptorum. Nam & οἱ LXX. & Scriptores Sacri, & profani quoque τὸ σκληρὸν de re *dura, gravi, & non ferenda* usurpant. Vide *Jo.*VI. 60. σκληρός ἐστιν οὗτος ὁ λόγος. Eundem vero significatum hic obtinere patet ex addito σοί. Sensum illum, eodem adhibito proverbio, similiter expressit *Pindarus* Pyth.Od.II.

-- ποτὶ κέντρον δέ τοι
λακτιζέμεν τελέθει
ὀλισθηρὸς οἶμος.

i.e. *contra stimulum calcitrare lubrica est via. Homerus* Il. Φ. v.883. ait χαλεπόν τοι παισὶν ἐριζέμεναι. Contrariæ interpretationi oppositus est Christi loquentis scopus, quippe qui minis his eum imminentem calamitatem & interitum Paulo repræsentare, atque hoc modo ad pœnitentiam perducere volebat. Ceterum ipsa phrasis proverbialis est, cujus exempla ex Hebræis & profanis Græciæ Scriptoribus afferunt post Grotium ad *Act.*XXVI. & *Erasm.Schmidium* ad h. l. *Ludov. Capellus* in Spicilegio, *Andr. Schottus* in Adagialibus N. T. p. 96. *Bochartus* Hierozoic. Part. I. lib. II. cap. 39. *Dougtæus* in Analectis N. T. Exc. LI. *Vorstius* de Adagiis N. T. XII. & *Fabricius* ad Codicem Apocryphum N. T. p. 442. Phrasis ipsa desumta est a bobus, stimulo ad arandum compelli solitis, qui aratris ita adaptus erat, ut bobus recalcitrantibus infigeretur. Vide huc Cl. *Schœtgenii* Dissertat. de Stimulo Boum, Francof. 1717. 4. p. 19. B. *Lutherus* τὸ λακτίζειν convertit per **Lecken**, de qua voce lege B. *Stadenii* Expositionem vocum hujus versionis ignotiorum suo loco.

Vers. 7. εἱστήκεισαν ἐννεοί) i. e. steterunt *attoniti*, vel *muti*. *Suidas* ἐννεὸς ἄφωνος, ἐξεστηκώς.

ἀκούοντες μὲν τῆς φωνῆς, μηδένα δὲ θεωροῦντες) Paulus enim solus Christum videbat v. 17. perinde ut *Daniel* X. 7. se solum ait vidisse visionem sibi oblatam, non autem comites suos. Sic profani passim referunt, Deos aut dæmonas suos non ab omnibus conspici posse, vel, ubi se certis hominibus spectandos præbebant, conspectos esse. Vide loca ab *Elsnero* allata p.404.

p.404. Adde quæ ſcripta ſunt ad *Matth.* V. 8. Sed hæc quidem tanti non ſunt. Majoris momenti id eſt, quod ad verba hæc cum *Act.* XXII. 9. concilianda pertinet. Ibi enim Paulus diſerte contrarium affirmare videtur, dicens: *οἱ δὲ σὺν ἐμοὶ ὄντες τὸ μὲν φῶς ἐθεάσαντο· τὴν δὲ φωνὴν οὐκ ἤκουσαν τοῦ λαλοῦντός μοι.* Quibusdam hic ita aqua hæret, ut de conciliatione deſperent. Inter hos *Druſius* eſt ad h. l. *Alii* vocem, quam audiviſſe hic dicuntur, de voce & ſermone Pauli attoniti accipiunt, ut *Beza*, *Jo. Buxtorfius* in Catalectis p. 187. & Græca ſcholia a *Boiſio* in Collatione pag. 377. allata. Sed id quidem admitti non poteſt propter verba ſtatim ſequentia: *neminem autem videntes* i. e. neminem, qui vocem illam proferret, videntes: ut non dicam, idem manifeſtum eſſe ex XXII. 10. quod nempe ſermo hic ſit de voce ejus, qui ad Paulum ſit locutus. Conf. *Boiſium* l. c. cui Lucas non videtur omiſſurus fuiſſe pronomen *αὐτοῦ*, ſi de Pauli voce intellectum voluiſſet.

Alii vocem cœlitus delapſam & auditam & *non auditam* fuiſſe contendunt, diverſo reſpectu: auditam, qua ſonum utcunque perceptum, adeoque vocem inarticulatam; non auditam, quatenus ignorarunt, &, quis eſſet, qui loqueretur, & quid eſſet, quod diceret. Ita Interpretes plerique omnes, nominatim *Boiſius* l. c. p. 377. *Witſius* in Miſcell. lib. I. c. 3. p. 18. & plenius in Meletematibus Leidenſibus p. 26. qui huc confert *Joh.* XII. 28. 29. *Langius* de Vita & Epiſtolis Pauli p. 19. *Fabricius* ad Codicem Apocr. N. T. p. 244. & alii.

Alii exiſtimant, comites Pauli, fulgore ſubito territos, verba Chriſti: *Saul, Saul, quid me perſequeris?* non audiviſſe; ſed deinde, animis ipſorum nonnihil levatis, percepiſſe Chriſtum dicentem: *ingredere civitatem* &c. Ita cenſet *Alphenius* in Commentario Belgico in 2. ad Corinth. epiſtolam cap. 1. Sed non video, quomodo hoc modo negari poſſit, quod tamen ſit cap. XXII. comites audiviſſe Chriſtum ad Paulum loquentem, ſi vel partem illius ſermonis ſint adſecuti.

Placet mihi, quod *Vitringa* in Obſſ. Sacris lib. VI. pag. 371. ad tollendam hanc pugnam attulit. Is enim hoc loco intelligendum ſtatuit *ſonum vocis*, junctum fulmini, qui vere a comitibus Pauli exceptus ſit; altero vero per vocem deſignari *verba articulata*, cum illo tonitru, quod a comitibus Pauli perceptum eſt, enunciata, eorumque verborum ſenſum. *Gravem ſonum*, ita pergit, *tonitru audiverunt Pauli ſocii, ſed verba articulata de illo tonitru prodeuntia, ad Paulum convertendum directa, non perceperunt, vel intellexerunt, ſive, quod per ſingularem providentiam nimio ſtupore perculſi ſenſus officio ſuo functi non ſint; ſive quod Hebraicæ linguæ, qua Chriſtus locutus eſt, ignari fuerint.* Affert idem locum *Joh.* XII. 28. ubi vox articulata ad Chriſtum facta eſt de tonitru, quæ tamen a multis non eſt percepta, qui ſolummodo tonitru factum eſſe judicabant.

Quomodo Patres nonnulli conciliationem hic quæſiverint, patebit ex Tomo IV. Anecdotorum meorum Græcorum p. 37.

Cete-

Ceterum phrasibus hic adhibitis similes sunt istæ *Euripidis* in Hippolyto v. 58.

> κλύων μὲν αὐδῆς ὄμμα δ' ἐχ ὁρῶν τὸ σόν.
> *Audiens quidem tuam vocem, sed non videns speciem tuam.*

Verſ. 9. Καὶ ἦν ἡμέρας τρεῖς μὴ βλέπων) Triduanam hanc cœcitatem non carere myſterio, oſtendit *Witſius* in Meletematibus Leidenſ. p. 27. ibidemque ſimile quid de Iberorum Rege a *Theodoreto* Hiſt. lib. I. c. 24. referri obſervat. Eodem hoc triduo Paulum in tertium paradiſum, de quo ipſe 2. *Cor.* XII. raptum eſſe, *Lud. Cappellus* & *Guil. Caveus* exiſtimant: eo quod inter Pauli converſionem & epiſtolam ejus ad Corinthios ſcriptam quatuordecim omnino anni interceſſerint; præterea vero ex Gal. I. 12. conſtet, eo triduo Paulum non ab homine edoctum eſſe Evangelium, ſed ex revelatione Chriſti. Sed utrique argumento parum roboris ineſſe, oſtenſum eſt a *Witſio* l. c. p. 29. & nos, Deo dante, aliquando ad 2. *Cor.* XII. evincemus. Conf. interim *Jo. Paul. Büttneri* Diſſ. de Saule illuminato & per triduum oculis deſtituto, *Jen.* 1702.

Verſ. 11. Ταρσέα) De Pauli patria alias dicemus. Vide interim *Witſium* p. 2. ſq.

Verſ. 12. καὶ ἐπιθέντα αὐτῷ χεῖρα) Viſio illa impoſitionis manuum ſymbolum erat viſus miraculoſe recuperandi, & extraordinaria Spiritus S. dona recipiendi. Ad utrumque enim impoſitionem manuum adhibitam fuiſſe, patet ex *Matth.* IX. 18. & *Act.* VIII. 17. Confer quæ ad hunc poſteriorem locum ſcripſimus.

Verſ. 13. ὅσα κακὰ ἐποίησε) κακὰ hic inferunt devaſtationem Eccleſiæ. Vide Job. V. 21. ex verſione τῶν LXX. & Paulum ipſum *Gal.* I. 13. Adde *Keuchenium* p. 183. Notarum ad h. l.

Verſ. 14. Καὶ ὧδε ἔχει ἐξυσίαν) Hinc non inepte colligas, Ananiam literis Chriſtianorum Hieroſolymit. edoctum eſſe, quo conſilio Paulus Damaſcum ſit profectus. Ibi enim hactenus nihil patraverat Paulus, ex quo inſtitutum ejus & facultas a Synedrio data patere potuiſſet. Interpretes nonnulli τὸ ὧδε vertunt per *hic*, ac ſi eſſet pronomen, & in Græco legeretur: ὁ δε. Scilicet illi contextum Græcum non conſuluerant. Lege contra eos *Rich. Simonem* in Hiſt. Crit. N. T. lib. II. p. 365.

Verſ. 15. σκεῦος ἐκλογῆς) Hoc nomine Paulus ideo appellatus eſt, quod Dominus opera ejus & miniſterio in convertendis gentibus uti vellet. Σκεῦος itaque idem hic erit, quod ὄργανον, idque ad exemplum vocis Hebr. כלי, quæ de quovis vel vaſis vel inſtrumenti genere adhiberi ſolet. Ita

ſtatuit

ſtatuit *Vorſtius* in Philolog. Sacr. Part. I. p. 27. Sed nolim hic ad Hebraismum reſpicere. Nam & Græci Scriptores hominem *agendis rebus idoneum* σκεῦος ſeu *vas* appellant, ut *Polybius* in Excerptis de virtut. & vitiis p. 1402. ὅτι Δαμοκλῆς ὁ μετὰ Πυθίωνος πεμφθεὶς κατάσκοπος πρὸς Ῥωμαίους, ὑπηρετικὸν ἦν σκεῦος, εὐφυὴς καὶ πολλὰς ἔχων ἀφορμὰς εἰς πραγμάτων οἰκονομίαν. Conf. p. 1404. Sic *Epictetus* apud Arrianum p. 141. σκευάριον σαπρὸν, *vaſculum inutile* hominem nihili appellat. Conf. Rev. *Raphelium* in Notis Polybian. p. 326. ſq. qui & ſcite obſervat, elegantem hic eſſe metaphoram, quæ continuetur verbo ſequenti βαστάσαι, quia vaſis ad res portandas utamur. Magis id ad Hebraismum accedit, quod dicitur σκεῦος ἐκλογῆς pro ἐκλεκτὸν, quam in rem legatur idem *Vorſtius* p. 200. B. *Lutherus* ſcite vertit: **ein auserwähltes Rüſtzeug**, quem B. *Raithius* ab exceptionibus Emſeri tuetur in Vindiciis hujus verſionis p. 457.

Verſ. 17. ἐπιθεὶς ἐπ' αὐτὸν τὰς χεῖρας) Vide ad v. 12.

Ἰησοῦς ὁ ὀφθείς σοι ἐν τῇ ὁδῷ, ᾗ ἤρχου) Nomen Ἰησοῦς deeſt in nonnullis Codd. MSS. ideoque ex v. 5. huc traductum putat *Millius*. Sed ea conjectura non opus eſt. Cur enim Ananias non rectius exiſtimabitur nomen Jeſu nomini Κυρίου addidiſſe, ut eo diſertius fidem Pauli in Dominum Jeſum confirmaret? Sunt, qui Dominum Paulo, in via verſanti, occurriſſe arbitrantur, inter quos eſt inprimis *Gaffarellus* in Quæſtione pacifica p. 127. Sed ex ſuperiore Lucæ narratione conſtat, Dominum Paulo de cœlo & locutum eſſe, & viſum. Confer in eandem ſententiam veterum teſtimonia apud *Edmund. Albertinum* de Euchariſtia p. 189.

Verſ. 18. Καὶ εὐθέως ἀπέπεσον ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ ὡσεὶ λεπίδες) Ex Grotii ſententia λεπίδες illæ velum Moſis adumbrarunt, quod, ubi quis ἐπιστρέφῃ πρὸς τὸν Κύριον, περιαιρεῖται, cum ante ἐπωρώθη τὸ νόημα, *mens cæca fuerit* 2. *Cor.* VI. 14. 16. Itaque hac oculorum caligine abſterſa ſignificabatur, Paulo mentis quoque cœcitatem ſublatam, datumque πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως ἐν ἐπιγνώσει Θεοῦ *Eph.* I. 17. 18. electum denique eſſe, ut & inpoſterum videret τὸν δίκαιον, *Act.* XXII. 14. & XXVI. 10. 18. Conf. *Elsnerum* p. 405. ubi & obſervat, ſimile quid *Homerum* Iliad. ε. v. 127. referre de Diomede, cui Minerva caliginem ab oculis abſterſerit, ut Deum cognoſcere poſſet.

Verſ. 19. ἐνίσχυσεν) ſcilicet ἑαυτὸν, *corroboravit ſe.* Vide *Lamb. Bos* de Ellipſi Gr. L. p. 58.

Verſ. 20. ἐκήρυσσε τὸν Χριστὸν) Nonnulli Codd. & Patres hic legunt Ἰησοῦν, atque id mavult *Millius* ad h. l. ea inprimis ratione ductus, quod *Pauli ſcopo magis accommodata ſit vox* Ἰησοῦς, *cujus quippe non fuerit demonſtrare, Chriſtum ſeu Meſſiam eſſe Dei filium, (quod Judæis in confeſſo fuerit) ſed probare Jeſum Naza-*

Nazarenum fuisse Dei filium seu Messiam. Sed recte observat *Whitbius* in Examine p. 52. ex *Origenis* lib. II. contra Celsum p. 79. & lib. IV. p. 162. tum vero *Hieronymi* in Jer. XVII. 5. testimonio, contra Judæos illius ætatis inprimis probandum fuisse, quod Christus seu Messias sit filius Dei, quippe qui de Messia, nudo homine, cogitare consueverint. Sic & alibi Apostoli & Evangelistæ dicuntur *κηρύσσειν τὸν Χριστὸν*, ut *Philippus* Act. VIII. 5. & *Philip.* I. 15.

Vers. 22. *ἐνεδυναμοῦτο*) *confirmabatur*, seu *corroborabatur*, pro quo alii minus recte: *invalescebat*. Hoc enim de rebus potius, illud vero de personis dici, recte monuit *Boisius* in Collatione p. 378.

καὶ συνέχυνε τοὺς Ἰουδαίους) Vide huc *Salmasium* in Ossilegio Linguæ Hellenist. p. 366.

συμβιβάζων) Vulg. vertit: *affirmans*; Beza autem: *collatis testimoniis demonstrans.* Συμβιβάζειν τοῖς LXX. nihil aliud est, quam *docere*, ut *Exod.* IV. 12. *ἐγὼ ἀνοίξω τὸ στόμα σου καὶ συμβιβάσω σε, ὃ μέλλεις λαλῆσαι.* Conf. *Judic.* XIII. 8. *Jes.* XL. 13. item *Ps.* XXXI. 8. Sic *Hesychius* *συμβιβασθέντες* interpretatur per *διδαχθέντες*, & *συμβίβασις* per *διδαχή*. Conf. *Boisii* Collationem ad h. l. p. 379. Interim amplius aliquid præter generalem docendi notionem cum efficacia hic exprimi, partim vocis ipsius conditio, partim usus docendi Apostolicus credere jubet. Apostoli enim collatis inter se oraculis Propheticis, & implementis in Novo Testamento factis, demonstrare Judæis solebant, Jesum esse Messiam Patribus a Deo promissum. Lege *Erasm. Schmidium* ad h. l. qui recte observat, *τὸ συμβιβάζειν* proprie esse lignariorum, qui ligna inter se committendo aptandoque coire faciant, translate vero idem esse, quod: *per collationes aetificiose compingere & coagmentare.* Conf. *Coloss.* II. 19. & *Ephes.* IV. 26. Vide inprimis B. *Jo. Henr. Feustkingii* Disp. de Symbibasmo Biblico ad h. l. *Witteb.* 1712. 4. & *Suicerum* Tom. II. pag. 1078. sq.

Vers. 24. *παρετήρουν τε*) *custodiebant autem*, Judæi scilicet, auctoritate Ethnarchæ, Aretæ Regis Arabum 2. *Cor.* XI. 32.

Vers. 26. *παραγενόμενος δὲ ὁ Σαῦλος εἰς Ἱερουσαλὴμ*) Triennio, postquam ista contingerant, Paulus ex Arabia, quo primum profectus erat, Damascum reversus Hierosolymam adiit, quod patet ex *Gal.* I. 17. Conf. *Langium* de Vita & Epistolis Pauli p. 42.

ἐπειρᾶτο κολλᾶσθαι) Vide huc *Suiceri* Thesaurum Tom. II. p. 134.

Vers. 27. *διηγήσατο αὐτοῖς*) Rectius hæc ad Barnabam, ista de Paulo testatum, quam ad Paulum ipsum referuntur, quod posterius facit Pseudo-Abdias in Historia Apostol. lib. II. §. 2. p. 445. edit. Fabricianæ. Certe *παῤῥησία* illa, quæ mox tribuitur Paulo, pulchrius sonat in ore Barnabæ, quam Pauli ipsius, ceu recte monet Cl. Fabricius ad h. l. in Codice Apocrypho N. T.

Verſ. 28. εἰσπορευόμενος καὶ ἐκπορευόμενος) Vide ſupra ad c. II. 21. ἐν ᾧ εἰσῆλθε καὶ ἐξῆλθεν.

Verſ. 29. πρὸς τοὺς Ἑλληνιστάς) De Helleniſtis diximus ſupra ad VI. 1. Speciatim ad h. l. lege *Salmaſium* de Lingua Helleniſt. p. 187. & in Funere L. Helleniſt. p. 365.

Verſ. 30. εἰς Ταρσόν) *Xenophon* de Expedit. Cyri lib. I. p. 195. in plurium numero urbem hanc Ταρσοὺς appellat.

Verſ. 31. καὶ πορευόμεναι τῷ φόβῳ τοῦ Κυρίου) Eadem phraſi utitur *Targum* Geneſ. V. 22. & VI. 9. Confer *Keuchenium* ad h. l. p. 183. Infert autem augmentum capere in bono, quod de perſonis Græce ita dici a Scriptoribus nullo, credo, exemplo conſtat: unde & ipſe *Eraſmus Schmidius* Hebraismum hic agnoſcit. Interim res ex voto fluentes Græcis non minus πορεύεσθαι, quam Latinis *procedere* dicuntur, quod ex *Platone* de Legibus VIII. p. 647. oſtendit Cl. *Schvvarzius* ad Olearium de Stylo N. T. p. 242.

Verſ. 32. τοὺς κατοικοῦντας Λύδδαν) De Lydda lege diligenter commentantem *Andr. Relandum* in Palæſtina p. 877. & alias, & *Sam. Basnagium* in Exercitatt. Anti-Baronian. p. 332. Dicitur vero hic Paulus deſcendiſſe Lyddam, quia urbs hæc in campeſtri & humiliore loco ſita erat, atque ſic proprie ad illos κατελθεῖν dici poterat.

Verſ. 34. καὶ στρῶσον σεαυτῷ) ſcilicet κλίνην, *ſterne tibi ipſe lectum.* Vide *Lamb. Bos* de Ellipſi Gr. L. p. 94.

Verſ. 35. καὶ τὸν Σάρωνα) Saronem, quæ & Σαρωνὰς vocatur, pro urbe Lyddæ vicina habuerunt permulti poſt *Vulgatum*, interque eos Pſeudo-Abdias in Hiſtor. Apoſtol. lib. I. §. 4. ex recentioribus autem *Conſtant. Lempereur* ad Bava Kamma p. 297. Sed rectius alii de agro ſeu planitie interpretantur, præeunte *Hieronymo* ad Jeſ. XXXIII. *Saron omnis*, inquit is, *circa Joppen Lyddamque appellatur regio, in qua latiſſimi campi fertilesque redduntur.* Lege in eandem ſententiam *Relandum* in Palæſtina p. 370. Confer & *Druſium* in Miſcellan. II. 35.

Verſ. 36. Ἐν Ἰόππῃ δέ) Hæc olim יפו dicta, deinde Ἰόππη & Ἰόπη, celeberrimus Judæorum portus fuit ad mare magnum. Ejus ſitum & rationes fuſe exponunt *Relandus* in Palæſtina p. 864. ſqq. & *Jo. Oldermannus* in Geographiæ Sacræ Lumine p. 9. ſqq.

ὀνόματι Ταβιθά) Ταβιὰ legi hic vult *Jo. Reuchlinus* de verbo mirifico lib. II. cap. 11. ubi cum cenſuiſſet, *Marc.* V. 41. legendum *Tabithi Kumi: Similis*, inquit, *librariorum error in Actibus Apoſtolicis. Nomen proprium enim diſcipulæ fidelis fuit Tabia, non Tabitha, quod interpretatio ejus Dorcas edocet, & eſt nomen*

men Assyriorum טביא, *quod significat capream, sicut legimus in libro Chaldaico Illen Pithgamai.* Quam felix *Reuchlinus* in detegenda nominis ratione & origine, tam propere minusque feliciter egit in immutanda nominis scriptione, quæ omnino genuina est. Recte scilicet observat, Assyriacum i. e. Chaldaicum nomen esse טביא *Tabhja.* Hoc enim ex Hebr. צבי *caprea* formatum exstat in Targum *Deuter.* XII. 22. & alias. Hinc vero emphatica forma dicitur טביתא *Tabhjetha* & *Syriace* טביתא quod postremum nostrum illud Ταβιθὰ apprime refert. Idem nomen ancillæ Rabban Gamalielis tribuitur in *Vaijkra Rabba* Sect. 19. טביתא אמתא דרבן גמליאל *Tabhitha ancilla Rabban Gamalielis.* Ibi glossa nomen hoc ait esse לשון טובה, h. e. nomen a bonitate ductum. Quod suo loco nunc quidem relinquimus. Sufficit, complura exstare antiquitatis exempla, quo feminæ ab animalibus placidis & mansuetioribus nomina acceperint. Ceterum librum illum Chaldaicum *Illen Pithgamai*, quem Reuchlinus hic adfert, de Codice quodam Talmudico interpretor, cujus caput aliquod ab his vocibus initium sumserit, quamvis tale quidem huc usque mihi non occurrerit. Certe singularem ejusmodi libellum; qui ita fuerit inscriptus, exstare non crediderim. De etymologia nominis hujus lege quoque *Cheitomaeum* de Vocibus Græco-barbaris in Ταβιθὰ, qui recte Aramæam formam טביתא hic agnoscit.

αὐτη ἦν πλήρης ἀγαθῶν ἔργων) *Zach. Boganus* in Homero Hebraizante pag. 327. per ἀγαθὰ ἔργα non sola opera, moraliter bona, intelligit, sed & quicquid affabre & eleganter manu fingi & elaborari a feminis solet. Adde ὁμόψηφον *Amelium* Part. II. pag. 43. Sed longius ista quidem petita sunt. Quamvis enim vox ἔργα sibi relicta apud Homerum & alias in singularem ejusmodi significatum trahi possit, tamen hinc non sequitur, additum epitheton ἀγαθὰ id h. l. permittere, præsertim cum ἀγαθὰ & καλὰ ἔργα tam frequenter in N. T. memorata nunquam aliud, quam mores vitæque rationem respiciant. Nec quicquam valet, quod ἀγαθῶν ἔργων καὶ ἐλεημοσυνῶν mentio ita conjungatur. Recte enim hæc ita acceperis, quod Dorcas studiosa fuerit bonorum operum in universum, *inprimis* vero eleemosynarum. Quo sensu τὸ καὶ passim in commemorandis ejusdem generis rebus occurrere frequenter ostendimus. Quod ad phrasin ipsam attinet, *Polybius* pag. 236. similiter ait, πλήρης πολεμικῆς ὁρμῆς, *plenus militaris ferociæ.*

Vers. 37. λούσαντες δὲ αὐτὴν) Lotio cadaverum mortuorum & Hebræis recepta fuit, de quibus lege *Geierum* de Luctu Hebræorum c. V. §. 9. & Gentilibus, quorum loca lege apud *Dougtaeum* in Analectis N. T. Exc. LII. itemque *Jo. Mich. Dilherrum* in Dispp. Philolog. Tom. I. p. 213.

ἔθηκαν ἐν ὑπερῴῳ) Ex hoc loco *Onuphr. Panvinius* cap. 3. de ritu sepeliendi colligit, locum collocationis cadaverum universe cœnaculum vel publicam domus partem fuisse. Lubrice vero & infirmiter hæc ita dici, ostendit

 Dilherrus

Dilberrus l. c. pag. 449. qui variis & idoneis veterum locis evincit, eadem & in veſtibulo ædium, ad januam, ad limen &c. collocari conſueviſſe.

Verſ. 39. *καὶ ἐπιδεικνύμεναι χιτῶνας καὶ ἱμάτια*) Hoc ſcilicet erat apud veteres, apud quos rari ut plurimum erant ſartores, feminarum officium, ut de veſtibus in familiæ uſum conficiendis laborarent. Lege *Alex. ab Alexandro* Tom. I. Genial. Dierum p. 958. *Freinshemium* ad Curtii II. 5. 20. & alios, a Cl. *Fabricio* in Bibliographia Antiquar. p. 554. allatos.

Verſ. 43. *παρά τινι Σίμωνι βυρσεῖ*) Vide paulo poſt ad X. 6.

CAP. X.

VErſ. 1. *Ἀνὴρ δέ τις ἐν Καισαρείᾳ*) Duæ fuerunt hujus nominis urbes in Palæſtina, altera ad mare magnum ſita, altera prope fontes Jordanis, quæ alias *Cæſarea Philippi*, & *Paneas* vocatur. Priorem illam Judæi ipſi appellant קיסרין. Accepit hoc nomen ab Herode, in Auguſti honorem, Auctore Joſepho *Antt.* XV. 11. Atque illam, non autem alteram Philippi a Cornelio habitam eſſe, contra *Ant. Pagi* in Apparatu Chronologico n. 113. pag. 27. evincit *Sam. Basnage* in Exercitatt. Anti-Baronianis p. 336. ſqq. De utraque Cæſarea lege præter *Basnagium Montacutium* in Originibus II. pag. 154. ſq. *Guil. Beveregium* ad Synodicum p. 66. ſq. & inprimis *Adrian. Relandum* in Palæſtina p. 670. ſqq. qui etiam pag. 676. ſqq. commemorat Epiſcopos Cæſareæ in Conciliorum Actis commemoratos. Lege quoque J. C. *Erneſti* Diſput. de *Euſebio* Cæſareenſi §. 3.

ὀνόματι Κορνήλιος) Eum deinceps Cæſareæ Præſulem fuiſſe, fide Martyrologii Romani ſtatuit *Baronius*, & ipſe aſſeclas nactus, contra quos lege *Basnagium* l. c. pag. 355. ſqq. qui ſententiam hanc ex *Euſebio*, *Hieronymo*, & variis rerum argumentis refellit. De martyrio ejus confer *Vghellum* Tom. VI. p. 1108. ſq. ad d. XX. Octobr. Confer. etiam *Halloixium* Tom. I. p. 392.

ἑκατοντάρχης) Romani Cæſareæ collocaverant militum præſidia, tum ut Judæos, ad ſeditiones & novarum rerum ſtudia proclives, in officio continerent, tum ut excurſionibus Parthicis obſiſterent. Atque ejusmodi copiis præſidiariis cum Centurionis auctoritate præerat Cornelius, de quo amplius ſtatui poterit ex iis, quæ Viri docti ad Flavium Vegetium lib. II. cap. 14. & ad Hiſtor. Auguſtæ Scriptores, nominatim *Stevvechius*, *Caſaubonus*, & *Salmaſius* commentati ſunt. Præcipua illorum obſervata in ſummam retulit *Basnagius* l. c. p. 339. ſqq.

ἐκ σπείρης) *σπεῖραν* alii per *cohortem*, per *legionem* alii convertunt, & poſteriores quidem rectius, quia ſæpe apud Scriptores mentio fit *legionis Italicæ*, nominatim apud *Tacitum* in Hiſtor. I. 59. 4. I. 64. 6. & alias. Ita

ſta-

ſtatuit Rev. *Raphelius* in Annotatt. Polybian. p. 328. Sed in contrariam ſententiam lege Cl. *Chriſtiani Gottlieb Schvvarzii*, Profeſſoris Altorfini, Diſſertat. de cohorte Italica & Auguſta, *Altorf.* 1720. habitam, cujus ſummam habes in Faſtis Altorfinis an. 1720. p. 117. ſqq. Vir doctus ibi conditionem legionum Romanarum erudite ediſſerit, commemorans earum magnitudinem, (quæ tempore *Polybii* ordinarie fuit quaternorum millium & ducentorum peditum,) nomina item Græca varia & cognomina, quibus a ſe invicem diſtinguebantur, nunc ab ordine v. c. *prima, ſecunda* &c. nunc a loco, ubi primum conſtitutæ eſſent, nunc aliunde repetita. Idem, interjectis aliis §. 16. commonſtrat, varia fuiſſe cohortium genera, &, præter legionarias, etiam auxiliarias, extraordinarias voluntariorum militum, & ſelectas, quæ ſuis numeris & variis cognominibus a ſe invicem diſcretæ fuerint. Quibus poſitis §. 18. contendit, per σπεῖραν Ἰταλικὴν a Luca intelligi non legionem Italicam, neque ejus generis cohortem legionariam, ſed cohortem quandam ſecretam, aut extraordinariam, quæ fuerit inter præſidia Cæſareæ, (quales cohortes etiam paulo poſt Cornelii tempus Cæſareæ degiſſe ex Joſepho de B. Jud. l. 5. conſtat) Italicam autem cognominatam eſſe, quia in ea meruerint milites ortu Italici, pleriſque aliis copiis Romanis, tum in Syria conſidentibus, non niſi ex provincialibus collectis.

τῆς καλουμένης Ἰταλικῆς) De cognomine hoc diſſerit *Basnagius* l. c. pag. 343. diſputans inprimis contra *Baronium*, qui cognomen *Italicæ cohortis* non a legione, cujus alias frequens eſt in Scriptoribus mentio, ſed a natione, ex qua milites ejus orti ſint, repetendum judicabat. Hanc tamen Baronii ſententiam non contemnendam eſſe, ſed a *Schvvarzio* erudite ornatam, modo vidimus. Atque hic ipſe *Basnagii* argumenta l. c. §. 10. ſqq. ſub examen revocat, ex *Dione*, *Tacito*, (conf. §. 8.) & Joſepho oſtendens, Legionem I. Italicam a Nerone inſtitutam & per Veſpaſianum diſſipatam, nunquam in Syriam & Judæam perveniſſe, quemadmodum nec usquam inter legiones, in Syria & Judæa Romanis collocatas, *Italicæ* mentio occurrat.

Verſ. 2. Εὐσεβὴς καὶ φοβούμενος τὸν Θεὸν) *Xenophon.* lib. IV. pag. 640. ita: *ἔχεις ἂν εἰπεῖν, ὁποῖός τις ὁ εὐσεβής ἐστιν; ἐμοὶ μέν, δοκεῖ, ἔφη, ὁ τοὺς θεοὺς τιμῶν. Potes ne igitur dicere, qualis ſit homo pius? Is, ait, eſſe mihi videtur pius, qui Deos honore adficit.* Ubi Socrates mox, correctione quadam adhibita, addit: *ὡς δεῖ τιμῶν, εὐσεβής ἐστι, qui, ut oportet, honorat, pius eſt.* Et de tali quidem pietate ac cultu Dei hic ſermonem eſſe, ea, quæ de Cornelio in ſequentibus afferuntur, evincunt. Atque hic inprimis diſquiritur, quo pacto ad illam pietatem Deique notitiam & cultum pervenerit Cornelius, utrum ex lumine naturæ, an ex revelatione divina ſingulari, aut ex lectis V. T. oraculis, & nunciis de prædicata a Salvatore ſalutis doctrina acceptis. Diverſas has Interpretum ſententias enarratas lege a B. *Fechtio* in

 Diſput.

Disput. singulari, de Pietate Cornelii Centurionis *Rostoch.* 1701 habita. Is vero cum nostratibus Theologis recte contendit, Cornelium, tanquam proselytum domicilii Judæorum sacra cognita habuisse, & magni fecisse, inde vero tum ex lectione SS. literarum, tum ex fama de prædicatione Johannis & ipsius Christi necessariis Christianæ religionis mysteriis imbutum ita fuisse, ut nihil ipsi defuerit, *nisi ut Redemtorem suum etiam in persona agnosceret, & veneraretur.* Vide §. XXIII. Lege præterea de hoc argumento Commentationem Anonymi de Cornelio, quæ exstat in Actis Literariis, vernaculo sermone Lipsiæ editis Part. I. pag. 56. sqq. cui Centurio hic revera Ethnicus fuisse videtur, (id quod tum ex famulorum, Petrique sermonibus & aliis circumstantiis colligit,) sed talis, qui a Judæis verum Deum sit edoctus, eumque agnoverit, & ad ampliorem ejus cognitionem adspirarit. Confer *Calovii* Biblia Illustrata ad h. l. unde apparebit, quid ad postrema hæc sit respondendum. Mihi non dubium est, Cornelium iis, quas indicavi, viis, Messiam cognitum habuisse, inque eo fiduciam suam collocasse, atque ideo Divinum Numen Petrum singulari nutu impulisse, ut eum in hac fide confirmaret, & inprimis resurrectionem, quam ut paulo ante factam nondum intellexerat, edoceret. Confer in eandem sententiam differentem *Jos. Mede* in Operibus p. 164. sq.

σὺν παντὶ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ) Οἶκον non domicilium solum, sed & familiam, inque ea servos & domesticos, ut h. l. fit, indicare tralatitium est. Confer tamen *Xenophontis* locum in Oecon. p. 647. apud Rev. *Raphelium* in Notis Xenophonteis p. 155.

Vers. 4. *Αἱ προσευχαί σου καὶ αἱ ἐλεημοσύναι σου ἀνέβησαν*) Quomodo preces Cornelii & eleemosynæ erogatæ Deo acceptæ fuerint, aut esse potuerint, facile ex superioribus colligitur. Factæ enim illæ sunt ex fiducia in Christo collocata, & ex desiderio cognitionem ejus magis magisque amplificandi. Confer *Medum* l. c. p. 166. qui ibidem p. 167. ostendit, cur precum & eleemosynarum mentio hic eadem opera fiat, quamque illæ apud Deum vim habeant, & quantopere studium earum vel ideo Christianis sit commendandum.

εἰς μνημόσυνον ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ) Sunt, qui hac phrasi putant alludi ad *suffitum* V. T. qui *Levit.* II. 2. אזכרה appellatur, a LXX. Interpretibus vero *μνημόσυνον*. Hunc suffitum, addunt, precum esse Symbolum, quod ex *Apoc.* V. 8. & VIII. 3. constet. Ita post *Grotium Keuchenius* ad h. l. pag. 184. qui ad sacrificia in genere, nomine Hebr. אזכרה & זכרון olim appellata respectum haberi existimans, inprimis comparari vult *Numer.* XXXI. 54. Recte vero hic ab aliis admonitum est, si ea fuisset Lucæ scribentis sententia, scripturum potius ita fuisse: *μνημόσυνον τῶν προσευχῶν σου καὶ τῶν ἐλεημοσυνῶν σου ἀνέβη ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ* Vide *Joh. Georgii Michaelis* Dissertationem de precibus Cornelii, quæ exstat in Bibliotheca Bremens. Class. V. pag 679. sqq.

Atque

Atque is quidem recte affirmat, *rem* ipsam, phrasi hac significatam, optime cum suffitu sacro comparari, *phrasin* vero ex antiquae Synagogae usu in scholam Christi & Apostolorum translatam esse. Veteres enim Judaei precum, ad Deum rite factarum, memoriam ad Deum venire dixerunt. Ita Jonathan, Paraphrasta Chaldaeus, *Zephan.* II. 7. sic reddidit: ארי יעול דכרנהון קדם יי אלההון; i. e. *nam memoria illorum ingressa est coram Domino Deo illorum.* Sic *Onkelosus* verba Mosis *Genes.* XXX. 22. ויזכר אלהים את רחל וישמע אליה אלהים ita convertit: ועל דוכרנא דרחל קדם יי וקביל צלותא יי *& ingressa est memoria Rachelis coram Deo, & auribus accepit preces illius.* Idem p. 684. sq. idoneis Scripturae locis commonstrat, *recordationem* seu *memoriam* rei, Deo tributam, inferre nunc *continuationem* gratiae divinae, ut *Jes.* XLIX. 15. 16. *Malach.* III. 16. nunc *promissionum Ecclesiae factarum* repetitionem & inculcationem, ut *Ps.* CV. 42. CVI. 45. nunc judiciorum impiis destinatorum, exsecutionem, ut *Ps.* CIX. 14. & CXXXVII. 7. Addit idem h. l. speciatim phrasi illa impletionem prophetiarum divinarum, gentibus factarum, eamque per Christum Jesum, innui. Hunc enim *memoriam Dei* recte dici, in cujus medio sit nomen Jehova Exod. XXIII. 21. quod sit memoriale *μνημόσυνον* Dei Hos. XII. 6. quodque nomen filio Dei ideo competat, quia Patris sui nomen hominibus notificarit Joh. XVII. 6. & in quo omnia Dei promissa facta sint *ναὶ καὶ ἀμὴν* 2 *Cor.* I. 20. Quae utut pie & erudite observata sint, mihi tamen simplicissime per *τὸ ἀναβαίνειν εἰς μνημόσυνον τοῦ Θεοῦ* facta *precum exauditio* innui videtur, quemadmodum Deus 1 *Sam.* I. 29. *recordatus* dicitur Hannae, cum eam precantem exaudiret. Conf. *Nehem.* V. 19. Eodem sensu *Tob.* XII. 10. angelus ait, se memoriam precum induxisse *ἐνώπιον τοῦ ἁγίου.* Conf. *Siracid.* XXXV. 2. & *Apoc.* VIII. 3. Adde *Hackspanii* Miscellanea Sacra p. 445. De efficacia precum ex Judaeorum monumentis differit B. *Saubertus* in Palaestra pag. 90. ubi itidem phrasin hanc ex holocausti ritu repetit.

Vers. 5. *Καὶ νῦν*) *Nunc itaque*, ut recte *Beza* vertit. Conf. supra VII. 34. & infra XIII. 11. qua significatione particulam hanc venire apud *Xenophontem* de Cyri Expedit. lib. III. p. 299. & *Aeschinem* in Timarch. p. 175. observat Cl. *Elsnerus* p. 407.

καὶ μετάπεμψαι Σίμωνα) Verbo *μεταπέμπειν* in hoc significatu aliquoties utitur *Alciphron* in Epistolis. Lege Histor. Crit. Reip. Liter. Tom. XIII. pag. 132.

Vers. 6. *ᾧ ἐστιν οἰκία παρὰ θάλασσαν*) Hinc *Balduinus* de Calceo p. 17. colligit, domicilium ejus, tanquam coriarii, fuisse *extra urbem*, ubi coriarii ob foetidum opificii odorem res suas habere consueverint. Confer *ὁμόψηφον* ipsi *Bynaeum* de Calceis Hebraeorum p. 27. qui hujusmodi habitationem ex *Artemidoro* II. 53. probat.

οὗτος λαλήσει σοι, τί σε δεῖ ποιεῖν.) Verba haec in nonnullis Codd. desideran-

ſiderantur, ideoque pro gloſſemate ex *Act.* X. 32. & XXII. 10. repetito habentur *Millio.* Sed recte *Whitbius* in Examine p. 52. ita: Poſterior locus nihil ad rem facit, & v. 32. repetit tantum, quod hic dictum eſt. Sic etiam c. XI. 14. quod hanc lectionem ſatis firmat. Præſertim cum hæc verba agnoſcant *Chryſoſt. Oecumenius* & *Vulg.* qui plerumque plus ponderis apud Millium habet, quam Codd. MSS. univerſi. Addiderim his, verba iſta omnino Cornelio proponenda ab Angelo fuiſſe, ut intelligeret, quo conſilio Petrum ad ſe accerſere deberet, quod ipſi alioquin cognitum eſſe non poterat. Nec ſatis fidelis futura fuiſſet Cornelii narratio, v. 32. inſtituta, niſi verba iſta ab Angelo, cui illa v. 32. tribuit, auribus accepiſſet.

Verſ. 9. *ἀνέβη Πέτρος ἐπὶ τὸ δῶμα*) Vocem *δῶμα* pure Græcam eſſe, adſtruximus ſupra ad *Matth.* X. 27. Conf. *Henr. Stephanum* in Schediasmat. lib. III. cap. 28. Tom. V. Lampadis Gruteri in Supplemento p. 121. Diſſentiunt vero eruditi, quid hic per *δῶμα* intelligendum veniat. *Vulgatus* ſimpliciter vertit per *ſuperiora Hieronymus*, *Eraſmus*, *Pricæus*, aliique hanc interpretationem probant, putantque, *δῶμα* hic idem valere, quod in aliis locis *τὸ ὑπερῶον.* Vocari autem *δῶμα*, quia cubiculum hoc tecto proximum fuerit. Reſiſtit tamen *Gregorius* (cap. III. Obſervationum) tum quia *τὸ δῶμα* alibi ab *ὑπερῴῳ* diſtinguitur, ut 2 *Sam.* XI. 13. & 2 *Regg.* XXIII. 12. tum quia hic Petrus non dicitur aſcendiſſe *εἰς τὸ δῶμα*, ſed *ἐπὶ τὸ δῶμα*, quod tantundem valet ac *ſuper tectum.* Cenſet igitur, domum hanc Simonis coriarii, utpote minus amplam, Sacro ejusmodi cœnaculo caruiſſe, ac propterea Petrum ſeceſſum quærentem ſolitarium, aſcendiſſe in ipſum tectum. Nec ſpernenda ejus eſt opinio. Ita Vitringa judicium format de Synagoga vetere lib. I. Part. I. c. 6. p. 152. Confer *J. H. Hottingerum* ad Diſcurſ. Gemaric. de Inceſtu p. 23. & *Pet. Zornium* de Proſeuchis §. 6. Crediderim omnino, *τὸ δῶμα* ab *ὑπερῴῳ* eſſe diſtinctum, atque illud quidem eſſe *ſolarium*, hoc vero *conclave* aliquod certis uſibus, & quidem ſacris potiſſimum, deſtinatum, qua de re diximus ſupra ad *Act.* I. 13. In *δῶμα* ſeu *ſolarium*, h. e. tectum planum & libero aëri expoſitum aſcendebant, qui paralytici curam habebant Luc. V. ut pavimento aperto hominem ad pedes Chriſti demitterent. Viciſſim Dorcadis, de qua ſupra c. IX. cadaver poſitum legitur in *ὑπερῴῳ* ſeu *cœnaculo*, non *ἐπὶ δώματι in ſolario*, qui ſcilicet locus minus aptus huic rei futurus erat. Lege *Sam. Basnagium* in Exercitatt. Anti-Baronian. p. 345.

προσεύξασθαι περὶ ὥραν ἕκτην) De tribus precandi horis, inter Judæos olim receptis, diximus ſupra ad III. 2. Hora iſta ſexta reſpondet noſtræ meridianæ, quæ, qua fiebat precatio, Judæis תפלת צהרים *precatio meridiana* vocatur. Lege ex veteribus *Origenem* de Oratione §. 36. *Georg. Caſſandri* Opera p. 181. ſq. & *Sam. Basnagium* l. c. p. 347.

Verſ.

Verf. 10. *καὶ ἤθελε γεύσασθαι*) *Cibum capere* ita fæpe exprimunt Hebræi, unde & pro Hebraica hanc phrafin habet poft alios *Vorftius* in Philolog. Sacr. Part. II. p. 223. Sed & profani Græciæ Scriptores eandem in fimili argumento adhibent, quod poft *Gatackerum* de Stylo N. T. c. XL. & *Horatium Vitringam* in Animadverfionibus fuis ad Vorftium p. 249. oftendit Cl. *Elsnerus* p. 407. Vide *Herodotum* II. 41. *οὐδὲ κρέως καθαροῦ βοὸς διατετμημένου Ἑλληνικῇ μαχαίρῃ γεύσεται.* *Ælian.* Hift. Animal. XVI. 37. VI. 4. & XI. 35. aliosque.

παρασκευαζόντων δὲ ἐκείνων) *παρασκευάζειν* Græci fimpliciter dicunt *parare aliquid in prandium.* Vide *Athenæum* VII. 1. p. 276. Plene *Herodot.* V. 8. p. 292. *παρασκευασάμενος δεῖπνον μεγαλοπρεπὲς* & *Achilles Tatius* lib. II. p. 69. Conf. *Elsnerum* l.c. p. 408.

ἐπέπεσεν ἐπ' αὐτὸν ἔκστασις) Vox *ἔκστασις* in Scriptura Sac. varie fumitur, quam in rem vide *Didymi* locum, quem ex Catena MS. attuli Tom. IV. Anecdotorum p. 49.

Verf. 11. *καὶ θεωρεῖ τὸν οὐρανὸν ἀνεῳγμένον*) Vifio hic erat ecftatica; in hac vero non res ipfæ fenfibus, fed rerum emblemata phantafiæ objiciuntur: itaque apertura hæc cœlorum cum reliquis confequentibus tantum in Petri imaginatione exftitiffe videtur. Ita *Witfii* Meletemata Leidenfia p. 292.

σκεῦός τι ὡς ὀθόνην μεγάλην) Per linteum illud, quod tinea non corrumpit, & nitore fplendet, Ecclefiam, non habentem maculam nec rugas, fignificatam effe, *Ambrofius*, *Auguftinus* & alii veterum Doctorum tradiderunt, quod jam obfervavit *Baronius*. Iis adde *Evagrium*, cujus locum ex Catena MS. attuli in Tom. III. Anecdotorum p. 167. fqq. Cave tamen, cum Baronio affirmes, Patres omnes ita id accipere. Nam *Chryfoftomus* homil. XXII. in Acta & *Caffianus* lib. III. cap. 3. de Canon. de *terra* interpretantur. Confer *Basnagium* adverfus Baron. pag. 352. qui recte obfervat, per linteum illud nec *Ecclefiam*, nec *Evangelium* defignatum fuiffe, cum animalia eo comprehenfa, h. e. homines illi impuri, qui nil nifi terrena cupiunt & curant, non fit Ecclefia; ut cetera taceam, ibidem allata. Ipfe vero pag. 353. ita commentatur: *Linteum ftatum Gentium videtur fignificaffe: ὀθόνη & ὀθόνιον quandoque cadaveris indumenta fignificant, ut Job. XIX. 20. Mortui, porro, Gentiles in fuis peccatis teterrimum exhalabant odorem, non fecus ac putrida cadavera. Illigatum quatuor angulis linteum oftendit, ftatum illum cæcum non effe cafum, regentisque Numinis expertem; fed & hic fuas partes curare Providentiam, nonnulla Spiritus vi atque efficacia prohibentem, ne gens humana effufis habenis rueret. E cælo vas demittebatur in terram, oftendendo, ad Gentes legationem Petrum obire, aufpice Deo. Admirante Petro, quid hoc fpectaculum fibi vellet, fonuit vox:* Surge, macta, & vefcere: *quo indicaretur, difciplinam Mofis, qua immundorum animalium efu Judæi prohibebantur,*

tur, tandem abrogari, ut Gentes Hebræique suavissima religionis communicatione copulati, colerent imposterum amicitiam, animorumque conjunctionem, quæ non inconcinne usurpati alimenti similitudine designatur. Ita ille. Conf. *Spencerum* de Legibus Hebræorum ritualibus lib. I. c. 5.

Vers. 12. Ἐν ᾧ ὑπῆρχε πάντα τὰ τετράποδα τῆς γῆς καὶ τὰ θηρία) Lege huc *Henr. Lud. Munsteri* Dissertat. de animalibus esu interdictis, quæ recusa est Tomo II. Thesaur. Disputatt. p. 447. sq. τετράποδα τῆς γῆς per Hebraismum dicuntur: Hebræi enim animalia non simpliciter חיות aut בהמות appellant, sed addunt vocem ארץ, ut *Genes.* I. 24. *Deuter.* XXVIII. 26. & sic οἱ LXX. *Jobi* XXXV. 11. τετράποδα τῆς γῆς. Confer *Vorstium* Philolog. Sacr. Part. II. 13. Hoc cum non recogitarent librarii, factum est, ut vox γῆς in nonnullis Codd. perperam omitteretur. Vocem πάντα hic non de singulis generum, sed generibus singulorum dici, atque adeo varietatem non universitatem immundorum animalium hic inferre, per se manifestum est.

καὶ τὰ θηρία) Omittunt hæc Codd. nonnulli & versiones, ideoque *Millio* in Prolegomenis §. 628. ex XI. 6. huc relata videntur. Perperam omnino. Nonne enim certum nobis esse debet, Petrum visionem hanc summa fide enarrasse, adeoque nihil omisisse eorum, quæ oculis vel phantasiæ potius oblata sint? Jam vero Petrus θηρία sibi visa memorat Act. XI. 6. cur igitur hoc loco omitterentur? Accedit, quod singula hæc nomina certum animalium immundorum genus referant, ut ex *Levit.* XI. apparet.

Vers. 13. Ἀναστὰς Πέτρε, θῦσον καὶ φάγε) Alioquin nefas erat Judæis, immundis animalibus in cibum uti, quo spectant instituta Levit. XI. tradita. De ratione illius discriminis a Deo constituti, variæ exstant eruditorum sententiæ, quas diligenter recenset *Jo. Spencerus* de Legibus Ritualibus lib. I. c. V. p. 143. cujus tamen conjecturæ ab aliis explosæ sunt, nominatim *Witsio* in Ægyptiacis, & Cl. *Christfrido Waechtlero* in epistola singulari de discrimine ciborum, Dresd. 1693. fol. edita, in Actis Eruditorum Lipsiens. an. 1693. p. 519. sq. recensita. Illa speciatim quoque ad illustranda hæc verba refertur. Conf. *Joh. Andr. Danzii* Diss. de animalibus esu interdictis, *Jen.* 1687. quæ recusa est in Thesauro Dispp. Tom. II. f. 447. Mireris omnino, Pontificios, & nominatim Baronium, his verbis adeo abuti potuisse, ut illis sæcularem gladium Pontifici vindicare auderent. Sed illis se ex ipsis Pontificiis opposuit *Casp. Scioppius*, in epistola Italice ad Fulgentium Servitam scripta, quam ex apographo MS. exhibet *Colomesius* in Obss. Sacr. p. 6. sqq.

Vers. 14. ὅτι οὐδέποτε ἔφαγον πᾶν κοινόν) *nihil unquam, quod immundum sit, comedi.* Hebraicam dicendi rationem hic ostendit *Vorstius* Part. II. Philolog. Sacr. p. 93. Hebraismus quoque occurrit in significatu vocis κοινὸς, quæ hic *impuri-*

impuritatem infert. Quamvis enim illam pro pure Græca habuerit *Pfochenius* de Stylo N.T. §. 65. Luciani tamen locum, qui ab eo adfertur, minime huc pertinere, ostendit *Moses Solanus* in Dissert. de Stylo N.T. apud *Rhenferdium* in Syntagmate Dissertationum pag. 289. ipsique ὁμοίψηφος *Jo. Alberti* Obss. Sacr. pag. 242.

Vers. 15. Καὶ φωνὴ πάλιν ἐκ δευτέρου) Pleonastice ita dicitur, nec sine ellipsi vocis χρόνου. Ita vero etiam profani Scriptores, ut *Homerus* Il. β v. 276. πάλιν αὖθις, *Euripides* Heraclid. v. 488. & *Plutarchus* in Philopoem. v. 365. καὶ πάλιν ἐκ δευτέρου πεμφθείς. Vide *Jo. Alberti* Observatt. Sacr. p. 240.

μὴ κοίνου) *ne pollue* i.e. ne polluta dixeris, aut existimes. *Hesychius*: μὴ κοίνου, μὴ ἀφάνιζε, μὴ μιαίνε, μὴ ἀκάθαρτον νόμιζε. Sic infra v. 28. ἀκάθαρτον λέγειν. Elegans loquendi modus est apud Auctores, quo aliquem id ipsum *agere* statuunt, quod *dicit*, vel *narrat* tantum. Sic *Levit.* XIII. 3. 13. 17. Sacerdos *leprosum*, quem immundum pronunciat, dicitur μιαίνειν, vicissim vero, ubi pro puro declarat, καθαρίζειν. Conf. *Glassii* Grammat. Sacr. lib. III. Tract. 3. can. 15. Ita vero etiam externi Scriptores, ut *Theophrastus* in Character. c. VIII. ubi νικῶντες dicuntur illi, qui νίκας λέγουσι καὶ διηγοῦνται, i.e. *victorias relatas edisserunt*. Vide ibi *Casaubon.* p. 246. & adde *J. Alberti* l. c.

Vers. 16. ἐπὶ τρὶς) *ter.* *Xenophon* Cyropæd. VII. p. 137. dicit: εἰς τρὶς ἀνέπαυσε τὸ στράτευμα.

Vers. 17. Ὡς δὲ ἐν ἑαυτῷ διηπόρει) Cl. *Starckius* in notis Selectis p. 117. voces ὡς δὲ ἐν ἑαυτῷ, a verbo διηπόρει per στιγμὴν seu comma separandas putat, ut sensus sit: *cum autem, ad se ipsum rediens*, dubitaret Petrus. Ita scilicet infra XII. 11. dicitur: γενόμενος ἐν ἑαυτῷ, quod participium hoc loco putat subintelligendum. Sed non opus est hac ellipsi, cum & meditatio Petri, suscepta jam, inferat, eum ex ecstasi ad se reversum esse, & phrasis illa alias frequenter occurrat. Sic Christus dicitur εἰδὼς ἐν ἑαυτῷ *Joh.* VI. 61. item ἐμβριμώμενος ἐν ἑαυτῷ XI. 38. Ita *Lucas* III. 8. dicit λέγειν ἐν ἑαυτοῖς & XVI. 3. εἶπε δὲ ἐν ἑαυτῷ.

τί ἂν εἴη τὸ ὅραμα) i.e. quid sibi vellet visio hæc? aut, cujus rei signum esset? Confer *Jo. Vorstii* Dissertatt. Sacras lib. III. c. 15. p. 176.

ἐπέστησαν ἐπὶ τὸν πυλῶνα) i.e. *steterunt ad januam*: ut sit ἐπέστησαν pro ἔστησαν. Nam πυλὼν hic non est *vestibulum*, sed *janua*, vel *porta*, ut Apocal. XXI. & alibi. Ita recte *Boisius* in Collatione p. 382.

Vers. 20. Ἀλλὰ ἀναστὰς) Τὸ ἀλλὰ hic significat *igitur*, *itaque*, ut infra XXVI. 16. Particulam hanc eodem sensu adhibet *Xenophon* lib. V. Expedit. Cyrip. 344. & *Arrianus* lib. V. Expedit. c. 26. pag. 230. Ἀλλὰ παραμείνητε, ἄνδρες μακεδόνες καὶ ξύμμαχοι, aliique apud *Elsnerum* p. 408.

Verſ. 21. τὺς ἀπεςαλμένυς ἀπὸ τῦ Κορνηλίυ πρὸς αὐτὸν) Deſunt hæc in Codd. nonnullis, atque ideo gloſſematis, ex v. 32. & infra c. XXII. v. 10. deſumti, loco haberi vult *Millius*, cui recte occurrit *Whitbius* in Examine p. 52. b. *Si deſumatur hoc*, inquiens, *ex cap. XI. 11. cur non hic etiam addatur ἀπὸ Καισαρείας, quod ibi occurrit? Exſtat apud Oecumenium, in margine Chryſoſtomi, & in commate 17. hujus capitis. Itaque vero videtur ſimilius, omiſiſſe quosdam hæc verba ex eo, quod poſt τὺς ἄνδρας ſupervacanea ea eſſe exiſtimaverit.*

Verſ. 22. Ἀνὴρ δίκαιος) i. e. *vir bonus, honeſtus*, quem Græci ἄνδρα καλὸν appellant. Vide *Vorſtii* Philog. Sacr. Part. I. p. 43.

μαρτυρύμενός τε ὑπὸ ὅλυ τῦ ἔθνυς τῶν Ἰυδαίων) Lege ad hæc verba *Seldenum* de Jure Nat. & Gent. p. 174.

ἐχρηματίσθη) Vide de hoc verbo dicta ad *Matth.* II. 12. & 22. item ad *Luc.* II. 26.

Verſ. 24. ἦν προσδοκῶν αὐτὺς) Sic *Luc.* I. 21. καὶ ἦν ὁ λαὸς προσδοκῶν, ubi vide, quæ de Græca hac loquendi ratione ſcripſi.

καὶ τὺς ἀναγκαίυς) Exponit hanc vocem *Jo. Conr. Dietericus* in Antt. Biblic. N. T. Tom. I. p. 93.

Verſ. 25. Ὡς δὲ ἐγένετο εἰσελθεῖν τὸν Πέτρον) *ut primum introiit*, ſcilicet in portam, vel exteriorem partem domus. Nam de ingreſſu in interiora domus, ubi nimirum exſpectabant illum amici Cornelii, paulo poſt loquitur v. 27. his verbis: καὶ συνομιλῶν αὐτῷ εἰσῆλθε. Vide *Boiſii* Collationem p. 383.

Verſ. 28. ὡς ἀθέμιτόν ἐςι) De vocis hujus notione lege *Dieterici* Antt. Biblic. N. T. Tom. I. p. 50.

κολλᾶσθαι ἢ προσέρχεσθαι) Verbum prius κολλᾶσθαι notat: *ſponte ſe & ultro alicui jungere*, ſicut poſterius, *adire aliquem ad opem rogandam vel præſtandam.* Vide *Keuchenium* ad h. l. p. 189. Conf. *Suicerum* Tom. II. p. 134.

ἀλλοφύλῳ) Ἀλλόφυλος & ὁμόφυλος opponuntur apud *Polybium* p. 888. ad quem locum *Caſaubonus* p. 138. Commentarii ſui obſervat, priorem Latinis dici *alienigenam*, poſteriorem vero *in eadem terra genitum.* Adde *Raphelii* Notas Polybian. p. 328. Hic per ἀλλόφυλον Gentilem quemcunque, qui non ſit Judæus vel ortu, vel religione ſaltem, intelligi, oppoſita vox Ἰυδαῖος evincit. Nolim itaque cum *Keuchenio* p. 185. ſq. ſtatuere, Cornelium hic ἀλλόφυλον appellari ideo, quod Philiſtæus fuerit. Quamvis enim οἱ LXX. Philiſtæos ſæpiſſime ἀλλοφύλυς vocent, quod recte idem monet, non tamen ſemper id fieri ea evincunt loca, in quibus Hebræa vox נכרי i. e. *alienigena* per ἀλλόφυλος convertitur. Vide *Jeſ.* II. 6. & VI. 5. Lege etiam, quæ de hac voce commentatus eſt *Dietericus* l. c. pag. 82.

Verſ.

Verſ. 29. Τίνι λόγῳ) *quam ob cauſam*? Similiter *Polybius* p. 1482. πρὸς τίνα λόγον.

Verſ. 30. ἤμην νηςεύων, καὶ τὴν ἐννάτην ὥραν προσευχόμενος) Ex jejunio hoc & precatione, hora diei nona, ſeu noſtra tertia pomeridiana, ſuſcepta, patet, Cornelium ritibus & inſtitutis Judaicis adſueviſſe. Confer de hora illa precum ad III. 1. Vocem νηςεύων Codd. quidam & verſiones, inter quas etiam *Coptica* eſt, omittunt, quam propterea Millius in Prolegom. §. 879. ex margine, inſtar ſcholii primum poſitam, in contextum relatam eſſe exiſtimat, ideo, quod alias jejunium & preces in Scriptura S. conjunctim memorentur. Cur vero non par ſit credere, Cornelium precibus, quas ad ritum Judæorum hora nona faciebat, jejunium ex eorundem conſuetudine addidiſſe?

ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ) *in veſte candida*. Vide *Caſaubon*. Exercit. Anti-Baron. p. 603. *Suicerum* Tom. I. p. 1215.

Verſ. 31. Καὶ φησι) Quæ paulo ante v. 4. ſqq. ſunt expoſita, ea nunc iisdem fere verbis, non ſine evidentia & energia repetuntur, raro quidem apud exteros Scriptores exemplo, ſed non prorſus tamen nullo. Ejusmodi unum ex *Polybio* p. 1130. affert Rev. *Raphelius* in Notis Polybian. p. 329.

Verſ. 32. ὃς παραγενόμενος λαλήσει σοι) Deſunt hæc in Codd. nonnullis & verſionibus, atque ideo *Millio* in Prolegom. §. 1349. commentarii loco ex v. 22. huc acceſſiſſe videntur, ubi Cornelius juſſus dicitur a Deo, accerſere ad ſe Petrum, *ut audiret verba ab ipſo*. Miror, *Millium*, hæc ſuſpicantem, non potius cogitaſſe de v. 6. ubi ad Cornelium dicitur de Petro: οὗτος λαλήσει σοι, τί σε δεῖ ποιεῖν. Nam iſta quidem verba propius ad noſtra hæc accedunt. Sed videbat forte Vir doctus, eadem illa hanc phraſin ut genuinam adſtruere, quia, quæ Cornelius ex Angeli ore acceperat, ea h. l. fideliter repetit. Abſit itaque, ut in paucorum Codicum gratiam interpolationem ſomniemus.

Verſ. 33. σύ τε καλῶς ἐποίησας παραγενόμενος) Καλῶς ποιῆσαι Græci eleganter dicunt, quorum factum probant laudantque, ut *Xenophon* Cyropæd. lib. VII. p. 149. Ἀλλὰ σὺ μὲν καλῶς ποιεῖς, ὦ Κροῖσε, προνοῶν, item p. 153. & alibi. Et ſic quoque Latini dicunt in eodem argumento: *bene feciſti*. Lege loca ejusmodi apud *Raphelium* in Notis Xenophonteis p. 156.

Verſ. 34. ὅτι οὐκ ἔςι προσωπολήπτης ὁ Θεός) Verſio *Montenſis* Gallica verterat: *que Dieu n'a point d'egard aux diverſes conditions des perſonnes*; h. e. quod Deus non habeat reſpectum ad diverſam hominum conditionem. Eam interpretationem, tanquam ad deprimendam de prædeſtinatione electorum gratuita doctrinam pertinentem, notaverat *Malletus*, contra quem de-

fenditur ab *Arnaldo* in Continuatione novæ defensionis p. 213. seqq. De προσωποληψία illa confer *Dodwellum* de Jure Laicorum p. 126. sq.

Vers. 36. Τὸν λόγον, ὃν ἀπέστειλε τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ) *Est bic locus*, inquit *Boisius* in Collatione pag. 384. *unus e difficilioribus. Igitur non est mirum, si aqua bic, quod dici solet, bæserit Interpretibus. Nullam interpretationem legi, quæ omni ex parte mihi satisfaciat. Multa adbibentur remedia, sed quæ conatum potius medendi ostendant, quam rem ipsam præstent. Aliis in principio bujus versus est* enallage *casus*, Accusativus *pro* Nominativo; *aliis* ellipsis præpositionis κατὰ. *Sunt vero, qui malint,* τὸν λόγον *cum verbo* οἴδατε *proximi versus initio conjungi, ut ordo sit:* τὸν λόγον, ὃν ἀπέστειλε τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ &c. ὑμεῖς οἴδατε i. e. sermonem, quem misit filiis Israël &c. vos nostis. *Rursus Erasmus bic a vetere Interprete dissentit, Beza ab Erasmo, Piscator a Beza.* Ipse *Boisius* paulo post ita statuit: *Cornelius dixerat ad Petrum* v. 33. Nunc omnes nos in conspectu Dei adsumus, ut audiamus omnia, quæ tibi præcepta sunt a Deo. *Nonne ergo series orationis postulat, veluti dictante Cornelio, ut ante* τὸν λόγον *ponatur:* ἀκούσατε οὖν, *aut tale quid? Sic idem Petrus supra II. 22. de Cbristo verba facturus ait:* ἀκούσατε τοὺς λόγους τούτους. Ita igitur verba hæc reddi cupit: (*Audite igitur*) *sermonem illum, quem misit* (i. e. promulgavit) *filiis Israël, annuncians pacem per Jesum Cbristum; bic est omnium Dominus.*) Hoc ait esse procemium orationis, quod ratio ipsa protinus excipiat. Ex his apparet, in quam diversa abeant Interpretes. Scilicet *Erasmus* τὸν λόγον connectit cum ὑμεῖς οἴδατε, sic, ut οὗτός ἐστι πάντων κύριος per parenthesin interjiciatur, ac mox sequatur; τὸ γενόμενον ῥῆμα, *verbum*, inquam, *quod factum est*. Eandem tuetur *Erasmus Scbmidius*, & novissime *Hombergius* in Parergis pag. 181. sed aversatur *Beza* & *Boisius* l. c. p. 387. ideo, quod frustra accersitus fuisset Petrus, si id jam antea cognovissent. Sed responderi ad hoc ex superioribus ad v. 2. allatis potest. Neque enim Cornelius cum suis Messiam doctrinamque, quæ ad illum pertinebat, ignorabat penitus, sed de eodem, & speciatim resurrectione ejus instituendus tantum amplius erat, & in iis, quæ vel ex Scriptura, vel ex aliorum sermonibus hauserat, confirmandus.

Alii κατὰ ante τὸν λόγον subaudiunt cum *Beza* & *Knatcbbullo*, adductis locis variis, in quibus eadem particula alias reticetur. Illi interpretationi *Boisius* p. 388. idem tantum opponit, quod proxime superiori, cui proinde eadem ratione commode potest responderi.

Aliis vox τὸν λόγον veluti Accusativus absolute positus, locum integri membri vel præpositionis obtinere videtur, cujusmodi exempla alias passim exstant in Sacris Scriptoribus Hebræis & Græcis. Vide quæ scripsimus ad Joh. VIII. 25. Profanos vero similiter loqui consuevisse, ex *Græcis* ostendit *Perizonius* ad Æliani Var. Histor. II. 13. & Rev. *Rapbelius* in Notis Xenophonteis ad *Luc.* XXI. pag. 113. ex *Latinis* autem *Vecbnerus* in Hellenolexia, *Perizonius* ad Sanctii Minervam pag. 545. & *Grotius* ad Lucam l. c.

Conf.

Conf. Cl. *Maji* Observ. Sacr. lib. III. p. 47. Itaque sensus foret: *Ad sermonem filiis Israel missum quod attinet* &c. *est ille omnium Dominus.* Ita rem definit *Keucbenius* p. 190.

Atque his denique proxime accedunt, qui existimant, antecedens λόγον poni hic in casu relativi ὃν (ἀπέστειλε) hoc sensu: *Verbum, quod misit Deus filiis Israel, omnium est dominus.* Utrique hi vocem λόγος de Jesu, seu verbo substantiali ut plurimum accipiunt, quem hoc nomine a Johanne c. I. appellari constat. Atque hanc sententiam adoptavit *Heinsius*, præ ceteris vero ornandam suscepit *Jo. Marckius* in Exercitatt. Biblicis p. 765. sqq. Sed recte his opponit se Cl. *Majus* l. c. p. 48. qui hoc modo verba εὐαγγελιζόμενος εἰρήνην διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ex abundanti adposita fore, nec habere, quo respiciant, recte observat. Dicendum enim potius fuisset: εὐαγγελιζόμενος δι᾽ αὐτοῦ (puta λόγου) εἰρήνην. Nimis sane manifeste λόγος heic sejungitur a Christo, omnium domino, ut illa duo confundere minime liceat.

Multo minus vero probandum puto sermonis supplementum, quod hic affert *Boisius*, tam confidenter, ut id in textu olim fuisse suspicetur. Ita enim l. c. p. 388. *Eo magis mihi probatur hæc conjectura, quia in exemplaribus manu exaratis hæ duæ dictiones:* ἀκούσατε οὖν. *facile perire potuerunt propter similitudinem, quam habent cum* αὐτῷ ἐστι τὸν. *Imperitus enim librarius suspicari potuisset,* ἀκούσατε οὖν *nihil aliud esse, quam inutilem repetitionem præcedentium dictionum, a manu aberrante profectam, ac proinde omitti oportere.* Nimis propere ruit in hanc conjecturam Vir doctus. Tanta enim inter voces αὐτῷ ἐστι τὸν & ἀκούσατε οὖν non est affinitas, ut tam facile inter se confundi, & altera phrasis pro altera accipi potuerit. Et non tam dormitare, quam nihil penitus agere oportuisset librarium, qui in tam crassum errorem incideret. Itaque existimo, rectissime illos agere, qui vel ante τὸν λόγον præpositionem κατὰ subintelligunt, quod & *Boisio*, si superior ista conjectura admittatur, præ ceteris placet, vel τὸν λόγον integram propositionem conficere existimant, in eum sensum: *Quod attinet sermonem, quem misit filiis Israelis, evangelizans pacem per Jesum Christum (hic, qui est omnium Dominus) vos scitis verbum, quod factum est* &c. Ita ὁ λόγος idem erit, quod τὸ γενόμενον ῥῆμα v. 37. Ne cui vero mirum videatur, quod λόγος dicatur ἀποστέλλεσθαι, quod alias de *personis* dici consuevit, efficiet locus huic parallelus, qui exstat infra XIII. 26. ubi Paulus ita ad Judæos: Ἄνδρες ἀδελφοὶ, υἱοὶ γένους Ἀβραὰμ, καὶ οἱ ἐν ὑμῖν φοβούμενοι τὸν Θεὸν, ὑμῖν ὁ λόγος τῆς σωτηρίας ταύτης ἀπεστάλη. Ex quo loco simul apparet, concionem hanc primum per Johannem, de quo ibi v. 24. mentio fit, tanquam προκηρύξαντα, ad Judæos perlatam esse, deinceps vero a Christo ipso continuatam, quemadmodum etiam h. l. v. 37. Johannis præconium commemoratur.

Vers. 37. ὑμεῖς οἴδατε τὸ γενόμενον ῥῆμα) *Vulg.* reddit: *quod factum est: Beza* & *Piscator* vero: *quod gestum est: Boisius* denique: *quid factum sit.* Illi scilicet

licet τὸ ῥῆμα *de re*, non autem sermone, ex Hebraismo accipiunt. Minus convenienter. Hic enim de *sermone* prædicato agi vel ex sequente voce ἀρξάμενον patet, inprimis si conferatur c. I. v. 22. ubi Christus ἀρξάμενος h.e. *initium fecisse* munere doctoris inter Judæos fungendi post baptismum a Johanne receptum, dicitur. Conf. *Luc.* XXIV. 47. καὶ κηρυχθῆναι ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτῦ- ἀρξάμενον ἀπὸ Ἱερυσαλήμ. Ita Johannes X. 35. ait: πρὸς ὓς ὁ λόγος ἐγένετο.

Vers. 38. Ἰησῦν τὸν ἀπὸ Ναζαρὲθ, ὡς ἔχρισεν αὐτὸν ὁ Θεὸς) Commemoratur hic summa concionis promulgatæ, nempe Jesus Nazarenus in quantum unctus est a Deo, h. e. unctus in Sacerdotem, Prophetam & Regem, adeoque constitutus, ut sit Messias. Ita voces Ἰησῦν τὸν ἀπὸ Ναζαρὲθ proxime referuntur ad ὑμεῖς οἴδατε, nec opus admodum est, ut cum aliis, nominatim *Grotio* ad h. l. & *Elsnero* p. 273. statuamus, τὸ ὡς, ante verbum ἔχρισε positum, initium facere debere versus 38. ὡς Ἰησῦν τὸν ἀπὸ Ναζαρὲθ ἔχρισε. Quamvis enim synchysin ejusmodi non putem divina scriptione indignam, quippe cujus exemplum manifestum exstat Rom. XII. 3. ἑκάστῳ ὡς ὁ Θεὸς ἐμέρισε, hic tamen ea non opus esse libens largior *Wokenio* in Pietate Critica Part. II. p. 11. quia sine ea verborum contextui ratio sua egregie constat, & præterea sic disertius & luculentius innuitur, quidnam de Jesu Nazareno inprimis sit tenendum, nempe quod promissus a Prophetis *Messias* sit, seu *Christus* a Deo constitutus. Ceterum de unctione illa a Deo facta diversas Patrum sententias lege apud *Petavium* de Incarnatione lib. XI. c. 8. Tom. II. Opp. p. 56.

τὺς καταδυναςευομένυς ὑπὸ τῦ Διαβόλυ) *qui opprimerentur a Diabolo.* Ea voce simili sensu utuntur οἱ LXX. *Ezech.* XVIII. 12. & Scriptor libri Sapientiæ cap. II. 10.

Vers. 39. ἔν τε τῇ χώρᾳ τῶν Ἰυδαίων καὶ ἐν Ἱερυσαλὴμ) Sic supra I. 8. ἔν τε Ἱερυσαλὴμ καὶ ἐν πάσῃ τῇ Ἰυδαίᾳ, & *Job.* III. 34. ubi vide, quæ scripsimus.

Vers. 41. Οὐ παντὶ τῷ λαῷ, ἀλλὰ μάρτυσι τοῖς προκεχειροτονημένοις) Cur Dominus se discipulis tantum, non item Judæis omnibus & toti populo post resurrectionem conspiciendum dederit, disquirunt eruditi, atque consilium hoc a calumniis *Spinosæ* & aliorum egregie vindicant. Lege inprimis *Allixium* in Judicio Ecclesiæ Judaicæ adversus Unitarios p. 378. versionis German. & *Witsium* in Symbolum Apostolicum Exercit. XIX. §. 27. ex nostratibus vero B. *Gottfr. Olearium* in eximio tractatu vernaculo de Jesu vero Messia & *Amelium* Parte II. p. 765. seq. Scilicet pœnæ loco id habere debebant pervicaces hostes Christi, quibus diserte comminatus erat, se ab ipsis non amplius conspectum iri. Iidem vero pro pertinacia sua vel sic Christi

Christi verbis fidem habituri non fuissent, sed potius omnia ad illusionem quandam vel phantasiæ vitium relaturi.

Vers. 42. ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ ὡρισμένος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ κριτὴς ζώντων καὶ νεκρῶν) Spectat huc Vener. D. *Gœtzii* Exercitat. de Annunciatione Judicii extremi a Christo exercendi, *Lubec.* 1713.

Vers. 43. Τούτῳ πάντες οἱ Προφῆται μαρτυροῦσιν &c.) Lege huc singularem Dissertat. Rev. *Georg. Henr. Gœtzii* de remissione peccatorum per Christum, fide apprehensum consequenda, *Lubec.* 1707. & adde quos h. l. citat B. *Carpzovius* in der Fruchtbringenden Gesellschafft Part. I. p. 1164. Prophetas omnes de Christo testari, Judæi *Karaitæ* palàm profitentur. Locum ejusmodi legi apud *Triglandium* in Diatribe de Karæis p. 121.

Vers. 44–46. Pericopen his commatibus comprehensam illustrat laudatus *Gœtzius* in Exercit. Theol. de Spiritus S. effusione in domum Cornelii. Conf. Unschuldige Nachrichten an. 1712. p. 1061. sqq.

ἐπέπεσε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπὶ πάντας τοὺς ἀκούοντας τὸν λόγον) *Heinsius* hic cum Vulgato verterat, Spiritum S. *cecidisse* super audientes. Ibi Latinitatem forte curiosus desiderat *Jo. Crojus* in Observatt. Sacr. p. 223. eadem opera ostendens, *Epiphanium* ea, quæ hic dicuntur, non ad solum Cornelium, quem præ cæteris tamen appellet, sed ad reliquos quoque referre, quod secus tradiderat *Heinsius.*

Vers. 46. λαλούντων γλώσσαις) scilicet ἑτέραις vel διαφόροις. Vide Cl. *Schœtgenium* ad Lamb. Bos de Ellipsi p. 49.

Vers. 47. 48. Μήτι τὸ ὕδωρ κωλῦσαι δύναταί τις τοῦ μὴ βαπτισθῆναι) Lege huc laudati D. *Gœtzii* Exercitat. Theolog. de Baptismo in domo Cornelii peracto, *Lubec.* 1713.

CAP. XI.

Vers. 2. διεκρίνοντο πρὸς αὐτὸν) *altercabantur cum eo.* Vide *Boisii* Collationem p. 390.

οἱ ἐκ περιτομῆς) i. e. *circumcisi* seu *Judæi.* Sic *Xenophon* Cyropæd. lib. VII. p. 139. οἱ ἐξ ἐναντίας, *qui ex adverso*, i. e. adversarii.

Vers. 3. ὅτι πρὸς ἄνδρας ἀκροβυστίαν ἔχοντας εἰσῆλθες καὶ συνέφαγες αὐτοῖς) Arctiore ejusmodi consuetudine cum Gentilibus suos interdixerunt Judæi Doctores. Vide, quæ diximus ad Joh. IV. 27. Confer *Seldenum* de Jure Nat. & Gent. lib. II. c. 5. p. 180. *Jo. Jac. Schudtium* in Compend. Hist. Judaic. lib. I. c. 14. p. 146. & *Alethæum* in der Erläuterung Tom. I. p. 134. sqq. Particulam ὅτι

Codd. quidam & versiones omittunt, *Vulgatus* vero & *Hieron.* per *quare* convertunt, quasi legissent τί, quod & in explicatione sua hic adhibuit *Chrysostomus.* Atque hinc conficit *Boisius* in Collatione p. 390. fuisse olim Codices, qui legerent τί; sed cum nullus talis huc dum in tanta copia allatus sit, præstat omnino, illud τί ab expositione natum profiteri.

Vers. 4. Ἀρξάμενος δὲ ὁ Πέτρος ἐξετίθετο) i. e. ἤρξατο ἐκτιθέναι, ut *Luc.* XXIV. 27. ἀρξάμενος -- διηρμήνευεν. Confer *Elsnerum* ad Luc. III. 23. p. 196.

Vers. 6. καὶ τὰ θηρία) Hæc *Syrum* & *Epiphanium* in Hæresi Cerinth. p. 112. omittere monuit *Millius.* Sed memoriæ hoc vitio, non autem auctoritate Codicis ullius, factum esse, ex eo apparet, quod idem *Epiphanius* contra Ebionitas p. 146. disputans meminerit τῆς ὀθόνης τῆς ἐχούσης πάντα ἐν αὐτῇ θηρία τε καὶ κτήνη, ἑρπετὰ καὶ πετεινά.

Vers. 12. μηδὲν διακρινόμενον) Desiderantur hæc in Codd. nonnullis MSS. quæ, cum nemo facile sublaturus fuisse videatur, si in Codice scripta fuissent, propterea ex X. 10. huc postliminio inserta credit *Millius.* Sed recte *Whitbius* in Examine p. 53. a. *Hoc res omnino postulat*, inquit, ut vere Petrus repeteret, quæ ei a Spiritu S. dicta esse refert ibi Evangelista, *suntque tanti ponderis ad Petrum a crimine, ipsi imputato, vindicandum, ut sine summa ἀβλεψία in hac rerum gestarum enarratione omitti non potuerint.*

ἦλθον δὲ σὺν ἐμοὶ καὶ οἱ ἓξ ἀδελφοὶ οὗτοι) Hinc *Pet. de Marca* de Concordia Sacerdotii & Imperii VI. 26. 3. moris factum esse putat, ut olim Presbyter accusatus sex testibus productis purgare se teneretur.

Vers. 15. ἐν ἀρχῇ) Non esse hic Hebraismum, sed *Lucianum* in Macrobiis itidem dicere ἐν ἀρχῇ πραγματείας, monuit *Pfochenius* de Stylo N. T. §. 68. Non negabo rem ipsam, sed locum Luciani ad eam probandam vix admiserim, cum ibi vox πραγματείας voci ἀρχῇ addatur, hic vero ἀρχή simpliciter ad imitationem Hebraici ראשית posita dissentientibus videatur.

Vers. 16. ὑμεῖς δὲ βαπτισθήσεσθε ἐν Πνεύματι ἁγίῳ) Vide scripta ad *Matth.* III. 11.

Vers. 17. ἐγὼ δὲ τίς ἤμην δυνατὸς κωλῦσαι τὸν Θεόν;) *Ego quis eram & qua potentia præditus, ut Deum prohiberem?* Ita vertit *Boisius* p. 390. cujus hæc præterea verba accipe: *Ait Beza*, τὸ ἤμην *penitus esse poëticum: sed, pace tanti viri dixerim, non sic est poëticum, ut non sit ejus etiam dialecti, qua usi sunt Græci Bibliorum Interpretes. Quoties enim apud illos occurrit* ἤμην, *pro* ἦν i. e. *eram? veluti Proverbiorum VIII. nimirum ter, ubi Sapientia de sese prædicat:* ἡνίκα ἡτοίμαζε τὸν οὐρανὸν, συμπαρήμην αὐτῷ, & ἤμην παρ' αὐτῷ, & ἐγὼ ἤμην ᾗ προσέχαιρεν. Consentit cum illo *Rich. Simon* in Histor. Critica N. T. lib. II. p. 311. Idem *Beza*

Beza expungi vult τὸ δὲ, quod etiam a MSS. quibusdam abest. Sed & hoc perperam fieri, apparet ex eo, quod altera pars periodi apud Græcos frequentissime per hanc particulam annectitur priori, etiamsi in priori membro ea jam exstet. Sic *Arrianus* de Expedit. VII. 14. 2. ἐπεὶ δὲ ἐξηγγέλλετο Ἀλεξάνδρῳ ὅτι κακῶς ἔχει Ἡφαιστίων, ὁ δὲ παρ' αὐτὸν ἐλθὼν σπουδῇ, οὐκέτι ζῶντα κατέλαβεν. Conf. VII. 17. 5. Adde *Raphelii* Notas Polybian. p. 329. sq. qui Latinos quoque sic loqui ostendit: v. c. *Cicer.* lib. VII. Familiar. ep. 33. *Quas si, ut volumus, exceperimus, ego vero multam salutem & foro dicam & curiæ.* In his & aliis ejusmodi locis particula *vero* vim habet confirmandi cum singulari emphasi & elegantia. Pertinet quoque huc inprimis locus Arriani Differt. Epictet. p. 269. λέγε αὐτῷ, ἂν σοι δόξῃ, σὺ δέ τίς εἶ; h. e. *dic ipsi, si tibi videtur, tu vero quis es?*

Vers. 18. ἡσύχασαν) i. e. *acquieverunt*, seu non amplius altercabantur *Vulg.* habet: *tacuerunt*; quod hic non admodum bene quadrare videtur, quia statim sequitur: ἐδόξαζον λέγοντες.

Ἄρα γε καὶ τοῖς ἔθνεσιν ὁ Θεὸς τὴν μετάνοιαν ἔδωκεν εἰς ζωὴν) Hinc intelligitur, primos nascentis Ecclesiæ Christianos nondum certos fuisse de gentibus ad doctrinam salutarem præconio verbi perducendis; quod ipsum Petrum quoque singulari revelatione, hic iterum commemorata, edoceri oportebat. Scilicet placuit Deo, veritatem hanc procedente tempore, &, ubi circumstantiæ rerum requirerent, suorum animis patefacere secundum Pauli effatum 1 *Cor.* XII. 7. Ἑκάστῳ δὲ δίδοται ἡ φανέρωσις τοῦ πνεύματος πρὸς τὸ συμφέρον. Vide huc *Herm. Witsium* in Miscellaneis Sacr. lib. I. c. XXII. p. 339. ubi simul ostendit, hoc omne nequaquam infallibilitati Apostolorum, quam nonnulli hinc oppugnandam sibi sumere ausi sunt, fraudi esse.

Vers. 19. ἀπὸ τῆς θλίψεως, τῆς γενομένης ἐπὶ Στεφάνῳ) Τὸ ἐπὶ Στεφάνῳ *Erasmus*, *Beza* & *Castalio* vertunt: *ob Stephanum.* Alii post Vulg. interpretem: *sub Stephano.* Sic autem legendum fuisset ἐπὶ Στεφάνου, ut *Luc.* IV. 27. ἐπὶ Ἐλισσαίου & hic infra v. 28. ἐπὶ Κλαυδίου Καίσαρος, unde & nata videtur lectio hæc in Codice *Alex.* Itaque vertendum potius est: *post Stephanum.* Ἐπὶ enim cum Dativo sæpe notat *post*, ut apud *Eunapium* in Himerio pag. 129. ἐπὶ θυγατρὶ δὲ τελευτᾷ, *post filiam vero moritur*, & *Ælianum* Var. Hist. XII. 1. ἐπὶ πολλοῖς ἐβιάσθη, *post multa coacta est*; ubi conf. notas *Perizonii*, comparatis *Lamb. Bos* Animadvers. pag. 63. Sensus itaque est, *post Stephani* tempus vel cædem exortam esse hanc, quæ memoratur, calamitatem, quod ipsum traditur cap. VIII. v. 1. Hæc concinne monet *Jo. Alberti* in Obss. Sacr. p. 243. sq. Idem *Salmasius* existimasse videtur, quando in Ossilegio Linguæ Hellenist. p. 369. monet, discipulos *post cædem Stephani* dissipatos esse.

Vers. 20. ἐλάλουν πρὸς Ἑλληνιστάς) Nonnulli Codd. legunt καὶ, quod non

obscure probat *Salmasius* in Ossilegio L. Hellenist. p. 368. Alii addunt verbum συνεζήτει, ἐλάλει καὶ συνεζήτει. Utrumque ex interpretamento natum puto, quo non opus esse contextus ipse evincit. Desumtum vero est ex *Actor.* IX. 29. ubi de Paulo dicitur : ἐλάλει τε καὶ συνεζήτει πρὸς τοὺς Ἑλληνιστάς. Majoris momenti ea est varietas, quando Cod. *Alex.* item *Vulg. Syrus*, *Arabs* & *Æth.* pro Ἑλληνιστὰς legunt Ἕλληνας, quod certo hic præferendum esse contendit *Grotius*, Græcos ortu hic intelligendos esse existimans. Sed unius Alexandrini Codicis auctoritas, tot aliis in nostra lectione consentientibus, opponi non debet. Versiones vero allatæ non tam probant, earum Auctores ita legisse, quam potius vocem Ἑλληνιστὰς ita interpretandam censuisse, ut Gentiles Græci per eos intelligantur. Atque hos etiam nonnulli recentiorum per Ἑλληνιστὰς indicari censent, ut *Witsius* in Meletematibus Leidensibus pag. 38. qui in lectionem Ἕλληνας propendens, statim subjungit: *Vel si omnino recepta lectio tenenda sit, laudem Drusii observatio meretur, Hellenistarum vocem alio hic significatu* (ut scilicet non inferat eos, qui Biblia Græce legerent) *sumi. Nam ut Judæi, qui Græca Lingua in Synagogis utebantur, Hellenistæ dicuntur; sic forte & gentes illæ, quæ primæ Christo nomen dederunt. Utut sit, Gentiles hic intelligi, res ipsa clamat. Atque hoc primum exemplum est Evangelii publice gentibus prædicati.* Equidem non perspicio, cur per Ἑλληνιστὰς Græcos Gentiles hic omnino intelligere debeamus, nec potius, qui, ortu quidem Gentiles, sacra Judæorum proselytorum instar complexi sint. Hanc enim communem vocis notionem esse, supra ad VI. 1. affirmavimus. Nec obstat, quod proselyti ejusmodi ceteris Judæis, ortu talibus, fuerint permisti, atque adeo h. l. a τοῖς Ἰουδαίοις distingui non debuerint? Quamvis enim negare nolim, & Judæos & Hellenistas in societatem sacrorum & cultus divini nonnunquam coiisse, id tamen semper & ubique locorum in Judæa ita evenisse quis præstabit? Sane vel ex Act. cap. VI. ubi præcipitur de murmure & indignatione Hellenistarum adversus Hebræos, tanquam quibus se postponi etiam in Christianismo existimabant, patere potest, Hebræos conversos alieniore animo a ceteris fuisse. Ex quo conjectura fat liquida nascitur, multo magis Judæos sibi cavisse, quo minus idem ex utrisque, Judæis scilicet gente, & Græcis proselytis, cœtus nasceretur. Confer in eandem sententiam *Sam. Basnage* in Exercitatt. Anti-Baronianis pag. 6. sq. Interim confer, quæ supra de Hellenistis ad VI. 1. commentati sumus, & quæ ad h. l. attulit *Salmasius* de Lingua Hellenist. pag. 187. & in Funere Linguæ Hellenist. pag. 21. seq. ubi postremo loco Ἑλληνιστὴν interdum idem esse, quod Ἕλληνα seu Græcum Gentilem existimat, his usus verbis: *Si Linguam & sermonem Græci Latinus exprimit, etiam* ἑλληνίζει, *græcatur, sed voce. Si* θρησκείαν *Hellenis & Græci amplectatur, & sequatur aliquis, tum quoque* ἑλληνίζειν *dicitur. Inde* Ἑλληνιστὴς *etiam pro gentili & idololatra, quia talis superstitio Græcorum, i. e. Hellenum. Quem & Ἑλληνισμὸν propterea appellat Epiphanius, ut* Σκυθισμὸν *Scytharum religionem,* Ἰουδαισμὸν *Judæorum. Atque ita de ceteris. Ex eo* Ἑλληνισταὶ *non unius generis*

generis veniunt. Sunt, qui religionem Græcorum sectantur, sunt, qui sermone eorum utuntur. Ἀπὸ χριστιανῶν Ἑλληνιστὴν *Ammonium factum Suidas dixerat, i.e. ex Christiano sectæ vel superstitionis Græcanicæ & Gentilis studiosum.* Ita ille. Quæ certe, nisi alia ratione sensui verborum consuli posset, amplecti mallem, quam cum aliis in mutationem vocis per Ἕλληνας, repugnante omni antiquitate, consentire. *Jo. Boisius,* τῇ ὑποθέσει δουλεύων, in Collatione p. 393. per Ἑλληνιστὰς Judæos, sed Græce loquentes, intelligit, hoc usus argumento: *Dispersi fratres, (sicut ex superiore versu liquet) ad nullos loquebantur, nisi ad Judæos: at dispersi fratres, hoc versu teste, loquebantur ad Hellenistas. Ergo Hellenistæ illi erant Judæi.* Sed in promtu est, quod ex iisdem commatibus recte inter se comparatis possit responderi. Commate enim 20. Cyprii quidam & Cyrenenses Christiani diserte opponuntur illis, qui v. 19. commemorati erant. Ἦσαν δέ τινες &c. Itaque horum aliud fuit institutum, quam priorum v. 19. Priores autem non nisi ad Judæos, i.e. ortu & gente tales loquebantur. Igitur hi posteriores prædicabant talibus, qui non essent fratres, h. e. gente Judæi.

Vers. 23. τῇ προθέσει τῆς καρδίας προσμένειν τῷ Κυρίῳ) Ita *Herodianus* lib. I. c. 7. dicit, ποθεῖν τινα ἀληθεῖ ψυχῆς διαθέσει h. e. *verissimis affectibus aliquem amare*, & *Demosthenes* de falsa legatione p. 22. παντὶ θυμῷ φιλεῖν.

Vers. 26. Ἐγένετο δὲ αὐτοὺς ἐνιαυτὸν ὅλον συναχθῆναι ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ) *Quid hic* συνάγεσθαι ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ, *quam congregari ibi loci, ubi est Ecclesia? Quare Ecclesia hic non notat populum solum, quia populus non est absque loco: neque etiam locum solum, quippe qui* ἐκκλησία *dici non potest absque populo; sed populum in certo loco congregatum.* Ita *Camp. Vitringa* lib. I. Part. I. c. 3. de Vetere Synagoga p. 112.

χρηματίσαι τε πρῶτον) i. e. ὀνομασθῆναι, προσαγορευθῆναι, λεχθῆναι, *appellari.* Interdum verbum χρηματίζω in forma activa *appellandi* notione occurrit, sed rarius, ut apud *Basilium* homilia in Ps. VII. qui & χρηματισμὸν de *nomine* seu *appellatione* usurpat, quod & fit a *Laertio* in Solone. Confer *Boisium* in Collatione pag. 394. De verbo hoc diligenter commentantur ex profanis & Sacris Scriptoribus *Ezech. Spanhemius* ad Juliani Orationes pag. 122. *Ægid. Menagius* ad Diog. Laertium pag. 26. b. *Jo. Henr. Lederlinus*, Prof. Argentorat. in Observationibus quibusdam Miscellan. ad Actus Apostolicos §. 3. Rev. *Georg. Raphelius* in Notis Polybian. pag. 10. sq. & 331. *Jo. Jensius* in Ferculo Literario pag. 39. & *Lamb. Bos* in Exercitatt. ad N. T. pag. 107. Confer, si placet, notas meas ad Tom. II. Anecdotorum Græcorum p. 47. & quæ supra ad *Luc.* II. 26. scripta sunt, nec non *Amelium* Part. II. pag. 508. Nonnulli, speciatimque *Jo. Gregorius* in Obss. Sacris pag. 162. id hac voce efficaciter indicari putant, quod appellatio hæc solenniter facta sit, & cum publica auctoritate, atque adeo cum universali Ecclesiæ consensu. Ita enim Imperatores ajunt dici se ἑαυτοὺς χρηματίζειν, cum publice in provinciis

pronunciari curabant, quo se nomine nuncupari vellent. Confer *Polybium* p. 559. Cum inde novæ *Æræ* initium capi soleret, factum est ut χρηματισμὸς de *Æra* usurparetur. Sic passim χρηματισμὸς Ἀντιοχέων Æram Antiochenam designat, quam in rem lege Scaligerum in Notis ad Eusebii Chronic. p. 430. Pro adstruenda hac sententia multum faceret, si genuinus esset Canon I. Apostolicus, qui inter ceteros Synodo Antiochenæ tribuitur. Is enim his verbis conceptus est: *Ut credentes in Dominum Jesum, quos illius temporis homines vocabant Galilæos, Christiani deinceps vocarentur.* Hinc confici poterat, titulum hunc non ab arbitrio particulari, aut consuetudine, sed a solemni Apostolorum instituto & mandato profectum esse. Sed constat hodie eruditis, Synodum illam Antiochenam ab antiquitate ignorari, & Canones illos sublestæ fidei esse, quos & propterea a *Franc. Turriano* primum in lucem prolatos, & ab aliis inter Concilia repetitos *Jo. Harduinus* in Collectione sua Conciliorum, ut spurios, prætermisit. Lege in eandem sententiam *Jo. Dallæum* lib. III. de Pseudepigraphis Apostolicis cap. XXII. sqq. & *Ant. Pagi* in Critica Baroniana ad A. C. 56. Itaque merito hæc observatio de solemni hac nominis promulgatione subtilis magis, quam solida visa est *Herm. Witsio* in Meletematibus Leidensibus p. 39. Non contemnenda interim est *Lamb. Bos* observatio, contendentis, τὸ χρηματίζειν idem esse, quod, *ex factis suis hanc vel illam appellationem sibi comparare & acquirere.* Itaque Christi asseclis nomen Christianorum ex eo hæsisse putat, quod per integrum annum Antiochiæ magnam hominum turbam dogmate Christi imbuerint.

ἐν Ἀντιοχείᾳ) De Ecclesia Antiochena, ejusque originibus inter multos Antiquitatis Ecclesiasticæ Scriptores & promos condos lege *Sam. Basnagium* in Exercitatt. Anti-Baronianis p. 249. sqq. & doctissimum *Fabricium* nostrum in Parte III. Codicis Apocryphi N. T. p. 336. sqq. ubi Canones IX. Synodi Antiochenæ, de qua modo diximus, exhibentur.

τοὺς μαθητὰς χριστιανούς) Nomen hoc Latina non Græca forma a *Christo* formatum & deflexum esse in Annalibus suis existimat *Usserius*. Pertinet huc *Taciti* locus in Annalibus IV. 44. *Quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat: auctor nominis ejus Christus.* Nonnulli *Christianos* vocabant, repugnantibus Ecclesiæ Doctoribus. Vide *Lactant.* Institut. Divin. IV. 7. & *Tertulliani.* Apolog. 2. ad Senatum. Adde Cl. *Mich. Rossali* Observationem de Christo in Chrestum commutato, *Groning.* 1717. 8. Patrum de hoc nomine cogitata lege apud *Suicerum* Tom. II. p. 1538.

Cur vero, quo tempore, & qua occasione, quo item Divini Numinis nutu Christianorum nomen cœtui sacrato impositum sit, diligenter ab aliis disputatum fuit. Illorum cogitata in summam relata sunt a Rev. *Jo. Franc. Buddeo* in Disputat. singulari de Origine, Dignitate & Usu nominis Christiani, *Jen.* 1711. habita, ubi tum de variis, quibus ante & post

post appellati sint credentes, inprimis vero illo *discipulorum*, & *Galilæorum*, tum de ipsa nominis hujus dignitate differit. Confer *Amelium* Part. II. p. 508. sqq.

Vers. 28. ὀνόματι Ἄγαβος;) *Drusius* in Comment. priori ad Voces Hebr. N. T. p. 11. *Agabi* nomen ex Hebr. חגב i. e. *locusta*, *Grotius* autem ex עגב i. e. *amavit*, derivatum vult, quod & ipse malim cum *Witsio* l. c. p. 40. Quo sensu *Agabus* hic inter Prophetas h. e. tales, qui futura, a Deo extra ordinem moniti, præsignificabant, memoretur, ostendit *Gussetus* in Commentar. de Lingua Hebræa p. 491.

λιμὸν μέγαν μέλλειν ἔσεσθαι) Famem magnam in tempora *Claudii* Imperatoris, repetita vice, incidisse, *Dio* lib. LXV. *Suetonius* in Claudio c. XVIII. & *Tacitus* Annal. XII. 43. testantur. Sed utraque fuit particularis, nec toti Romano imperio incubuit, quod ostendit *Usserius* in Annalibus, qui proinde universalem istam, quam Agabus prædixerit, ab illis prætermissam, eam esse existimat, quæ in quartum Claudii annum inciderit, id quod ex morte Regis Agrippæ, cum eadem fame conjuncta, manifestum esse putat *Act.* XII. 23. 25. Cum *Usserio* faciunt *Scaliger* & *Spanhemius*, *Eusebii* & *Orosii* testimoniis hanc in rem utentes. Sed *Witsio* l. c. p. 41. hæc parum liquida videntur, qui propterea famem hanc intelligi mavult de omni illa frumenti penuria, quæ durante Claudii imperio, XIV. omnino annis comprehenso, nunc huic nunc illi regioni incubuerit, donec omnes sit pervagata,

ἐφ' ὅλην τὴν οἰκυμένην) i. e. super totum Imperium Romanum, vel magnam ejus partem. Vide, quæ scripsi ad Luc. II. 1.

Vers. 29. καθὼς ηὐπορεῖτό τις) Sic *Polyb.* lib. V. c. 43. ὁ δὲ Μόλων - εὐπορεῖτο ταῖς χορηγίαις ὑπερβαλόντως, *Molo commeatibus omnis generis supra modum abundabat.* Adde eundem de Vit. & Virtut. p. 1453. *Demosthen.* contra Coron. p. 732. & *Lucianum* in Hermot. p. 579. quos locos hic affert Cl. *Elsnerus* p. 409. *Beza* vertit: *prout cuique suppetebat*; h. e. pro modo facultatum, quas quisque possidebat.

εἰς διακονίαν πέμψαι) *in subsidium seu eleemosynam mittere.* Vide *Erasmi Schmidii* Annotatt. ad 1. Cor. XVI. 1. & quæ supra nos diximus ad VI. 2. Nec omittendi sunt *Guil. Stuckius* in Antiquitatibus Convival. lib. II. c. 20. *Henr. Hammondus* de Jure Episcopatus Diss. IV. c. 24. & *Jac. Rhenferdius* de Decem Otiosis §. 49. sqq. ubi ostendit, διακονίαν tum de ipsis eleemosynis, ut h. l. adhiberi, tum vero etiam de earundem administratione. Adde *Suicerum* T. I. p. 862. Primum hoc esse exemplum collectæ, in usum fratrum pauperum factæ, observat *Ferrarius* de Epistol. Eccles. p. 145.

πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους) Primam h. l. in N. T. Presbyterorum Christianorum mentionem fieri, Grotius recte monuit. De his h. l. disputare institutum

tutum noſtrum non patitur. Vide, quos allegat *Fabricius* noſter in Bibliographia Antiquaria pag. 451. & adde Rev. *Pfaffii* Origines Juris Eccleſiaſtici p. 49. Presbyteros non ſemper, nec omnes in naſcente Eccleſia docendi munere perfunctos eſſe, ſed externa quoque Eccleſiæ negotia curaſſe, hinc etiam videtur colligi poſſe, quandoquidem Presbyteris hic collectæ pecuniæ ſumma, inpoſterum curanda & diſpertienda, miſſa dicitur. Idem alias Cl. *Juſtus Henningius Böhmerus* ex 1. *Timoth.* V. 17. adſtructum ivit in Selectis Obſervatt. ad Petrum de Marca p. 23. ſq.

CAP. XII.

VErſ. 1. Κατ' ἐκεῖνον δὲ τὸν καιρὸν ἐπέβαλεν Ἡρώδης ὁ βασιλεὺς τὰς χεῖρας κακῶσαί τινας τῶν ἀπὸ τῆς Ἐκκλησίας) Herodes hic memoratus non eſt Tetrarcha, ut poſt *Hippolytum*, *Oecumenium*, & nonnullos veterum alios ſtatuit *Eraſmus* & *Rob. Baillius*, contra quos lege *Sam. Basnagium* in Exercitatt. Anti-Baron. p. 443. ſed is, qui *Agrippæ* cognomineclaret. Hunc ut & ceteros ὁμωνύμως paganos fuiſſe, & a ceremoniis Judaicis alienos, vel ex his verbis colligit *Jo. Harduinus* in Opp. Selectis p. 342. & 390. inprimis cum v. 3. dicatur, vexationem Eccleſiæ & cædem Jacobi ab eo ſuſceptam eſſe, ideo, quod Judæis id placere videret. Hinc enim conſequi putat, Herodem non ex amore Chriſtianæ religionis, ſed tantum ex ſtudio Judæis aſſentandi in Chriſtianos graſſatum eſſe. Quam infirmus hic ſententiæ παραδοξοτάτης tibicen ſit, cuique obvium eſſe puto. Cur enim zelus cœcus pro religione Judaica cum ſtudio placendi Judæis in eadem ſede morari non potuerint? Certe Herodem Agrippam religioni Judaicæ nomen dediſſe, ſi non aliis, ipſius ſane Herodis teſtimonio ita conſtat, ut hoc neganti alia omnia inficiari tuto liceat. Ipſe enim in epiſtola ad Cajum Imperatorem, quæ apud Philonem f. 1031. exſtat, diſerte ſcribit: γεγέννημαι, ὡς οἶδας, Ἰουδαῖος, *Judæus natus ſum, ut noſti;* additque ibidem, ſe *Judæorum genti, patriæ, Templo multis modis eſſe conjunctiſſimum.* Conf. Rev. *Deylingii* Obſervatt. Sacr. Part. II. p. 263.

Verſ. 2. Ἀνεῖλε δὲ Ἰάκωβον τὸν ἀδελφὸν Ἰωάννου) Hic eſt *Jacobus* Zebedæi ex Salome filius, *Jacobus Major* dictus, de quo *Matth.* XVII. & XXVI. 37. nec cum *Jacobo Alphæi* filio Matth. X. 3. Epiſcopo tandem Hieroſolymitano, de quo infra XV. 13. confundendus. In hunc lapidem impegit *Sigonius* lib. V. c. 2. de Rep. Hebræorum, qui hæc ad Jacobum alterum Minorem, qui etiam frater Domini appellatur, perperam refert, notatus ideo a Cl. *Fabricio* ad Codic. Apocryphum N. T. Tom. I. p. 528.

μαχαίρα) Decollationem inter ſupplicia capitalia Judæis quoque receptam fuiſſe poſt *Seldenum* II. 13. de Synedriis Hebræorum alii oſtenderunt. Confer *Chriſtiani Stockii* Diſputatt. IV. de Pœnis Hebræorum capitalibus,

bus & *Christophori Bornstorfii* unam de iisdem, *Aboæ* 1696. habitam, nec non *Melch. Leydeckerum* de Republ. Hebræorum lib. VII. c. XII. p. 482. sqq.

Vers. 4. *παραδὺς τέσσαρσι τετραδίοις στρατιωτῶν*) *tradens quatuor quaternionibus militum*, i. e. sedecim militibus, ut quaterni eum per vices servarent. Hujusmodi *τετράδιον* generali vocabulo *Polybius* appellat *φυλάκειον* pag. 665. *διδόασι δὲ καὶ φυλάκεια δύο, τὸ δὲ φυλάκειόν ἐστιν ἐκ τεττάρων ἀνδρῶν. Præstant & binas excubias. Harum singulas quaterni viri obeunt.* Conf. *Raphelii* Notas Polybianas p. 332.

Vers. 5. *προσευχὴ δὲ ἦν ἐκτενὴς*) *precatio erat continua.* Vide *Suicerum* Tom. I. p. 1072.

Vers. 6. *Ὅτε δὲ ἔμελλεν αὐτὸν προάγειν*) Scilicet *εἰς τὸν δῆμον* ex v. 4. morte mulctandum. Ita *Arrianus* de Expedit. IV. 14. 3. *Ἤδη δέ τινες καὶ τάδε ἀνέγραψαν, τὸν Ἑρμόλαον προαχθέντα ἐς τοὺς Μακεδόνας, ὁμολογεῖν τε ἐπιβουλεῦσαι.* Adde *Polyb.* I. 7. & *Raphelii* Notas Polybian. p. 332. Hinc patet, quid habendum sit de illis Codicibus, qui h. l. pro *προάγειν* legunt *προσάγειν.*

τῇ νυκτὶ ἐκείνῃ ἦν ὁ Πέτρος κοιμώμενος) Ita Socrates, lata sententia postrema, ante mortem noctu suaviter dormiebat, teste *Platone* in Critone p. 369. ubi Crito eum ita alloquitur: *ἀλλὰ καὶ σοῦ πάλαι θαυμάζω, αἰσθανόμενος, ὡς ἡδέως καθεύδεις.* Adde *Plutarchum* de Catone in Vita ejus idem testantem p. 793. Conf. *Elsneri* O. S. p. 410.

μεταξὺ δύο στρατιωτῶν δεδεμένος ἁλύσεσι δυσὶ) Catena nempe eadem unius militis sinistram vinciente, & Apostoli dextram, alteraque catena Apostoli sinistram & alterius militis dextram. Conf. *Act.* XXI. 33. De hoc more Romanorum, quo alligabant militem vel binos milites, custodiendo reo, vide *Ramiresii de Prado* Pentecontarchum c. V. *Lipsium* ad Taciti III. Annal. & ad Senecæ Epist. V. Illarum catenarum unam, quibus vinctus tunc Petrus, ab Eudocia Imp. Theodosii conjuge donatam filiæ Valentiniani Cæs. uxori, narrant quidam Scriptores, sed exigua fide digni, ut agnoscunt *Paschas. Quesnellus* in notis ad Leonem M. p. 284. & *Tillemontius* Memor. Eccles. T. I. pag. 777. sq. Ita Celeb. *Fabricius* ad T. I. Cod. Apocr. N. T. p. 410. Confer de eodem ritu agentes *la Cerdam* in Adversar. c. VI. p. 3. *Dilherrum* in Dispp. Philolog. T. I. p. 724. & *Jo. Alopæi* dissertat. de custodia militari ad h. l. *Aboæ* 1710. 8.

ἐτήρουν τὴν φυλακὴν) Possunt hæc omnino eum sensum habere, quo vulgo accipiuntur, *servabant*, sive *custodiebant carcerem.* Ita *Polybius* dicit p. 772. *τηρεῖν τὴν πύλην custodire portam.* *Φυλακὴ* autem pro *carcere* non indiget exemplis. Attamen notat etiam *τηρεῖν τὴν φυλακὴν vigilias* sive *excubias agere*, Wache halten, apud eundem *Polyb.* lib. VI. c. 33. p. 668. *τῶν δ' εἰς τὰς φυλακὰς ἀποταχθέντων ἀφ' ἑκάστου φυλακείου, τὸν τὴν πρώτην μέλλοντα τηρεῖν εἰς*

ἐξ ἑκάστης σημαίας ἐϱαγὸς ἄγει πϱὸς τὸν χιλίαϱχον ἑσπέϱας. Apud *Arrianum* de Expedit. IV. 16. 7. τὴν φυλακὴν ἔχοντες dicuntur *milites præsidiarii*. Conf. Luc. II. 8. Nihil autem impedit, quo minus etiam hic ἐτήϱων τὴν φυλακὴν verti possit: *agebant vigilias*. Tempus sane convenit. Noctu enim hæc facta sunt. Neque obstat, quod φυλακὴ, v. 4. & 5. significat carcerem: nam apud Arrianum l. c. in eadem periodo hæ duæ notiones occurrunt. Erudite hæc observavit *Raphelius* in Notis Polybianis p. 333.

Vers. 7. καὶ φῶς ἔλαμψεν) Per lucem hic intelligitur cœlestis claritas, in qua Angelus Domini Simoni apparuit. Conf. *Dan.* X. 5. *Luc.* II. 9. & *Matth.* XXVIII. 3. 10. Adde *Fesselii* Adversar. Sacr. Tom. II. p. 132.

ἐν τῷ οἰκήματι) i. e. *in carcere*, Attico loquendi more. Nam Attici rebus turpibus & malis dabant blanda nomina, ut docet *Plutarchus* in vita Solonis p. 86. ubi hoc Solonis primum statuit commentum, quod carcerem vocarunt οἴκημα, & sic in ceteris. Lege *Helladii* Chrestomathiam p. 22. ibique notas *Meursii* p. 68. & in Antiquitt. Græc. Gronov. T. X. p. 979. Occurrit ita apud *Dhemost.* Orat. contra Aristogit. p. 499. *Achillem Tatium* lib. VI. p. 391. & alios. Vide omnino Cl. *Jo. Alberti* in Obss. S. p. 244. sq. *Ludolf. Kusterum* ad Suidam p. 285. & 663. & *Fesselium* Adversar. Tom. II. p. 132. Postremus hic observat, carcerem illum, *Adrichomio* teste, fuisse ἐν τῷ ϛϱατοπέδῳ *in area*, quæ Herodis Agrippæ regiam undequaque ambiebat, ubi regii milites excubias agebant. Ab hac area carcereque platea ducebatur, per quam exitus e regia dabatur in civitatem, quam ferrea porta claudebat.

Vers. 8. ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου) Sandaliis ergo usi sunt communiter Apostoli, permittente id Domino *Marc.* VI. 9. Conf. *Suicerum* T. II. p. 1387. & *Balduinum* de Calceo p. 228. qui & pag. 249. observat, per calceamentum commode Evangelii prædicationem innui, atque adeo Angelum hic præcepto isto innuere voluisse, ipsum, e carcere solutum, debere se ad Evangelium gnaviter promulgandum accingere. *Vulg.* σανδάλια per *caligas* reddidit, quem Anonymus defendit apud *Dilherrum* in Electis lib. II. c. 16. p. 259. quæ recusa sunt T. I. Dispp. Philolog. p. 46. ab eodem in sequentibus hoc nomine confutatus. *Caligæ* enim tibiarum tegumenta, non pedum, de quibus hic sermo est. Hinc *Cicero* in Philippica II. *rediissem cum calceis & toga, nullis nec caligis nec lucerna.* Adde tamen *Nigronium* de Caliga p. 6. qui caligas, quas Vulg. affert, de pedum tegumento seu calceo ex usu veterum interpretandas censet. Conf. p. 39. item *Salmasium* adversus Cercoëtium p. 228. & de voce σανδάλια a nobis dicta sunt ad *Marc.* VI. 9.

πεϱιβαλοῦ τὸ ἱμάτιόν σου) Post adstrictam tunicam jubet pallium sumere. Vide *Salmasium* ad Tertullianum de Pallio p. 72. sq.

ἠκολούθει

ἐδόκει δὲ ὅραμα βλέπειν) Scilicet vix credebat oculis suis. Apparet hinc, visa tam clare sese obtulisse Prophetarum & Apostolorum sensibus, ac si vere res ipsas percepissent. Lege *Fabricium* ad Codic. Apocr. N. T. p. 410.

Vers. 10. ἦλθον ἐπὶ τὴν πύλην τὴν σιδηρᾶν τὴν φέρουσαν εἰς τὴν πόλιν) Ex his verbis nonnulli, nominatim *Ligthfootus*, colligunt, *carcerem fuisse extra civitatem, inter aut intra duos extimos muros.* Sed recte hic obvertit *Sim. Basnage* in Exercitatt. Anti-Baronian. pag. 449. porta ferrea septam fuisse Hierosolymam, inauditum in omni memoria, nec ullo vestigio reperire est apud Josephum, licet accurate urbem hanc descripserit. Carcerem claudi porta hac ferrea vero propius: sed nec moris est, publicos carceres extra civitates ædificari: cum vix tuti essent ab audace nefariorum hominum impetu, nec longo loci spatio distarent a Curia, quod sapienter est constitutum. Sic Romæ publicus carcer Foro olim imminebat, Livio teste, ædificatus ab Anco Rege. — His itaque Lucæ: *venerunt ad portam ferream, quæ ducit in civitatem*: & januam carceris significari existimamus, & partem Hierosolymæ, cui *civitatis* nomen fuit, ubi Marci domus, quam Christiani nocturnis cœtibus frequentabant. Conjecturæ nostræ rationem suppeditamus ex Josepho: Ἐπιχωρίως δὲ ἐκλήθη Βεζεθὰ τὸ νεοκτιστὸν μέρος, ὃ μεθερμηνευόμενον Ἑλλάδι γλώσσῃ καινὴ λέγοιτ᾽ ἂν πόλις. *Nominata autem est pars addita civitati voce indigena Bezetha, quod Græco sermone dicitur Nova Civitas*, de Bello Jud. VI. 6. Vetus igitur urbs pars altera Hierosolymæ fuit, nec ei veteris ἐπίθετον addi potuit, quin nova constitueretur. Itaque simpliciter civitas appellabatur Lucæ temporibus, sive Regis Agrippæ, qui novam urbis partem addiderat antiquæ. *Ita ille.* Firmat hæc, quod ex *Adrichomio* affert *Fesselius* l. c. usitatum fuisse in Oriente, majores vicos & plateas claudi, & a se invicem distingui, per quas exitus introitusque detur ex una platea in alteram. Unde & ejusmodi platea ἄμφοδος, sive ἄμφοδον dicta sit, quia utrinque portis instructa utrinque viam præbeat.

τὴν φέρουσαν εἰς τὴν πόλιν) Sic *Xenophonti* Cyropæd. lib. V. pag 111. ὁδὸς φέρειν dicitur, & *Polybius* pag. 815. τὴν πύλην τὴν φέρουσαν ἐπὶ τὸν ἰσθμὸν memorat. Videatur idem pag. 937. & *Raphelius* in notis Polybian. pag. 334. & Xenophont. p. 157.

Vers. 11. γενόμενος ἐν ἑαυτῷ) *reversus ad se*, sive, ut *Terentius* ait, *cum ad se rediisset*: id est, cum animum collegisset, atque recepisset quasi ex somno, inopinatæ liberationis miraculo paulo ante perculsus, ut somnianti esset similis. Ita *Xenophon* de Expedit. Cyri lib. I. p. 203. de Clearcho, Cyri occursu mitigato, ait: Ἀκούσας ταῦτα ὁ Κλέαρχος ἐν ἑαυτῷ ἐγένετο. Conf. *Raphelii* Notas Xenophont. p. 158. & in Polybianis pag. 334. ex *Polybii* lib. I. cap. 49. Itaque nolim hanc phrasin cum Viro quodam docto ita accipere, ut

idem sit quod: *in ædibus suis constitutus*, sicut *Joh.* XX. 10. dicitur: ἀπῆλθον οὖν πάλιν πρὸς ἑαυτοὺς οἱ μαθηταί. Neque enim Petrus, cum hæc apud se reputaret, in ædibus suis erat, sed sub dio in platea. Ideo v. 12. ad domum Marci denique dicitur profectus.

Vers. 12. ἦλθεν ἐπὶ τὴν οἰκίαν) Ita *Polybius* p. 524. ἦλθον ἐπὶ τὴν οἰκίαν *ad domum illius adierant*: item p. 919. Itaque non opus est, ut vertamus, *cum venisset super locum, ubi domus erat*; ceu interpretatur *Herzogius* in Disputat. de Præposit. ἐπὶ cum Accusativo pag. 17. Nec comparari τὸ ἐπὶ velim cum עַל Hebræorum, ut idem sit quod *ad*, quæ sententia est *Wockenii* in Disput. de usu Josephi in V. & N. T. p. 12.

τοῦ ἐπικαλουμένου Μάρκου) Non est hic *Marcus* Evangelista. Vide *Rich. Simonis* notas ad Vers. Gall. N. T.

Vers. 13. Κρούσαντος δὲ τοῦ Πέτρου τὴν θύραν) Κρούειν τὴν θύραν non minus Græce dici, atque κόπτειν τὴν θύραν ad *Apoc.* III. 20. se aliquando ostensurum pollicetur ad h. l. *Elsnerus* p. 411. Conf. interim *Erasm. Schmid.* ad Luc. III. 25.

προσῆλθε παιδίσκη) *processit puella.* Vide huc *Cornel. Adami* Exercit. Exeget. III. p. 277. ubi agit de ostiariis de janitoribus veterum, ac renunciatione ab illis fieri solita. Conf. Acta Erudit. Lips. an. 1713. p. 24.

ὑπακοῦσαι) Ὑπακούειν dicitur de janitoribus, qui pulsanti ostium respondent, &, antequam fores aperiant, quis adsit, qui intromitti velit, interrogant. Proxime accedit id, quod est in consuetudine sermonis Germanici cum Hören, wer da sey, jubemus eos, quos responsare volumus, & sciscitando cognoscere, quis ædes pulset, ut ait *Plautus*. Id observavit, & aliquot veterum locis adstruxit *Camerarius* ad h. l. quibus alium ex Xenophonte in Symposio p. 690. addit *Raphelius* p. 159. & plures ex *Luciano* in Icaromenippo p. 292. *Plutarcho* de Genio Socrat. p. 597. & *Platone* in Phædon. p. 376. Cl. *Elsnerus* p. 411. ut, si viveret, *Boisius* non amplius habiturus esset dubitandi causam. Vide ejus Collationem p. 395. qui hic etiam *Vulgatum* defendit, qui verterat: *processit puella ad videndum.* Παιδίσκην nonnulli vertunt per *ancillam.* Sed vox illa generatim *puellam* infert, observante *Phrynicho* p. 38. Conf. *Jo. Alberti* Obss. S. p. 248.

ὀνόματι Ῥόδη) i. e. *rosa*, sicut apud Hebræos שושנה *Susanna*, ut observatum est in Biblioth. Bremens. Class. IV. p. 1075.

Vers. 14. Καὶ ἐπιγνοῦσα τὴν φωνὴν τοῦ Πέτρου) Interpretes hic φωνὴν de *voce* Petri accipiunt, tanquam ancillæ ante cognita, & hic, cum quæreret, clare audita. Cum vero ille tonus non nisi ex quotidiana familiaritate, de qua non satis hic constat, dignoscatur, Cl. *Jo. Alberti* in Obss. S. pag. 245. suspicatur, φωνὴν hic de *nomine* Petri potius accipiendum esse, quod ipsa ex pulsantis, &, quis esset, dicentis ore perceperit. Conjecturam hanc

firmat

firmat eo, quod dicitur abiisse ὑπακοῦσαι i. e. non solum ad auscultandum, verum etiam pulsantis nomen quærendum: quam hujus verbi vim esse, ex superioribus manifestum est, & ipse locis nonnullis veterum confirmat. Præterea Græci φωνὴν de *nomine* adhibent, ut *Homerus* Iliad. Γ. v. 161.

-- Πρίαμος δ' Ἑλένην ἐκαλέσσατο φωνῇ
Priamus autem Helenam vocavit nomine;

& *Hesiodus* Ἐργ. v. 79. - - - ἐν δ' ἄρα φωνὴν
θῆκε θεῶν κήρυξ. *Sed nomen illi imposuit Deorum præco,*

ubi *Gravii* notas conferri par est. Similiter *Lucianus* in Toxar. p. 53. dixit: τὴν φωνὴν αἰσθόμενος ἀνεβόησε h. e. *ut vero nomine audito seu intellecto respondisset.* Erudite hæc, fateor, observantur, sed a recepta interpretatione me nondum dimovent. Nusquam in sacris literis nec in LXX. Intt. in quibus tam frequens est, vox φωνὴ *nomen* infert, nec proinde huc videtur facile advocanda: inprimis ob verbum additum ἐπιγνοῦσα, quod rectius ad dignoscendam vocem alicujus, quam audiendum nomen aliquod, facile ex sono quocunque percipiendum, referri per se patet. Petri vero vocem probe cognitam antea fuisse feminæ huic non dubitandum est, in ea quippe domo versanti, in qua cœtus fidelium cogi solebat, & in qua procul dubio Petrus præconem oraculorum cœlestium egerat. Verbum ὑπακοῦσαι infert sciscitationem quidem, *quis adsit*? sed non simul id infert, quod, qui interrogatur, nomen suum statim profiteatur, nec alia, & universaliori ratione v. c. *ego adsum*, quis sit, indicet. Ponamus etiam, Petrum re vera nomen suum prodidisse, tamen vel sic ad pronunciandi rationem hic respici potest. *Luciani* locus huc esset accommodatissimus, ubi dicitur αἰσθόμενος τὴν φωνήν. Sed ipsa vox αἰσθόμενος efficit, ut credam, etiam eo in loco φωνὴν rectius per vocem, quam per *nomen* exprimi, quemadmodum & Interpres Latinus ibi hac ratione expressit. Demophilus enim, de quo ibi sermo est, agnita amici, se evocantis, voce ex squalore suo se proripiebat: quod Lucianum exprimere voluisse, contextum sermonis relegenti patebit.

οὐκ ἤνοιξε τὸν πυλῶνα) Vetus: *Non aperuit januam*: & sic prius τὴν θύραν τοῦ πυλῶνος, *ostium januæ*: & paulo post: πρὸ τοῦ πυλῶνος, *ante januam*. Nihil muto. πυλὼν enim pro *janua*, sive *porta*, sæpe accipitur, ut Apocal. XXI. 13. & alibi. Glossarium vetus: Janua, πυλὼν, & rursus: πυλὼν janua. Hæc *Boisius* in Collatione p. 396.

Vers. 15. ἡ δὲ διϊσχυρίζετο) i. e. *asseverabat*. Vide quæ de efficacia hujus verbi scripsimus ad *Luc.* XXIII. 59.

ἄγγελος αὐτοῦ ἐστιν) ἄγγελον hic nonnulli de *nuncio* accipiunt, quem a Petro missum esse existimaverint Christiani tunc congregati, ut de rerum suarum conditione certiores redderentur. Nec negari omnino potest,

eft, vocem ἄγγελος hanc notionem obtinere *Luc.* VII. 24. ubi ἄγγελοι i. e. nuncii a Johanne missi memorantur. Conf. *J. c.* II. 25. Ita post *Cameronem* statuit *Sam. Basnagius* in Annalibus Tom. I. pag. 543. cum eo *Amelius* Part. I. pag. 1012. seq. Sed hæc interpretatio stare non posse videtur cum φωνῇ i. e. *voce* seu *elocutione* Petri, quam puella agnovisse dicitur, nisi dicamus, existimasse Judæos, nuncium quemvis alterius vocem imitando exprimere posse. Deinde difficulter credi potest, admissum quenquam Christianorum fuisse ad Petrum, qui ceteris de conditione ejus quicquam referre posset. Quæ enim in hanc sententiam stabiliendam *Amelius* l. c. de conciliatis per munera custodibus, ut id permitterent, afferuntur, ea vereor, ut in præsens negotium cadere possint, in quo Herodes non minus, quam reliqui Judæi animum a Christianis alienissimum ostentabant. Itaque malim, ἄγγελον in significatu communiori accipere de spiritu quodam cœlesti, ex sententia scilicet inter Judæos pervagata, qua singulis hominibus singulos datos esse Angelos statuebant, qui rebus eorum prospicerent. Ita de hoc loco statuunt Patres a *Grotio* ad Matth. XVIII. 10. *Dougtæo*, loco mox citando, *Sam. Basnagio* l. c. & aliis allati. Illis recentiorum Interpretum plerique accedunt, præterque eos *Steph. Clericus* in Quæst. Sacr. num. V. p. 325. sqq. *Jo. Clericus* in Pneumatologia Sect. II. c. 3. pag. 90. & *Th. Hyde* de religione veterum Persarum c. XXXIII. pag. 395. Idem *Hydius* Persas veteres æque ac Muhammedanos, de quibus etiam lege *Maraccium* in Confutat. Alcorani f. 248. 368. & 793. in hanc Judæorum opinionem consensisse ostendit, quod idem de Gentilibus quoque probatum dedit *Petavius* Tom. III. Dogmatum Theologic. lib. II. c. 7. pag. 69. *Guil. Spencerus* in notis ad Origenem contra Celsum pag. 62. & 91. sqq. *Steph.* & *Jo. Clericus* ll. cc. quorum posterior eam opinionem deinde a Judæis ad Ethnicos & Christianos derivatam existimat, & *Jo. Dougtæus* in Analectis N. T. Exc. LVII. *Judæorum* in hanc sententiam loca lege apud *Bartoloccium* in Biblioth. Rabbinica Tom. I. p. 275. sqq.

Vers. 17. Κατασείσας δὲ αὐτοῖς τῇ χειρὶ) Græcis eleganter dicitur orator κατασείειν λαῷ τῇ χειρὶ, quando *gestu aliquo manus signum dat*, ut populus taceat. Ita Heliodorus X. 27. & 28. κατασείσας τῇ χειρὶ, & τὴν χεῖρα προτείνας. Conf. *Lamb. Bos* Exercitatt. in N. T. pag. 79. & *Jo. Mich. Dilherrum* in Dispp. Philol. Tom. I. pag. 225. ubi ex utriusque Linguæ Scriptoribus loca in hanc rem idonea afferuntur. Adde *Casaubonum* ad Persii Satyr. IV. initio, & *Boisium* in Collat. pag. 396.

Vers. 18. τί ἄρα ὁ Πέτρος ἐγένετο;) *quidnam Petro factum esset?* Ita *Xenophon* Hist. Græc. lib. II. pag. 361. θαυμάζοντες, τί ἔσοιτο ἡ πολιτεία; *mirabantur, quid de Republica futurum esset?* Locum hunc affert *Raphelius* in Notis Xenophonteis pag. 159. quibus similes alios ex *Theocrito* Idyll. XIV. v. 51. & *Achille Tatio* lib. 3. p. 211.

p. 211. addit *Elsnerus* p. 412. Phrasis itaque & pure Græca est, & eo, quem diximus, sensu maxime obvio accipienda. Neque cogitandum omnino de transformatione aliqua, ac si milites cogitassent, Petrum per aliquod γοητείας specimen in aliquod, nescio quid, transformatum seu aliquod corpus effectum esse, quo assumto elabendi spatium nactus sit. Ita scilicet statuit *Joh. Christ. Herzogius* de certitudine Hermenevticæ in N. T. §. 5.

Vers. 19. ἀνακρίνας τὰς φύλακας) *examine custodum suscepto*, quomodo res acta sit. Vero simillimum est, gravem soporem, Deo ita providente artus militum occupasse, ut nec liberationi Petri obsistere, nec ejus rationem edisserere valuerint. Exemplum liberationis huic prorsus simile affert *Palladius* in Historia Lausiaca, quod inde repetit *Sam. Basnage* in Exercitatt. Anti-Baronian. p. 448.

ἐκέλευσεν ἀπαχθῆναι) scilicet εἰς θάνατον. Sic *Ælianus* Var. Hist. I. 30. Ἰδὼν δὲ πόῤῥωθεν ἀγομένους τινὰς ἐπὶ θανάτῳ. Sic ἀπάγεσθαι absolute apud *Laërt.* lib. VIII. Sect. 85. Conf. τὰς LXX. *Prov.* XXIV. 11. Lege *Lamb. Bos* de Ellipsi Gr. L. p. 385. & Cl. *Schvvarzium* ad Olearium de Stylo N. T. p. 376. qui ibidem demonstrat, verbum κελεύω nun solum activæ, sed etiam passivæ voci jungi apud profanos, ut *Æschinem* de falsa Legat. p. 253. ἐκέλευσεν ἀναγνωσθῆναι τὸ ψήφισμα. Illustris est quoque *Arriani* locus de Expedit. Alex. VII. 8. 7. τούτους μὲν δὴ ἀπάγειν κελεύει την ἐπὶ θανάτῳ. Latinos etiam *ducere* eodem sensu adhibere, variis veterum locis docuit *Buchnerus* ad *Plinium* lib. X. ep. 96. Ceterum milites hos omnino extremo supplicio affectos esse, præeuntibus *Chrysostomo* & *Oecumenio* contra Erasmum negantem evincit *Basnagius* l. c. p. 457. sqq.

Vers. 20. ἦν δὲ ὁ Ἡρώδης θυμομαχῶν) Verbo hoc postremo *Polybium* quoque, *Diodorum Siculum*, & alios uti, observavit ad h. l. *Grotius*, notionem vero ejus ex collatis diligenter *Polybii* locis excussit *Raphelius* in Notis Polybian. p. 345. Is vero ita: *Cum verbum hoc fere de consilio belli inferendi exponi soleat, sciendum est, & a* POLYBIO *& ab aliis Scriptoribus id usurpari de iis, qui, licet viribus destituantur,* animo *tamen* bellare *non desistant, ut de Hannibale Cornel. Nepos cap. 1. loquitur, vel ut Budæus in Comment. pag.* 1179. *exponit, qui animose* & ad internecionem usque dimicant; *sive, qui etiam exigua proposita vincendi spe, tamen pugnant, & ultima experiuntur.* His generatim probatis subjungit, Herodem bellum gessisse cum Tyriis & Sidoniis, qui licet facile urbes suas ab ipso tutarentur, tamen, cum is animo pervicaci bellare cum ipsis perseveraret, ad eum venerint pacem petentes, non bello subacti, quo forsan superiores erant, sed, quia illius regione carere non poterant, ob frumenti subvectionem. Itaque τὸ θυμομαχεῖν non est idem, quod *animo bellum meditari*, ceu interpretum nonnullis persuasum fuit. Atque in hac sententia video etiam esse *Boisium* in Collatione p. 397. qui

qui pro hac interpretatione facere putat & posteriorem partem compositionis, &, quæ mox hoc versu sequuntur, verba: ᾐτῦντο εἰρήνην. Lege tu *Raphelium*, & habebis, quæ respondeas.

τὸν ἐπὶ τῦ κοιτῶνος τῦ βασιλέως) Quidam, ut notat Millius, legerunt: ἐπὶ τὸν κοιτῶνα. Sed sine dubio rectius cum gignendi casu. Ita enim *Arrianus* Epictet. lib. III. c. 22. p. 340. οἱ ἐπὶ τῦ κοιτωνος, cubicularii. Et lib. IV. cap. 7. p. 466. quæ structura τῦ ἐπὶ cum aliis quoque vocibus passim obtinet. Vide diligentissimum *Raphelium* in Notis Polybian. p. 338.

ἀπὸ τῆς βασιλικῆς) sc. χώρας, quæ vox proxime antecedit. Tyrii enim & Sidonii suam frumenti penuriam ex regionibus, Herodis potestati subjectis, sublevare solebant. Conf. *Raphelii* Annotatt. Xenophonteas p. 160.

Vers. 21. καὶ καθίσας ἐπὶ τῦ βήματος) βῆμα ponitur pro tribunali, tum ad conciones tum ad judicia ferenda apto & concinnato, quod ostendit *Ezech. Spanhemius* ad Juliani Orationes p. 214.

ἐδημηγόρει πρὸς αὐτὺς) δημηγορεῖν & δημηγορίαι proprie de orationibus συμβυλευτικαῖς, tum vero de allocutionibus Cæsarum ad milites adhibentur, ut patet ex *Aristotel.* Rhetoric. lib. I. c. 1. Conf. eundem *Spanhemium* l. c. p. 208.

Vers. 22. ὁ δὲ δῆμος ἐπεφώνει) De isto acclamandi ritu vide inprimis *Franc. Bernardi Ferrarii* libros II. de veterum acclamationibus & plausu, qui inter cetera lib. I. c. 3. phrases & voces de hoc negotio adhiberi solitas edisferit, verbum vero ἐπιφωνεῖν omittit. Solebant & auditores Oratoribus & Sophistis declamantibus acclamare θείως, δαιμονίως, μεγάλως, teste *Plutarcho* de sui laude p. 543. Lege huc *Lud. Cresollii* Theatrum Sophistarum passim.

Θεῦ φωνὴ καὶ ὐκ ἀνθρώπυ) Vulg. hic vertit: *populus acclamabat Dei voces & non hominis*; ac si legisset: Θεῦ φωνὰς καὶ ὐκ ἀνθρώπυ, eo sensu, quod populus Herodem ut Deum sit allocutus. Tueri id conantur *Emserus* & *Dietenbergerus*, contra quos lege B. *Raithium* in Vindiciis p. 458. *Josephus* XIX. Antt. cap. 7. p. 679. refert, Herodem hunc ejusmodi adulantium vocibus exceptum esse: οἱ κόλακες ἄλλος ἄλλοθεν ἀνεβόων, Θεὸν προσαγορεύοντες, εὐμενὴς τε εἴης ἐπιλέγοντες, εἰ καὶ μέχρι νῦν ὡς ἄνθρωπον ἐφοβήθημεν, ἀλλὰ τὐντεῦθεν κρείττονά σε θνητῆς φύσεως ὁμολογῦμεν. *Adulatores, alio aliunde acclamante, Deum eum vocabant, rogantes, ut faveret propitius: hactenus enim ut hominem reveritos, nunc agnoscere & fateri esse humana natura præstantiorem.* Ita vero ferebat illius ætatis turpissimus mos, ut Imperatores tum vivi, tum defuncti, imo & Reginæ Deorum Dearumque nomine appellarentur. Nummos & inscriptiones varias huc pertinentes attulit *Elsnerus* p. 413. Atque hinc simul intelligitur,

legitur, Herodem non prima vice has adulantium voces admisisse: unde tanto minus mirum, Divini Numinis vindictam tam gravem fastui ejus pœnam statuisse. Et procul dubio egregie sibi placuit Herodes, insolentiamque suam aluit ad exemplum Limenii, Prætoris Atheniensis, de quo *Libanius* in Vita sua p. 18. *θεὸς μὲν γὰρ ἤθελεν εἶναι δοκεῖν.*

Vers. 23. *ἐπάταξεν αὐτὸν ἄγγελος Κυρίου*) Hic Angelus alias vocatur ὀλοθρευτὴς, ut 1 *Corinth.* X. 10. & ὀλοθρεύων המשחית *Exod.* XII. 23. Rabbinis מלאך המות angelus mortis. Vide *Elsnerum* p. 414. *Josephus* XIX. 7. Antiquitt. p. 679. post factam hanc acclamationem testatur, Herodem *conspexisse bubonem*, funi extento insidentem, eumque pro mali nuncio habuisse: *ἀνακύψας οὖν μετ᾽ ὀλίγον τὸν βουβῶνα τῆς ἑαυτοῦ κεφαλῆς ὑπερκαθεζόμενον εἶδεν ἐπὶ σχοινίου τινὸς, ἄγγελον τοῦτον εὐθὺς ἐνόησεν κακῶν εἶναι.* At *Eusebius* apud *Bochartum* Hierozoic. Part. II. lib. II. p. 22. Josephi locum ita effert: *ἀνακύψας δὲ μετ᾽ ὀλίγον τῆς ἑαυτοῦ κεφαλῆς ὑπερκαθεζόμενον εἶδεν ἄγγελον*, id quod ad narrationem Lucæ propius accedit. Vide huc Cl. *Elsnerum* p. 415. cui inter cetera Eusebius Josephi mentem exprimere voluisse videtur, quem bubonis nomine Angelum illum mortis indicasse crediderit, ex vulgata gentis suæ opinione. Judæi enim credunt, Angelum illum *avis instar adventare, interdum sagittæ excussæ modo.* Vide *Rabboth*, fol. 262. 1. 2. & 204. 2. *capitibus autem morti vicinorum imminere*: vide *Sohar* Part. III. f. 126. 2. Similiter profani Furiarum unam in bubonem aut noctuam conversam nunciare aut infligere mortem censuerunt, ut *Virgil.* Æneid. XII. v. 849. Lege *Elsnerum* l. c. & *Bochartum* Hierozoici Part. II. lib. VI. c. 9. Quicquid hujus erit, Lucæ fides ex Josephi auctoritate non pendet, vel potius alter cum altero facile conciliabitur, si dicamus, Lucam Numinis, Angelum percussorem mittentis, nutum hic indicare, Josephum autem ominis aliquid, mortem Herodis præsignificantis & communi sermone tunc celebrati, commemorare. Hoc sane malim, quam cum *Jo. Harduino* in Prolusione de Numis Herodiadum p. 57. diversam Lucæ & Josephi narrationem inde factam existimare, ut Sacer Scriptor non historicam veritatem, sed allegoricum scribendi genus secutus credatur. Idem Harduinus mortem Herodis in A. C. XLIII. refert ideo, quod nulli deinceps ejus numi compareant.

ἀνθ᾽ ὧν οὐκ ἔδωκε τὴν δόξαν τῷ Θεῷ) Idem firmant l. c. *Josephus οὐκ ἐπέπληξε*, inquiens, *τούτοις ὁ βασιλεὺς, οὐδὲ τὴν κολακείαν ἀσεβοῦσαν ἀπετρέψατο*, *nec hos* (adulatores) *reprehendit Rex, neque impiam adulationem repulit.* Ob similem causam Hesiodus in Ἐργ. v. 137. homines argentei sæculi deletos ait:

- - - - οὕνεκα τιμὰς
Οὐκ ἐδίδουν μακάρεσσι θεοῖς.

Kkkk kkk καὶ

καὶ γενόμενος σκωληκόβρωτος) *Bochartus* l. c. vermibus Herodem periisse affirmat, atque idem nuper quoque adstruxit *Yvo Gaukes* in dissert. Physica de Herode a vermibus exeso more Mathematico elaborata, quæ exstat in Biblioth. Bremens. Class. V. p. 959. sqq. ubi contendit, Angelum vermes in Herodis corpore produxisse ad divinum nutum, ovis scilicet e muscis in illud magno numero delatis. Alii phthiriasi seu morbo pediculari correptum credunt, inter quos est *Kuhnius* ad Æliani Var. Hist. lib. IV. c. 28. quem contra Bochartum satis evidenter hoc ostendisse arbitratur *Elsnerus* p. 417. Atque hic præterea observat, id morbi genus profanis Numinis contemtoribus alias quoque immissum legi, ut vel sic intelligerent, *homines se esse*, i. e. vermes. *Job.* XXV. 6. De *Epiphane* id relatum lege 2 *Maccab.* IX. 9. de *Maximiano* apud Lactantium de mortibus Persecutorum p. 223. de aliis alibi, de quibus Columbus ad Lactant. p. 305. & *Kuhnius* l. c. exponunt. Confer de hoc Herodis morbo *Bartholinum* de Morbis Biblicis c. XXIII. Fascic. V. Opusc. ad Philolog. & Histor. spectantium p. 498. sq. qui illorum potius partibus accedit, qui verminationem Herodi statuunt immissam. *Nam σκώληξ*, inquit, *vermem notat, non pediculum. Pedicularis morbi exempla passim exstant. Non pauciora verminantis. Vermes quippe a putredine omnes corporis partes infestant, internas pariter & externas, ut observationum libri testantur. In ipso sanguine putridarum febrium vermes observavit* Kircherus *de peste, in venæ sectione quoque* Pet. Borellus c. 3. *Obs. IV, nosque Hafniæ similia vidimus. Hinc corrupto sanguine & verminoso non mirum, si totum corpus verminosum fiat. Verminosorum exempla recitat* Marcellus Donatus *de Med. Hist. Mirab.* c. V. lib. I. Atque in hac sententia & nos dequiescimus, inprimis cum *Josephus* quoque l. c. σκώληκας commemoret i. e. *vermes*; cum φθεῖρας dicere potuisset, siquidem de pediculis speciatim hic cogitasset.

Vers. 25. ὑπέστρεψαν ἐξ Ἱερουσαλὴμ) Codd. nonnulli legunt hic εἰς Ἱερουσαλὴμ, quos sequuntur editiones quædam, cum quibus facit B. *Lutherus*, in nonnullis saltem editt. Dubitat *Erasmus*, an perperam? Sed recte monet *Millius*, id omnino perperam fieri & contra fidem historiæ: quæ missos dicat Hierosolymam, ut subvenirent pauperibus ex pecunia collecta Antiochiæ cap. XI. 30. indeque reversos Antiochiam, unde venerant. Hinc & Codd. MSS. quidam pro ἐξ Ἱερουσαλὴμ habent εἰς Ἀντιόχειαν, alii vero plenius ἐξ Ἱερουσαλὴμ εἰς Ἀντιόχειαν. Adde in eandem sententiam præter *Erasm. Schmidium* in Notis ad h. l. Rev. *Pfaffium* de Variant. Lect. N. T. p. 235. & *Starckium* in Notis Selectis p. 25.

πληρώσαντες τὴν διακονίαν) *postquam ministerium expleverant*, quod scilicet in se certo pacto susceperant, se pauperum curam habituros, & eleemosynas Antiochenorum Hierosolymam delaturos. Conf. *Galat.* II. 10. & supra XI. 29. 30. Itaque hic διακονία non de ministerio quocunque, sed de eo speciatim accipienda est, quod ad eleemosynas tum colligendas tum admi-

administrandas refertur. Confer, quæ scripsimus supra ad XI. 29. & lege *Rhenferdii* Disput. de Decem Otiosis p. 160. §. 50. B. *Lutherus* eleganter: **sie überantworteten die Handreichung**, pro qua versione lege B. *Raithii* Vindicias p. 459.

CAP. XIII.

VErs. 1. Ἦσαν δέ τινες -- προφῆται) Prophetæ hi sunt ministri Ecclesiæ extraordinarii, qui donis Spiritus S. instructi, *Eph.* III. 5. nonnunquam futura quoque prædicabant, ordinarie tamen populum salutari doctrina instruebant. Vide supra XI. 27. & infra XV. 32. nec non ea, quæ, Deo dante, dicentur ad Eph. III. 5.

καὶ διδάσκαλοι) Hos Paulus jungit Pastoribus *Eph.* IV. 11. *Rich. Simon* in notis ad Vers. Gall. comparat cum Rabbinis, in Synagogis docentibus, quos Græci hodierni eodem nomine appellent.

Μαναήν τε Ἡρώδου τοῦ τετράρχου σύντροφος) *Menachem* quidam memoratur in *Chagiga* cap. II. fol. 16. 2. tanquam qui ad indolem malam h. e. a doctrina Pharisæorum discesserit. *Videri hinc posset*, inquit *Altingius* in Schilo lib. IV. cap. XXI. Tom. V. Opp. p. 100. *Menachem istum in N. T. quoque commendatum fuisse, ni temporis ratio obstaret. Etenim Act. XIII. 1. inter Prophetas & Doctores Ecclesiæ Antiochenæ recensetur* Μαναήν. *Nam huic convenit utrumque attributum Talmudicum, & quod concesserit in ministerium regium, aulæ adscriptus ab Herode Magno, qui una cum hujus filio Herode Antipa, Galilææ tandem tetrarcha, educaretur: &, quod degenerarit a Pharisaismo, amplexus, æque ac Saulus, cui conjungitur, doctrinam Christianam. Verum ætas non respondet, cum Menachem iste Hillelis collega esse desierit jam ante patratam ab Herode Magno Ezechiæ latronis cædem, eoque pluribus annis ante natum Herodem illum, cui* σύντροφος *& coætaneus statuitur. Propius igitur vero est, notari Manachemum Essenum, qui Herodi puero regnum Judæorum fatidico Spiritu promiserat, & cum Pollione & Samea commemoratur Josepho lib. XV. Antt. cap. XIII. Nam quia Herodi gratissimus vixit (utpote qui regni spem primus fecisset, quique ejus diuturnitatem jam Regi pollicitus esset) ad ministerium Regis egressus, non immerito dici; quia etiam Essenorum sectæ adhæsit, inter degeneres numerari pari jure a Pharisæis potuit.* Hæc ille.

Ἡρώδου σύντροφος) Solebant veteres, qui ditiores erant, non solum magistros liberis suis, sed & collusores dare, qui una cum ipsis educarentur. Hos συντρόφους vocabant, ut patet ex *Plutarchi* Pædagog. cap. VI. Hujusmodi collusores, Regum inprimis, aliquoties commemorat *Polybius*, ut p. 499. ubi Samus σύντροφος τοῦ βασιλέως vocatur, item p. 591. 1310. & 1434. Confer *Raphelii* Notas Polybian. p. 340.

Vers. 2. Λειτουργούντων δὲ αὐτῶν) i. e. cum prædicarent Evangelium, ut ex-

exponit *Maximus Margunius* in notulis ad Verf. N. T. Græcobarbaram. Conf. *Rich. Simonis* Hiftor. Critic. N. T. lib. II. pag. 230. Idem fibi voluit *Vulgatus*, vertens: *miniftrantibus autem illis*, quod perperam *Erafmus* interpretatus eft: *cum autem facrificarent*, ad Miffam fcilicet verbum hoc referens, & recte ideo notatus ab eodem Simone l. c. pag. 260. Confer omnino *Ifaaci Cafauboni* Exercitatt. Anti-Baronian. XVI. n. 41. *Wolfburgii* Obfervatt. Sacras p. 367. inprimis vero Rev. *Deylingii* Obfervatt. Sacr. Part. I. pag. 144. fqq. qui data opera oftendit contra Pontificios, τὸ λειτουργεῖν hic per *facrificare* converti non poffe, nec miffaticum Romanorum facrificium inde defendi. Adde *Suicerum* Tom. II. p. 219.

εἶπε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον) Apud Clementem Alexandr. lib. VI. pag. 636. Petrus hæc ad Apoftolos dixiffe Dominum teftatur: μετὰ δώδεκα ἔτη ἐξέλθετε εἰς τὸν κόσμον, μή τις εἴπῃ, οὐκ ἠκούσαμεν. *Poft duodecim annos egredimini in mundum, ne quis dicat: non audivimus.* Atque eam revelationem h. l. refpici *Dodwvellus* exiftimat de Jure Laicorum Sacerdotali pag. 204. Sed nullum fe illius hic veftigium videre recte pronunciat Cl. *Fabricius* in Notis ad Codicem Apocr. N. T. pag. 332. etfi Apoftolos per duodecim annos Hierofolymis manfiffe, non obftante perfecutione Act. VIII. 14. ex Luca quoque probabile videatur.

ἀφορίσατε δή μοι) Hinc Paulum fe ἀφωρισμένον vocare *Rom.* I. 1. exiftimat *Debraifius* in notis ad hanc Epift. p. 213. Confer huc *Jo. Joach. Schoberi* Barnabam fegregatum, *Dresd.* 1652.

Verf. 3. Τότε νηστεύσαντες) Vide huc *Guil. Beveregium* ad Synodicon p. 10. In hujus jejunii memoriam Græci hodieque jejunium celebrant, quod *Sanctorum Apoftolorum* vocant, ab hebdomade poft Feftum Pentecoftes usque ad Feftum S. Petri. Vide *Ricautum* de Statu Ecclef. Græcæ p. 135. fq.

Verf. 5. εἶχον δὲ καὶ Ἰωάννην ὑπηρέτην) *Johannes* hic eft, cui *Marci* cognomen erat, fecundum XII. 12. & 25. cujusque mentio recurrit infra v. 15. & XV. 37. item *Col.* IV. 10. & 2 *Tim.* IV. 11. Hic vocatur *Pauli & Barnabæ* minifter, cujus fcilicet erat συνελθεῖν εἰς τὸ ἔργον, una cum iis concurrere ad opus Evangelii peragendum. Hebræi dicerent שמש. Conf. *Vitringam* de vetere Synagoga pag. 654.

Verf. 6. Βαριησοῦς) Syrus reddit *Bar Schuma*, quod nonnulli ex *Gen.* VI. 4. אנשי השם interpretantur: *filius nominis. Lightfootus* autem in Horis h. l. mavult *filius tumoris*, vel *vulneris*, quia שומא & סומא *tumorem* feu *puftulam* inferat. Adde **freywilliges Heb-Opffer** Tom. III. pag. 241. item *Jo. Drufium* in Comment. priori ad Voces Hebr. p. 26. & pofteriori p. 185. qui exponit per *filius maculæ*. Malim ego hominem hunc dictum quafi *filium Jefu*, vel *Jofua*, ut Βαριωνᾶ, Βαρτίμαιος &c.

Verf.

Verſ. 7. Ὃς ἦν σὺν τῷ ἀνθυπάτῳ) Ἀνθύπατος proprie notat *Proconſulem* q. d. ἀντὶ ὑπάτου. Nam Conſules Romani dicebantur ὕπατοι, quaſi ὑπέρτατοι *ſummi*, ab ὑπὲρ, *ſuper*: quia erant ſupremus magiſtratus ordinarius. Illi vero in provinciis Senatus Populique Romani mittebant ſuos Proconſules, ἀνθυπάτους, qui conſulatu functi erant. Talis erat Aſia, Africa, &c. In reliquas vero provincias, quæ erant Cæſaris, mittebantur *Propratores*. Hujusmodi vero erat Cyprus, de qua h. l. agitur. Quæ cauſa eſt, cur *Grotius* hic κατάχρησιν ſtatuat. Sed eam, non opus eſt, ut admittamus. Diſerte enim de Cypro ita Dio Caſſius lib. LIV. p. 523. Τότε δ' οὖν καὶ τὴν Κύπρον, καὶ τὴν Γαλατίαν τὴν Ναρβωνησίαν ἀπέδωκε τῷ δήμῳ, ἅτε μηδὲν τῶν ὅπλων αὐτοῦ δεομένας. Καὶ οὕτως ἀνθύπατοι καὶ εἰς ἐκεῖνα τὰ ἔθνη πέμπεσθαι ἤρξαντο. *Tunc igitur & Cyprum, & Galatiam Narbonenſium dedit populo* (Auguſtus) *utpote, quæ ipſius armis non indigerent. Atque ita Proconſules quoque ad illas gentes mitti cœperunt.* Hæc rectiſſime obſervavit Cl. *Jo. Alberti* in O. S. p. 249. Confer in eandem ſententiam omnino Hiſt. Critic. Reip. Literar. Tom. XV. pag. 274. ſq.

Verſ. 8. Ἐλύμας ὁ μάγος) Idem ſcilicet v. 6. vocatur Βαριησοῦς. Ἐλύμαν multi putant nomen eſſe Arabicum a voce *Alim, elymon* i. e. *ſciens, ſapiens*, deductum. Ita *Fullerus* Miſcell. V. 11. *Druſius*, *Grotius*, *Lud. de Dieu* & alii a B. *Pfeifero* in Ebraicis & Exoticis N. T. Loc. XXXIX. qui & ipſe ita ſentit, laudati. Adde illis *Steph. le Moyne* Notas ad Varia Sacra p. 460. *Hackſpanii* Miſcellanea p. 260. & *Bocharti* Hierozoicon Part. I. pag. 750. ubi locum ex Scriptore Arabe affert, in quo magi hoc nomine appellantur. Alii alias conſectantur nominis hujus rationes, quas lege apud Pfeiferum l. c. Interim caveaudias *Scaligerum*, origini iſti Arabicæ id opponentem, quod in Cypro lingua Arabica in uſu non fuerit, atque adeo expoſitio per μάγος, quæ ſit in textu, pro non genuina, & quæ poſtliminio acceſſerit, haberi debeat. Vide eum in Scaligeranis p. 134. ubi addit: *Ἐλυμᾶς circumflexe in ultima, ut Ὀλυμπᾶς idem cum Elymoceros.* In promtu eſt, quod reſpondeatur Scaligero. Nonne enim Elymas Magicas illas præſtigias ab Arabibus, illarum alioquin ſtudioſis, didiciſſe, & ab iisdem nomen hoc ſimul cum arte ſua referre potuit? Nimium vero id eſt, quod interpretationem, quam textus ipſe adhibet, pro ſubdititia habet, quæ tamen a Codd. omnibus exhibetur, nec una voce, ſed pluribus conſtat, ac denique frequenti Scriptorum S. conſuetudine, peregrinas voces notioribus reddendi confirmatur. Non magis probandum eſt, quod Ἐλύμας in Ἐλυμᾶς ad formam Ὀλυμπᾶς converti vult. Ὀλυμπᾶς Græca vox eſt, ad cujus exemplum non refingenda erat peregrina. Confer de Elyma B. *Ittigii* Append. ad Hæreſiarch. p. 13. de etymologia vero B. *Raithii* Vindicias Verſionis Lutheri Germanicæ p. 461. ſq. ubi de B. Lutheri cogitatis.

Verſ. 9. Σαῦλος δὲ ὁ καὶ Παῦλος) Supple καλούμενος, quod paſſim omitti-

omittitur, maxime in Inſcriptionibus. Sic in Monumentis Palmyrenis pag. 1. *γίχος Μοκίμȣ, τȣ καὶ Ἀκιασίσȣ*, item p. 4. num. 7. *Μάλαν τὸν καὶ Ἀγρίππαν*, & alibi. Conf. *Jo. Alberti* Obſſ. Sacr. p. 250. De utroque hoc nomine dixi aliqua ad *Act.* VIII. 1. & IX. 1. Oſtenſum ibi inter cetera fuit, Paulum etiam in Judaiſmo fuiſſe binominem, quam in rem lege *Steph. de Brais* in Notis ſuper Epiſt. ad Roman. pag. 201. & *Sam. Basnage* in Exercitt. Anti-Baronian. pag. 165. ſqq. ubi & aliorum ſententias de cauſis mutati nominis exponit. Adde *Franckenſteinium* ad Epiſt. Philemonis p. 20. ſq. *Montacutium* Originum I. p. 97. & II. p. 9. ſq. & *Dodvvellum* in Differt. Cyprianic. V. §. 12. Nec omitte *Pet. Edv. Friis* Paulum binominem, *Hafn.* 1713. & *Jeſſenii Hannibalis Jeſſen* Onomatologiam Pauli ibid. 1701. *Jo. Harduinus* non facile aqud quenquam fidem inveniet, quando in Opp. Select. pag. 929. affirmat, nomen Σαῦλ non ab Hebr. שאול ſed שעל i. e. *pugillus*, aut exiguum aliquid, quod pugillo comprehendi poteſt, repetendum eſſe, ut proinde Hebræum Pauli nomen idem quod Latinum *Pauli* i. e. *exiguum*, *puſillum* inferat. Certe *Sauli* nomen inter Hebræos inde a temporibus Sauli Regis æque obvium eſt, atque *Pauli* inter Latinos, neque cogitandum, ſingulares quasdam cauſas fuiſſe, cur Apoſtolus hic a ſuis *Saul*, a Romanis vero, tanquam civitatis jure donatus, *Paulus* vocaretur. Quemadmodum nec mirum eſt, eundem, quod inter ſuos ut Judæus verſaretur, *Saulis*, deinde vero inter Romanos, & ceteras gentes degentem, *Pauli* nomen, tanquam utrinque notius, prætuliſſe. *Paulum Sergium* ipſi hujus nominis auctorem fuiſſe contra Baronium recte inficiatur *Sam. Basnage* l. c. p. 168. Cujus obſervata valent quoque contra *Lacerdam*, in Adverſariis p. 177. tum *Hieronymo* & *Auguſtino* adfirmantem, Paulum ipſum ſibi id nominis ab illo Paulo Sergio, tanquam primo Eccleſiæ ſpolio indidiſſe, idque in ſignum victoriæ, ab ejus incredulitate reportatæ, circumtuliſſe. Lege tu contra hæc differentem *Herm. Witſium* in Meletemat. Leidenſ. p. 47. ſqq.

Verſ. 10. *ὦ πλήρης -- πάσης ῥᾳδιȣργίας*) *ῥᾳδιȣργία* Atticis ſignificat levitatem & ocium. Hic vero, ut & alias, audaciam & improbitatem ſingularem infert. Sic *Polybius* lib. IV. *τῶν ῥᾳδιȣργῶν καὶ κλεπτῶν φῦλον* dicit. Conf. *Raphelii* Notas Polybian. p. 340.

Verſ. 11. *καὶ ἔσῃ τυφλὸς, μὴ βλέπων τὸν ἥλιον*) Ita *Callimachus* in Hymno Palladis v. 89. -- *ȣ̓κ ἀέλιον πάλιν ὄψεαι.* Id vero morte gravius dicitur a choro ſenum Thebanorum apud Sophoclem in Oedipo v. 1382. *Κρείσσων γὰρ ἦσθα μηκέτ' ὢν, ἢ ζῶν τυφλός.*

Verſ. 13. *περὶ τὸν Παῦλον*) i. e. *Paulus, & qui cum eo erant.* Sic *Polybius* pag. 113. *τȣ̀ς δὲ περὶ τὸν Γέσκωνα λαβόντες.* Confer *Raphelii* Annotatt. Polybian. pag. 341.

Verſ.

Verf. 14, τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων) *Jof. Scaliger* hic, ut alias, legi vult ἡμέρᾳ σαββατῶν ex Hebr. שבתון. Sed vide, quæ contra hanc immutationem difputavimus ad Matth. XXVIII. 1.

καὶ εἰσελθόντες ἐκάθισαν) i. e. occuparunt fedes docentium, quod federe κατ' ἔμφασιν eft in Scripturis Sacris. Sciverunt enim inde Archifynagogi, eo forte animo illos Synagogam ingreffos effe, ut docerent. Hinc commate fequenti Lucas refert, eos ab Archifynagogis ad docendum invitatos effe. Quænam ratio fuiffet, ut Archifynagogi hos homines fibi, ut plane videtur, ignotos, ad dicendum invitaffent, fi communia vulgi occupaffent fubfellia; nulloque ex indicio de eorum aptitudine & docendi animo facti fuiffent certiores? Et quodnam id effe potuit fignum, quam *feffio*, cum nihil aliud de ipfis referatur, quam, quod Synagogam ingreffi confederint? Vide huc *Altingium* in Schilo lib. III. c. 6. & *Vitringam* de vetere Synagoga p. 710. & in Archifynagogo p. 304.

Verf. 15. Μετὰ δὲ τὴν ἀνάγνωσιν τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν) De confueta illa legis & Prophetarum lectione in Synagogis commentatur diligenter *Vitringa* de Vetere Synagoga p. 950. fqq. & 985. fq. Peracta ejusmodi lectione aliquem vel de Synagoga, vel advenam pro concione dicere folitum effe commonftrat *Henr. Dodwellus* de JureLaicorum p 177. fqq. & 186. fqq. Ita Chrifto traditus eft Jefaiæ liber *Luc.* IV. 16. Confer dicenda ad XV. 21

ἀπέστειλαν οἱ Ἀρχισυνάγωγοι πρὸς αὐτοὺς) Vide ad v. 14. Plures hic memorantur *Synagogæ Principes* feu *Præfecti*, tanquam moderatores folemnium in ea peragendorum: vel quod Antiochiæ fuerit Presbyterium aliquod, five ישיבה i. e. confeffus doctorum Virorum, qui in Synagoga, dum folemnia ejus celebrarentur, præfederit; five quod, deficiente Literatorum copia, inftitutus ab illis Pifidis Antiochenis alius aliquis fuerit SenatusPræpofitorum Synagogæ, qui Paulo, five confentiente Magiftro Synagogæ, five illo abfente, five etiam illa Synagoga Magiftrum non habuerit, copiam dicendi fecerint. Ita *Vitringa* de Vetere Synagoga p. 582. Conferatur idem de Decem Otiofis p. 247. & *Rhenferdii* Differtat. de iisdem p. 229.

Verf. 16. Ἀναστὰς δὲ Παῦλος) Stantis habitum in concionante requirit Maimonides. Neque tamen ille perpetuus fuit docentibus veli n Scholis vel in Synagogis, quod ex hiftoria N. T. & Chrifti inprimis exemplo patet. Lege *Vitringam* de vetere Synagoga p. 710.

καὶ κατασείσας τῇ χειρὶ) Vide fupra ad XII. 17. & confer ad h. l. *Dougtai* Analecta N. T. p. 79.

καὶ οἱ φοβούμενοι τὸν Θεὸν) Hi alibi vocantur σεβόμενοι τὸν Θεὸν, ut *Actor.* XVII. 4. & 17. Sic Lydia dicitur σεβομένη τὸν Θεὸν *Act.* XVI. 14. Quinam

nam vero illi sint, ex hoc inprimis loco manifestum est. Ἄνδρες enim Ἰσραηλῖται i. e. *Judæi nati*, distinguuntur a τοῖς φοβουμένοις τὸν Θεὸν h.e.a προσηλύτοις, *proselytis portæ*, ut jam *Oecumenius* interpretatus est. Universus itaque audientium cœtus in Judæos & Proselytos hic distinctus comparebat, quorum illi ex una, hi ex altera Synagogæ parte subsellia occupare consueverant. Lege huc *Pet. Jurieu* in Historia Dogmatum & Cultuum Part. I. c. 7. & ex nostratibus Rev. *Salom. Deylingium* in Observ. Sacr. Part. II. p. 352. sqq. qui hac occasione diversa Proselytorum genera & conditionem ex Judæorum antiquitate diligenter describit.

Vers. 17. καὶ τὸν λαὸν ὕψωσεν ἐν τῇ παροικίᾳ ἐν γῇ Αἰγύπτῳ) *Et populum evexit, cum essent inquilini in terra Ægypti.* Sic in fine Prologi *Siracidæ* οἱ ἐν τῇ παροικίᾳ sunt *Judæi, inquilinorum more in Ægypto degentes*: & lib. *Sapient.* XIX. 10. ἐμέμνηντο γὰρ ἔτι τῶν ἐν τῇ παροικίᾳ αὐτῶν, *memores enim adhuc erant eorum, quæ accidissent, cum essent inquilini.* Conf. *Boisii* Collationem p. 398. Ex hac interpretatione definiri potest, qua de re vox ὑψῶν h. l. accipienda sit: nempe de *dignitate*, in quam a Deo vecti sint Israelitæ, cum adhuc in Ægypto, terra peregrina, commorarentur. Illius autem *dignitatis* & *evectionis* varia capita commonstrari possunt, v. c. gratia singularis, qua & Josephus, & fratres ejus, horumque posteri nonnulli apud Ægyptiorum Reges valebant, tum fœcunditas regionis, cujus fructum inprimis ad amplificandas res suas capiebant; multiplicatio posterorum, quæ tanta erat, ut ab eorum copia ipsi Ægyptii sibi timerent. Conf. *Exod.* I. 9. 10. & XII. 37. denique tutela divina, per quam omnibus vexationibus & calamitatibus, postea insecutis, superiores reddebantur. Conf. *Jo. Buxtorffii* Catalecta Philolog. Theolog. p. 243. Hinc patet, τὸ ὑψοῦσθαι *de populo Israëlitico, quamvis ob aliena sacra & vitam pastoritiam Ægyptiis semper inviso*, recte hoc sensu usurpari posse, nec proinde opus esse, ut aliam huic verbo notionem cum Cl. *Elsnero* p. 418. tribuamus. Is enim τὸ ὕψωσε idem h. l. esse vult, quod ἔῤῥυσε, i. e. *eripuit, vindicavit, liberavit populum* ex servitute & calamitatibus, quibus opprimebatur, cum habitaret in Ægypto. Hoc sensu ait verbum ὑψῶν usurpari a LXX. Intt. Ps. IX. 14. ὁ ὑψῶν με ἐκ πυλῶν τοῦ θανάτου & XVII. 48. ὁ ῥύστης με ἐξ ἐχθρῶν ὀργίλων, ἀπὸ τῶν ἐπανισταμένων ἐπ' ἐμὲ ὑψώσεις με, ἀπ' ἀνδρὸς ἀδίκου ῥύσῃ με, item Jes. LXIII. 9. Rationem phraseos idem inde repetit, quod, qui exaltatus seu in alto loco constitutus est, facile hostium impetus evitat eluditque, altior quippe positus, quam quo hostium vis & ira pertingere possit. Mihi quidem ipsa illa, quæ afferuntur, loca, non simpliciter, nec primario *liberationem* inferre videntur, sed conditionem & statum feliciorem honoratioremque, qui eam consequi solet. Unde & in omnibus illis locis liberationis diserte fit mentio. Itaque τῷ ὑψῶν propria sua & communis notio constat, atque h. l. tenenda est, ideo, quod post τὴν ὕψωσιν commemoratur eductio ex Ægypto & liberatio a servitute.

Vers.

Verſ. 18. *Καὶ ὡς τεσσαράκοντα ἔτη ἐτροποφόρησεν αὐτοὺς*) Nonnulli Codd. ut Alex. Cant. Laud. 3. Cant. 2. verſiones item, ut *Syr. Arab. Æthiop.* legunt ἐτροφοφόρησεν. Eandem vocem habet *Heſychius*, qui ad h. l. nonnullis reſpexiſſe videtur. Habent vero etiam οἱ LXX. *Deut.* I. 31. ad quem iidem Paulum hic putant alluſiſſe. Hinc recentiorum nonnulli legere h. l. malunt ἐτροφοφόρησεν, ut ſic indicetur cura ſingularis, qua Deus inſtar Parentis populum ſuum, ut liberos ſuos, in ſinu geſtarit, protexerit, & aluerit. Ita ſtatuunt *Hammondus* ad h. l. *Heinſius*, *le Cene* in Conatu verſionis novæ p. 595. ex noſtratibus vero C. M. *Pfaffius* in Diſſert. Critica de Var. Lection. N. T. p. 230. Inprimis vero hanc ſententiam ornandam ſuſcepit *Millius* in Notis ad h.l.& in Prolegomenis §.863. qui ſpeciatim erroris hujus originem a librariis repetit, qui a ſimilitudine τοῦ π & φ, qualis inter veteres obtinebat, ſibi non caventes inter ſcribendum alteram literam cum altera permutarint. In eandem ſententiam inclinat *Caſaubonus* in Caſaubonianis p. 93. cujus hæc ſunt verba: *Videndum, an legi debeat τροφοφορεῖν. Nam manifeſte alluditur ad Deuter. I. 31. Ibi eſt in Hebr.* נשא *& videtur eſſe bajulare more infantum lactantium. Exſtat & vox in Maccab.* Confer ibi notas meas p. 294. Non alienus ab eadem conjectura primo intuitu videtur *Jo. Boiſius* in Collatione p. 399. deinde tamen p. 400. rem in medio relinquit, his uſus verbis: *Quid alii ſentiant, neſcio; mihi certe videtur hoc verbo, ſive compoſitionis priorem partem vendicet ſibi τρόπος*, ſive *τροφὸς* (*de eo enim non litigabo*) *declarari tolerantia quædam ſingularis & eximia, nec alibi reperienda, quam aut in parentibus tenerrimo affectu præditis, aut in diligentiſſimis nutricibus, aut in illis denique, qui parentibus & nutricibus quam ſunt ſimillimi. Dici enim non poteſt, quot & quanta, quamque conſtanter tolerent parentes οὐκ ἄστοργοι, liberorum adhuc ope ipſorum indigentium cauſa. Igitur Lucas Evangeliſta ſummo judicio, cum ſignificare vellet Iſraëlitis in eremo errantibus nunquam defuiſſe plus quam paternam curam & tolerantiam Dei, hoc vocabulum, quod multorum in ſe vim complectitur, adhibuit.* Tandem vero idem profitetur, verbum τροποφορέω multo magis ſibi placere, quam τροφοφορέω, non ſolum euphoniæ gratia, ſed etiam quia libri plerique omnes in ea conſentiant lectione, & quia ſic ſcriptum repererit apud Ciceronem ep. XXIX. lib. XIII. ad Atticum: *Nihil eſt, quod ego malim. In hoc τὸν τῦφόν μου, πρὸς θεῶν, τροποφόρησον.* Denique τὸ ἐτροποφόρησε ita idem παραφράζει· ἦρε καὶ ἐβάστασεν αὐτοὺς, ὥσπερ τροφὸς τὸν υἱὸν, *non deſiit eos in eremo, tametſi contumaces eſſent & rebelles, fovere & defendere, & perpetua ſua cura proſequi.*

Recte omnino is ſervat communem lectionem, a qua diſſentientium argumenta nec nos dimovent. Provocant illi ad Codd. MSS. Sed horum vix duo ſunt, *Alex.* nempe & Laud. 3. Nam in *Cantabr.* exſtat ἐτροποφόρησεν, (ubi Millius ἐτροφοφόρησεν ſcribi debuiſſe contendit, ex Latina quæ ibidem exſtat verſione: ac ſi nutrix aluit) nec non in Cant. 2. ubi literæ π in ἐτροποφόρησεν viridem colorem ſuffuſum eſſe idem teſtatur, ut appareret, eam perperam in locum φ ſuffectam eſſe. Pro recepta itaque

 lectione

lectione hactenus faciunt Codices tantum non omnes. Iidem obvertunt nobis versiones quasdam. Sed nec ex illis effeceris, Auctores earum vere legisse τὸ ἐτροφοφόρησεν, quamvis *nutriendi* vel *alendi* aut gestandi notionem expresserint. Nam idem facere potuerunt, etiamsi legissent ἐτροποφόρησεν. Hoc enim verbum non tantum ad *morum tolerationem*, sed & quamvis aliam curam recte referri posse, *Gatackerus* in Adversariis p. 413. & *Boisius* in verbis allatis ostenderunt. His praeterea versionibus jure opponi potest *Vulg.* antiquissima, quæ habet: *mores eorum sustinuit.* *Hesychium* in suo ἐτροφοφόρησεν, quod per ἔθρεψε explicat, ad h. l. respectum habuisse, non constat. Quid si enim potius 2. *Maccab.* VII. 27. spectarit, ubi idem verbum τροφοφορέω legitur? Nec *Deuteronomii* locus multum præsidii hic affert, ubi hodie ἐν τοῖς LXX. communiter legitur ἐτροφοφόρησεν. Nam & ibi Codd. nonnulli a *Lamb. Bos* allati, exhibent nostram lectionem: ἐτροφοφόρησεν, quam *Origenes* quoque quaternis vicibus, Deuteronomii locum afferens, inculcat, nempe lib. IV. contra Cels. p. 210. Hom. XVIII. in Jerem. p. 169. ed. Huetii, Comm. in Matth. p. 459. & 475. Itaque ex his tum Codd. tum allegationibus genuina lectio ex τοῖς LXX. restitui, & in nostro loco firmari poterat. Certe verbum ἐτροποφόρησεν ibi respondet Hebræo נשא. Hoc autem efficacius & convenientius ibi per τροποφορεῖν exprimi ex eodem capite v. 9. apparet. Moses enim testatur, se aliquando populo professum esse (*Exod.* XVIII. 18.) se solum ipsos *ferre* non posse לא אוכל לבדי שאת אתכם. Quomodo id intellectum cupiat v. 12. edisserit: איכא אשא לבדי טרחכם ומשאכם וריבכם i. e. *quomodo ferre possem laborem, molestiam & altercationem vestram?* Quid igitur obstat, quo minus idem verbum נשא v. 31. ubi ad Deum respectu Israëlitarum referunt, de sustinendis Israëlitarum moribus parum commodis, querelis item frequentibus, & pervicacia inprimis interpretemur? Similiter de Deo dicitur *Rom.* IX. 22. vasa iræ ἤνεγκεν ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ. Conf. *Psalm.* LXXVIII. 38. & XCV. 10. In tantum itaque largiemur, Apostolum ad h. l. allusisse, & sic eandem, quæ ibi ἐν τοῖς LXX. olim exstitit, lectionem retinuisse. Quod si vero dissentienti hæc minus placeant, persuaso forte, τοὺς LXX. omnino scripsisse ἐτροφοφόρησεν, id minimum ipsi probandum certo argumento fuerit, quod Paulus ad illa Mosis verba hic alluserit. Sed urgetur amplius, facilem librariorum in permutandis literis π & φ lapsum esse. Sed hinc pugnari pro recepta quoque lectione potest. Facilius enim mihi persuadeo, fieri potuisse, ut duo librarii ἐτροφοφόρισεν scripserint pro ἐτροποφόρησεν, quam ut tot alii, qui nostram exhibent, in hunc lapidem impegerint. Instat *Millius*, *Mosen* in loco Deuteronomii *populum ad facta fortia cohortari, quod facere non potuerit ex eo, quod Deus mores eorum per 40. annos sustinuerit.* Sed recte respondet *Whitbius* in Examine Var. Lection. pag. 53. potuisse omnino Mosen hoc argumento populum ad fortiter agendum incitare, ideo, quod idem Deus pro ipsis pugnaturus sit, cujus potentiam & voluntatem in se ex tot miraculis in Ægypto & de-

ferto, vel sub ipsa pertinacia editis, intellexerint. Obvertit denique, incongrue dici, Deum Israelitarum mores in eremo sustinuisse, imo nec vere ita dici, cum eos omnes præter unum alterumve in deserto prostraverit? Enim vero hæc Mosis verba ante illam stragem ad populum perlata sunt. Diserte enim ait v. 28. se hanc cohortationem ad ipsos detulisse, cum Amoritarum regio expugnanda esset.

Nihil puto me omisisse eorum, quæ adversus receptam lectionem cum ratione aliqua urgeri posse videbantur. His autem, ut puto, enervatis, non est, ut deferamus τὸ ἐτροποφόρησεν, cujus γνησιότητα defendunt quoque *Gatackerus* in Adversariis Posthum. p. 413. *Jo. Spencerus* de Legibus Hebræorum Ritual. p. 764. & ex nostratibus Rev. *Deylingius* in Obss. S. p. 347. & *Starckius* in Notis Selectis p. 118. Vide etiam *Jo. van der Waeyen* in Variis Sacris p. 405.

Jam proxime videndum est, quomodo illud τροποφορεῖν h. l. accipiendum sit? Non diffiteor, eos se mihi præ ceteris probare, qui ex voce τρόπος, quæ *mores* infert, conficiunt, longanimitatem Dei vel unice vel saltem potissimum indicari, quam Deus in perferendis Israelitarum moribus parum commodis præ se tulerit. Id scilicet *Æschylus* dixit τοῖς τρόποις ὑπηρετεῖν. Id vero præstitit Deus in Israelitas, quando non statim in pervicaciam eorum, querelas, murmura, & ad pristina peccata redeundi facilitatem graviter animadvertit, sed potius repetitis dehortationibus, cumulatis minis, tum vero largitione eorum, quæ impatienter nonnumquam postulabant magis, quam petebant, ab improba mente revocandos censuit. Hujusmodi exempla exstant *Exodi* XVI. & *Numer.* XI. & alias. Confer *Ps.* LXXVIII. 38. XCV. 10. CVI. 23. & *Ezech.* XX. 17. In hanc sententiam lege ex nostratibus Rev. *Deylingium* l. c. pag. 351. *Jo. Henr. Heideggerum* in Exercitt. Biblic. Diss. X. pag. 291. & *Suicerum* Tom. II. Thesauri pag. 1319. Deserendus itaque omnino est *Spencerus*, quando de LL. ritualibus Hebr. pag. 764. hic intelligi putat consuetudines gentium superstitiosas, quibus Hebræi indulserint. Harum enim alias Deum ait tolerasse, alias vero, quas viderit ineptias esse tolerabiles, aut ad mysterium aliquod adumbrandum aptas, in sacra sua cooptasse. Sententiam hanc non vanam minus, quam periculosam pro merito castigavit *Deylingius* l. c. pag. 350. & ante eum *Witsius* in Ægyptiacis p. 292. *Si enim*, inquit hic, *per mores illos intellexisset Paulus consuetudines extra culpam positas, & in rituum divinorum numerum assumtas; non erat res memorabilis, neque divinæ clementiæ argumentum, quod mores inculpatos, imo vere legibus suis præscriptos toleraverit. Nec toleravisse tales mores dicendus erat, sed approbasse, laudasse, & præmiis prosecutus esse. Sed nec de malis moribus intelligi, inquit, potest. Imo vero, inquam ego, debet. Nam boni præceptique non tolerantur. At, ais, malos illos* non toleravit, sed ultus est Deus. *Recte: Sed infra meritum ultus, neque in omnibus, neque semper.*

 Ezech.

Ezech. XX. 17. Pepercit tamen oculus meus illis, ne perderem illos, neque feci ex eis consummationem in deserto. Conf. præter citatos ad h. l. *Hæschelium* ad Origenem contra Celsum p. 210. & *Suicerum* Tom. II. Thesauri p. 1319. sqq.

Vers. 19. κατεκληροδότησεν) Codd. nonnulli MSS. Patres & versiones legunt κατεκληρονόμησεν, atque id mavult *Millius*, etiam ideo, quod eadem voce οἱ LXX. utuntur *Deut.* I. 38. Sed recte jam monuit *Grotius*, eosdem Interpretes in convertendo verbo Hebr. נחל & הנחיל modo κατακληρονομεῖν, ut *Deuter.* III. 28. Jos. XIV. 2. modo κληροδοτεῖν adhibere, ut Jos. XIX. 51. & in ipso Deuteronom. I. 38. apud Kircherum. Simili verbo utitur *Polybius* pag. 269. κατέσυραν τὴν κατεκληρουχημένην χώραν h. e. *agros recens divisos populari aggrediuntur.*

Vers. 20. Καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα) *Codd.* nonnulli ita hæc exhibent, ut post ultimam v. 19. vocem αὐτῶν collocent, ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα, & tunc pergunt: καὶ μετὰ ταῦτα perturbato scilicet verborum ordine, ad evitandum calculi hujus difficultatem. Sed eam absque tali transpositione, adhibita ὑποστιγμῇ ad voces ταῦτα, & πεντήκοντα, plane tolli hic monuit *Millius.* Sensus enim erit: *Post hæc, quæ spatio* 450. *plus minus annorum, gesta sunt &c.* seu: *Post tempus hoc, quod intervallum erat* 450. *annorum, dedit Judices.* Id quod, facta cum Apostolo a tempore, quo Deus elegit patres v. 17. sive a natalibus Isaaci, in quo eos elegerat, ad κληροδοσίαν supputatione, verissimum erat. Nam ab Isaaco nato (seu anno Abrahami 100.) ad Exodum numerantur anni 405. ab Exodo (qui Calebi annus erat 40. *Jos.* XIV. 7.) ad κληροδοσίαν (annum ejusdem 85. v. 10.) 45. In universum, saltem ὡς, 450. Ita *Millius.* Eodem modo ante ipsum, ut versiones nonnullas & commentatores taceam, verba hæc fere interpretatus est B. *Calovius* noster ὁ πάνυ, in Critico Sacro p. 794. & in Bibliis Illustratis ad h. l. ubi & alios sibi ὁμοψήφους affert. Adde B. *Raithii* Vindicias Vers. Lutheri p. 463.

Sed displicuit hæc interpretatio *Jac. Perizonio*, in originibus Ægyptiacis pag. 277. ideo, quod hæc ipsa annorum 450. summa exsurgat ex annis Judicum, & annis servitutum in libro Judicum & Samuelis primo expressis. Vellem omnino, ut Vir alioquin ἱστορικώτατος annorum istorum calculum plene addidisset, & sic occasionem fecisset, rem ipsam hoc facilius ad liquidum perducendi. Sed commodum ea opera postea defunctus est Anonymus in epistola singulari, quæ Gallice prodiit cum binis aliis epistolis sub titulo: *Considerations sur trois d' entre les principaux points en dispute de l'Ecriture Sainte, Hag.* 1720. 8. Is scilicet, rejecta, quam diximus, verborum Apostoli interpretatione, ea de annis, qui inde a distributione terræ Canaan usque ad Samuelem, tempore Judicum, effluxerint, accipienda

pienda esse contendit, ita quidem, ut anni, quibus in terra Canaan interdum subjecti fuerunt gentibus, addantur iis, quibus, libertati vindicati, Judicum imperio paruerunt. His utriusque partis annis in summam ductis prodire putat annos 450. Ita vero instruit rationes. Observat pag. 118. sqq. ex libro Judicum, Israelitas subjectos fuisse

Syris aut *Aramais*,	Judic.	III. 8.	annis 8.
Moabitis		III. 14.	18.
Jabin		IV. 3.	20.
Midiani ·		VI. 1.	7.
Abimelecho		IX. 22.	3.
Philistæis		X. 8.	18.
Iisdem		XIII. 1.	40.
Hinc nascitur summa annorum			114.

Illis addit annos, quibus pace sunt gavisi sub

Othniele	*Jud.*	III. 11.	ann. 40.
Ehude		III. 30.	80.
Baraco & Debora		V. 31.	40.
Gideone		VIII. 28.	40.
Tola		X. 2.	23.
Jairo Gileadita		X. 3.	22.
Jephtha		XII. 7.	6.
Abesane		XII. 9.	7.
Elone		XII. 11.	10.
Habdone		XII. 14.	8.
Samsone		XVI. 31.	20.
Heli	*1 Sam.*	IV. 18.	40.
		Summa est ann.	336.

Quod si itaque anni 336. jungantur annis 114. prodibunt anni 450. Idem pag. 119. commode monet, particulam ὡς i. e. *quasi, circiter,* annis illis 450. additam vel sic locum habere, quamvis anni 450. integri ex hoc computo fluant. Annos enim utriusque generis, qui vel sub servitute, vel sub pace fluxerint, non semper ita plenos fuisse, ut non interdum uno alterove mense hinc deficerent, hinc excederent. His ita expositis, tandem ad nonnulla respondet, quæ exceptioni locum facere possent. Mihi quidem omnino consentaneum videtur, ut anni servitutis in terra Canaan, quæ nonnunquam Israelitas, ex Ægypto liberatos, oppressit, una cum annis illis, quibus tranquillo Judicum imperio iidem fruebantur, in supputationem 450. annorum advocentur, quia revera illi inter distributionem terræ Canaan, & Samuelis regimen, quod hic termini instar diserte figitur,

 inter-

intercesserunt. Et sic omnia sibi probe constant. Absit itaque, ut hic vel cum *Grotio* ob MSS. pauca ordinem verborum mutemus, vel cum nonnullis, invitis Codicibus omnibus, pro τετρακοσίοις legamus τριακοσίοις, quamvis ipsum hunc numerum B. *Lutherus* noster in versione sua expresserit; vel denique annos illos 450. a nativitate Isaaci usque ad distributionem terræ Canaan numerandos esse existimemus. Nam & in hac supputatione difficultates nonnullæ occurrunt, quales in altera illa, quam attulimus, non invenies. Absit quoque inprimis, ut cum *Campegio Vitringa* in Hypotyposi Historiæ Sacræ p. 47. edit. Leeuwardens. & p. 44. ed. Lips. integrum hoc comma a librario repetamus. *Sed vero,* inquit is, *id ipsum est, quod facit, ut credere vix possim, vel Paulum hos numeros ore expressisse, vel Lucam eos suo signasse calamo. Textus enim Lucæ, vis item atque elegantia orationis Paulinæ absque his numeris sibi plene constant: sed ut potius probabile habeam, librarium aliquem, hunc textum describentem, orationem Paulinam, collectis numeris ex libro Judicum hac lacinia voluisse exornare.* Confer interim de hoc argumento *Guil. Whistoni* Chronologiam V. Testam. Propos. IX. pag. 43. sqq. & Conatum restituendi textum Hebræum p. 208. sqq.

Vers. 21. ἔτη τεσσαράκοντα) Judæi, & speciatim R. *Isaac f. Abrah.* in *Chissuk Emuna* Part. II. p. 67. de insigni errore Chronologico postulant Paulum Saulo 40. annos imperii adsignantem, qui secundum 1 *Sam.* XIII. 1. duos tantum imperio dicatur præfuisse. Sed recte admonitum est ab aliis, Sauli imperantis annos plures fuisse ex ipsa temporum ratione, in V. T. commonstrata, apparere, atque adeo locum Samuelis non simpliciter, sed habito ad alias circumstantias, de quibus hic dicere non possumus, respectu incipiendum esse. Iidem vero simul observant, 40. annos, hic definitos, non ad *Sauli* tantum, sed & Samuelis, quoad ille imperanti Saulo adfuit, tempora referenda esse. Atque hoc modo *Josephus* lib. VI. Antiquitatum in calce tradit, Saulum superstite Samuele 18. eo autem defuncto 22. annis regnasse, qui juncti efficiunt omnino numerum annorum 40. Itaque voces ἔτη τεσσαράκοντα non ad vocem κἀκεῖθεν, aut ᾐτήσαντο, aut ἔδωκε restringendæ sunt, sed seorsim ab his considerandæ, ut omne illud tempus comprehendatur. Vide in hanc sententiam præter *Calovium* in Bibliis Illustratis ad h. l. *Jac. Gussetum* in Confutatione libri *Chissuk Emuna* p. 419. Adde *Richard. Kidderum* contra eundem in Demonstrat. Messiæ Part. II. p. 239. sq. item *Gatackerum* in Dissert. de Stylo N. T. p. 159. & *Gerh. Joh. Vossium* Tom. VI. Opp. p. 38. sq.

Vers. 22. Καὶ μεταστήσας αὐτὸν) Intelligi hic potest vel ἀπὸ τῆς βασιλείας, *a regno,* vel ἀπὸ τοῦ ζῆν *a vita,* vel utrumque. In priori sensu *Dan.* II. 21. de Deo dicitur: καθιστᾶ βασιλεῖς, καὶ μεθιστᾶ, *constituit reges & amovet.* Eadem notio obtinet apud *Polybium* lib. IV. cap. 23. p. 408. & p. 485. ubi μεταστησάμενος

μενος

μενος dicitur, qui alterum ab adminiſtranda Republica removet. Poſteriori ſenſu idem *Polybius* p. 1465. ait ἐκ τοῦ ζῆν μεθίςασθαι *ex vita removere*, ſicut & p. 1472. μετάςασις mortem denotat. Conf. *Raphelii* Notas Polybian. p. 341. ſqq. qui utramque notionem hic vult comprehendi, ita ut Deus reprobatione, 1. *Sam.* XVI. facta, Saulum a juſta regni κτήσει ſeu *poſſeſſione*, morte vero ab ejuſdem χρήσει, *uſurpatione* excluſiſſe dicatur.

ἄνδρα κατὰ τὴν καρδίαν μου) Lege huc *Schotti* Adagialia N. T. pag. 97. & *Jo. Henr. Maji* Diſſertat. de vera Heroum pietate, quæ in Exercitatt. ejus Selectioribus Tom. II. n. XIV. recuſa eſt.

Verſ. 23. ἤγειρε τῷ Ἰσραὴλ σωτῆρα Ἰησοῦν) Codd. nonnulli, verſiones item, & Patres hic legunt: ἤγαγε τῷ Ἰσραὴλ σωτηρίαν Ἰησοῦν. Poſterius σωτηρίαν natum *Millio* recte videtur, vitio librarii, ex compendio ſcriptionis σρίαν ιν, quod in his duabus vocibus in MSS. uſu venit. Prius vero ἤγαγε idem rectum & genuinum putat in Prolegomenis §. 747. & ἤγειρε illud ex verſu 22. proxime repetit. Sed & hoc non minus pro germana lectione habendum eſſe, vel ex eo conſtat, quod de *ſemine* hic ſermo ſit, ex quo ſuſcitatus ſit Salvator. De eo vero uſurpatur verbum huic Synonymum ἀναςήσειν *Act.* II. 30. & III. 26. quemadmodum & Jer. XXIII. 5. & XXX. 9. diſerte Deus eadem phraſi promittit: ἀναςήσω τῷ Δαβίδ. Sic. *Luc.* I. 69. καὶ ἤγειρε κέρας σωτηρίας ἡμῖν ἐν τῷ οἴκῳ παιδὸς αὐτοῦ. Fortaſſe illud ἤγαγε loco τοῦ ἤγειρε hic poſitum eſt a librariis, quod ejuſdem repetitio inconveniens illis videretur. Confer omnino quæ dicentur ad v. 32. & eos, qui ibi citantur.

Verſ. 24. τῆς εἰσόδου αὐτοῦ) εἴσοδον hic de Incarnatione Chriſti multi Patrum accipiunt, de quibus lege *Suicerum* Tom. I. Theſauri p. 1042.

Verſ. 25. Τίνα με ὑπονοεῖτε εἶναι, οὐκ εἰμὶ ἐγώ) Recte omnino quod ad ſenſum reddidit B. *Lutherus*: ich bin nicht der, dafür ihr mich haltet. Abſit vero, ut propterea lectionem per interrogationem in Græco formatam, ſollicitemus, & vocem τίνα pro ὅντινα poſitam credamus cum *Neubourio* in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. I. p. 250. Id certe nec Lutherus voluit, nec linguæ rationes admittunt. Nullo unquam exemplo probabitur, τὸ τίς pro ὅςις poni. Phraſis interrogativa, quam textus exhibet, elegans & gravis eſt: verſio autem Lutheri ſenſum optime reddit.

Verſ. 26. υἱοὶ γένους Ἀβραάμ, καὶ οἱ ἐν ὑμῖν φοβούμενοι τὸν Θεόν) i. e *vos gente Judæi, & vos, qui eſtis proſelyti.* Lege, quæ ſcripſimus ad v. 16.

ὑμῖν ὁ λόγος τῆς σωτηρίας ταύτης ἀπεςάλη) Per λόγον hic *Marckius* in Exercitatt. Biblicis p. 782. intelligi vult Chriſtum, tanquam λόγον ὑποςατικόν. Hunc ait a *ſalute* in genitivo caſu denominari optime poſſe, quam & ple-

plenissimam possideat, & prædicarit per Evangelium summo cum zelo, imo operetur, applicet & conservet: unde & Ἰησοῦς seu ישוע *Zach.* IX. 9. appelletur. In eandem sententiam provocat quoque ad contextum. In antecedentibus non *Evangelii*, sed Christi factam ait esse mentionem, tanquam qui excitatus sit a Deo, & venerit ad Judæos, ita, ut a Johanne digitis ostendi potuerit. Hinc & in consequentibus non de Evangelio sed de Christo ipso verba facit Paulus. Sed responderi ad hæc non difficulter potest. Vox λόγος, ubi in N. T. de Christo tanquam verbo substantiali manifeste & sine dubio adhibetur, nunquam rem ullam, a qua in gignendi casu denominetur, sibi junctam habet. Evangelium vero commode & cum efficacia λόγος τῆς σωτηρίας, quod minus recte negat *Marckius* p. 782. dici potest; quia non solum viam monstrat & commendat, sed & in eam efficacissime ducit eamque confert. Hinc Rom. I. 16. vocatur δύναμις Θεοῦ εἰς σωτηρίαν παντὶ τῷ πιστεύοντι. Propterea hic λόγος τῆς σωτηρίας simili phrasi vocatur ῥήματα τῆς ζωῆς ταύτης *Act.* V. 20. Nec obstat, quod in antecedentibus non Evangelii, sed Christi, facta sit mentio. Hic enim omnino ante commemorandus erat, tanquam præcipuum sermonis seu concionis hujus objectum & argumentum. Imo vero & Evangelii facta est mentio, quando v. 24. Joannes dicitur eum προκηρύξαι i. e. instar prodromi *annunciasse*. Atque hinc v. 26. convenienter admonentur Judæi, illam Johannis æque ac reliquorum ministrorum concionem ad ipsos præcipue pertinuisse, tanquam ad quos primo loco facta sit, & fieri debeat. Quid multis opus est? Eadem phrasi utitur supra Petrus c. X. 36. τὸν λόγον, ὃν ἀπέστειλε τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ, ubi vide, quæ scripsimus.

Vers. 27. καὶ τὰς φωνὰς τῶν προφητῶν) φωνὴν de scriptis etiam dici patet ex *Polybio* lib. V. c. 33. Καίτοι οὐκ ἀγνοῶ, διότι καὶ πλείους ἕτεροι τῶν συγγραφέων τὴν αὐτὴν ἐμοὶ προΐενται φωνὴν, φάσκοντες τὰ καθόλου γράφειν.

τὰς κατὰ πᾶν σάββατον ἀναγινωσκομένας) Vide supra ad v. 15. πᾶν σάββατον hic *Martianaus* in Conatibus suis p. 316. de diebus singulis, non vero de diebus Sabbati accipit, minus recte, quod ex iis patebit, quos ad v. 15. allegavimus.

κρίναντες ἐπλήρωσαν) *Knatchbullus* per Synchysin hæc ita scribi existimans, vocem κρίναντες proxime post vocem ἄρχοντες in sensu reddendo poni vult, & ita totum comma interpretatur: *qui enim habitabant in Jerusalem, & principes eorum, hunc condemnantes, ignorantes etiam voces Prophetarum, quæ unoquoque leguntur Sabbato, impleverunt.* Idem visum est *Bezæ, Hammondo, Lud. de Dieu, & Carolo le Cene* in Conatu novæ versionis p. 656. sq. imo & ex parte *Hombergio* in Parergis pag. 182. cui tamen illud ἀγνοήσαντες καὶ in sensu, *vel ignorantes* displicet, ut proinde videndum esse dicat, an non τὸ κρίναντες pertineat ad φωνάς. Sed nullo eorum inventorum opus est, modo vox κρίναντες recte explicetur. Illa autem idem hic est, quod κατακρίναντες i. e. *condemnantes*

nantes, ut *Matth.* VII. 1. & Joh. XII. 47. & referri debet ad *Christum*, quem scilicet primores Judæorum supplicio addixerunt. Supple igitur αὐτὸν, consueta ellipsi omissum, vel repete potius ex antecedentibus, τῦτον ἀγνοήσαντες, & genuinum habebis sensum. Conf. *Boisii* Collationem p. 492. & *Rich. Simonis* Histor. Critic. N. T. lib. II. p. 307. Idem *Boisius*, τὸ καὶ, quod exstat ante voces, τὰς φωνὰς, per *cum* vertit, & refert ad v. 28. καὶ μηδεμίαν αἰτίαν &c. id quod per *tum* interpretatur.

Vers. 29. καθελόντες ἀπὸ τῦ ξύλυ) Vid. ad *Marc.* XV. 46.

Vers. 32. ἀναστήσας Ἰησῦν) Duæ hic potissimum sunt Interpretum sententiæ de notione vocis ἀναστήσας. Alii enim eam de *resuscitatione* Christi ex mortuis accipiunt; alii de *exhibitione* ejusdem & *repræsentatione* tanquam Messiæ, per nativitatem facta. Priorem hic in versione Germanica post alios amplexus quoque est B. Lutherus noster, posteriorem vero hodie Interpretum plerique tuentur, qui non per **auferwecken**, sed per **erwecken, darstellen**, interpretari malunt, ut τὸ ἀναστήσας hic respondeat verbo ἤγειρε, quod supra exstat v. 23. Atque hæc interpretatio videtur verior, cum & voci ipsi, & contextui, & allegationi Psalmi II. v. 33. factæ magis respondeat. Primo, inquam, respondet voci ἀναστῆσαι ipsi, qua in eodem significatu utitur Petrus Actor. III. 22. & 26. ubi posteriori loco diserte dicitur: ὑμῖν πρῶτον ὁ Θεὸς ἀναστήσας τὸν παῖδα αὐτῦ Ἰησῦν ἀπέστειλεν αὐτὸν εὐλογῦντα ὑμᾶς &c. Adde Act. II. 30. τὸ κατὰ σάρκα ἀναστήσειν τὸν Χριστόν. Confer etiam, quæ de variis hujus verbi significatibus tum ex sacris Scriptoribus, apud quos Hebraico verbo הקים frequenter respondet, tum ex profanis diligenter commentatur Cl. *Frid. Adolph. Lampe* in Bibliotheca Bremens. Class. II. p. 908. sqq. Convenit præterea hæc interpretatio *contextui*. Scilicet thesis a Paulo probanda proponitur v. 23. Τῦτυ ὁ Θεὸς ἀπὸ τῦ σπέρματος κατ' ἐπαγγελίαν ἤγειρε τῷ Ἰσραὴλ σωτῆρα Ἰησῦν, ubi de *excitatione* seu exhibitione Christi tanquam Messiæ, seu Salvatoris agi ex verbis ipsis apparet. Hanc itaque thesin adstruit Paulus ex ministerio Johannis v. 24. 25. ex præconio ipsius Christi v. 26. ex injusta innocentis Christi nece v. 28. ex sepultura ejus v. 29. ex resurrectione v. 30. ex apparitionibus post eam factis v. 31. Ista omnia eo referuntur, ut *exhibitio* Domini tanquam Messiæ, v. 23. indicata, adferatur & confirmetur. Deinde Apostolus, superpondii quasi loco, Judæorum inprimis, ad quos loquebatur, causa hoc ipsum ex oraculis Propheticis confirmat, & propterea v. 32. thesin ipsam, v. 23. primum allatam, repetit ἀναστήσας Ἰησῦν, deinde vero probat, tum ex dicto Psalmi II. tum ex resurrectione Christi, ante quidem v. 30. subindicata, hic vero ex Ps. XVI. amplius confirmata. Ita omnia egregie cohærent, quod ipsum ex nostratibus B. *Gerhardus* in locis Theolog. de Persona &

Officio Christi §. 54. & *Waltherus* in Officina Biblica ad h. l. ex Reformatis vero *Sam. van Til* in analysi hujus Pericopes, quæ in Additamentis ad methodum concionandi p. 67. exstat, *d'Outreinius* loco mox citando & *Lampius* l. c. p. 914. ostenderunt. Convenit denique hæc interpretatio cum oraculo Davidico Ps. II. quod v. 33. affertur, de quo mox dispiciemus.

Itaque nec mirum est, recentiorum Interpretum plerosque in eam explicationem pedibus ivisse. Huc enim spectant *Jo. Gerhardus* in Locis Theolog. l. c. & in notis ad h. l. p. 436. *Quistorpius*, quem affert idem, *Calovius* in Examine librorum Crellii de uno Deo Patre §. 296. & in Bibliis Illustratis ad h. l. *Theodor. Hackspanius* in Sylloge p. 601. *Phil. Jac. Spenerus* in Concione vernacula de æterna generatione filii Dei, *Aug. Herm. Franckius* in Observationibus vernaculis super versione Lutheri p. 226. sqq. *Raithius* in *Vindiciis* ejusdem versionis, *Theophilus Alethæus* in der Erläuterung Tom. II. p. 47. sqq. & novissime *Starckius* in Notis Selectis p. 119. Ex *Anglis* se horum partibus jungit *Th. Gatakerus* in Cinno c. V. p. 201. Ex *Reformatis* vero *Beza* ad h. l. *Witsius* in Adversar. Sacr. T. II. p. 777. *Gussetus* in Confutatione libri *Chissuk Emuna* p. 69. & 420. novissime vero *Gerh. Outhovius* in Biblioth. Bremens. Class. II. p. 674. *Jo. d'Outrein* tum in Prolegomenis Partis II. Operis Emblematici p. 122. tum vero data opera in Biblioth. Bremens. l. c. p. 885. sqq. ubi epistolæ illius binæ, cum alia Anonymi, leguntur, quibus hæc interpretatio adversus *Jac. Perizonii* exceptiones, binis literis ibidem allatas, vindicatur. His subjicitur p. 906. sqq. *Lampii* Epicrisis in hanc disceptationem, quæ sententiæ Outreinianæ & lucem & præsidium affert, atque adeo hanc causam feliciter perorat.

Vers. 33. *ὡς καὶ ἐν τῷ ψαλμῷ τῷ δευτέρῳ γέγραπται*) MS. Cantabrig. tum vero edd. *Ald.* & *Froben.* item Patres nonnulli hic legunt *πρώτῳ*, quam lectionem genuinam putat *Millius*, ideo, quod *Hilar.* & *Hieron.* testetur, olim Psalmum I. & II. ab Hebræis in unum esse fusos in Codd. unde Paulus, ad Hebræos quippe loquens, eorum exemplo hæc, tanquam in Psalmo I. exstantia, laudarit. Idem testari *Kimchium* de nonnullis suæ ætatis Codicibus, qualis quoque adhuc in Vaticana occurrat. Talem quoque suspicatur fuisse eum Codicem, ex quo Lucas hæc citat. Addit denique, lectionem hanc vel propterea pro germana habendam esse, quod nulla omnino fuerit causa, cur *δευτέρῳ* in *πρώτῳ* mutaretur: maxima vero, cur pro *πρώτῳ* substitueretur *δευτέρῳ*, ne scilicet Lucas a Codicibus Hebr. ac Græcis V. Test. discederet. Consentit illi C. M. *Pfaffius* in Dissert. Critic. de Var. Lect. N. T. p. 237. Ibi primum mirum est, Millium statuere potuisse, quod Lucas in gratiam unius alteriusve Codicis, in quo hi Psalmi in unum conflati fuerint, allegationem suam instruxerit. S. Lucas aut ignorabat istam confusionem in aliquibus Codd. factam, quod nemo nisi temere & impie dixerit: aut cognitam habebat; & si errorem hunc suo exem-

exemplo confirmasset, imo Hebræis, aliter sentientibus, & Psalmos hos recte distinguentibus, offendiculo fuisset, quod nec sapientia ejus, nec ductus Spiritus S. unquam, ut credamus, permittit. Ad reliqua conjecturæ hujus præsidia evertenda afferam, quæ *VVhitbius* in Examine pag. 53. affert: *Notatu dignum est*, inquit, *quod* Tertullianus *contra Marcionem lib. IV. cap. 22. &* Cyprianus *lib. I. ad Quir.* §. 13. *habent diserte* Pf. II. *&* Chrysostomus *versionesque omnes editis congruunt*. In Hebræa, Chaldæa & Græca *lingua atque apud Interpretes Orientales hi Psalmi in unum neutiquam confunduntur*. S. Hilarius *in Ps. II. verbis luculentis declarat, quod, regnante Ptolomæo, LXX. Senes Psalmos in hunc ordinem redegerint*, numerosque affixerint spirituali & cœlesti scientia Psalmorum virtutem intelligentes. *Ex Spiritu igitur & mandato Dei*, *secundum Hilarium, Psalmus hic secundum locum longe ante obtinuit*, *dictusque fuit* secundus, *prius quam Acta Apostolorum literis a Luca consignata essent*. Hieronymi *testimonium, hic allatum, ut subdititium, respuunt Critici*: *idem autem* Hieronymus, *cum Hebraice Psalmos in lucem ediderit, hæc verba a Luca allegata sub secundo Psalmo collocavit. Major* Origeni *ex Catena adhibenda esset fides, nisi dixisset idem* *Huetius*: sublesta est Catenarum fides. *Ad summam: si Psalmi ἀντιγραφοι fuerint, cur diceret Athanasius, hæc verba desumta esse ἐκ τοῦ δευτέρου ψαλμοῦ. Ad argumentum Millii*, (de causa & occasione δευτέρῳ pro πρώτῳ legendi) *respondeo, mutandi forte causam fuisse, ut textus conformaretur exemplaribus illis Latinis, quæ a Beza & Erasmo memorantur. Quid multa? cum hæc locutus sit Paulus, apud Psalterium vel numerorum erat distinctio aliqua, vel nulla fuerit, cur Psalmum Paulus aut primum, aut secundum nominat? Sin autem aliqua, cur non ille Hebræus ex Hebræis receptum numerum & ordinem amplecteretur?*

Υἱός μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε) Sociniani allegatione hac ita abutuntur, ut hinc efficiant, *Psalmo* II. v. 7. non de æterna Filii a Patre generatione atque adeo essentia ejus divina, sed de excitatione ejus ex mortuis sermonem esse. Sed his ex antecedentibus facile respondetur, quod scilicet hic non de resuscitatione Filii, sed de ejus *exhibitione* & *missione* instar Messiæ sermo sit. Confer inprimis B. *Calovium* contra Crellium pag. 296. & contra *Grotium* in Bibl. Illustr. ad Ps. II. Neque obscurum est, cur illud comma, quod de æterna Filii generatione proprie & diserte agit, hic advocetur, quando de incarnatione & missione Messiæ sermo est. Id enim fit eo consilio, ut constaret, Jesum, qui hic *exhibitus* & *missus* dicitur, talem fuisse Servatorem, qualem descripserat & promiserat Psalmus ille, nempe æternum & proprium Dei Filium. Lege huc inter ceteros, ante allegatos, *Gussetum* contra *Chissuk Emuna* pag. 69. qui & integrum istum Psalmum adversus ejusdem libri calumnias Christo vindicat diligenter pag. 420. Eadem opera defuncti sunt inprimis quod ad v. 7. ex nostratibus Rev. *Salom. Deylingius* in Obss. Sacr. Part. III. Obss. XIV. *Matth. Hillerus* in Syntagmat. Sacr. p. 381. *Alethæus* in der Erläuterung Part. II. pag. 27. sqq. ex Reformatis autem

tem *Gerhard. Outhovius* in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. II. p. 641. ſqq. Adde ſupra citatos ad IV. 25. Patrum de hoc loco cogitata affert *Suicerus* Tom. II. Theſauri p. 953. ſqq.

Verſ. 34. *μηκέτι μέλλοντα ὑποςρέφειν εἰς διαφθορὰν*) *Vetus & Eraſmus*: in corruptionem. *Beza & Piſcator* in ſepulchrum. Erudite enim conferunt τὴν διαφθορὰν cum Hebræorum vocabulo שחת, non ſolum corruptionem, ſed etiam foveam & ſepulchrum ſignificante. Sed cum ἡ διαφθορὰ, ipſis fatentibus, tribus proxime ſequentibus verſibus neceſſario pro corruptione accipi debeat, æquiſſimum arbitror, ut hic etiam eandem ſignificationem habeat. Negat Beza Annotationibus ſuis in Act. II. 27. dici poſſe de Jeſu, vere & proprie, quod viderit שחת. Dici poteſt Dominus, inquit, vidiſſe שאול aut בור aut קבר, non autem שחת, niſi ἀκύρως accipias. Bene eſt, ſit ita. Neque enim vel leviter repugno. Hoc tamen quæro, ſitne neceſſe, ut cum שחת, διαφθορὰν etiam a Chriſto removeamus. Si Suidæ credimus, διαφθορὰ eſt θάνατος & διάλυσις τῦ συνθέτυ σώματος i. e. *mors ſive interitus & corporis compoſiti diſſolutio.* Quare, ſi nulla religione prohibemur, quo minus θάνατον Chriſto tribuamus, quid prohibet, quo minus eidem tribuamus etiam διαφθορὰν, φθορὰν, proprie nimirum & vere? Scio, poſtea apertiſſime dici ex Pſalmo, *Chriſtum* non vidiſſe διαφθοράν. Scio etiam, Suidam illo ipſo in loco, ubi prius ex eo citata verba habentur, inter φθορὰν & διαφθορὰν ſic diſtinguere, ut Chriſtum φθορὰν ſubiiſſe affirmet, διαφθορὰν vero ſubiiſſe neget. Sed quare hoc facit? Quia τὴν διαφθορὰν bifariam accipit: primum pro morte, ſive interitu, & deinde pro illa putredine & carie, ſive conſumtione, quæ mortem conſequitur, & quam ipſe παντελῆ ἀφανισμὸν vocat. Ab hac διαφθορᾷ liber fuit Chriſtus, at non item a priore niſi reſuſcitatus. Jam quod attinet ad locum Pſalmi, ejus duplex afferri poteſt expoſitio: *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*, i. e. non permittes illum carie conſumi, & ad pulverem redigi: vel, ſanctum tuum, poſtquam reſuſcitatus fuerit, non permittes iterum mori. *Chriſtus* enim *excitatus a mortuis non amplius moritur, ut loquitur Apoſtolus Paulus, nec mors ei amplius dominatur.* Si non mors, multo minus שחת i. e. *caries, & corruptio putredinis.* -- Si ergo referantur verba Pſalmi (quemadmodum commodiſſime poſſunt,) ad Chriſtum jam reſuſcitatum, nihil prorſus habebit totus ille locus difficultatis: ὐ δώσεις τὸν ὅσιόν συ ſcilicet ἐγερθέντα, ἰδεῖν διαφθορὰν i. e. *non dabis, ut ſanctus tuus,* (ubi reſuſcitatus fuerit,) *corruptionem videat.* Hæc *Boiſius* in Collatione pag. 403. ſqq. convenienter & erudite, quæ utut longiora, ex libro rariore hic putavi repetenda. Adde conſentientem illi *Richard. Simonem* in Hiſtor. Critica N. T. Part. II. pag. 307. Atque hæc interpretatio placet præ altera *Keuchenii* in Annotat. pag. 192 qui ita hæc παραφράζει· *Pater e mortuis excitavit Chriſtum, qui ad corruptionis ſtatum nequaquam venire debebat.* Vereor enim, ut phraſis μηκέτι μέλλων, de futuro tempore omnino

omnino dupliciter exponens, interpretationem hanc admittat. Confer *Gusseti* Commentarios L. Hebr. pag. 683. ubi ostendit, expositionem hanc ipso Jesaiæ loco, qui v. 34. in probationem affertur, confirmari.

Ὅτι δώσω ὑμῖν τὰ ὅσια Δαβὶδ τὰ πιστά) Locus est *Jes.* LV. 3. ad quem vide *Campeg. Vitringæ* Commentarium Tom. II. pag. 709. Adde Programma Paschale Jenense ad an. 1715. editum, & in *Gabr. Ternii* Sylloge Programmatum pag. 604. sqq. recusum, de ὁσίοις Δαβὶδ τοῖς πιστοῖς promulgatum, ubi verba hæc a pseudhermeniis recentiorum vindicantur. *Gussetus* in Commentariis L. Hebraicæ pag. 273. vertit gratuitates (חסדי) *Davidis veraces firmasque* h. e. *concessas Davidi, aut potius ei apertas, ex quibus ille tanquam fontibus hausit, ut fieret felix.* Addit idem, ea, quæ 2 *Sam.* VII. 13 — 16. continentur, verificari in Christo. Alias non esse, cur divinæ חסדים nomen a Davide potius, quam ab aliquot aliis fidelibus earum participibus sortirentur. Sed jam ratio est, quod promissum ipsi Davidi datum sit, ut primo ejus depositario & proprietario. Conf. 2 *Chron.* VI. v. ult. ubi Salomo ita: זכרה לחסדי דוד עבדך i. e. *memento gratuitatum Davidis*, scilicet, non quas fecit, sed quas a te accepit, in illo nimirum fœdere. Adde eundem p. 683.

Vers. 35. Οὐ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθοράν) R. *Isaac* in libro *Chissuk Emuna* reprehendit divinum Scriptorem, quod Hebræam vocem שחת, quæ *foveam* proprie inferat, hic converterit per *corruptionem*. Sed occurrit illi *Gussetus* in Confutatione illius libri pag. 423. ubi *corruptionis* quoque notionem illi voci subesse ostendit, tum exemplis, ut *Job* IX. 31. & *Ps.* LV. 24. tum ex radice שחת, quæ itidem proprie corruptionem inferat. Idem præterea evincit, verba hæc Psalmi non de Davide, sed de Jesu accipienda esse. Confer dicta ad v. 34.

Vers. 36. Δαβὶδ μὲν γὰρ ἰδίᾳ γενεᾷ ὑπηρετήσας) ὑπηρετεῖν hic idem est, quod λειτουργεῖν. Reges enim sunt διάκονοι καὶ λειτουργοὶ τοῦ Θεοῦ. Rom. XIII. 4. & 6. Conf. *Andr. Dounæum* ad Demosthen. Philippic. pro Pace pag. 86. Ceterum τὸ ὑπηρετεῖν hic alii cum *Vulg.* & *Beza* conjungunt cum βουλῇ τοῦ Θεοῦ, alii, ut *Erasmus*, cum ἰδίᾳ γενεᾷ. Prius mavult *Boisius* in Collatione p. 406. provocans simul ad *Sapient.* librum c. XIX. 6. ὑπηρετοῦσα ταῖς ἰδίαις ἐπιταγαῖς. Parum refert, utrum horum amplectaris. Malim tamen ego prius cum B. *Luthero* nostro. Profani quoque scriptores vitam hanc cum λειτουργίᾳ sive ministerio quodam comparant. Vide *Gatackerum* ad Antonin. X. 22.

προσετέθη πρὸς τοὺς πατέρας αὐτοῦ) Phrasi hac, Hebræis admodum familiari, innuitur, homines per mortem non redigi in nihilum, nec totum hominem mori: alias enim talis collectio stare non posset, nisi animæ manerent post mortem, & aliqua esset post mortem animarum in unum locum congregatio, pro status & conditionis ratione, piarum quidem ad pias in cœlo, impiarum vero ad impias in inferno. Ita *Fesselius* in Adversariis Sacris Tom. I. p. 362.

Mmmm mmm 3 Vers.

Verſ. 39. Καὶ ἀπὸ πάντων, ὧν οὐκ ἠδυνήθητε ἐν τῷ νόμῳ Μωσέως δικαιωθῆναι, ἐν τούτῳ πᾶς ὁ πιςεύων δικαιοῦται) Ultima verba ἐν τούτῳ &c. *Vulg. Syrus*, aliique & B. *Lutherus* noſter ab antecedentibus, tanquam abſolutam & per ſe ſtantem ſententiam ſejungunt. Alii vero cum prioribus ita malunt conjungere, ut τὸ ἀπὸ πάντων pendeat a verbo δικαιοῦται. Inter hos eſt Cl. *Starckius* in Notis Selectis pag. 119. Illi enim dura videtur ellipſis vocis ἄφεσις, quæ ex ſuperioribus hic repetenda ſit ex v. 38. vel vocis δικαίωσις, quæ ex ſequenti verbo δικαιοῦται effingitur, ut illa, quam afferunt, expoſitio ſtare poſſit. Neutra opus eſſe exiſtimat, cum verba καὶ ἀπὸ πάντων conſtrui ſimpliciter & convenienter poſſint cum verbo δικαιοῦται, hoc omnino ſenſu: *Nam ab omnibus*, (ſc. peccatis) *a quibus non potuiſtis in lege Moſis juſtificari, in hoc* (ſc. Chriſto) *omnis, qui eſt credens, juſtificatur*. Simili modo *Rom.* VI. 7. dicitur: ὁ γὰρ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας. Voces vero ἐν τούτῳ non referendæ ſunt ad πιςεύων (ſic enim potius dicendum erat εἰς τοῦτον ὁ πιςεύων) ſed ad verbum δικαιοῦται, ut ſic oppoſitio fiat ad antecedens: ἐν τῷ νόμῳ Μωσέως. Confer in eandem ſententiam B. *Sebaſt. Schmidii* Collegium Biblicum Poſterius p. 207. ſqq.

Verſ. 40. τὸ εἰρημένον ἐν τοῖς Προφήταις) Mirum nonnullis viſum eſt, quod hic Prophetæ in plurium numero appellentur, cum, quod affertur oraculum, apud unum legatur *Habacucum* I. 5. Illi itaque appellationis rationem ex eo repetunt, quod volumen Prophetarum omnium olim generatim nomine τῶν προφητῶν ſive נביאים fuerit inſignitum. Quod utut omnino ſufficeret, verior tamen & luculentior ratio aliis dari poſſe viſa eſt. Videtur enim Apoſtolus vere ad duos Prophetas, Jeſaiam nempe cap. XXVIII. 14. & *Habac.* I. 5. reſpexiſſe, ita ut ex priore deſumſerit compellationem ἄνδρες καταφρονήσεως, qui in Hebr. dicunrur אנשי לצון, ex poſteriore vero verba reliqua. Vide huc *Guil. Surenhuſium* in libro καταλλαγῆς pag. 426. ſqq. ubi oſtendit, Hebræos Scriptores tum ſacros, tum alios, frequenter bina Prophetarum loca in unum oraculum, tanquam ab eodem prolata, conflare conſueviſſe. Idem locum ipſum cum Habacuco inprimis diligenter comparat. Enimvero, quando deprehendo, allegationem Apoſtoli cum verſione τῶν LXX. apud *Habac.* præcipuis verbis, ſpeciatim in illis ἴδετε οἱ καταφρονηταὶ, exacta convenire, & recogito, divinos Scriptores eam interpretationem, ubi ſingularis cauſa non obſtet, ſequi ſolere, malo in interpretatione acquieſcere. Adde *Ludov. Capelli* Opp. Poſth. pag. 105. Cum vero in Hebræo pro καταφρονηταὶ exſtet בגוים, alii Interpretes illos ibi בוגרים legiſſe exiſtimarunt cum *Capello*; alii vocis illius origines & notionem veram ex Arabica Lingua repetierunt. Inter hos eſt *Eduard. Pocockius* ad Portam Moſis pag. 30. quem approbat *Olearius* de Stylo N. T. p. 356.

καὶ ἀφανίσθητε) Verbum ἀφανίζειν idem hic eſſe, quod alias σκεπάζειν, teſte

teste *Hesychio*, existimat post *Knatchbullum* ad h. l. *Hombergius* in Parergis p. 182. & *le Cene* in Conatu novæ versionis p. 657.

ἔργον, ὃ ὐ μὴ πιστεύσητε) Vox ἔργον deest in Codd. quibusdam MSS. & versionibus, nec exstat quoque in τοῖς LXX. Itaque expungendam vult Cl. *Pfaffius* in Differt. Critica de Variant. Lection. N. T. p. 230. Quod ad τὺς LXX. attinet, ab iisdem in minutioribus quibusdam hujus commatis verbis discessit Lucas, quæ tamen vel sic ut genuina hic & a Codd. & ab Interpretibus agnoscuntur. Sic pro, ὃ ὐ μὴ legitur apud illos ὃ ὐ μή. Itaque existimandum est, divinum Scriptorem pro ea, qua valebat auctoritate, vocem ἔργον emphaseos causa destinato consilio repetiisse.

Vers. 42. Ἐξιόντων δὲ ἐκ τῆς συναγωγῆς τῶν Ἰυδαίων) Nonnulli Codd. hic legunt ἐξιόντων δὲ αὐτῶν & sic quoque *Vulgatus*. Quidam Codd. ἐκ τῆς συναγωγῆς τῶν Ἰυδαίων prorsus omittunt. Atque hinc *Millius* in Prolegom §. 952. comma hoc variis modis interpolatum esse, more suo, suspicatur. Sufficit nobis, plerosque libros manu exaratos in vulgata lectione consentire. Verba quoque illa ἐκ τῆς συναγωγῆς τῶν Ἰυδαίων genuina esse, vel v. 1. capitis sequentis evincit, ubi Apostoli itidem dicuntur ingressi εἰς τὴν συναγωγὴν τῶν Ἰυδαίων. Vox αὐτῶν videtur ex interpretamento nata. Latet enim jam in voce ἐξιόντων, quam ad Apostolos referendam esse, de quibus antea sermo erat, ex sermonis serie apparet. Nolim enim id referre ad vocem Ἰυδαίων, ideo, quod XIV. 1. itidem dicitur συναγωγὴ τῶν Ἰυδαίων. Confer tamen *Erasm. Schmidium* in Notis ad h. l. a nobis dissentientem.

εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον) Hic alii alia fingunt, receptam lectionem deferentes. *Scaliger* de Emend. Temporum lib. VI. p. 523. prius scriptum fuisse putat ἐν τῷ μεταξὺ σάββατων. *Quod rectum inquit erat prius ἐν τῷ μεταξὺ σαββατὼν, pro eo, quod Judæis hodie dicitur* בחול השבת *posteriores* Ἑλληνισαὶ *maluerunt ἐν τῷ μεταξὺ σαββάτων, aut εἰς τὸ μεταξὺ σαββάτων quemadmodum dicitur apud Marcum εἰς οἰκίαν* pro *ἐν οἰκίᾳ. Τὸ μεταξὺ σαββάτων est* חול השבת *quas ἐνεργὺς ἡμέρας vocat Plutarchus Question. Romanis.* Sensum itaque esse vult, gentes orasse Paulum, ut reliquis septimanæ diebus eadem sibi exponeret, perinde ac in Sabbato, quo solo Judæi in Synagogas & proseuchas conveniant. *Εἰς τὸ μεταξὺ σαββάτων, vel quod idem est ἐν τῷ μεταξὺ σαββάτων est* בחול השבת. Sic *Grotius* quoque εἰς τὸ μεταξὺ σαββάτων eodem sensu legi vult. Cum *Scaligero* facit quoque *Casaubonus*, ex nostratibus vero huc propendent *Glassius* in Grammat. Sacr. lib. III. Tract. VI. p. 525. & *Erasmus Schmidius* in Notis ad h. l. qui omnes phrasin de interjectis inter bina Sabbata diebus profestis interpretantur.

Sed conjectura hæc, tum a constanti Codicum omnium scriptione, tum ex re ipsa facile convellitur, ac propterea etiam recte deferitur a *Millio* in Prolegomenis §. 1364. Nam τὸ μεταξὺ σάββατον omnino hic infert Sab-

batum

batum ſequens proximum, ut ſcilicet idem ſit, quod ἐπιὸν, vel, ἐπόμενον, vel, ἐρχόμενον. Ita accipiunt *Vulg. Syrus*, verſio *Neo-Græca*, & Interpretum recentiorum plerique. Atque ita accipiendum eſſe patet v. 44. ubi idem hoc Sabbatum dicitur ἐρχόμενον. Rem ad liquidum mihi perduxiſſe videtur *Boiſius* in Collatione p. 409. Is enim ita rei geſtæ ordinem inſtruit: ***Primum egrediuntur e Synagoga Judæorum Apoſtoli: tum rogant eos Gentes, ut audita iterum audiant: poſtea ſoluto conventu multi ex Judæis & Proſelytis, honoris cauſa, Paulum & Barnabam ſequuntur. Quarto, Paulus & Barnabas homines, quos videbant tam prompto eſſe erga veritatem ſtudio, benigne alloquuntur, & monent, ut ingratia Dei conſtanter permaneant. Quinto, proximo Sabbato maximus fit omnium ordinum (& in his gentium) concurſus ad audiendum verbum Dei. Sexto, & poſtremo, malevoli Judæi videntes tam confertam turbam, tantum non invidia diſrumpuntur.*** Non poteſt objici, quod facit *Schmidius*, quod τὸ μεταξὺ tantum ſignificet: *interea*, ſeu *interjectum tempus*. Contrarium enim patet ex *Heſychio*, qui τὸ μεταξὺ exponit per: ἑξῆς (ita enim ibi pro ἐξαίφνης legendum recte contendit *Boiſius* l. c.) μετ' ὀλίγον, ἀναμέσον. Eodem ſenſu pro μετόπισθεν *Joſephus* de Bello Judaico VI. 6. eandem vocem adhibuit, ceu oſtendit *Lud. Capellus* ad h. l. & in Opp. Poſthumis p. 271. Imo in altera illa notione *de interjecto tempore* perſiſtere poſſumus, ſi dicamus, Sabbatum ſequens proximum hic dici τὸ μεταξὺ σάββατον, tanquam quod inter antecedens primum, & ſequens tertium ſit interjectum. Neque dici poteſt, v. 43. diſerte innui, quod Apoſtoli, ſoluto conventu ſolenni, ſtatim ad Judæos & proſelytos, qui ipſos conſectati erant, verba fecerint, eosque ad conſtantiam ſint cohortati. Hi enim ſermones familiares tantum fuiſſe videntur & privati, cum Gentes, quæ v. 42. Apoſtolos oraſſe dicuntur, publicam & ſolennem concionem deſiderarint. Taceo v. 43. Judæos & proſelytos dici eos, cum quibus privatim collocuti ſint Apoſtoli, tanquam doctrinam ſalutarem jam tum amplexis, atque adeo opponi τοῖς ἔθνεσι ſive Gentilibus, qui inſtrui amplius & convinci volebant. Pro noſtra ſententia facit præter citatos *Lamb. Bos* in Exercitatt. Gr. L. p. 80. & *Campeg. Vitringa* in Archiſynagogo p. 261. & de vetere Synagoga p. 688. ubi *Scaligerum* temere nimis egiſſe recte affirmat, quia emendatio, ab illo allata, non tantum nullorum Codicum fide nitatur, ſed nec neceſſaria ſit. Atque ex his reſponderi quoque poteſt exceptionibus *Jac. Altingii* in Tomo V. Opp. p. 88. ubi de Sabbato diſſerit, allatis. Hic τὸ μεταξὺ σάββατον per *ſequentem Septimanam* interpretatur: atque hoc fine objicit, non eſſe veriſimile, Gentiles in Synagoga Judæorum Paulum concionantem audiviſſe, quippe quos Judæi in cœtum ſuum admiſſuri non fuiſſent. Enimvero aliud patet ex XIV. 1. ubi Apoſtoli Synagogam iterum adiiſſe atque adeo concionati in ea eſſe dicuntur, ita ut magna copia τῶν Ἰουδαίων καὶ Ἑλλήνων i. e. *Judæorum* & *Gentilium* ad fidem perducta fuerit. Si hoc; certe neceſſe eſt, Gentiles in Synagoga Judæis permiſtos fuiſſe. De B. *Luthero*, qui vertit: zwiſchen Sabbaths lege B. *Raithii* Vindicias p. 463.

Inſolens

Insolens denique est trajectio, quam hic fixit *Hombergius* in Parergis p. 183. existimans, vocem μεταξὺ pertinere ad verbum παρεκάλουν, hoc sensu: egredientibus Judæis ex Synagoga, rogarunt interim gentes. Usitatissimum est Græcis, adverbium ponere inter articulum & nomen, loco adjectivi, ut 2 *Pet.* I. 9. τῶν πάλαι ἁμαρτιῶν 2 *Cor.* IV. 16. Sic *Lucianus* Mercede Conduct. p. 445. dixit τὴν παραυτίκα χρείαν. Conf. *Lamb. Bos* Exercitatt. p. 80.

ἐπιμένειν τῇ χάριτι) Sriptores Græci eodem verbo utuntur. Lege *Hombergium* in Parergis p. 183.

Vers. 43. Τῶν τε σεβομένων προσηλύτων) Vocem προσηλύτων eradendam putat Piscator, quia οἱ σεβόμενοι in hoc libro ubique sint Gentiles, non autem proselyti. Hæc illum probabiliter dicere, sed libros tamen consentire, observat *Boisius* in Collatione p. 409.

Vers. 44. Τῷ δὲ ἐρχομένῳ σαββάτῳ) Codd. pauci, & *Vulg.* quoque legunt ἐχομένῳ. Sic infra XX. 15. τῇ ἐχομένῃ scilicet ἡμέρα. Atque hanc lectionem veriorem putat *Grotius* & *Millius* in Prolegom. §. 972. Vicissim vero communem illam ἐρχομένῳ præstare persuasum mihi habeo. Ἔρχεσθαι ἡμέρας sæpe & D. Lucas & alii Scriptores Sacri dicunt. Idem Lucas XVIII. 21. τὴν ἑορτὴν τὴν ἐρχομένην festum imminens appellat. Et nescio, an Sabbatum, diebus aliquot a præcedente sejunctum, commode satis dici possit ἐρχόμενον. Quoad enim perspicere adhuc ex usu Scriptorum potui, vox ἐρχόμενος dicitur tantum de die proxime sequente, & cum priore arctissime conjuncto. Id patet ex Act. XX. 15. & XXI. 26.

Vers. 45. ἀντιλέγοντες καὶ βλασφημοῦντες) Priores duæ voces desunt in Codd. nonnullis & versionibus. Sed non dubito, omissionem illarum repetendam esse a librariis, quibus superfluæ illæ videbantur ex eo, quod ἀντίλεγον proxime antecesserat. Patet autem, verbum ἀντιλέγοντες cum emphasi heic repeti, ut moneri posset, Judæos *non solum* contradixisse Apostolis docentibus, sed & blasphemasse & exsecratos esse eorum dicta.

Vers. 46. Παῤῥησιασάμενοι δὲ εἶπον) i. e. tunc libere & intrepide dixerunt. Participia enim interdum commode per *adverbia* exprimuntur: ut supra VII. 44. vox διαδεξάμενοι non male exprimitur per *postea*, aut *deinceps*.

καὶ οὐκ ἀξίους κρίνετε ἑαυτοὺς τῆς αἰωνίου ζωῆς) i. e. ita se gesserant, ut vita æterna indignissimi haberi deberent. Vide *Vitringæ* Commentar. in Jesaiam Tom. II. p. 906.

στρεφόμεθα εἰς τὰ ἔθνη) Factum hoc esse putat *Dodwellus* A. C. XLV. Lege eum de Jure Laicorum p. 202.

Vers. 47. Τέθεικά σε εἰς φῶς ἐθνῶν) Repetit Paulus verba Jesaiæ XLIX. 6. quæ cum hac allegatione confert *Surenbusius* in Libro καταλλαγῆς p. 429.

eademque opera ostendit, quo sensu illa Apostolus ad suum Evangelii præconium transferat, cum a Propheta de Christo afferantur. Eadem phrasi utitur *Homerus* Iliad. β. v. 6.

Τρώων ῥῆξε φάλαγγα, φόως δ' ἑτάροισιν ἔθηκεν.

Conf. Bibliothec. Bremens. Class. I. p. 247.

Vers. 48. ἐδόξαζον τὸν λόγον τοῦ Κυρίου) Nonnulli Codd. hic habent τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ. *Syrus* vero & *Æthiops* ita vertunt, ac si legissent τὸν Θεὸν simpliciter. Atque hoc mavult *Millius* in Prolegomenis. Sed probandum est, Interpretes hos ita omnino legisse, nec potius sensum vocum aliarum, quas legebant, exprimendum sic putasse. Atque hoc mihi probabile videtur. Non videbant illi, quid sibi vellet, *laudare verbum Dei*, meminerant vero *Deum laudari*, frequenter dici. Itaque hoc ipsum in versione reddebant, quamvis rectius egissent, si in phrasi S. Lucæ perstitissent. Laudare verbum Dei est *gloriose & magnifice de eo loqui.* Ita 2 *Thess.* III. 1. dicitur, ἵνα ὁ λόγος τοῦ Κυρίου τρέχῃ καὶ δοξάζηται.

ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον) Vox τεταγμένοι negotium hic facessit Interpretibus, quorum diversas sententias collectas vide a *Seb. Schmidio* in Fasciculo Disputationum Theologico-Philologic. Disp. XVII. p. 1000. Constat inprimis, Calvinianos doctores hoc loco abuti, ad Decretum, quod statuunt, absolutum in negotio æternæ salutis stabiliendum. His ut obviam eatur, alii alias vias ingressi sunt. B. *Wolffgangus Frantzius*, felicissimus & solertissimus Scripturarum Interpres, huc diligentiam suam retulit in aureo tractatu de Interpretatione Scripturæ Sacræ Orac. I. p. 104. sq. Sententia ejus huc redit potissimum, quod Apostolus loquatur *de iis, qui juxta ordinem a Deo institutum dispositi erant ad vitam æternam hoc tempore, quo Paulus concionatus est.* Sed hic invenit quædam *Schmidius*, quæ desideraret. Inprimis durum ipsi & præter usum Scripturæ videtur, quod verbum τάττεσθαι idem hic sit, atque *sequi ordinem*, præsertim, cum non dicantur τεταγμένοι εἰς πίστιν, sed εἰς ζωὴν αἰώνιον. Hinc illi interpretationi Schmidius p. 1032. seqq. duas alias præfert, earumque alterutram amplectendam, vel utramque conjungendam existimat. Prior id infert *quod de electis quidem seu prædestinatis ad vitam æternam sermo fit, sed ita, ut non tam respiciatur ad hoc simpliciter, qui crediderint, vel non crediderint, sed ad hoc, unde consolatio petenda sit Doctoribus Ecclesiæ & fidelibus adversus tentationem, quasi labor prædicandi frustraneus sit, aut Ecclesia interitura, defectu credentium & se convertentium.* Posterior id vult, *quod* τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον *sint ii, de quibus a Deo ab æterno decretum factum, ad dandam illis hoc tempore fidem, vi voluntatis divinæ antecedentis, quæ destinavit rite audientibus fidem; subaudiendumque verbum præcedens* πιστεύειν *hoc modo: Et crediderunt, quotquot erant* τεταγμένοι πρὸς τὸ νῦν πιστεύειν εἰς ζωὴν αἰώνιον, *ordinati seu destinati ad nunc credere in vitam æternam:* εἰς ζωὴν αἰώνιον *non notet effectum ordinationis*

tionis, sed fidem; effectus autem sit fides, quæ in eum finem a Deo hominibus destinatur, ut per eam vitam æternam consequantur. Posteriorem hanc ὁ μακαρίτης præfert.

Interim *Franzii* illa interpretatio, quod τεταγμένοι sint, *qui secuti erant* τάξιν Θεοῦ, *ordinem Dei*, in negotio salutis, inter nostrates prævaluit. Amplexi eam sunt *Erasmus Schmidius* in Notis ad h.l. *Calovius* in Bibl. Illust. ad h.l. *Wolfburgius* in Obss. Sacr. pag. 559. *Phil. Jac. Spenerus* in Responsis Theologicis Germanicis Parte I. pag. 10. sqq. & 625. & alii. Eandem novissime ornavit, & ex profanorum quoque Scriptorum usu adstruxit Cl. *Jo. Henr. Majus* in Obss. Sacr. Part. III. p. 81. sqq. Recte ille observat, vocem τεταγμένοι ad electionem seu prædestinationem referri non posse, cum de eo negotio Scriptura Sacra vocibus aliis, v. c. ὡρισμένοι aut προωρισμένοι, uti soleat, hic vero præterea non προτεταγμένοι, sed simpliciter τεταγμένοι commemorentur. Addit idem, vocem τεταγμένοι esse militarem, quæ de iis dicatur, qui *ordines servent*: unde de alia translata designet homines ex præscripto viventes, & eam tenentes vitæ rationem, quam Summum Numen exigat. Idem quoque observavit *Jos. Mede* in Operibus Theolog. p. 21. qui propterea verba hæc ita convertit: *crediderunt, quotquot nomina sua dederunt vitæ æternæ*; aut, *qui de agmine & classe erant sperantium vel contendentium ad vitam æternam*; aut, *qui in procinctu stabant ad vitam æternam*. Ita *Epictetus* c. XXIX. τῶν δὲ βελτίστων σοι φαινομένων οὕτως ἔχου, ὡς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τεταγμένος εἰς ταύτην τὴν τάξιν. *Ea vero, quæ optima tibi videbuntur, sic teneto, quasi a Deo in ea statione collocatus. Myia*, Pythagoræ filia, in epistola ad Phyllida nutricem vult esse τεταγμέναν καὶ σώφρονα, *ordinate viventem & temperantem. Plutarchus* Pompejum dicit fuisse σώφρονα καὶ τεταγμένον ταῖς ἐπιθυμίαις. Τεταγμένοι itaque iidem sunt, ac τακτοὶ, oppositi τοῖς ἀτάκτοις, de quibus Paulus 1 *Thess.* V. 14. Ita *Polyænus* IV. 9. 1. τοῖς συντεταγμένοις, i.e. *ordines servantibus* opponit ἀσυντάκτους seu *inordinatos*. Itaque τεταγμένοι ε. ζ. α. hic sunt, qui ordinem a Deo præscriptum ad vitam æternam tendentibus servant, atque adeo rite dispositi & bene præparati sunt ad æternam felicitatem obtinendam. Ita *Marcus Antoninus* XI. 13. dicit τεταγμένον πρὸς τὸ γίνεσθαι, δι' ὅτου δὴ τὸ κοινῇ συμφέρον, h. e. *hominem ad hoc compositum & aptum, ut id fiat, quod in commune expedit.* Confer ibi *Gatackeri* notas p. 395, qui observat, τὸ τάττεσθαι & τετάχθαι hoc sensu & *Marcum* & *Epictetum* frequenter usurpare. Græci alias dicunt εὔθετον, ut *Luc.* IX. 62. Germanice diceres: **geordnet.** Ex his simul intelligitur, participium hic nominis rationem induere, quod passim alias fieri inter ceteros a *Vossio* ostensum & libro de Analogia IV. cap. 15. Conf. *Luc.* VI. 40. & *Rom.* IX. 22. Patet insuper, quæri hic non debere de eo, a quo sint *ordinati* vel *dispositi*, qui hic dicuntur τεταγμένοι. Nihil enim vetat, quo minus vocem hanc in significatione activa reciproca accipiamus, ut τεταγμένοι sint *ordinati* seu *dispositi a se ipsis*, seu, qui se ipsos disposuerunt. Phrasin hanc Scriptoribus Sacris repetitissimam esse, compluribus exemplis comprobavit *Limborchius* in Commentar. ad h.l. pag. 133. sqq. cum quo

confer *Jo.Clericum* in Biblioth. Select. Tom. XXIII. Part.I.pag.24.sq. Ita de domo Stephanæ dicitur 1 *Cor.* XVI. 15. quod εἰς διακονίαν τῶν ἁγίων ἔταξαν ἑαυτὸς, *se ipsos dispofuerunt ad ministerium Sanctorum;* perinde, uti *Xenophon* de Expedit. Cyri lib. VII. pag.232. ait, quod milites quidam fuerint ὑφ' ἑαυτῶν ταττόμενοι i. e. *a se ipsis ordinati.* Ubi tamen cavendum omnino est, ne per Pelagianismum vel Semi-Pelagianismum statuamus, a libero hominis arbitrio & viribus naturalibus, vel ex toto, vel ex parte, pendere conversionem, aut præparationem ad salutem. Hic enim sermo tantum est de actibus pædagogicis & ad ordinem conversionis pertinentibus,quos homines convertendi vel admittere sponte sua vel aversari præfracte possunt. Explicamus rem magni *Calovii* nostri verbis. Is enim in Bibliis Illustrat.ad h. l. pag. 885. ita: *Vox* τεταγμένοι *respicit ordinem divinum, quia non absoluta Deus agit gratia, in negotio salutis: sed certam* τάξιν *mediorum præscripsit, quam qui non excludunt, sed admittunt, verbum nempe audiendo, ad illud aures & corda non obturando, Spiritui, Sancto, per illud operari volenti, non resistendo, illi* τεταγμένοι *sunt. Nec vero docemur, quod a se ipsis sint* τεταγμένοι*, quin potius Deo vel divinæ gratiæ,& verbi divini virtuti hoc convenit, qua sola nos reddimur* τεταγμένοι *&* εὔθετοι*, dum ei locum relinquimus, &* τάξιν *mediorum divinorum non repudiamus & excludimus, sed observamus. Quod ad actus pædagogicos pertinere, & in nostris adeo viribus esse, non negatur.* Confer *Seb.Schmidii* Fascic. Disputt. l.c. pag.1006. Hæc itaque tam plana & evicta mihi videntur, ut in adsensum me non tam ducant, quam rapiant. Et vel sic tamen Cl. *Jac.Elsnerus* istam sententiam oppugnandam suscepit Dissertatione singulari, Lingæ de hoc loco an. 1721. habita, *Limborchii* & *Maji* argumentis sub examen revocatis. Eam oculis nondum vidi, exstare autem didici ex Biblioth. Bremens. Class. V. p. 379. Pro nostra sententia facit quoque *Grotius* ad h. l. hoc nomine a *Calovio* laudatus. Atque ex istis illius observationibus interpretandum est id, quod Tom.III.Opp.pag.351. monet, intelligi hic prædestinationem omnium donorum, quæ ad fidem in homine efficiendam requirantur. Gratiam scilicet Dei prævenientem hic innui per prædestinationem illam censet, ad quam alioquin, sensu Calviniano sumtam, ullo modo hic respici ad Actorum locum recte negat. *Grotii* interpretationem approbat *Rich. Simon.* in Hist. Critica N. T. lib. III. p. 811. & 924.

Pro *Calvinianorum* interpretatione communiori pugnat *Marckius* in Exercitatt. Biblicis p. 798.

Idem vero ibidem pag.801. recte aversatur hypallagen, seu Synchysin, quam locum hic habere disputavit *Socinus*, cujus judicio ita verba Lucæ disponenda fuerint: καὶ ὅσοι ἐπίστευσαν, ἦσαν τεταγμένοι ε.ζ.α. Lege contra eundem *Franc. Wokenii* Pietatem Criticam Part. II. p. 119.

Hos feliciores non puto fuisse, qui non solum novam interpunctionem

ctionem hic comminiscuntur, sed & vocem τεταγμένοι insolentiore induunt significatu. Inter hos est *Nortonus Knatchbullus* in Notis ad h. l. & ex nostratibus *Jo. Saubertus* in Palæstra p. 315. sq. *Amelius* Part. I. p. 122. & *Christianus Fridericus Sinner* de distinctionibus textus N. T. c. II. §. 8. Ii nempe ita legi volunt: καὶ ἐπίστευσαν, ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι, εἰς ζωὴν αἰώνιον, & vertunt: *& crediderunt, quotquot erant congregati*, seu *convenerant, in vitam æternam. Saubertus* præterea addit, si cui durum videatur dici πιστεύειν εἰς ζωὴν αἰώνιον, *credere in vitam æternam*, illi cogitandum esse, quod τὸ εἰς, hic pleonasticum sit, ut nonnunquam alias, vel quod τὸ εἰς verti etiam possit per *propter*, quam notionem eadem particula habeat 1 *Tim.* IV. 20. 1. *Pet.* IV. 7. & *Matth.* VI. 34. *Witsius*, eandem Knatchbulli expositionem afferens, recte subjungit, *vereri se, ut multis persuadeat.* Et hoc est, quod & ego vereor. Primum enim verbum πιστεύω insolentius refertur ad voces: εἰς ζωὴν αἰώνιον. Qui ad Christum conversi narrantur in Evangelica & Actuum Apostol. historia, frequentissime dicuntur simpliciter, πιστεύειν, nusquam vero video commemorari, eos *vitam æternam*, multo minus *in vitam æternam* credidisse dici. Deinde verbo τάττεσθαι non sufficienter hic vindicatur *congregationis* significatus ex uno loco τῶν LXX. Intt. qui scilicet *Exod.* XXIX. 43. Hebraicum נועדתי i. e. *conveniam*, per τάξομαι ἐκεῖ converterunt. Nondum enim satis constat, quam significationem οἱ LXX. verbo τάξομαι ibi tribuerint. Latinus enim interpres per *præcipiam* reddidit. Et quid opus est, insolitam venari significationem in verbo eo, cujus alia exstat communissima, & talis quidem, quæ ad h. l. admodum sit accommodata?

Vers. 50. τὰς σεβομένας γυναῖκας) Scilicet fœminæ cum ad religionem, tum ad superstitionem proniores sunt: vide veterum loca apud *Gatackerum* ad Antonin. l. 3.

Vers. 51. Οἱ δὲ ἐκτιναξάμενοι τὸν κονιορτὸν τῶν ποδῶν) hoc scilicet a Domino ipsis præceptum erat *Matth.* X. 14. & *Luc.* IX. 5. Varias hujus instituti rationes reddunt varii. Quidam enim illa pulveris excussione puritatem Apostolorum, & Judæorum impuritatem indicari debuisse existimant, quam in rem loca *Act.* XVIII. 6. & XX. 26. cum v. 50. nostri capitis comparant. Scilicet Doctores Judæorum tradebant, pulverem terræ Ethnicæ contactu suo inquinare, quod Rabbinorum testimoniis probat *Lightfootus* ad Matth. X. 14. Itaque Apostoli subindicabant, se Evangelii hostes pro profanis & impuris æstimare. Conf. *Witsii* Meletemata Leidens. p. 51. Alii omnis commercii & consuetudinis renunciationem sic denotatam putant, quasi Apostoli nec tantillum quidem, quod Judæorum sit, sibi servatum velint. Alii, hic subtiliores, existimant, exprobratum hoc modo Judæis fuisse, quod Apostolos ad se venientes non eo, quo hospites solebant, modo exceperint, pedesque suos a pulvere mundarint, ipsis propterea in

opprobrium relinquendo. Alii denique pro symbolo habent pœnæ promeritæ ipsisque imminentis, qua in eam rerum conditionem redigendi sint, ut instar pulveris dispergantur. Vide *Deuter.* XXVIII. 24. Lege huc *Amelium* Part. II. pag. 384.

ἦλθον εἰς Ἰκόνιον) Urbem hanc *Strabo* lib. XII. *Cicero* lib. XV. ad Familiar. epist. 4. & *Plinius* lib. V. c. 27. Lycaoniæ annumerant, *Ammianus* vero *Marcellinus* lib. XIV. Pisidiæ oppidum vocat; *Xenophon* denique in extrema Phrygia, qua Lycaoniæ conjungitur, sitam scribit, de Expedit. Cyri lib. I. pag. 195. Quomodo dissensiones hæ tolli & cum rei veritate conciliari possint, ostendit Rev. *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 161. qui etiam p. 162. suspicatur, jam Lucæ tempore Pisidiam iis limitibus fuisse circumscriptam, ut Iconium quoque complecteretur.

CAP. XIV.

VErs. 1. Ἐγένετο δὲ ἐν Ἰκονίῳ) De Actis Pauli & Barnabæ Iconiensibus exponit Cl. *Christianus Frider. Bœrnerus* in Disput. singulari de Pauli & Barnabæ in Lycaonia rebus gestis. Lips. 1708.

κατὰ τὸ αὐτὸ) *Vulg. Erasmus, Grotius* & alii reddunt: *una, simul.* Atque id placet quoque *Boisio* in Collatione pag. 410. qui *Hesychium* quoque affert, phrasin hanc per ὁμοῦ interpretantem. Alii malunt interpretari cum *Camerario* per: *similiter, eodem modo, pro more,* ut subintelligatur ἔθος. Act. XVII. 2. Cum his recte facit *Bœrnerus* l. c. p. 7.

Ἑλλήνων) i. e. *Gentilium:* Vide *Suicerum* Tom. I. Thesauri p. 1089.

Vers. 2. ἐκάκωσαν τὰς ψυχὰς τῶν ἐθνῶν κατὰ τῶν ἀδελφῶν) Τὸ κακοῦν idem hic est, quod *exacerbare aliquem, & male affectum reddere,* Germanice einen böse machen, erbossen. Ita *Casaubonus* in Casaubonianis pag. 96. *Κακοῦν ponitur pro male affectum reddere. B. putat esse τῶν ἅπαξ λεγομένων. Ego reperio illam vocem in ea significatione apud Pollucem p. 201. & Plutarchum in Alcibiade p. 372. paulo aliter.* Adde Cl. *Starckii* Notas Selectas pag. 120. Alias κακοῦν idem est, quod *vexare alterum* & male tractare. Similiter Germani plagen adhibent, non solum de iis, quos male accipiunt, sed & talibus, quos quovis modo & continuo studio ad aliquid perficiendum concitant.

Vers. 3. ἐπὶ τῷ Κυρίῳ τῷ μαρτυροῦντι τῷ λόγῳ) Similiter *Arrianus* Dissert. Epict. lib. I. p. 123. ὁ ἔργῳ μαρτυρήσων τοῖς λόγοις.

Vers. 4. Ἐχίσθη δὲ τὸ πλῆθος) scilicet εἰς δύο γνώμας, quæ *Luciani* phrasis est Tom. II. Opp. p. 115. *vulgus in contraria studia scissum est.*

Vers.

Verf. 5. Ὡς δὲ ἐγένετο ὁρμὴ) ὁρμὴν hic plerique vel *appetitum*, vel *tumultum* reddunt. Rectius vero hic videtur accipi de *consilio*, vel *impetu animi* in rem aliquam intenti. Ita *Hesychius* ὁρμὴν explicat per βυλὴν, ἐπιθυμίαν, τιμήν.

Verf. 6. εἰς τὰς πόλεις τῆς Λυκαονίας) Quæ regionis hujus longitudo fuerit a Phrygia ad Cappadociam, quibus media interjacet, conjecturam capere licet ex Cyri itinere, qui eam quinque dierum spatio cum exercitu emensus est, teste *Xenophonte* de Expedit. Cyri lib. I. p. 195. Conf. *Raphelii* Annott. Polybian. p. 163.

Λύςραν) Versu 8. ἐν Λύςροις legitur pluraliter, ut *Cellarius* in Notit. Orbis antiqui T. II. c. 4. p. 202. fere dubitet, an non hic legi debeat Λύςρα in plurium numero neutro. Sed *Camerar. Erasm. Schmidius*, & *Grotius* ad h. l. ostenderunt, utramque formam & numerum voci competere. Sic infra v. 21. & XVI. 1. Λύςρα in singulari occurrit.

Verf. 8. ἀδύνατος τοῖς ποσὶ) Vide de phrasi hac *Jo. Conr. Dieterici* Antiquitt. Biblic. N.T. Tom. I. p. 48. De claudo ipso lege B. *Wedelii* Exercitatt. Medico-Philolog. Centur. II. Dec. I. Exercit. VIII. p. 79. sqq.

Verf. 11. ἐπῆραν τὴν φωνὴν) Vide supra II. 14. Eadem phrasi utitur *Demosthenes* de falsa legatione p. 245. & *Philostratus* in Vita Apollonii lib. V. c. 33. Ceterum integram hanc historiam persequitur Cl. *Io. Iac. Pfizerus* in Differt. de ἀποθεώσει Pauli & Barnabæ a Lystrensibus frustra tentata, *Altorf.* 1713. 4.

Λυκαονιςὶ λέγοντες) Vide huc Cl. *Pauli Ernesti Jablonskii* Disputationem de lingua Lycaonica, quam statuit, non fuisse, dialectum Græcam, sed Assyriacæ proximam, atque hinc deductam. Conf. Ephemerid. Parif. ed. Amstelod. an. 1715. p. 422. sq. & Nova Literaria Germanica, Lipf. 1715. p. 33.

οἱ θεοὶ ὁμοιωθέντες ἀνθρώποις) Communem hanc fuisse Gentium persuasionem, quod Dii cœlo delapsi & humana forma induti terras nonnunquam lustrare & hominibus apparere soleant, a multis observatum est. Hinc illæ Deorum ἐπιδημίαι & ἐπιφανεῖαι, de quibus aliquando, Deo dante, dicemus ad 1 *Tim.* III. 16. Vide interim *Io. Mich. Dilherri* Disputatt. Philolog. Tom. I. p. 216. *Ezech. Spanhemium* ad Callimachum Hymn. in Pallad. v. 101. & de Usu & præstantia Numismatum diff. V. p. 388. ed. in 4. *Iac. Elsnerum* p. 421. *Io. Alberti* in Obff. S. p. 251. tum vero M. *Io. Gottlob Nimptsch* Differt. singularem de ἐπιφανείαις θεῶν, Lipf. 1710. & *Hebenstreitii* aliam de iisdem, nec non *Amelium* Part. II. p. 443.

κατέβησαν πρὸς ἡμᾶς) Verbum καταβαίνειν exteri Scriptores de Deorum ad homines adventu frequenter adhibent, ut *Arrianus* Diff. Epictet. lib.

lib. III. c. 1. ὁ Ἑρμῆς καταβὰς ἔμελλεν αὐτῷ λέγειν ταῦτα. Hinc Ζεὺς καταβάτης, de quo exſtat accurata eruditiſſimi *Pet. Burmanni* diſſertatio, in qua etiam plura veterum loca huc pertinentia leguntur. Adde *Cuperum* ad Lactantium de mortibus Perſecutorum p. 128. *Kuſterum* ad Suid. voce καταβάτης & *Jac. Elsnerum* ad h.l. p.420. Vide etiam Cl. *Trillerum* in Notis MSS. ad h. l. varia veterum in hanc rem loca attuliſſe, quæ Lector ibi aliquando, ubi lucem, ut merentur, adſpexerint, cum voluptate inveniet. Ibidem & de uſu verbi καταβαίνειν in hoc argumento commentatur. Veriſimile omnino eſt, Gentes exteras illas Deorum apparitiones venditaſſe ad exemplum earum, quas Hebræis olim, nominatim Abrahamo eveniſſe, ac ab ipſis vel a Phœnicibus acceperant. Fortaſſe & Scriptores Græci, qui Novo Teſtamento recentiores ſunt, ad imitationem eorum, quæ de Chriſto & Angelis cœlo deſcendentibus dicuntur, ſimiles phraſes conformarunt.

Verſ. 12. Ἐκάλουν τε τὸν μὲν Βαρνάβαν, Δία, τὸν δὲ Παῦλον, Ἑρμῆν) Jovem & Mercurium hic adeſſe ſuſpicabantur, quia Mercurius Jovi ſemper præſto eſt, tanquam μεγίστῳ Ζηνὶ θεῶν λάτρις, *Jovis maximi Deorum famulus*, ut vocatur ab *Euripide* Jone v. 4. quare etiam Jovem, quoties humana forma indutus ad mortales deſcenderet, comitari ſolebat. Vide *Ovid.* lib. V. Faſtor. v. 495. Adde *Elsnerum* p. 423. & *Jo. Jac. Pfizeri* Diſſert. citatam §. 9.

ἐπειδὴ αὐτὸς ἦν ὁ ἡγούμενος τοῦ λόγου) Mercurium ſcilicet eloquentiæ præſidem conſtituebant Gentiles: hinc a *Jamblicho* in limine operis de Myſteriis Ægyptiorum vocatur θεὸς ὁ τῶν λόγων ἡγεμών. Imo Ἑρμῆς ἀπὸ τοῦ ἐρεῖν, a *dicendo*, appellatus creditur *Phurnuto* de Natura Deorum c. 16. p. 164. & *Porphyrio* apud Euſebium Præpar. Evangel. III. 11. p. 114. Λόγιος audit *Luciano* in Pſeudolog. p. 600. Lege plura hujusmodi apud *Gyraldum* de Hiſtor. Deorum Syntagm. IX. p. 300.ſqq. *Galeum* ad Jamblichum l. c. p. 182. *Cuperum* lib. I. Obſervatt. c. 11. *Ezech. Spanhemium* ad Ariſtophanis Plutum v. 1111. *Jac. Elsnerum* p. 423. & *Jo. Alberti* p. 251.

Verſ. 13. Ὁ δὲ ἱερεὺς τοῦ Διὸς τοῦ ὄντος πρὸ τῆς πόλεως) Hic eſt Ζεὺς πρόπυλος, qui ante urbem colebatur, eo quod πολιεὺς ſeu πολιοῦχος i. e. urbis præſes, ſeu Deus tutelaris haberetur. Vide ad h. l. *Heinſium*. Deorum vero Tutelarium ſimulacra ante urbem in portis ſæpe olim locata fuiſſe, ex veteribus conſtat. Vide *Æſchylum* in Septem contra Thebas v. 170. & *Lycophronem* v. 356. ibique *Meurſium* & *Potterum*, tum vero *Ezech. Spanhemium* ad Callimachi hymnum in Pallad. p. 591. nec non *Elsnerum* p. 425. qui in ſequentibus itidem oſtendit, templa Deorum in ſuburbiis exſtrui ſolita fuiſſe, ut Martis aliorumque, de quibus *Alexander ab Alexandro* in Diebus Genialibus lib. II. c. 4. Hic puto ſermonem eſſe de Jove, cujus ſimulacrum ante urbem erectum erat.

ταύρυς καὶ ςέμματα ἐπὶ τὺς πυλῶνας ἐνέγκας) Tauros Jovi olim sacrificatos fuisse, ostendit *Cuperus* in Apotheosi p. 74. Taurum *maximam victimam* vocat *Virgilius* Georgic. II. Jupiter vero habebatur Deorum maximus, unde ipsi inprimis, tum vero etiam *Diis majoribus* aliis tauros offerebant. Allata hic vero etiam dicuntur ςέμματα, *coronæ*. Iis scilicet tum *Sacerdotem*, tum *victimas* ornare & cingere solebant. Prius illud in opusculo quodam suo diligenter se probasse testatur *Jo. Dougtæus* in Analectis N. T. Exc. LIV. cui junge *Braunium* de Vestitu Sacerdotum Hebr. p. 643. & *Reinesium* ad Inscriptionem XLI. p. 83. Posterius autem, quod ad h. l. pertinet l. c. idem *Dougtæus* ex antiquitate comprobavit. Confer in eandem rem, victimarum scilicet coronationem, *Arndium* in Miscell. Sacris p. 151. *Jo. Saubertum* de Sacrificiis p. 386. & *Cornelium Adami* in Exercitatt. Exeget. p. 306. sq. Hinc & sunt, qui phrasin ςέμματα καὶ ταύρυς explicant per ταύρυς ἐςεμμένυς i. e. *tauros coronatos* non inconcinne, cum *Beza*, quem sequitur, ut alios taceam, *Jo. Buxtorfius* in Catalectis p. 212. Adde Rev. *Raphelii* Annotatt. Polybian. p. 345.

ἐπὶ τὺς πυλῶνας) *Portas* vel *portam* alii ad *Templum* Jovis, alii ad *urbem* Lystram, alii ad *ædes*, ubi commorabantur Apostoli, referunt. Qui de domo privata, Apostolis hospitium præbente, accipiunt, arbitrantur, Sacerdotem, extra urbem habitantem, non ibi ad aram Jovis sacrificium offerre voluisse, sed potius solenni pompa, una cum turba ad ipsum Jovem præsentem in civitate, esse ingressum, ibique ante fores ædium, quas intraverant Apostoli, sacra parasse. His non difficulter adsentior. Solennia enim hæc Apostolis destinata fuisse, eorum sermo evincit, quo hos honores a se amoliuntur. Hinc & v. 18. turba hominum illis sacrificare voluisse dicitur. Præterea intra urbem hæc acta fuisse apparet ex v. 19. ubi ex urbe ejecti dicuntur Apostoli. Et cur extra urbem se recepisset Sacerdos ad sacra simulacro Jovis facienda, quem præsentem se in urbe habere opinabatur? Neque tamen propterea pro ἐπὶ τὺς πυλῶνας legendum est ἐπὶ τῦ πυλῶνος, quod verius putat *Erasmus Schmidius* ad h. l. Ait idem, exempla quædam ita legere. Sed frustra, si unam exceperis editionem *Wechelianam*, ejusmodi vel exemplaria vel MSS. quæres, quorum nullum hic attulit *Millius*. Πυλῶνες in plurium numero hic dicuntur per enallagen Scriptoribus Sacris receptissimam, eodem modo, quo *Act.* IX. 24. πύλαι vocantur *janua* domus, in qua Damasci Paulus diversabatur. Ita Latinorum *fores* in plurium numero de janua dicuntur.

Vers. 14. διαῤῥήξαντες τὰ ἱμάτια) Indignantium hic mos est: vide *Schickardum* de Jure Regio Hebræorum p. 408. Idem a gentibus quoque observatum fuisse post *Schmidium* ad h. l. ostendit *Pfizerus* in Dissert. citata p. 23.

εἰσεπήδησαν) MSS. nonnulla & versiones, inter quas est *Vulgata*, legunt ἐξεπήδησαν. *Millius* in Prolegomenis §. 972. ex margine hoc verbum

putat in textum irrepsisse: quod cur existimet, non admodum video. Crediderim potius, librarios nonnullos præpositionem εἰς cum ἐξ facile per negligentiam commutasse, inprimis cum quod ad sensum parum hic sit inter utramque lectionem discriminis. Interim verbum εἰσεπήδησαν vere Lucæ esse, patet ex *Act.* XVI. 19. ubi idem in simili causa adhibetur, consententientibus Codicibus & versionibus omnibus.

Vers. 15. καὶ ἡμεῖς ὁμοιοπαθεῖς ἐσμεν ὑμῖν ἄνθρωποι) Vox ὁμοιοπαθὴς legitur etiam *Jac.* V. 17. & *Sapient.* VII. 3. *Beza* vertit: *nos quoque sumus homines iisdem, quibus vos, affectionibus obnoxii.* Vulgatus autem: *& nos mortales sumus, similes vobis homines.* Atque hoc mavult *Boisius* in Collatione pag. 412. observans, in compositis dictionibus Latine reddendis vel negligendam esse partem alteram compositionis, vel uni dictioni Græcæ exprimendæ coacervandas esse complures Latinas. Sic *Henr. Stephanum* recte monuisse, quod apud *Sophoclem* κοινοπαθῆ idem sit, quod κοινά. Hinc ὁμοιοπαθεῖς etiam hic eosdem esse, quos alias ὁμοίους dixeris. Malim ego *Bezæ* interpretationem amplecti, quæ vim vocis disertius exprimit.

εὐαγγελιζόμενοι ὑμᾶς) Vox ὑμᾶς pertinet ad participium hoc, non autem ad verbum ἐπιστρέφειν. Sic v. 21. εὐαγγελισάμενοι τὴν πόλιν, & hoc modo semper alias in N. T. accusandi casui jungitur.

Vers. 17. καίτοι γε) *quanquam*, ut *Beza* vertit. Eodem sensu occurrit infra XVII. 27. & *Job.* IV. 2. nec minus apud profanos, ut *Polybium* in Excerptis Legationum p. 1323. *Arrianum* in Epicteteis III. 24. p. 341. & alios a Cl. *Elsnero* p. 427. citatos.

οὐκ ἀμάρτυρον ἑαυτὸν ἀφῆκεν) De voce ἀμάρτυρος lege *Suicerum* Tom. I. p. 216. Res patet tum ex argumentis a Paulo ipso adductis eorumque similibus, tum etiam ex κακοζηλίᾳ Gentilium, per quam nonnulla divini cultus capita, apud Judæos exstantia, imitatione qualicunque exprimebant. Vide huc B. *Jo. Mich. Dilherri* Dissert. de Cacozelia Gentilium, quæ in Dissertatt. ejus Philologic. Part. II. p. 166. sqq. recusa exstat, & *Christian. Masecovii* Disput. de testimoniis, quorum Deus in spissis Gentilismi tenebris sese expertem nunquam reliquit, *Regiomont.* 1711.

οὐρανόθεν ἡμῖν ὑετοὺς διδοὺς καὶ καιροὺς καρποφόρους &c.) Similia Gentilium Scriptorum loca lege in notis *Gatackeri* ad Antonin. VII. §. 70. & VIII. 19. Præstantissimus omnium est, qui ex Stoicorum sententia legitur apud *Cicer.* de Natura Deorum lib. I. c. 2. *Nam & fruges, & reliqua, quæ terra pariat, & tempestates ac temporum varietates, cœlique mutationes, quibus omnia, quæ terra gignat, maturata pubescant, a diis immortalibus tribui generi humano putant.* Opposuit autem hæc D. Paulus ineptæ Gentilium plerorumque persuasioni, qui beneficia hæc a liberalitate idolorum suorum, cultuque iis præstito repetere

tere solebant. Vide huc *Jo. Spencerum* de Legibus Ritual. Hebr. p. 47. Lege ad h. l. B. *Gerb. Meieri* Disput. de Deo ex pluvia, *Hamb.* 1697.

καιρὸς) B. *Lutherus* hic vertit Zeitungen: de qua voce lege B. *Stadenii* Expositionem vocum Germanicar. difficiliorum p. 749.

ἐμπιπλῶν τροφῆς καὶ εὐφροσύνης) Εὐφροσύνην hic pro vino, tanquam effectum pro causa poni, observavit *Grotius*, cujus sententiam confirmat Cl. *Trillerus* in Notis MSS. allatis veterum locis, qui vinum lætitiæ matrem constituunt v.c. *Homer.* Il. γ. v. 246. & Odyss. δ v. 221. &c. Conf. B. *Postelii* notas ad Homeri Junonem Germ. versibus expressam pag. 461. sqq. Appositus præ ceteris locus est in Anthologia Græc. cap. II. in Vitem, ubi vitis introducitur quiritans, quod aliquis præteriens uvam non maturam decerpens & in viam deinde projiciens — αὐξομέναν ἔσβεσεν εὐφροσύναν, *crescentem exstinxisset lætitiam.*

τὰς καρδίας ἡμῶν) καρδίαν hic non de corde, vitæ regia, sed stomacho seu ventriculo, vitæ quasi culina, fumi, existimat Cl. *Trillerus* l.c. cum stomachus potius, quam cor cibo potuque adimpleri soleat. Atque sic veteres Medici stomachum olim καρδίαν vocarunt, quando καρδιαλγίαν, καρδιωγμὸν & καρδιακὴν νόσον non tam cordis, quam ventriculi affectus vocant, ceu ex Hippocrate, Galeno, Coel. Aureliano & Alex. Tralliano lib. VII. c. 9. p. 341. patet, qui καρδιακὴν διάθεσιν στομάχυ πάθος εἶναι affirmat. Hinc Scholiast. Thucydidis ad lib. II. p. 63. ed. Steph. observat, veteres stomachum καρδίαν dixisse, quod & confirmat *Galenus* lib. II. de Hippocr. & Platonis placitis Tom. II. Opp. p. 262. & 302. Adde Erotiani Lexic. in voce καρδιώσσειν, quæ cum aliis hujusmodi attulit *Trillerus.*

Vers. 19. καὶ λιθάσαντες τὸν Παῦλον) Exemplum hoc est inconstantiæ popularis, cujusmodi plura, dictis veterum confirmata, affert *Gatackerus* ad Antoninum IV. 16. p. 136. b. De lapidatione hac disserit *Fridr. Sigf. Ring* in Disp. de lapidatione Hebræorum *Francof.* 1716.

Vers. 21. μαθητεύσαντες ἱκανὸς) Plerique vertunt: *cum docuissent multos,* ut *Vulg.* At *Beza* & *Piscator*: *cum discipulos multos adjunxissent*, *vel fecissent.* Recte quidem, quod patebit ex iis, quæ scripsimus ad *Matth.* XXVIII. 19. ubi *Beza*, ipse hic a se dissentiens, subtilitatem eos ait sectari, qui τὸ μαθητεύειν ibi per *discipulos facere* interpretentur.

Vers. 22. παρακαλῶντες ἐμμένειν τῇ πίστει) Ita *Polybius* p. 61. παρεκάλει μετὰ δεήσεως, μεγάλας δωρεὰς καὶ χάριτας ὑπισχνύμενος, ἐὰν ἐμμένωσι τῇ πρὸς αὐτὸν πίστει.

καὶ ὅτι διὰ πολλῶν θλίψεων δεῖ ἡμᾶς εἰσελθεῖν) Interpretes hic subaudiunt *docentes*, ut *Camerarius*, vel *dicentes*, ut *Beza*, qui tamen præter rem copulam καὶ expungi vult, & cum Arabe legi: ὅτι δεῖ, offensus scilicet eo,

quod παρακαλῦντες non possit cum ὅτι construi. Sed eodem prorsus modo *Polybius* lib. V. c. 27. p. 522. participio ejusdem verbi, nempe τῷ παρακαλῦντες in altero orationis membro τὸ ὅτι ita subjungit, ut supplendo verbo alii occasionem relinquat. συνέντες δὲ οἱ πελτασαὶ τὸ γεγονὸς - παρακαλῦντες, εἰ μὲν πρὸς ἄλλο πεποίηται τὴν ἐπαγωγὴν τῦ Λεοντίυ - εἰ δὲ μὴ, ὅτι νομιῦσι μεγαλείως παρολιγωρεῖσθαι. Ejus rei certiores facti cetrati - orant, si propter aliam causam aliquam Leontium duci jussisset, ne ipsis absentibus de accusatione illius vellet cognoscere: alioquin pro ingenti calumnia factum Philippi se ducturos. Conferatur idem p. 407. & addatur Rev. *Raphelius* in Notis Polybianis p. 346. qui hæc scite admodum observavit. Idem simile exemplum ex *Xenophonte* de Expedit. Cyri lib. I. p. 196. affert in Notis Xenophonteis p. 163.

διὰ πολλῶν θλίψεων) Ita *Xenophon* Hist. Græc. lib. VII. p.491. διὰ πολλῶν κινδύνων ἐπὶ τὴν ἀγορὰν ἰόντες.

Vers. 23. χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρυς κατ' ἐκκλησίαν) χειροτονεῖν est *per suffragia creare* sive *eligere*. Inde autem ductum est verbum, quod in concionibus olim, qui assentiebantur, manu protensa suffragia ferebant. Ita enim is ad milites suos lib. V. de Expedit. Cyri pag. 283. καὶ ὅτῳ δοκεῖ ταῦτα, αἱρέτω τὴν χεῖρα. Ἀνέτειναν πάντες. Confer *Raphelii* Notas *Xenophont.* pag. 164. *Hombergii* Parerga pag. 184. & B. *Raithii* Vindicias versionis German. Lutheri pag. 466. Sed alii ne *suffragia* quidem, tanquam ad *electionem* necessaria, hac voce innui existimant. Ita *Boisius* in Collatione ad h. l. pag. 414. *Τὸ χειροτονεῖν, si usum loquendi potius, quam syllabas ipsas (quibus inhærere sæpe parum est tutum) respicias, nihil aliud declarat, quam constituere, creare, ordinare, designare, sive id fiat per suffragium unum, sive per plura, sive absque suffragiis omnino.* Quam in rem idem exempla nonnulla veterum affert, cujusmodi leges etiam apud *Knatchbullum* in notis ad h. l. quibus evincit, verbo hoc non *ordinationem* Ecclesiasticam, quæ hodie recepta est, sed simpliciter *electionem*, vel *constitutionem* inferri. Inspice præterea *Eunapium* pag. 45. & 109. item *Lucianum* Tom. I. p. 349. Confer in eandem sententiam *Bilsonum* de perpetua Christi gubernatione c. VI. p. 110. & *Hug. Grotium* de Imperio Summarum Potestatum circa sacra cap. X. Tom. III. Opp. pag. 259. Is vero ita: *Quamquam in Græcis civitatibus χειροτονία de comitiali electione dici ceperit, certum tamen est, usu arbitro ad quævis electionis genera porrectam vocem. Ita Appianus ad significandas electiones Magistratuum a Cæsaribus factas non alia utitur voce; & posteriores Historici filios dicunt a Patribus Imperatoribus χειροτονηθῆναι, Philoni Moses Rex & legislator dicitur ὑπὸ Θεῦ χειροτονηθείς. Sed nihil opus est, alios auctores evolvere, cum idem Lucas eodem in libro (Act. X. 41.) Apostolos vocet testes προκεχειροτονημένυς ὑπὸ τῦ Θεῦ, nulla sane aut manuum extensione aut popularibus suffragiis. Quod si illo, de quo agimus, loco popularem electionem indicare Lucas voluisset, non Paulo & Barnabæ, sed ipsi multitudini tribuisset τὸ χειροτονεῖν. Ita enim Paulus (2 Cor. VIII. 19.) ipsum Lucam ad collectas*

collectas asservandas ait χειροτονηθέντα ὑπὸ τῶν Ἐκκλησιῶν. *Idem ergo Paulus & Barnabas ibi fecerunt, quod alibi Titum vult facere Paulus* (*Tit. I.* 5.) ἵνα καταστήσῃς, *inquit*, κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους. *Quod Paulo est* κατὰ πόλιν, *id Lucæ est* κατ' Ἐκκλησίαν, *quod Paulo* καθιστάναι, *hoc Lucæ* χειροτονεῖν. *Unde &* χειροτονεῖν *voce constituere expressit recte Syrus Interpres.* Ita *Grotius.* Hinc intelligitur, de suffragiis popularibus, a cœtu fidelium profectis, hic cogitandum non esse: quamvis ita visum sit *Witsio* in Meletematibus Leidensibus p. 53. Lege pro nostra sententia *Jo. Seldenum* de Synedriis Hebræorum pag. 397. sqq. *Campeg. Vitringam* de Synagoga Vetere p. 820. & in Archisynagogo p. 427. & Rev. *Christoph. Matth. Pfaffium* in Originibus Sacris Ecclesiast. p. 50.

Fortasse tamen non errant, qui *electionem* hanc seu *constitutionem* cum impositione manuum conjunctam fuisse arbitrantur. Eam enim jam tum receptam fuisse, ex 1 *Tim.* V. 22. patere illi existimant, quamvis negari itidem non possit, tum Presbyteros, tum Episcopos etiam sine ea constitutos fuisse. Proinde res tutius in medio relinquitur, cum saltem voce χειροτονεῖν ipsa, si ad usum ejus respexeris, impositio ista manuum probari nequeat. Vide interim in utramque sententiam de hoc argumento disputantes *Blondellum* de Episcopis & Presbyteris p. 182. *Salmasium* de Episcopis p. 153. *Philip. Jac. Hartmannum* de rebus gestis Christianorum sub Apostolis p. 124. & *Pfaffium* l. c. & p. 77. Ex nostratibus impositionem manuum hic prorsus excludi, & nudam designationem ad officium publicum, quæ protensa manu olim facta sit, intelligi vult *Jo. Saubertus* in Opp. Posthumis p. 208.

CAP. XV.

Ad prima hujus capitis commata commentatur nonnulla *Jo. Harduinus* S. J. in Dissertatione de eo, quod Cephas a Paulo reprehensus (Gal. II.) non sit *Petrus* Apostolus, quam leges in Operibus ejus selectis p. 921. sqq.

Vers. 1. κατελθόντες ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας) Codex *Stephani* unus hic addit τῶν πεπιστευκότων ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν Φαρισαίων, quemadmodum alius Stephani Codex & *Cantabrig.* quoque pro περιτέμνησθε τῷ ἔθει Μωϋσέως legunt: περιθμηθῆτε καὶ τῷ ἔθει Μωϋσέως περιπατῆτε. Utrumque ex interpretamento, ad marginem primum posito, natum; & prius ex v. 5. huc præter rem translatum esse non dubito. *Seldenus* tamen de Jure Nat. & Gent. pag. 886. a lectione illa singulari recipienda non videtur alienus fuisse. Ceterum quæ & heic & in sequentibus afferuntur, nonnihil aliter narrantur in Constitutionibus Apostolicis pag. 947. quas recte redarguit *Dallæus* pag. 201. de Pseudepigraphis Apostolicis. De tempore, quo hæc acta sint, multi dispu-

disputant, de quibus ad Gal. II. 1. rectius dicetur. Vide interim *Herman. Witsii* Miscellanea Tom. II. Exercitat. XIV. p. 435. sq.

Vers. 2. γενομένης οὖν στάσεως καὶ συζητήσεως) Postremas duas voces nonnulli Codices omittunt, cujusmodi uno usus est *Coptus*, alii vero in ζητήσεως mutant, cujus idem est sensus. Στάσις infert *pugnam, dissensionem*; συζήτησις vero *disceptationem* seu collationem sententiarum. Prior illa, majore animorum contentione agitata, ad cœtum populi tunc congregati, posterior ad Paulum & Barnabam, cum dissentientibus Pseudodoctoribus disputantes referri debet.

Vers. 3. οἱ μὲν οὖν προπεμφθέντες) Deductionem sive comitatum a cœtu Ecclesiastico honoris causa, Apostolis heic ad aliquod loci intervallum præstitum, indicare nonnulli volunt. Et hæc est propria vocis Græcæ apud Scriptores significatio, quam retineri h. l. volunt *Camerarius*, *Erasmus Schmidius*. Alii vero verbum compositum pro simplici positum arbitrantes, idem esse volunt, quod πεμφθέντες, ἀποσταλέντες, *missi*, *deputati*. Inter hos est *Boisius* in Collatione p. 416. Ita *Sapient.* XIX. 2. καὶ μετὰ σπουδῆς προπέμψαντες αὐτούς. Malim ego prius.

Vers. 5. Ἐξανέστησαν δέ τινες) Dubium hic visum est nonnullis, utrum hæc verba *Lucæ*, an Paulo & Barnabæ, tanquam qui narrationem suam de rebus Antiochiæ gestis prosequantur, & disputationem ibi motam recenseant, tribuenda sint. Prius volunt plerique, & primus, quem sciam, *Beza* eos deseruit, ideo inprimis, quod Hierosolymis hæc quæstio excitari, adventantibus Apostolis, non potuerit, quippe qui de hac controversia, hactenus agitata, nihil huc dum exposuisse legantur. Ita cum *Beza* statuit quoque ex nostratibus A. H. *Franckius* in Observationibus suis vernaculis pag. 115. *Boisius* etiam in Collatione sua pag. 416. *Bezæ* primum, qui pro scopo suo, addito orationis supplemento, ita verterat: *sed* (ajebant) *quidam surrexerunt e secta Pharisæorum* &c. adsurgit. At idem *Boisius* l. c. in margine delendum esse monet verbum *ajebant*, &, *Heinsii* argumentis adductus, non genuinum, qui hinc nascitur, verborum sensum esse affirmat. Quam in rem confer quoque *Erasmi Schmidii* notas ad h. l. Et his omnino puto assentiendum. Primum enim ellipsis verbi *ajebant* insolentior est, nec illis N. T. locis, quæ Beza huc advocat, tanquam a præsenti negotio alienis satis confirmatur. Deinde neque sic cum structura sermonis convenit. Tota enim oratio antecedens recta est, a qua transitum ad obliquam hinc admittere vetat addita particula adversativa δέ. Neque obverti potest, conversos ad Christum quæstionem hanc moveri non potuisse, tanquam quibus disceptatio orta fuerit incognita. Quis enim tuto negarit, Paulum & Barnabam inter ceteros sermones, quorum summam referre satis habuit Lucas, illius quoque mentionem vel ideo fecisse, ut statim intelligerent ceteri, quæ præcipua itineris suscepti

fcepti caufa effet? Id vero commemorare non debebat Lucas, cum ex antecedentibus lectori jam conftaret, & ex fequentibus amplius intelligi poffet. Imo quis inficiari aufit, converfos Antiochenos, a quibus prima difputandi occafio nata eft, per literas aut alios rei geftæ notitiam ad Ecclefiam Hierofolymitanam, cujus magna & præcipua, tanquam matris ceterarum, effet auctoritas, perferri curaffe? Accedit, hic fpeciatim commemorari τινὰς τῶν ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν Φαρισαίων πεπιστευκότας, tanquam diffenfionis hujus patronos & primipilos, qui v. 1. ubi de converfis Antiochenis refertur, non appellantur. Nec omittendum eft, quod verbum ἐξανέστησαν hic cum efficacia opponatur verbo συνήχθησαν verfus 6. Prius enim infert congregationem tumultuariam privatorum hominum, ex præjudiciis fuis de hac caufa judicantium & cognofcentium: pofterius vero cœtum Apoftolorum & Presbyterorum pro more, & receptis inftitutis ad definiendam hanc caufam rite & folenniter coactum.

ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν Φαρισαίων) De voce αἵρεσις lege hic *Drufium* de Sectis p. 219. & adde, quæ fupra fcripta funt ad *Act.* V. 17. Non mirum eft, converfos ex Pharifæis contrariam caufam defendendam fufcepiffe. Hos enim ceremoniarum Mofaicarum ex inftituto & difciplinæ fuæ fcopo præ ceteris ftudiofos fuiffe conftat.

Verf. 6. Συνήχθησαν δὲ οἱ Ἀπόστολοι καὶ οἱ Πρεσβύτεροι &c.) Conferendi huc funt, qui Concilii hujus Hierofolymitani hiftoriam, præeunte Luca, fingularibus differtationibus illuftrarunt, nominatim, *Jo. Conr. Dannhauerus* in διατυπώσει ejus, *Argentor.* 1648. *Sam. Schelguigius*, Lipf. 1678. *Balth. Raithius* in Comitiologia Ecclefiaft. *Tubing. Ægid. Strauchius* in Hiftoria Symboli Apoftolici, *Witteb.* 1668. *Valent. Velthemius*, *Jen.* 1693. & *Jo. Bened. Carpzovius* de Jure decidendi controverfias Theolog. *Lipf.* 1695. Adde iis *Jo. Henr. Heideggeri* difquifitionem de Lege Cibaria veteri, cui commentatio in Concilium hoc addita eft, tum vero Scriptores Annalium, & ex iis *Jo. Bapt. Ottium* in Examine Annalium Baronii ad A. C. 51. ex noftratibus B. *Ittigium* in Selectis Capitibus Hift. Ecclef. Sec. I. pag. 70. ex Pontificiis *Jo. Launojum* in Epiftolis paffim, inprimis p. 193. fqq. 284. & 484. fqq. Canones, qui circumferuntur, & inter ceteros Conciliorum collecti exftant, fpurios effe, *Anton. Pagi* in Critica Baroniana Tom. I. p. 44. fqq. diligenter commonftravit. Totum Concilium Arabice defcriptum ex Arabis, præceptoris fui, fide tradit *Kirftenius* in præfat. ad Grammat. Arabicam.

Jo. Gebhardi de hoc Concilio Quæftiones exftant in *Jo. Fechtii* Schediafmatibus Sacris p. 978. fqq.

Ceterum *habes hic* ישיבה *five confeffum aut Senatum quendam Ecclefiafticum, conftantem ex Doctoribus b.e. talibus Viris, qui in Ecclefia Chriftiana illius temporis pro Doctoribus illius fummis & authenticis babebantur, & quibus eum in finem impofitæ*

sitæ erant manus. Hoc Synedrium Christianum constabat ex Apostolis & Presbyteris. Apostoli omnes fere pares erant potestate & officio: pares etiam dignitate, quatenus dignitas illorum ab officio, non a dotibus, aut singulari operatione Spiritus S. derivabatur. Presbyteri etiam omnes considerantur ut pares, potestatis, dignitatis & officii ejusdem. Ita *Vitringa* de Vetere Synagoga p. 598. qui in sequentibus consessum hunc cum forma *Synedrii Hierosolymitani* Judaici comparat.

ἰδεῖν περὶ τῦ λόγυ τύτυ) i. e. *de negotio hoc*, ut plerique vertunt; confer supra ad VIII. 21. Vel *de disputatione hac*, quod mavult *Raphelius* in Semicenturia Obss. Philolog. p. 11. ex Origene contra Celsum lib. I. p. 18. λόγος hic respondet ζητήματι, de quo v. 2.

Vers. 7. ἀναςὰς Πέτρος) Hinc *Schelstratenus* p. 137. Antiquitatt. Illustrat. conficit, Petrum Concilium hoc convocasse, & primatum in eo tenuisse. Quod in tantum admitti potest, si de ordine cogitetur; multùm tamen abest, quo minus Pontifici eum, quem Petro tribuunt, primatum hinc exsculpant, quod & *Launojus*, ceteris cordatior, recte agnovit.

ἀφ' ἡμερῶν ἀρχαίων) *dies antiqui* hic sunt *dies anteriores*, seu tempus jam præterlapsum. Respectus enim habetur hic ad superiora tempora missionis Petri Apostolicæ ad gentes, de qua Act. X. & XI. exponitur, tanquam a Deo facta. Hinc *Arabs* hic vertit: *a diebus primis & Syrus* quoque. Confer *Fesselium* in Adversariis Sacris Tom. I. p. 387. & Cl. *Bernhard. Raupachium* in Decade II. Observatt. Sacr. ex Patribus Apostolic. Obs. III. tum vero *Keuchenium* ad h. l. *Colomesium* in Observatt. Sacris pag. 89. & inprimis *Blondellum* in Pseudo-Isidoro p. 134. sqq. Sic *Hesychius* τὸ ἀρχαῖον non solum per παλαιὸν, sed & per πρῶτον interpretatur.

ὁ Θεὸς ἐν ἡμῖν ἐξελέξατο) i. e. *Deus ex nobis* (me) *elegit*, ut plerique interpretantur. Non contemnenda tamen videtur *Jo. Boisii* observatio in Collatione p. 417. arbitrantis, phrasin ὁ Θεὸς ἐν ἡμῖν idem hic esse, quod ὁ ἐν ἡμῖν Θεὸς i. e. ὁ Θεὸς ἡμῶν, *Deus noster*, verbum autem ἐξελέξατο æquipollere τῷ ἠθέλησε, *voluit*, *consultum habuit*. Interim malim prius, & quidem ex Hebraismo, cujus exempla exstant in LXX. 1 *Parap.* XVIII. 5. ἐξελέξατο ἐν Σολομῶντι τῷ υἱῷ μυ & 2 *Paralip.* VI. 5. Conf. *Vorstii* Philolog. Sacr. Part. I. p. 197.

Vers. 8. Καὶ ὁ καρδιογνώςης Θεὸς) Vide *Gatackerum* ad Antonin. XII. 2. & *Suicerum* Tom. II. p. 46.

Vers. 9. τῇ πίςει καθαρίσας τὰς καρδίας αὐτῶν) i. e. *quia, seu quandoquidem fide purgavit corda eorum.* Ita *Syrus*. Scilicet participia nonnunquam ita ponuntur, ut per conjunctionem causalem exponi debeant.

Vers.

Verſ. 10. ἐπιθεῖναι) i. e. καὶ ἐπιθεῖτε, vel, ἐπιτιθέντες αὐτοῖς, *& imponitis* vel, *imponentes ipſis.* Vide *Boiſii* Collationem ad h. l. p. 418. & adde ſcripta ad *Luc.* I. 54.

ζυγὸν ἐπὶ τὸν τράχηλον τῶν μαθητῶν) Similiter Judæi עול התורה i. e. *jugum legis* memorant in ſcriptis ſuis. Vide *Hackſpanium* de uſu librorum Rabbinic. in calce libri *Nizzachon* p. 461. & R. *Mardochaeum* in Notitia Karæorum a me edita p. 89. Lex cerimonialis autem jugum appellari poteſt, ſive materiam rituum ſpectes, de qua *Gal.* IV. 9. ſive multitudinem, ſive obſervationem, ſive rigorem, ſive partem ſignificationis, quod cogerentur edere confeſſionem impuritatis ſuæ. Vide *Herm. VVitſii* Ægyptiaca p. 287. Conf. ad h. l. *Joh. Marckii* Diſſert. de jugo non imponendo diſcipulis, *Lugd. Bat.* 1718. & *Suicerum* Tom. I. p. 1298.

Verſ. 11. Ἀλλὰ διὰ τῆς χάριτος Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ πιστεύομεν σωθῆναι) *per gratiam*, qua Dominus Jeſus Chriſtus valet apud Patrem, & quam hominibus paſſione & morte ſua peperit. Simili fere ratione loquendi utitur *Polybius* p. 1146. ubi æquum eſſe ait, ut Solenſes libertate donarentur διὰ τῆς Ῥοδίων χάριτος. Conf. p. 1245. & adde *Raphelii* Annotatt. Polybian. p. 346.

καθ' ὃν τρόπον κἀκεῖνοι) Per ἐκείνους eos, qui ex gentilibus converſi ſint, hic a Socinianis, aliam in V. T. ſalutis rationem, quam in N. T. obtinuiſſe ſtatuentibus, intelligi conſtat. Contra eos alii rectius de Patribus V. T. hic ſermonem eſſe affirmant. Horum enim mentio in proxime ſuperioribus fit v. 10. nec vox κἀκεῖνοι referri per Grammaticæ rationes poteſt ad vocem ἔθνη, de qua v. 7. Taceo argumenta Theologica, quæ noſtrates diligenter urſerunt. Vide inprimis Diſſertatt. ſingulares de eodem in V. & N. T. ſalvandi modo, *Georg. Lehmanni* & *Abrah. Calovii, Lipſ.* 1660. & *VVitteb.* 1684. tum *Jo. Meiſneri* & *Jo. Ern. Gerhardi.* Socinianorum argumenta profligavit *Jo. Marckius* in Sylloge Diſſertatt. Exercit. XV. & ex noſtratibus *Alethaeus* in der Erläuterung an. 1714. p. 571. ſq.

Verſ. 13. ἀπεκρίθη Ἰάκωβος) Eſt hic *Jacobus Minor*, Alphæi filius, qui a veteribus frater Domini appellatur, & Eccleſiæ Hieroſolymitanæ præfuit. De eo vide multis agentem Cl. *Fabricium* noſtrum ad Pſeudo-Abdiæ Hiſtoriam Apoſtolicam lib. VI. p. 591. ſqq. Tom. I. Codicis Apocryphi N. T. & alios ab eodem diligenter laudatos. Inprimis vero lege ea, quæ de *Hegeſippi* narratione, ad Jacobum noſtrum pertinente, tanquam ſubleſtæ fidei, expoſuit *Scaliger* ad Euſebii Chronicon an. 2077. cum quo contra *Petavium, Halloiſium* & *Ruinartum* facit *Jo. Clericus* in Bibliotheca Selecta Tom. XXVI. P. I. p. 199. ſqq. nec omitte *Ant. Arnaldi* Diſſert. poſthumam de eadem narratione cum *Tillemontii* Animadverſionibus Poſthumis editam Pariſ. 1701. 4.

Verſ. 14. Συμεὼν) *Simeon*, cognomine Cananæus ſeu Zelotes, Jacobi frater germanus, de quo idem Pſeudo-Abdias lib. VI. §. 7. pag. 608. Codicis Apocryphi N. T. ubi *Fabricii* animadverſiones conferantur. De Epiſcopatu illius diſſerit *Henr. Dodvvellus* in Diſſert. ad Irenæum p. 23. de martyrio vero in Diſſertat. Cyprianica XI. §. 21. Nec contemnenda affert *Henr. Valeſius* ad Euſebium pag. 48. Συμεὼν hic appellatur ad imitationem Hebraici שמעון, & eodem modo ſcribitur Luc. II. 25. quem Græci alias Σίμωνα appellant, ut *Siracid.* L.

ἐξηγήσατο) *fuſe ediſſeruit.* Vide *Keuchenium* ad h. l. p. 195.

ἐπεσκέψατο λαβεῖν) i. e. ἐπεσκέψατο καὶ ἔλαβε *reſpexerit & ſumſerit ex gentibus.* Vide *Boiſii* Collationem p. 164.

Verſ. 15. Καὶ τούτω συμφωνοῦσιν οἱ λόγοι τῶν Προφητῶν) Hebræi hic dicerent: וזה רבר הנביאים *hic eſt ſermo*, ſeu, *tenor Prophetarum.* Vide *Surenhuſii* librum καταλλαγῆς p. 13. Ad Prophetas plures hic provocat Jacobus, quamvis deinde unum tantum *Amoſum* afferat, ideo, quod & Simeon, ad quem ſe refert, idem ex conſentientibus Prophetarum oraculis jam comprobaſſet, & probari ex ceteris divinis Vatibus facile potuiſſet: quemadmodum & veteres Hebræos eadem allegandi ratione uſos eſſe ex *Surenhuſio* l. c. p. 75. conſtat.

Verſ. 16. Μετὰ ταῦτα ἀναστρέψω καὶ ἀνοικοδομήσω &c.) Verba ſunt *Amoſi* IX. 11. 12. a quibus tamen, quod ad extrema ſpectat, nonnihil abit interpretatio Græca a Jacobo hic expreſſa. In Hebræo enim legitur: למען יירשו ארת שארירת ארום i. e. *ut hereditatem conſequantur cum reliquiis Edomi*, vel, *ut reliquias Edomi hereditate adeant.* Græca vero ita habent: ὅπως ἂν ἐκζητήσωσιν οἱ λοιποὶ τῶν ἀνθρώπων τὸν Κύριον. Atque eodem modo ſententiam reddiderunt οἱ LXX. qui hic pro יירשו legiſſe nonnullis videntur ידרשו i. e. *quærent;* & pro ארום *Edom*, ארם i. e. *homines.* Hic itaque nonnulli de corruptela, verbis Prophetæ a Judæis illata, queruntur, ut *Pezronius* in Antiquitate Reſtituta, & nuperrime *Whiſtonus* in Conatu reſtituendi contextum Hebræum pag. 326. alii vero ipſum Scriptorem Sacrum malæ fidei poſtulare audent, ut R. *Iſaac* in *Chiſſuk Emuna* Part. II. c. LXXI. Ad difficultatem hanc amoliendam *Surenhuſius* l. c. p. 433. ad morem veterum Hebræorum provocat, qui in allegationibus ſuis literas Hebræas aliquando mutare, ordinem verborum invertere, nonnulla iis adjicere, atque ſic ſenſum allegoricum elicere conſueverint. Sed rectius id videtur dici, quod vel Jacobus, vel Lucas verſionem Græcam, tanquam inter proſelytos, ad quos hæc oratio pertinebat, receptam deſtinato conſilio retinuerit, cum, ſi non verba, certe ſententiam Prophetæ reddant. Hanc vero fuiſſe Prophetæ mentem, ut illa Edomi hereditas non ad literam capiatur, quippe quæ nunquam Judæis obveniat, ſed in ſpiritualem potius

ſenſum

ſenſum transferatur, oſtendit *Vitringa* in Obſſ. Sacr. lib. V. pag. 60. ſeq. & fuſius *Jac. Guſſetus* in Confutatione libri *Chiſſuck Emuna* pag. 425. qui id, inſtituta totius ſermonis Prophetici analyſi, demonſtrat. Atque hic inter cetera ita pag. 425. a. *Noſtrum non eſt, præſtare LXX. Interpretum ἀκρίβειαν, modo iis non nitamur, niſi quatenus Prophetas exprimit, nihilque ex iis deducere ſatagamus, quod non ſuppeditent Prophetæ ipſi. Id vero maxime cavit vir noſter θεόπνευστος, religioſe hærens ſententiæ Propheticæ e verborum vi & omnibus eorum circumſtantiis exſurgenti.* Confer Rev. *Gebhardi* Vindicias textus Hebræi contra Pezronium pag. 181. & B. *Friſchmuthi* Diſſ. de verſione Græca τῶν LXX. *Joſ. Mede* in Opp. pag. 455. de hac allegatione itidem commentatur, & eo quidem primum propendet, ut in Hebræo Codice primo lectum fuiſſe credat למען ידרשו את שארית אדם deinde vero recte ſubjungit, *ex Hebraica lectione, quæ nunc obtinet, anticipatam Gentilium in Dei populum cooptationem colligi poſſe, hoc ſenſu: quod Judæi reduces tunc, cum tabernaculum Davidis collapſum denuo inſtaurandum ſit, reliquias Edom, nec non gentes, ſuper quas nomen Domini jam antea invocatum eſſet, hereditario jure adituri ſint.*

Nec inconvenienter B. *Feſſelius* in Adverſariis Sacris verſionem Græcam cum veritate Hebraica ita conciliat lib. IV. cap. 11. §. 3. *Tenendum*, inquit, *eſt, apud omnes ferme Orientales verba, quæ ſignificant eſſe, ſæpe etiam ſignificare fieri*, i. e. moveri ad eſſe, *ut* פתח aperire & ſolvere, *quia ſolutio motus eſt ad apertionem;* קנה poſſidere, & emere, *quia emptio eſt motus ad poſſeſſionem*, &c. *Sic* ירש *non tantum eſt* poſſidere, *ſed etiam* movere ſe ad poſſidendum. *Exemplo ſit illud* Deut. II. 24. החל רש *incipe, posſide*, (i. e. poſſeſſionem adi) *& conflige cum eo in bello. Non poterant incipere actu poſſidere, antequam conflixiſſent, & ejeciſſent hoſtem. Senſus ergo eſt: incipe* adire poſſeſſionem. *Ita & h. l. Amos non tam ipſam poſſeſſionem, quam poſſidendi ſtudium denotat, quod requirendi verbo ſatis feliciter LXX. expreſſerunt. Neque mirum, quod verba:* את שארית אדום *veterunt οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων. Non enim, ut quidam putant, perperam, deficientibus punctis, legerunt* אדם, *ſed potius, quod Propheta de Edomæis in ſpecie, ipſi & Apoſtolus in genere dilucidius de omnibus hominibus extra Eccleſiam viventibus, Deique hoſtibus* (Joel. III. 19.) *expoſuere.* Ex quibus ſimul intelligitur, *Feſſelium* præpoſitionem את h. l. pro indice Nominativi habere, quem alias ea indicari ſolere oſtenderat p. 390. Adde omnino *Eduard. Pocockium* in Notis Miſcellaneis ad Portam Moſis pag. 46. Is enim nec Apoſtolos nec τοὺς LXX. aliter olim in Hebræo textu legiſſe, quam nos hodie, nec aliter, ſi vertendum adhuc eſſet, interpretaturos eſſe exiſtimat. Recte enim eos & ex mente Prophetæ indicare, id omne non tam de terrena Idumææ hæreditate aut populi illius ſubjugatione intelligendum, quam de omnium gentium ad fidem Chriſti converſione; nec aliter ipſos a Chriſto ejusque Apoſtolis ſubjugandos prædicare, quam verbi gladio, vel aliter ſub jugum mittendos, quam diſciplinæ Chriſti,

 cui

cui in hereditatem dati ſint fines terræ. Idem nec אדם ab Interpretibus Græcis lectum putat pro אדום, cum non ſit inſolens, ut unius gentis nomine plures intelligantur.

ἐφ' ἒς ἐπικέκληται τὸ ὄνομά μȣ ἐπ' αὐτȣ̀ς) Phraſis mere eſt Hebraica, de qua exponit *Vorſtius* in Philolog. Sacr. Part II. p. 103. & 112.

Verſ. 19. *παρενοχλεῖν τοῖς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν ἐπιςρέφȣσιν*) ***Polybius*** & ***Arrianus*** frequenter hoc verbo eodem modo utuntur. Vide illum pag. 10. hunc autem p. 44. Diſſertt. Epictet. Adde ***Raphelii*** Annotat. Polybian. p. 347.

Verſ. 20. *Ἀλλὰ ἐπιςεῖλαι αὐτοῖς τȣ͂ ἀπέχεσαι ἀπὸ τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων κ. ἱ. τ.*) Comma hoc, atque adeo & 29. data opera illuſtrarunt complures, quos hic primo loco afferemus. Pertinent itaque huc ex noſtratibus præter eos, quos de Concilio Hieroſolymitano in univerſum egiſſe ſupra monuimus, ***Jo. Georg. Dorſcheus*** in Diſcuſſione explicationis Hug. Grotii ad h. l. quam ***Roſtoch.*** 1665. primum editam & deinde ex MS. a filio ejus ibidem 1695. recuſam habes in Theſauro Diſputatt. ſuper N. T. fol. 457. ſqq. ***Henr. Mullerus*** in Semicentur. I. Quæſt. ſelectarum Theolog. p. 147. ***Guil. Schickardus*** de Jure Regio Hebræorum pag. 336. ſeq. cum notis ***Carpzovii***, ***Tob. Pfannerus*** in Obſervatt. Eccleſiaſt. cap. I. cujus ſummam habes in Actis Erudit. Lipſ. an. 1694. p. 167. ſeq. Rev. ***Deylingius*** Obſſ. S. Part. II. n. XXXIX. & noviſſime Cl. ***Chriſtianus Schœtgenius*** in Diſſert. de ritibus Gentilium in Synodo Hieroſolymit. prohibitis ***Stargard.*** 1723. Ex ***Anglis*** huc videas ***Beveregium*** ad Canonem LXIII. Apoſtolicum & in Codice Canonum vindicato p. 261. ***Jo. Seldenum*** de Jure Naturæ & Gent. p. 882. ſqq. lib. VIII. c. 12. & de Anno Civili Judæorum c. XXI. p. 119. ***Jo. Ovvenum*** in Theologumenis p. 155. ſq. ***Jo. Spencerum*** in Diſſertat. ſingulari, quæ libro II. de Legibus Hebræorum ritualibus ſubjuncta eſt pag. 692. ſeqq, & noviſſime ***Tho. Mangey*** in Obſervationibus ſuper Nazarenum Tolandi pag. 97. item ***Paul. Colomeſium***, in Obſſ. S. pag. 56. Ex ceteris ***Reformatis*** videndus inprimis eſt ***Jo. Henr. Heideggerus*** in Tract. de libertate Chriſtianorum a lege cibaria veterum de ſanguine & ſuffocato, ***Amſtelod.*** 1662. 8. edito, & cum Comm. ejus de Concil. Hieroſol. ***Tigur.*** 1678. 4. recuſo, in quo ***Steph. Curcellæi*** potiſſimum ſententiam examinat, in ſingulari tractatu ***Amſtelod.*** 1659. 12. atque hinc in Opp. ejus pag. 969. ſqq. expoſita, (cujus controverſiæ, inter utrumque agitatæ hiſtoriam habes apud Rev. ***Henr. Scharbau*** in Diſſertat. de Creophagia ante diluvium licita, pag. 8.) tum vero ***Jo. Dallæus*** in Pſeudepigraphis Apoſtolicis pag. 202. ***Salmaſius*** de Fœnore Trapezitico p. 439. ſqq. quem affert ***Wallæus***, ***Alex. Morus*** in Notis ad N. T. pag. 90. ſqq. ***Dan. Heinſius*** in Exercitatt. Sacr. pag. 300. ***Pet. Jurieu*** in Hiſtor. Cultuum & Dogmatum Part. I. cap 7. conf. **Unſchuldige Nachrichten** 1705. p. 55. & ***le Blanc*** in Examine LXX. Hebdomadum Danielis, Voti a Jephtha facti, & Decreti Apoſtolici Act. XV. quæ commen-

mentatio gallice *ἀνωνύμως* prodiit, *Amstelod.* 1708. 8. & in Novis Reip. Literar. an. 1708. Tom. I. p. 187. sq. recensetur. Addantur *Jac. Gussetus* in Confutatione libri *Chissuk Emuna* Part. I. cap. 15. 14. & 49. 21. tum II. 18. 4. & II. cap 72. itemque *Jo. Marckius* in Exercitatt. Textualibus num. XXXVI. p. 365. seqq. Ex Arminianis *Simon Episcopius* Tom. I. Opp. Part. II. p. 53. & *Steph. Curcellæus* l. c. Ex Pontificiis denique adeundus *Natalis Alexander* in Hist. Eccles. Sec. I. Diss. IX.

Ex his, quos laudavimus, *Heinsius* nullum in Sacris locum præsenti hoc difficiliorem esse existimat p. 300. quem nec ipsum sibi satisfacere scribit *Borremansius* in Var. Lect. p. 203. quemadmodum & contra eum nonnulla monuit *Marckius* l. c.

Jam videbimus strictim potiora difficultatum, quæ variorum ingenia torserunt, momenta. Nonnulli interpretum decretum illud Apostolicum ex Noachidarum præceptis repetitum arbitrantur, quibus scilicet Gentiles permultum semper tribuisse, atque ea ætate illos quoque, qui ex illis ad Christum conversi erant, tribuere intelligebant. In horum itaque gratiam, ne scilicet ab aliis, hæc præcepta de sanguine & suffocato non edendo negligentibus, offenderentur, capita illa stricte observari Apostolos voluisse. Ita ex nostratibus *Schickardus* l. c. & alii a Cl. *Fabricio* ad Codic. Pseudepigraphum N. T. citati p. 269. novissime autem *Pet. Jurieu* in Historia Cultuum & Dogmatum Part. I. c. 8. Sed contra hos vide, quæ monuerunt *Seldenus* de Jure N. & G. VIII. 12. & *Spencerus* l. c. *Seldenus* speciatim observat, reliquorum præceptorum, quæ itidem inter illa Noachidarum numerentur, v. c. de homicidio, furto, blasphemia, & judiciis civilibus mentionem non fieri, imo nec *πνικτὸν*, nec *αἷμα*, in istis Præceptis prohiberi, sed tantum membrum ab animali vivo discerptum; itaque Apostolos ea potius hic definivisse censendos esse, quæ ex lege Mosis inprimis observanda sint iis, qui e Gentilibus nomen Christo dederint. Adde omnio Rev. *Deylingii* Obss. S. Part. II. p. 362. Sed sunt præterea quædam de singulis vocibus monenda. Inter eas primum occurrit.

ἀπὸ τῶν ἀλισγημάτων) Per *ἀλισγήματα* intelligi debere *τὰ εἰδωλόθυτα* ex v. 29. manifestum est, ubi *τὰ εἰδωλόθυτα τοῖς ἀλισγήμασι* respondent. Solebant scilicet Gentiles ea, quæ ex victimis oblatis reliqua essent, vel in templo vel alibi apud se comedere, atque hoc ipso arctiorem cum diis suis communionem sibi conciliandam credere. Quem morem diligentissime ex antiquitate gentili edisseruit *Radulph. Cudvvorthus* in Diss. singulari Anglicana *de vera notione* Cœnæ Dominicæ. Hoc igitur more & festivis ejusmodi conviviis ægre carebant, qui ex Gentibus erant conversi. Imo vero invitari se patiebantur a Gentilibus ad hæc convivia vel in ipsa idolorum templa, vel in privatorum hominum ædes, cum ipsis convivaturi, vel saltem de carnibus his, in macello vendi solitis, emere in usum suum

solebant. Patent hæc ex iis, quæ S. Paulus 1. Cor. VIII. IX. X. & Rom. XIV. graviter de hoc argumento disserit. Quod quamvis illi quidem bono animo & ideo facerent, quia idolum pro nihilo habebant, Apostoli tamen vel ideo morem hunc deserendum esse monebant, quod Judæi illo offenderentur. Ceterum ad h. l. respexisse *Moro* in Notis ad h. l. p. 91. videtur *Hesychius*, quando vocem ἀλισγημάτων per μεταλήψεως τῶν μιαρῶν θυσιῶν interpretatur: quemadmodum idem τὸ ἀλισγηθῆ, per συνεσιάθη, vel potius συνεσιάθη, explicat.

καὶ τῆς πορνείας) Voci huic alii propriam *scortationis*, alii figuratam significationem vindicare h. l. conati sunt. Qui figurate interpretantur, in diversas iterum partes abeunt. Quidam enim de idololatria accipiunt, non quidem crassa, sed subtiliori, & illa ætate recepta, quæ ad accubitum in idoleo & esum τῶν εἰδωλοθύτων spectat. Ita post *Bezam Jo. Seldenus* in Uxore Hebræa p. 493. qui tamen c. XXI. de Anno Civili Judæorum p. 101. per *incestum* interpretatur. Sed contra hos recte disputat *Marckius* in Exercitt. Textualibus p. 367. Adde *Curcellæum* & *Heideggerum* ll. cc. qui in proprio significatu vocis persistunt, in eo tantum dissentientes, quod prior scortationem soluti cum soluta, posterior vero eam, quæ in Polygamia divortiis frequentabatur, intelligit.

Alii *sacrificia meretricia* seu θυσίαν πορνικὴν, de qua *Deut.* XXIII. 18. & *Prov.* VII. 14. hic prohiberi contendunt, ut *Heinsius* in Exercitt. Sacris p. 303. & ex nostratibus B. *Ittigius* in Hist. Eccles. Sec. I. p. 70. More enim ait *Heinsius*, Athenæo præeunte, receptum fuisse, *ut, quæ sufficientem corpore quæstum fecissent, luculentas Veneri Divisque victimas eadem hac fœtidissima mercede emtas partasque offerrent.*

Non contemnenda huic sententiæ obvertit *Marckius* l. c. non meliorem, ut videtur, ipse amplexus. Existimat enim post *Sam. Maresium* in Systemate Theolog. Loc. VII. §. 68. indicari hic *cibum meretricium*, non quidem eum præcise, *qui mercede meretricia emtus sit, vel fornicandi causa præbeatur, sed eum, qui apud scorta sumatur, & sic ad scortationem facile ducat.* Hæc merito repudianda visa sunt Rev. *Deylingio* p. 364. Part. II. O. S. Primum enim, quod potissimum hic a *Marckio* urgetur, precario sumitur. Persuasum enim ipsi est, vocem ἀλισγημάτων referendam esse non solum ad vocem τῶν εἰδώλων, sed etiam ad ceteras, τῆς πορνείας, καὶ τῶν πνικτῶν, καὶ τοῦ αἵματος. Sed id quidem nec cum supra dictis ad hanc vocem, nec cum v. 29. conciliari potest, ubi ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων per εἰδωλόθυτα exprimuntur, & tota sententia ita instruitur, ut de quatuor diversis momentis hic sermonem esse facile appareat. Deinde nusquam nec in sacris literis nec apud profanos voci πορνείας hanc notionem tribui videbis.

Atque eadem hæc ratio efficit quoque, ut nec magni *Salmasii* expositionem in lib. de Fœnore Trapezitico l. c. allatam probare possimus. Is

Is scilicet per πορνείαν *actum professionis meretriciæ* intelligi cupit. *Scortationem*, inquit, *vertant, quam melius cum veteri Interprete* fornicationem *dixissent. Est enim actus professionis meretriciæ, in fornice stantis viri, vel mulieris mercede pacta prostitutæ, & omnium libidini patentis. Hæc fornicatio ἀδιάφορος quidem fuit apud gentes, & publice licita ac permissa, non item Judæis. Apud hos quippe nemini licuit ex Israele, qua masculo qua fœminæ corpore mereri, Deuter.* XXII. Obstat his, quod in tam frequenti vocum πόρνη, πόρνος, πορνεία, πορνεύειν usu; quem Sacræ literæ testantur, nullum facile locum inveneris, qui eas de professione artis meretriciæ necessario accipiendas suadeat, cum potius omnes de illicito Veneris, quæcunque demum illa sit, usu accipiantur. Accedit, si isto sensu Concilii verba induenda sint, fieri facile potuisse, ut Christiani ex gentilibus conversi existimarent, scortationem sibi licitam esse, modo non in consuetudinem & artem transferatur. Quod ipsum quam & sanctitati doctrinæ Christianæ & Apostolorum crebris hanc in rem monitis adversetur, sacra monumenta abunde nobis tradunt.

Itaque præstat omnino, vocem πορνείας de illicita Venere quacunque accipere, cui Gentiles tum alias, tum etiam in sacris suis idololatricis indulgere solebant: ubi proinde cavendum erat Apostolis, ne Christiani, Gentilismi præjudiciis adhuc occupati, in eadem vitia sensim relaberentur.

Non video quicquam, quod huic interpretationi obstet, si unum exceperis, quod instar nodi, vindice digni, plurium ingenia exercuit. Scilicet non satis apparet, quo sensu & consilio Apostoli hic πορνείαν, vitium in se grave, & quocunque tempore vitandum, rebus illis, quæ in se ἀδιάφοροι, & ad tempus tantum, ob offendiculum inde metuendum, cavendæ erant, h. l. junxerint, ita ut singula hæc æque necessaria esse v. 28. profiteantur. Huic quæstioni expediendæ duæ dissertationes Epistolicæ *Blanckii*, quas cum Examine LXX. Hebdomadum prodiisse supra monuimus, inprimis destinatæ sunt, quæ ibi pag. 309. sqq. usque ad p. 384. leguntur. Observat is pag. 324. instituta hæc quatuor *oneris* nomine appellari, quod scilicet Christianis ex Gentilibus conversis, partim a Lege Mosaica, respectu scilicet *sanguinis*, *suffocati*, & εἰδωλοθύτων, partim a Mose & Christo, respectu *scortationis* vitandæ, imponatur. Singula hæc dicuntur necessario vitanda, sed eo discrimine, ut tria priora necessitatis sint *restrictæ* & temporariæ, quoad scilicet offensio Christianorum ex Judæis conversorum metuenda erat, ultimum vero necessitatis absolutæ & *perpetuæ*. Quæ ut in confesso apud plerosque sunt, ita *Blanckius* pag. 327. id habet singulare, quod in prohibitione scortationis h. l. certo quodam modo respectus itidem ad præsens tempus habeatur, in eo scilicet, quod eo tempore sola *scortatio*, non item alia incontinentiæ genera, conversis Gentilibus interdiceretur. Hanc in rem monet, plura fuisse in-

ter

ter converſos ex gentibus impuritatis genera, v. c. *Polygamiam, divortia alioquin illicita &c.* quæ prohiberi æque, ac ſcortatio, potuiſſent. Sed ea tamen ad tempus adhuc tolerari voluiſſe, tanquam talia, quæ communi Judæorum & Gentilium converſorum ædificationi fraudi & impedimento non eſſent. His præſtructis hæc Decreti verba ita παραφράζει p. 327. *Poteramus nos requirere, ut omnibus paganismi reliquiis renuncietis. Sed, ut nos vobis, quoad Chriſtiana tolerantia permiſerit, accommodemus, hoc tempore neceſſe tantum putamus, ut a ſcortatione vos abſtineatis, tanquam a peccato, quod ſalutem animæ intervertit. Viciſſim vero reliquis, idolothytis ſanguine & ſuffocato vos interdicimus, ideo ut arctior inter vos & converſos ex Judæis communio oriatur.* Hanc in rem idem in ſequentibus obſervat, polygamiam inter Gentiles feminis quidem, ne ſcilicet plures haberent uno maritos, prohibitam fuiſſe; non vero item viris: hanc enim inter ipſos non ſolum toleratam deprehendi, quemadmodum fere inter Judæos a Deo ob cordium duritiem tolerabatur, ſed communi quoque uſu, ut hodie inter Muhammedanos receptam. Addit, fieri potuiſſe, ut ex Gentilibus nonnulli ad Chriſtum converterentur, pluribus feminis jam inſtructi; ſicut idem uſu forte venerit Judæis, qui ſaltem, divortio facto, priori feminæ alteram in matrimonium ſuccedere juſſerint. Hos itaque, naſcente Chriſtianismo, tolerandos ex Gentilibus cenſuiſſe Apoſtolos, tum ob imbecillitatem ipſorum, tum vero, quod converſi ex Judæis hoc eorum more offendi non poterant, quippe qui ſæpe, ſaltem ex facto a priori femina divortio, in eadem cum ipſis culpa eſſent.

Ingenioſe, fateor, nec ſine veri ſpecie hæc proferuntur, ſed ita comparata tamen ſunt, ut aſſenſum mihi nondum extorqueant. Nam hoc modo vox πορνείας nimis reſtringitur, quæ alias ſimpliciter poſita in N. T. ad omne impuritatis genus adeoque tum polygamiam, tum divortium illegitimum &c. deſignandum adhibetur. Imo illa ſpeciatim de adulterio, quod divortio occaſionem faciat, uſurpatur *Matth.* V. 32. ubi vide, quæ de latiore vocis hujus ſignificatione commentati ſumus. Hinc & *Heideggero*, ut paulo ante monuimus, per πορνείαν intelligendum hic viſum eſt illud ſcortationis genus, quod per polygamiam & illegitimum divortium oriatur. Cum itaque vix obſcurum aliquod veſtigium in contextu noſtro exſtet, ex quo ſtrictior vocis πορνείας ſignificatus veriſimilis reddi poſſit, amplitudini ſuæ eam relinquendam eſſe exiſtimaverim. Nec exiſtimandum eſt, Apoſtolos in primis Chriſtianis polygamiam aut cetera illi ſimilia vitia toleranda cenſuiſſe, quæ in Judæis ipſis illa ætate, & qui nihil adhuc de Chriſto cognoverant, tam graviter caſtigavit *Matth.* V. Itaque perſiſtendum hactenus puto eſſe in eorum ſententia, qui propterea Apoſtolos cenſent πορνείαν h. e. omne genus impuritatis tanquam omnino ea inprimis ætate neceſſario vitandum, cum ceteris monumentis, quamvis in ſe indifferentibus & mediis, injunxiſſe Chriſtianis ex Gentilibus converſis

fis, eo quod πορνεία tanquam res ἀδιάφορος a Gentilibus ut plurimum confideretur.

καὶ τοῦ πνικτοῦ) Omittunt hæc *Cant. Irenæus* lib. III. c. 12. *Tertull.* de Pudicit. c. 12. *Cyprian.* lib. III. ad Quirin. *Hieron.* Comm. in Galat. V. (qui tamen in nonnullis exemplaribus fcriptum dicit: *& a fuffocatis*) *Ambrofius* in Galat. II. qui additum vult a Sophiftis Græcorum, quos vocat *Auguftin.* ut & *Gaudentius*, & *Eucherius*, quibus interpretamenti loco additum videtur τὸ πνικτόν. Per fanguinem enim hic fanguinem fuffocatum intelligi putant. Ceterum retinent Græca, quæ quidem vidimus, omnia (excepto uno Cant.) verfiones omnes, etiam Vulg. Lat. Origenes lib. VIII. contra Celfum, Patres ac Tractatores Græci univerfi, ut proinde minime follicitandum arbitrer. Ita *Millius* ad h. l. At idem, mutata fententia, in Prolegom. p. 45. col. 2. ed. Oxon. poftquam monuerat, *Pacianum* quoque & *Fulgentium* præter ceteros iftos illa omittere, itidem contendit ea non effe Lucæ, fed Chriftianorum veterum, imo, ut p. 61. col. 2. fufpicatur, ante Clementis tempora a librariis in textum intrufa. Idem p. 82. τὸ ἀπὸ τοῦ πνικτοῦ *Hieronymum* ex Græcis fuis addidiffe affirmat, qui tamen p. 61. exemplaria aliqua Latina Italicæ verfionis ante caftigationem Hieronymi ea exhibuiffe profitetur. Quæ quam parum fibi conftent, oftendit *Whitbius* in Examine p. 54. Non dubito, qui fingula hæc inter fe compararit, eum γνησιότητα horum verborum in dubium non effe vocaturum, quanquam *Curcellæus* in Opp. p. 969. ea non immerito fufpecta effe exiftimet, nuperrime *Thom. Mangey* in Obfervationibus fuis fuper Tolandi Nazarenum p. 97. inter Gloffas retulerit. Rectius hic egit *Colomefius* in Obff. S. pag. 56. allatis Latinorum quorundam, & inprimis *Ambrofii* five *Hilarii* ad Gal. II. fophiftis Græcorum illa tribuentis, locis fubjungit: *Cui an affentiri debeam, valde ambigo. In Ecclefia certe diutiffime viguit prohibitio fanguinis & fuffocati, ut ex* Minutio, Eufebio *& aliis obfervat* Chriftoph. Juftellus, Henrici *parens, Vir antiquitatis Ecclefiafticæ callentiffimus, ad Codicem Canonum Ecclefiæ univerfæ* p. 175. In contrariam fententiam propendere videtur *Alex. Morus* in Notis ad h. l. p. 93. *Omitto*, inquit, *vocem πνικτὸν & apud Irenæum & in pervetuftis exemplaribus defiderari, & ab iis additam videri, qui feptem hic præcepta Noæ quærebant, ut conftaret numerus.* Vides hic de pervetuftis exemplaribus loqui Morum cum tamen unum tantum *Cantabrig.* afferri potuerit ab iis, qui in varietatibus lectionum colligendis feduli fuerunt. Ceterum idem *Morus* l. c. recte monet, per πνικτὸν hic non edulii certi genus cum viro quodam fummo, (per quem Salmafium forte intelligit de Fœnore Trapezit. qui tamen fignificationem illam hujus vocis ex *Hefychio* tantum affert, non autem approbat) fed *fuffocatum* intelligi debere. Atque ita quoque *Salmafius* l. c. *Pari ratione*, inquit, *& πνικτὸν vetitum, i. e. fuffocatum. Hoc vocarunt omne privatum vita ex animalibus fine ulla fanguinis emiffione. Hodieque multa animalia ita occiduntur ad efum, tam volatilia, quam terreftria. A beftiis capta, quæ θηριάλωτα Græci vocant, fimili-*

 ter

ter eodem interdicto comprehenduntur, quia mortua sine sanguine. Hinc simul patet ratio, cur Apostoli præter αἷμα etiam πνικτὸν prohibuerint, ut scilicet intelligerent Christiani, non solum a sanguine effuso, sibique relicto, sed etiam ab eo cavendum esse, qui, ut in morticinis, lateat, & una cum carne alias comedi consueverit.

καὶ τοῦ αἵματος) Per αἷμα hic nonnulli *homicidium* intelligi voluerunt, ut ex veteribus *Cyprianus*, *Tertullianus* de Pudicitia c. 12. *Augustinus* XXXII. 13. contra Faustum, ex recentioribus vero *Th. Mangey* adversus Tolandi Nazarenum p. 97. & *Pet. Jurieu* in Historia Cultuum & Dogmatum Part. I. c. 7. p. 49. Contra veteres illos disputat ad h. l. *Grotius:* contra *Jurieum* vero *le Blanc* l. c. p. 357. *Jurieus* pro sua sententia id urget, quod sanguinis usus procul dubio jam voce τοῦ πνικτοῦ simul prohibeatur, nec verisimile sit, tam paucis verbis eandem rem duplici modo indicatam fuisse. Enimvero ex superioribus jam patet, quid ad hæc respondere oporteat. Sanguis quidem utrinque prohibetur, nempe per αἷμα & πνικτὸν, sed non eadem ratione. Per αἷμα sanguis *effusus* sibique relictus prohibetur, per πνικτὸν vero sanguis, carni animalis conjunctus, fibrisque ejus quasi alligatus. Et non desunt hodieque homines, qui, naturæ ductu, a sanguine puro sumendo alieni sunt, ab eo vicissim, qui cum carne edi possit, non alieni. Ideo cavendum erat, ut conversi Gentiles, per naturam forte ab esu prioris sanguinis abhorrentes alterum illum sibi permissum esse existimarent. Præterea manifestum ex contextu orationis est, eas hic res prohiberi, quæ offendiculo fuerant Judæis conversis in Ecclesia Antiochena, quando viderent, illis indulgere adhuc conversos Gentiles. Quis vero sibi persuaserit, conversos ad Christum gentiles cædibus se commaculasse, aut illas sibi in Christianismo per libertatem quasi quandam Christianam licitas existimasse, qui illas inter Gentiles ipsos graviter puniri nollent?

Alii de sanguinis usu hic sermonem esse, recte existimantes, in causa interdicti hujus reddenda hæserunt. Quidam, ut *Justinus Martyr* Quæst. CXLV. ad Orthodox. eam inde repetunt, quod a ferarum crudelitate homines secernerentur. Alii, inter quos est *Alex. Morus* ad h. l. ut a sanguine fundendo eo diligentius sibi caverent. Neutram vero huc pertinere occasio decreti hujus modo commemorata ostendit. Cavere enim tantum volebant Apostoli, ne Christiani Judæi contrario conversorum Gentilium, a sanguinis esu sibi non temperantium, more offenderentur. Hoc vero consilium simul efficit, ut prohibitionem illam sanguinis æque ac suffocati cum nonnullis tum veterum tum recentiorum perpetuam esse, & ad omnes Christianos adhuc pertinere non credere possimus. Constat quidem, Christianos primis Ecclesiæ sæculis, quibus tamen offensio ejusmodi non amplius metui debebat, a sanguine comedendo sibi temperasse. Vide huc *Guil. Spenceri* Notas ad Origenis libros contra Celsum p. 90. & *Suicerum* Tom. I. p. 113. Constat etiam, quod nonnulli nostra ætate idem sibi, instar le-

gis

gis dictum esse existimaverint. Pertinent huc ex Reformatis *Grotius* ad Gen. IX. & Levit. XVII. *Salmasius* de Fœnore Trapezitico l. c. *Gerh. Joh. Vossius*, ad cujus lectiones publicas *Curcellæus* ipsi ὁμόψηφος provocat, & *Christ. Becmannus* Exercit. Theol. XXVI. ex Arminianis *Curcellæus* l. c. de Esu Sanguinis, ex Socinianis *Sandius* in Nucleo Hist. Eccles. p. 54. 69. & 85. *Jer. Felbingerus* in Demonstrat. Christian. ex Anglis Anonymus in tractatu, quem inscripsit: *the Tryall of a Black pudding* i. e. disquisitio de apexabone & *Jo. Morus*. Imo ex nostratibus quoque in has partes pauci quidam concesserunt, nominatim: *Thomas Bartholinus* in Disquisitione Medica de Sanguine vetito, quam Salmasii judicio muniendam censuit, *Francof.* 1673. 8. & pseudonymus quidam *Christianus Theophilus*, de quo mox dicemus. Sed nec defuerunt, qui argumenta dissentientium, justa lance librata, suis auctoribus remitterent, & libertati Christianæ in hoc capite patrocinarentur. *Curcellæo* & *Becmanno* Dissertationem suam ante laudatam opposuit *Heideggerus*, *Bartholino* autem plures responderunt ex nostratibus, & primum quidem B. *Philip. Ludov. Hannekenius* Dissert. singulari de sanguine Christianorum escario, *Giessæ* 1673. tum vero *Georg. Wizlebius* in Dissertat. Inaugurali, *Hafn.* 1675. habita, quæ jam ante a Jo. Wandalin, cum primum Bartholini libellus lucem adspiceret, erat elaborata. Cumque Bartholini causam *Christianus* quidam *Theophilus* agendam susciperet, in *ulteriori Disquisitione* de eodem argumento Parentis sui sententiam contra hanc inprimis adserendam sumsit *Jo. Wandalinus*, Filius, editis *Vindiciis Libertatis Christianæ circa sanguinem escarium*, recentiorum quorundam superstitiosis novitatibus, præcipue vero Christiani cujusdam Theophili Disquisitioni uberiori, oppositis, *Witteb.* 1678. 8. Novissime vero eandem causam ab objectionibus nonnullorum vindicavit laudatus *le Blanc* in epistola altera *de Sanguine & suffocato*, quæ cum Examine LXX. hebdomadum Danielis prodiit, p. 344. sqq. Nostri instituti ratio non permittit, ut utriusque partis argumenta vel recenseamus, vel examinemus. Nec labore hoc admodum opus est, cum præcipuum responsionis momentum ex superioribus peti possit,

De supplemento ampliore quod Codices nonnulli huic commati adsuunt, dicemus infra ad v. 29.

Vers. 21. Μωσῆς γὰρ ἐκ γενεῶν ἀρχαίων κατὰ πόλιν τοὺς κηρύσσοντας αὐτὸν ἔχει ἐν ταῖς συναγωγαῖς κατὰ πᾶν σάββατον ἀναγινωσκόμενος) Ex his apparet, morem illum Legem Mosaicam in Synagogis publice prælegendi antiquissimum esse; sed originem ejus ex Judæis alii ad Mosis, alii ad Esræ tempora referunt. Vide hanc in rem omnino *Campeg. Vitringam* de vetere Synagoga lib. I. Parte II. cap. I. p. 272. item pag. 1001. sq. & 1009. Ipse etiam institutum hoc non nisi post reditum Judæorum ex carcere Babylonico, cum ipsa Synagogarum origine invaluisse existimat, variis argumentis in medium allatis. Sed illa vicissim examinat, & Synagogas atque adeo

 ritum

ritum prælectæ Legis ad tempora, Mosis ætati proxima, revocare annititur *Jo. Marckius* in Dissertat. de Mose in Synagogis lecto, Lugd. Bat. 1718. edita & in Sylloge Dissertationum ejus *Roterod.* 1721. 4. recusa. Mihi posteriorem sententiam præplacere non diffiteor, quam & *Gussetus* in Commentariis Lingu. Hebr. p. 754. tuetur. Confer *Arndii* Miscellanea Sacra p. 8. & quæ scripsi supra ad XIII. 15. & 27.

Vers. 22. Τότε ἔδοξε τοῖς Ἀποστόλοις καὶ τοῖς πρεσβυτέροις σὺν ὅλῃ τῇ Ἐκκλησίᾳ) Vide supra ad v. 6. Adde *Dodwellum* de Jure Laicorum p. 259. & 263. & *Salmasium* de Episcopis p. 155. Verbum ἔδοξε satis Græcum esse contra *Tremellium*, Hebraismum hic statuentem, ostendit *Hombergius* pag. 184. & copiosius *Elsnerus* p. 428. Ita *Demosthenes* in Orat. pro Corona: ἔδοξε τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων. Conf. *Cuperum* in Marmor. Antiq. pag. 286. & *Sponii* Miscellanea Eruditæ Antiquit. p. 349. Adde v. 28.

ἐκλεξαμένους ἄνδρας ἐξ αὐτῶν πέμψαι) Nonnulli σόλοικον vel saltem σολοικοφανὲς hic videre sibi visi sunt cum *Casaubono*, qui vocem ἐκλεξαμένους activo sensu capientes, & ad phrasin: τότε ἔδοξε τοῖς Ἀποστόλοις referentes, scribendum fuisse judicant ἐκλεξαμένοις. Sed alii monuerunt, aorista mediæ vocis sæpe ad exemplum optimorum Scriptorum passivam habere significationem, atque adeo τὸ ἐκλεξαμένους idem hic esse, quod ἐκλεχθέντας. Vide *Erasm. Schmidium* ad h. l. *Stolbergium* in Exercitatt. Gr. L. pag. 36. & *Ostermannum* in Positionibus Græcum N. T. contextum concernentibus Disput. II. §. 7. Mihi quidem τὸ ἐκλεξαμένους commode referri posse videtur ad verbum πέμψαι, quasi scriptum esset: πέμψαι ἐκλεξαμένους ἄνδρας &c. Si vero etiam ad ἔδοξε referas, non deerunt similia proborum Scriptorum exempla. *Ælianus* Var. Hist. II. 13. εἶτα δὲ καὶ φύσει φθονεροὺς ὄντας καὶ τοῖς ἀρίστοις βασκαίνειν προαιρουμένους ἄκουσμα ἔδοξεν ἥδιστον αἱ δὲ αἱ Νεφέλαι. Vide ad h. l. alia in Notis *Kuhnii* & *Perizonii*, nec omitte Cl. *Elsnerum* pag. 429.

Vers. 23. Γράψαντες διὰ χειρὸς αὐτῶν τάδε) Et hic exclamat *Boisius* in Collatione pag. 418. *Græca oratio est ἀνακόλουθος, nec, quod ad justæ syntaxeos leges attinet, satis apte cum iis, quæ proxime præcedunt, cohæret.* Putat scilicet cum aliis, vocem γράψαντες pendere a verbo ἔδοξε & τοῖς Ἀποστόλοις, adeoque scribendum fuisse γράψασι. At enim vero τὸ γράψαντες referri potius debebat ad præcedentem Infinitivum πέμψαι, ut modus declaretur, quo in illis ablegandis usi sint Apostoli, nempe *cum literis*. Jam vero cum oratio manet in eadem persona, post infinitivum sequi solet Nominativus. Ita *Herodotus* in Calliope cap. 16. Ἔφη δὲ ὁ Θέρσανδρος, κληθῆναι καὶ αὐτὸς ἐπὶ τὸ δεῖπνον κληθῆναι δὲ καὶ Θηβαίων ἄνδρας πεντήκοντα. Vide huc Stolbergium l. c. p. 38. qui eadem opera recte observat, τὸ γράφειν habere hic vim verbi duplicis, nempe *scribere* & *scriptum mittere*, cujusmodi verba, quæ prægnantia appellant Grammatici, Hebræis & Græcis recepta esse, patet ex

Glassio

Glassio in Philolog. Sacr. lib. III. Tr. III. can. 2. & *Arnoldo Bootio* in Animadversionibus Sacris lib. I. cap. X.

τοῖς κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν καὶ Συρίαν καὶ Κιλικίαν) Lege ad hæc *Beveregium* in Codice Canonum vindicato p. 232.

τοῖς ἐξ ἐθνῶν χαίρειν) De hac & aliis ſalutandi formulis lege *Franckensteinium* in epiſt. ad Philemonem pag. 42. ſeq. *Henningium* de Salutationis ritibus & *Montacutii* Apparatum p. 336.

Verſ. 24. *ὅτι τινὲς ἐξ ἡμῶν ἐξελθόντες*) Inter hos *Cerinthum* primum fuiſſe, exiſtimat *Baronius*, contra quem lege *Sam. Basnagii* Exercitationes p. 362. ſq.

λέγοντες περιτέμνεσθαι καὶ τηρεῖν) Hic quidam *λέγοντες* interpretantur *præcipientes*, quo ſenſu & alias verbum *εἰπεῖν* adhibetur. Vide ad *Matth.* IV. 3. Sic autem ſimul non inconvenienter ſubintelligunt *δεῖν*, vel *ὅτι δεῖ*. Conf. *Lamb. Bos* de Ellipſi Gr. L. pag. 262. Plene *Ælianus* Var. Hiſt. III. 12. *ἡ φωνὴ ἐρᾷν δεῖν λέγουσα: vox, quæ amandum eſſe dicit.*

ἐκλεξαμένους ἄνδρας πέμψαι) Vide ſupra ad v. 22.

Verſ. 27. *Ἰούδαν καὶ Σίλαν*) Judas hic frater eſt *Joſephi Barſabæ*, de quo ſupra ad I. 23. *Silas* idem eſt, qui *Silvanus* dicitur 2 *Cor.* I. 19. adeoque nomen eſt Latinum, ad Græcorum rationem inflexum. Conf. *Grotium* Tom. III. Opp. p. 478. Id malim, quam cum *Franc. Burmanno* Exercitatt. Theologic. Part. II. p. 161. repetere ex Hebræa voce שליש, quaſi diceretur *Tertius.*

διὰ λόγου ἀπαγγέλλοντας) Ita ſæpe *Polybius*, ut p. 292. *διὰ λόγου τι γνῶναι καὶ μαθεῖν, ſermone aliquid ex aliis cognoſcere & diſcere.* Conf. p. 348. & alibi apud Rev. *Raphelium* in Annotatt. Polybian. p. 348.

Verſ. 28. *Ἔδοξε γὰρ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι καὶ ἡμῖν*) Judæi alias in epiſtolis huic ſimilibus præmittere ſolent conſenſum ſociorum ſuorum, cujus generis plures exſtant in Gemara, & apud *Maimonidem*, v. c. שפר מליתא באפי ובאפי חברי *viſum eſt mibi & ſociis meis.* Hic vero novo, & qui Apoſtolos atque hoc negotium decebat, modo Spiritus S. fit mentio. Confer *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra, pag. 98. ſq. Anonymus in Judiciis Theologorum Batavorum tum ex aliis Synodi hujus circumſtantiis, tum vero ex eo, quod Spiritum S. ſibi hic adjungant Apoſtoli, confici poſſe opinatus eſt, Apoſtolos nunquam ſibi *infallibilitatis* prærogativam arrogaſſe, nec a veteri iſta Chriſtianorum Eccleſia attributam fuiſſe. Sed vide, quæ illi oppoſita ſunt a *Witſio* in Meletematibus Leidenſibus p. 61. & in Miſcellaneis Sacris lib. I. cap. XXII. §. 18. ſqq. Priore in loco, pag. 6. *Duo,* inquit, *prætendebantur a Judaizantibus, ſententia Spiritus veteribus oraculis expreſſa, & auctoritas*

Apostolorum, qui Hierosolymis erant. Utrumque hic negatur. Aliter visum Spiritui Sancto, ducenti nos in verum antiquorum oraculorum sensum : aliter & nobis, quibus religio est contraire Spiritui. Idcirco monent commate 24. se inconsideratis illis Legis Mosaicæ Zelotis non edixisse ea, quibus pacem Ecclesiasticam turbabant.

μηδὲν πλέον ἐπιτίθεσθαι ὑμῖν βάρος) *Non novum onus hic imponitur Christianis : alioquin enim sequeretur scortari ante hoc decretum licuisse : cum ejus quoque rei abstinentia iisdem oneribus accenseatur : sed declaratur, quod sit Christianorum officium ex Lege divina, quæ actiones liberas ad aliorum salutem promovendam vult dirigi, & offendicula anxie vitari. Jam vero Judæi, quanquam proselytos propiore quodam affectu amplexabantur, soliti tamen, ut ex ipsorum libris apparet, ferre etiam alios ex gentibus, dum modo ea instituta servarent, quæ Deus dederat Noæ filiis, in quibus & hoc erat comprehensum :* ne quis suffocato aut sanguine vesceretur. Ita *Grotius* de Imperio summarum Potestatum circa Sacra c. IV. §. 8. Tom. III. Opp. p. 220.

πλὴν τῶν ἐπάναγκες τούτων) *Cloppenburgio* in Schola Sacrific. τὸ ἐπάναγκες idem esse videtur, quod *propemodum necessarium*; aliis vero idem, quod *summe necessarium*, ut *Moro* p. 92. Atque cum his facere malim, cum τὸ ἐπὶ in ejusmodi compositione significatum magis augeat, quam molliat aut elevet. *Salmasius* de Fœnore Trapezit. p. 440. legi potius vult : ἐπ' ἀνάγκης. *Omnino* inquit, *in Græcis legendum,* πλὴν τῶν ἐπ' ἀνάγκης τούτων, *non ut vulgo est* ἐπάναγκες. *Quod in hac constructione omnino Græcum non est, nec potest ferri. At* ἐπ' ἀνάγκης ἔχω *necesse habeo, Græci dicunt, qui &* ἐπάναγκες ἔχω *possunt dicere, sed hic, ut Syntaxis hujus loci est, non convenit. Videtur Tertullianus ista sic junxisse :* πλὴν τῶν ἐπ' ἀνάγκης τούτων ἀπέχεσθαι, εἰδωλοθύτων &c. Miror, Salmasium hæc scripsisse, nec recogitasse, vocem ἐπάναγκες hic usurpari adverbialiter, non autem adjective, sicut fit in phrasi ἐπάναγκες ἔχω, ad quam provocat. Jam vero adverbialiter etiam adhibetur a *Demosthene*, cujus locum attulit Stephanus in Thesauro Græc. L. Tom. I. p. 419. κελευούσης τῆς συγγραφῆς ἐντίθεσθαι τὰ χρήματα ἐπάναγκες. Nec video omnino, cur, hoc præstructo, per rationes Græcæ linguæ non æque rectum sit legere ἐπάναγκες quam ἐπ' ἀνάγκης. Firmant nostram lectionem Codd. illi pauci, qui hic, teste *Millio* legunt ἐπ' ἀνάγκαις. Illa enim lectio ex veterum pronunciatione orta est, qui τὸ αι ut ε vel η pronunciare solebant.

Vers. 29. Ἀπέχεσθαι εἰδωλοθύτων) Hic moneri par est, post vocem πορνείας Codices nonnullos, versiones item & Patres addere ista : καὶ ὅσα μὴ θέλετε ἑαυτοῖς γίνεσθαι, ἑτέροις μὴ ποιεῖν, *& quæ non vultis vobismet fieri, ea aliis ne faciatis.* Vide huc præter *Millium* ad h. l. & in Prolegomenis §. 441. 641. 848. & 849. *Seldenum* de Jure Naturæ & Gentium lib. VII. c. 12. p. 883. sq. & de Anno Civili veterum Hebræorum pag. 101. ubi, posteriori inprimis loco, hæc pro genuinis haberi cupit, in qua sententia esse etiam video *Curcellæum* p. 970. Opp. & *Salmasium* de Fœnore *Trapezitico* p. 460. Sed recte Millius de supple-

fupplemento ifto ita judicat: *Supplemento hoc tolli volebant Interpolatores id omne, quod obstaret, quo minus Gentes cum Judæis in unam Ecclesiam coalescerent. Neque enim Gentibus objici quidquam posse ab Hebræis Christianis, siquidem non tantum ab immolatitiis, fornicatione, suffocatis ac sanguine se abstineant, sed etiam regulam illam, de non faciendo aliis, quod sibi ipsis nollent factum, observent, quæ ipsius Christi testimonio Legis & Prophetarum summam complectitur.* Confer Theophilum Antiochen. lib. II. ad Autolyc. p. 173. Sane poftliminio ab aliena manu hæc accefliffe, vel claufula epiftolæ hujus Synodicæ evincit: ἐξ ὧν διατηροῦντες ἑαυτοὺς εὖ πράξετε. Quæ fane cum interfperfis illis & immature infertis: καὶ ὅσα μὴ θέλετε &c. proxime conjungi nec ftructuræ ratione poffunt. Quando vero hic locum non inveniunt, ubi ipfius epiftolæ tenor & fumma exhibetur, eundem nec v. 20. tueri poffunt, quia credi non poteft, plura conftituiffe Apoftolos, confilia inter fe conferentes, quam deinde per literas edixerint. Conf. ex noftratibus *Deylingium* Part. II. Obff. S. p. 362. ex Pontificiis autem *Rich. Simonem* in Hift Critic. N. T. lib. II. p. 63. fqq.

εὖ πράξετε) Dupliciter hæc verti poffunt, Græco fermoni convenienter. Vel per: *recte agetis*; vel etiam: *felices, beati eritis.* Prius amplectuntur Interpretes plerique; malim vero pofterius cum Cl. *Elsnero* p. 429. Opponitur enim hæc phrafis Pfeud-Apoftolorum affertioni, qui v. 1. dixerant rituum Mofaicorum obfervationi fe fubtrahentibus: οὐ δύνασθε σωθῆναι. Ita vero etiam profani hac loquendi formula utuntur, ut *Plato* in Phædone p. 375. ὥστε μοι παρίστασθαι, ἐκεῖνον μηδ᾽ εἰς ἅδου ἰόντα ἄνευ θείας μοίρας ἰέναι, ἀλλὰ καὶ ἐκεῖσε ἀφικόμενον εὖ πράξειν, *ut cogitarem, non fine divina forte migrare illum in alteram vitam, eoque delatum beatum fore.* Ita in infcriptionibus epiftolarum falutandos jubebant εὖ πράττειν i. e. *felices esse.* Confer *Menagii* notas ad Diog. Laertium lib. III. §. 61. Hinc vero etiam refponderi poteft Judiciis Theologorum Batavorum de Hiftoria Critica N. T. Ep. XII. p. 253. quibus claufula hæc epiftolæ non fatis videtur tueri dignitatem Virorum θεοπνεύστων & infallibilium; *à quibus si vobis caveritis, bene feceritis.* Propheta enim aliquis, fi Criticum illum audias, dixiffet: *hæc fugienda sunt; ita enim jubet Dominus.* Novi, alibi etiam eandem phrafin occurrere, ubi de divinis præceptis agitur, v. c. *Philip.* IV. 14. & 3. Joh. ep. v. 6. Largior etiam, dici poffe cum *Witsio* in Meletematibus p. 64. quod Apoftoli N. T. non femper eo rigore loquantur, quo Prophetæ Veteris. Sed neutro horum opus eft, fi verba hæc ut promiffionem præceptioni, ante cum pleniffima auctoritate traditæ, more Apoftolico fubjunctam accipiamus.

ἔρρωσθε) Hac formula finiebant veteres epiftolas fuas. Vide *Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra p. 93. & 95.

Verf. 31. ἐχάρησαν ἐπὶ τῇ παρακλήσει) παράκλησις hic in fe confiderata & *confolationem* & *exhortationem* fignificare poteft. Prius agnofcunt Interpretes plerique, pofterius vero *Beza* & *Piscator.* Et videntur illi præfidium

dium ſententiæ ſuæ invenire in v. 32. ubi verbum *παρεκάλεσαν exhortationem* infert, quemadmodum ex oppoſito ἐπεστήριξαν apparet. Solatii tamen notionem ego prætulerim. Scribebantur enim hæc ad converſos Antiochenos, qui minis Pſeud-Apoſtolorum legalibus territi erant. His itaque ſolatii loco eſſe debebat, cognoſcere, vanas eſſe illorum comminationes, ſe vero ab onere rituum Moſaicorum, ſi pauciſſima exceperis, immunes. Hinc & gaudio perfuſi dicuntur.

Verſ. 33. Ποιήσαντες δὲ χρόνον) Pro Latiniſmo hoc habet *Caſaubonus* ad h. l. & in notis ad *Lampridium* Tom. I. Scriptorum Hiſt. Auguſt. p. 1004. minus recte, cum eadem phraſi pro *terere*, vel *conſumere tempus*, vel *commorari alicubi* utantur *Polybius* p. 721. βουλόμενοι δὲ μὴ ποιεῖν ἄπρακτον τὸν χρόνον, & *Demoſthenes* de falſa legatione p. 221. οὐκ ἀνέμειναν τὸν κήρυκα, οὐδὲ ἐποίησαν χρόνον οὐδένα. Confer *Raphelii* Notas Polybian. p. 348. *Elsnerum* ad h. l. p. 430. *Suicerum* T. I. p. 786. & *Schvvarzii* notas ad Olearium de Stylo N. T. p. 374. Longius petita eſt ellipſis, quam hic ſtatuit *Dan. Fidlerus* in Poſitionibus Theolog. ſuper quædam loca N. T. Poſit. 3. phraſin plene ita formandam eſſe contendens: ποιήσαντες δὲ διατριβὴν κατὰ, vel ἐπὶ χρόνον τινά.

Verſ. 34. Ἔδοξε δὲ τῷ Σίλᾳ ἐπιμεῖναι αὐτοῦ) Deeſt hoc comma in Codd. nonnullis & verſionibus, atque hinc a librario illud repetit *Millius*, tanquam ad oram libri primum ſcriptum, & deinde contextui intempeſtive inſertum. Scholion vero hoc inde natum putat, quod inconveniens videretur, Paulum, Antiochiæ agentem, Silam ſecundum v. 33. Hieroſolymas jam profectum, in comitem eligere, v. 40. atque adeo inde revocare. Hoc vero & fieri facile potuiſſe, ideo, quod Paulus per annum circiter Antiochiæ hæſerit, & revera factum eſſe, Millius arbitratur. Mihi quidem & tutius & magis obvium videtur, comma hoc ut genuinum admittere, quam in conjecturam illam de Sila, Hieroſolymis revocato, deſcendere. Circumſtantiam hanc non videtur omiſſurus fuiſſe Lucas, ſi vere exſtitiſſet. Et ſi, abſente Sila, comitem ſibi omnino adjungere voluiſſet Paulus, non defuturus, puto, erat Antiochiæ, quem eligeret. Taceo, ex ſerie orationis patere, primum conſilium fuiſſe, ut Paulus & Barnabas iter hoc ſine ſocio alio conficerent: poſtea vero, intercedente diſſenſione aliqua de Marco, Paulum de comite cogitaſſe. Tunc autem temporis rationes non ferebant, ut Silas Hieroſolymis revocaretur.

Verſ. 36. Ἐπιστρέψαντες δὴ ἐπισκεψώμεθα τοὺς ἀδελφοὺς πῶς ἔχουσι) Ita prorſus *Polybius* p. 1330. legatos ait eſſe miſſos τοὺς ἐπισκεψομένους, πῶς ἔχει τὰ κατὰ τοὺς προειρημένους βασιλεῖς. Item p. 1301. & 1303. Grotius Hebraicam loquendi rationem hic obſervat, pro qua Græce dicendum eſſet: ἐπισκεψώμεθα, πῶς ἔχουσιν οἱ ἀδελφοί. Sed ſimiliter ut hic, & Demoſthenem & alios loqui Rev. Raphelius in Annott. Polybian. p. 350. oſtendit.

Verſ.

Verf. 38. παῦλος δὲ ἠξίυ) Nonnulli Codd. hic legunt ὐκ ἐβύλετο *nolebat*, quam vocem *Erafmus* in verfione fua expreffit, fortaffe ideo, quod lectionem hanc pro genuina haberet, quæ tamen rectius ut gloffema, voci ignotiori minus commode fubftitutum, auctori fuo relinquitur. Neque enim a fequente phrafi, μὴ συμπαραλαβεῖν τῦτον, ullo modo admittitur. *Vulgatus* habet: *rogabat non debere recipi.* Atque id rectum videtur *Jac. Hafæo* in Biblioth. Bremenf. Claff. IV. 357. ut nempe Paulus fententiam fuam modefte petitione quadam ceteris approbare voluiffe exiftimetur. Ita Judæi *Act.* XXVIII. 23. ad Paulum: ἀξιῦμεν δὲ ἀκῦσαι παρά σῦ, ἃ φρονεῖς. Recte hæc puto admonita.

Verf. 39. Ἐγένετο ὖν παροξυσμός) De eo lege commentantem *Herm. Witfium* in Meletematibus Leidenfibus p. 66.

Verf. 41. ἐπιςηρίζων τὰς ἐκκλησίας) Ad conftitutionem Presbyterorum in Ecclefiis hæc refert *Dodwellus* p. 235. de Jure Laicorum. Sed nihil aliud verbum hoc inferre videtur, quam quod v. 36. dicitur ἐπισκεψώμεθα-πῶς ἔχυσι i. e. vifitationem quandam, ut appareret, quid rerum agerent fratres Chriftiani, occafionemque nancifcerentur, animos eorum in fide & omni bono confirmandi, quemadmodum v. 32. Judas & Silas dicuntur ἐπιςηρίξαι τὺς ἀδελφύς. Sic XVI. 5. dicitur: αἱ μὲν ἐκκλησίαι ἐςερεῦντο τῇ πίςει.

Cod. *Cant.* poft vocem ἐκκλησίας addit: παραδιδὺς τὰς ἐντολὰς τῶν πρεσβυτέρων, cui fimile quid habet *Vulg.* Sed recte hæc alii, inter quos & *Millius* eft, huc putant translata ex c. XVI. 4. Conf. B. *Raithii* Vindicias verfionis Lutheri p. 467.

CAP. XVI.

Lege huc B. *Cafp. Herm. Sandhagenium* in Epiftolis Theolog. Decad. II. p. 1. fqq. ubi de rebus a S. Paulo in Europa geftis commentatur.

Verf. 1. Τιμόθεος) De eo ad epiftolas Paulinas dicemus.

πατρὸς δὲ Ἕλληνος) Eum Græci μιξέλληνα vocant, ut *Polybius* p. 95. ὐκ ὀλίγοι δὲ μιξέλληνες. Judæum in *Chiffuk Emuna* Part. II. c. 72. pudorem & verecundiam matris Timothei ex eo criminantem, quod homini Græco i. e. Gentili nupferit, repulit abunde Guffetus in Confutatione libri illius p. 427.

Verf. 2. Ὃς ἐμαρτυρεῖτο) De Timotheo μαρτυρυμένῳ & ftudio famæ Theologo neceffario lege Rev. *Henr. Klaufingii* Differtat. *Witteb.* 1713.

Verf. 3. καὶ λαβὼν περιέτεμεν αὐτὸν) Idem Judæus cap. LXXIV. & cum

eo alius ἀνέκδοτος apud *Kidderum* in Demonſtratione Meſſiæ Part. II. p. 244. ſqq. S. Paulum ex hac Timothei circumciſione variorum criminum poſtulant, tanquam qui in prima Chriſtianiſmi principia peccarit, a ſe ipſo diſſentiat ſecundum 1 *Cor.* VII. 18. & *Gal.* V. 2. 3. imo notam hypocriſeos ſubierit. Sed facili opera animadverſionem hanc ab | Apoſtolo amoliti ſunt *Kidderus* l. c. & *Guſſetus* p. 428. ſq. Summa huc redit: Circumciſio, in ſe ſpectata, res erat indifferens, adeoque, certis circumſtantiis præſtructis, licita. Mala vero erat, ſi tanquam neceſſaria ad ſalutem poſtularetur, & reciperetur. Tunc enim contraria erat doctrinæ Evangelicæ, quæ aliam pandebat ſalutis viam. Bona vero erat, & fieri etiam in Chriſtianiſmo poterat, ſi libere adminiſtraretur eo fine, ut offenſio, alioquin metuenda, caveretur. Ab ea autem offenſione ſibi metuebat Apoſtolus ad Judæos abiturus, qui Timotheum ex Judæa natum & vel ſic non circumciſum ſcirent. Effici enim ſic poterat, ut Judæi ejus ſocietatem & præconium inpoſterum averſarentur. De Tito idem admittere nolebat Paulus, ideo, quod & Gentilis eſſet ex utroque parente, & circumciſio ejus, tanquam omnino neceſſaria, poſtularetur. Itaque Paulus prudentiæ potius Chriſtianæ & συγκαταβάσεως, amoris plenæ, ſpecimen, quam vel inconſtantiæ vel hypocriſeos argumentum ullum h. l. edidiſſe exiſtimandus eſt.

ᾔδεισαν γὰρ ἅπαντες τὸν πατέρα αὐτοῦ, ὅτι Ἕλλην ὑπῆρχεν) i. e. ὅτι ὁ πατὴρ αὐτοῦ Ἕλλην ὑπῆρχεν. Antiptoſis ſcilicet hic locum habet, quam cave cum Grotio inter Hebraismos numeres. Puriſſimis enim Græciæ Scriptoribus recepta eſt, quorum loca huc præter *Eraſmum Schmidium* attulit Rev. *Raphelius* in Annotatt. Polybianis p. 351. Sic *Arrianus* Indic. XIII. 8. ἀγγίλλουσι τοὺς ἐλέφαντας, ὅτι ἐν τῷ ἕρκει ἔχονται. Confer ſupra ad XV. 36.

Verſ. 4. φυλάσσειν τὰ δόγματα τὰ κεκριμένα) δόγματα ſunt *decreta* & *inſtituta*, quo ſenſu & Scriptores externi eam vocem adhibent, quod oſtenditur in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. I. Faſcic. III. p. 308. & Claſſ. IV. p. 356. Adde, quæ ſcripſimus ad XV. 22. B. *Lutherus* δόγματα vertit in ſingulari numero per Satz: pro quo *Raithium* in Vindiciis verſionis Lutheri p. 468.

Verſ. 7. τὸ Πνεῦμα) Codices nonnulli, verſiones & Patres addunt hic nomen Ἰησοῦ, quod genuinum videtur *Millio* in Prolegom. §. 748. Sed fruſtra in toto Novo Inſtrumento quæſiveris nomen Ἰησοῦ voci πνεῦμα junctum, pro quo dici ſolet πνεῦμα Κυρίου, vel Χριστοῦ &c. Itaque rectius *Whitbio* p. 54. Examinis additum videtur poſt ea tempora, quibus controverſia de divinitate Spiritus S. in Eccleſia orta eſt. Conf. B. *Raithii* Vindicias Verſionis German. p. 469.

Verſ. 9. Ἀνήρ τις ἦν Μακεδὼν ἑστὼς) Angelum Macedonum curatorem ſeu tutelarem hic apparuiſſe ſuſpicatur *Grotius*, ea ſcilicet conjectura ductus, quod

quod provinciis & regionibus singulis, singuli Angeli præsides dati sint. De hac nonnullorum sententia lege, quæ commentatur Cl. *Fabricius* in Bibliographia Antiquaria p. 280. Sed hæc Lucæ verba, ut & alia Scripturæ nonnulla minus tuto eo abripi, ab aliis ostensum est, quibus Angelus quidem videtur hic conspectus esse quicunque alius, assumto viri Macedonici habitu. Longius petita videtur *Stephani Lemonii* conjectura in notis ad Varia Sacr. p. 62. existimantis, visionem illam hominis Macedonis oppositam videri visioni hominis Judæi, summi nimirum Sacerdotis, quæ contigerit olim Alexandro Magno, Macedonum Regi.

διαβὰς) *trajice*. Ita *Polybius* p. 569. ἐκ τῆς Ἑλλάδος διαβεβηκότες.

Vers. 10. συμβιβάζοντες) Vulg. *certi facti:* Et sic *Erasmus*. *Beza* vero & *Piscator: collatis argumentis colligentes*. Vetus interpres *Boisio* in Collatione ad h.l.p.420. legisse videtur συμβιβασθέντες, cui lectioni, nisi libri in universum omnes repugnarent, palmam se tributurum esse profitetur, inprimis cum eadem voce supra utatur noster IX. 22. Putat idem, τὸ συμβιβάζοντες idem esse, quod στοχαζόμενοι, ut *Chrysostomus* explicat, vel συμβάλλοντες i.e. *conjicientes*, ut *Budæus*, vel potius: *colligentes, pro certo habentes*. Itaque in hac postrema interpretatione acquiescit, & priorem illam sententiam de forma vocis passiva συμβιβασθέντες retractat, quia συμβιβάζοντες dicantur οἱ πληροφορούμενοι, quoties, qui discit a docente, non est alius h. e. ubi actio τοῦ συμβιβάζοντος a se ipso ad alium non transit. Conf. dicta supra ad IX. 22.

Vers. 11. εὐθυδρομήσαμεν εἰς Σαμοθράκην) i. e. εὐθυδρομήσαντες ἤλθομεν, *recto cursu Samothracen pervenimus*. Conf. ad XXI. 1. & *Boisium* ad h. l. pag. 421.

Vers. 12. Ἐκεῖθεν τε εἰς Φιλίππους, ἥτις ἐςὶ πρώτη τῆς μερίδος τῆς Μακεδονίας πόλις) Ita *Polybius* lib. II. c. 16. p. 145. μέχρι πόλεως Πίσσης, ἣ πρώτη κεῖται τῆς Τυῤῥηνίας & lib. V. pag. 589. Conf. *Raphelii* Annotatt. Polybian. pag. 352.

κολώνια) Observationem hanc in argumentum diligentiæ & veritatis D. Lucæ notari jubet *le Moyne* ad varia Sacra p. 63. seq. Philippi enim civitas revera fuit colonia, unde in D. Tit. de Censibus: *Colonia Philippensis juris Italici est:* cujusmodi loca alia idem affert, ac præterea demonstrat, eandem urbem præ reliquis Coloniis id singulare & præcipuum habuisse, ut privilegiis juris Italici decorata fuerit. Confer omnino *Ezech. Spanhemium* de Usu & præstantia Numismatum p. 56. sq. & 886. ed. in 4. ubi ex numis & aliis antiquitatis monimentis evincit, urbem hanc & coloniam fuisse, & in Macedoniæ urbibus principatum tenuisse. Vide etiam *Christoph. Cellarii* Dissertatt. p. 711. seq. De coloniarum apud veteres ratione lege in uni-

universum *Spanhemium* l. c. p. 765. sqq. *Marcum Velserum* lib. IV. & V. Rerum Augustanarum, *Valesium* ad Excerpta Peiresciana p. 6. sq. & *Valent. Alberti* Differt. singularem de Coloniis, *Lipſ.* 1671. 4.

Verſ. 13. Τῇ τε ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων) *Martianæus* in Conatibus p. 317. hoc de die quodam hebdomadis interpretatur: sed præstat in eorum sententia acquiescere, qui de die Sabbati accipiunt, adeoque de stato die cultui divino vacandi. Hinc etiam statim mentio fit feminarum, ibi, ceu stato tempore, congregatarum.

ἔξω τῆς πόλεως παρὰ ποταμὸν) Scilicet Judæi ad flumina aut litora cultui divino vacare solebant, exstructis ibi Synagogis vel Proseuchis, de quo argumento complures commentati sunt. Ex his lege imprimis *Steph. le Moyne* ad VariaSacra p. 77. sqq. *Vitringam* de Synagoga Vetere lib. I. Part. I. c. 2. p. 218. ex nostratibus vero Cl. *Christianum Deutschium* in Differtat. de Sacris Judæorum ad litora frequenter exstructis, *Lipſ.* 1713. & qui hic cum cura versatus est, *Pet. Zornium* in Differtat. de Scholis, quas antiqui Judæi, tradito ita a majoribus more, prope a lacuum, amnium & fluviorum crepidinibus, ripis & litoribus exstruxisse perhibentur *Plonæ* 1716. 4. Utrinque Auctorum huc pertinentium nubem invenies, quam hic producere nihil attinet. Unum afferemus locum, huc inprimis pertinentem, quem *Iſ. Voſſius* ad Catullum p. 313. jam prodidit, a *Jac. Gronovio* in Decretis Romanis & Asiaticis pro Judæis p. 22. editum. Ibi in Decreto Halicarnassensium hæc legis: Δεδόχθαι ἡμῖν Ἰουδαίων τοὺς βουλομένους ἄνδρας τε καὶ γυναῖκας τάτε σάββατα ἄγειν καὶ τὰ ἱερὰ συντελεῖν κατὰ τοὺς Ἰουδαϊκοὺς νόμους, καὶ τὰς προσευχὰς ποιεῖσθαι πρὸς τῇ θαλάσσῃ κατὰ τὸ πάτριον ἔθος. *Placuit nobis ex Judæis, quicunque voluerint viri sive mulieres, tum Sabbata celebrare, tum sacra peragere juxta leges Judaicas, & Proseuchas facere ad mare pro patrio more.* Consuetudinis hujus rationem, Synogogas ad mare & flumina collocandi, eruditos recte hinc repetiisse arbitror, quod more receptum habebant, manus lavare ante, quam ad preces faciendas accederent. Sic *Aristeas* in Historia LXX. Intt. p. 33. ὡς δὲ ἔθος ἐστὶ πᾶσι τοῖς Ἰουδαίοις ἀπονιψάμενοι τῇ θαλάσσῃ τὰς χεῖρας, ὡς ἂν ηὔξαντο πρὸς τὸν θεὸν, ἐτρέποντο πρὸς τὴν ἀνάγνωσιν. Confer *Vitringam* l. c. & Cl. *Elsnerum* p. 433. qui & p. 434. ostendit, profanas quoque gentes aqua marina aut fluviali lavare manus consuevisse, antequam ad preces accederent. Conf. *Lomeierum* de Lustrat. Gentil. c. 17. *Spencerum* de Legibus Hebr. ritualibus lib. III. c. II. Sect. 3. & *Spanhemium* ad Callimachi Hymn. in Appollin. v. 110.

οὗ ἐνομίζετο προσευχὴ εἶναι) Interpretes in hac phrasi vehementer hærent, & a se invicem divertunt. *Vulg.* reddit: *ubi videbatur oratio esse.* Alii: *ubi in fama & existimatione*, sive celebris *erat Proseucha:* alii: *ubi*, sive lege, sive consuetudine, *sancitum erat, ut esset ibi Proseucha*, quod æquipollere putant illi: ubi solebat esse Proseucha: alii denique non habita ratione verbi

verbi ἐνομίζετο, tanquam pleonaſtice poſiti: *ubi erat proſeucha.* Poſtremam hanc interpretationem ornandam ſibi potiſſimum ſumſit *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 81. his inter cetera verbis uſus: *In vetuſtiſſimo Codice Bezæ legitur* ἐδόκει *pro* ἐνομίζετο, *& Epiphanius legit,* ἐδόκει, *quæ lectio Vulgato videtur fuiſſe recepta. Nos ſimpliciter hæc verba reddenda putamus: Ubi erat proſeucha, vel domus precationis:* ſive legas ἐνομίζετο, ſive ἐδόκει. *Nam Græci duplicatis verbis gaudent; quæ Latini uno convertunt. Inter hæc verba ſunt* φαίνεσθαι, δοκεῖν, νομίζεσθαι, *quæ cum aliis verbis conſtructa ſæpe ita occurrunt apud Græcos, ut per ea non dubii vel ambigui quippiam ſignificetur, ſive rem aliquam ita videri putarive, ſed revera ita eſſe. Ulpianus* ad Olynth. I. Demoſthen. νομίζειν καὶ δοκεῖν οὐ πάντως ἐπὶ ἀμφιβόλου τάττουσιν οἱ παλαιοὶ, ἀλλὰ πολλάκις καὶ ἐπὶ τοῦ ἀληθεύειν. In eandem ſententiam conceſſit doctiſſimus *Fabricius* noſter in Bibliographia Antiquaria p. 289. & Cl. *Majus* in Obſſ. Sacr. lib. III. p. 15. ut nempe τὸ νομίζεσθαι æque, ac δοκεῖν alias, de re certa hic adhibeatur, niſi malis verbum ἐνομίζετο heic πλεονάζειν. Sed utrique occurrit Cl. *Elsnerus* pag. 430. ſq. nullum ſe adhuc exemplum vidiſſe affirmans, ubi illud νομίζεσθαι ſuetam ſuam ſignificationem tueri aliquo modo non poſſet, quam tamen h.l. plane reſpuat. Nihil enim dictum eſſet, *ubi videbatur*, aut *ubi veriſimile erat, & credebatur eſſe proſeucha.*

Propterea idem *Elsnerus* ita potius converti hæc cupit: *ubi ſolebat eſſe* aut *pro more & conſuetudine erat proſeucha.* Eo ſenſu τὸ νομίζεσθαι adhiberi ait ab *Ariſtophane* in Pluto v. 62. & *Xenophonte* de Expedit. Cyri lib. VII. pag. 404. ἔλεγον, ὅτι νομίζοιτο, ὁπότε ἐπὶ δεῖπνον καλέσαι Σεύθης δωρεῖσθαι αὐτῷ τοὺς κληθέντας, *eſſe ait in more, ut, ſi quando ad cœnam aliquem vocet Seuthes, invitati munera quædam ipſi mittant.* Sic *Ariſtoph.* in Nubibus I. 6. γυμνοὺς εἰσιέναι νομίζεται *nudos introire ſancitum eſt.* Atque ita acceperunt & alii, ut *Eraſm. Schmidius* ad h.l. & *Salmaſius* de Uſuris p. 438. Nam ut νομίζειν, inquit, eſt *in more habere*, ita νομίζεσθαι *in more haberi vel eſſe.* Itaque verti vult: *ubi moris erat haberi orationem*, vel: *ubi ordinaria erat ac ſolemnis Proſeucha.* Non aliter olim *Beza*, item *Knatchbullus* ad h. l. ex recentioribus vero Cl. *van den Honert* in Diſſertat. de origine Chriſti ex Davide p. 764. & ad quem ille provocat, *Gronovius.* Recte quidem, meo judicio. Legis illius vel potius conſuetudinis patriæ conditionem non deſiderabit, qui legerit ea, quæ Viri docti paulo ante laudati de Sacris Judæorum littoralibus commentati ſunt. Moris vero hujus origines non puto cum nonnullis altius & longius repetendas: ſed fieri poteſt, ut illa conſuetudo recentioris ſit atque illius adeo ætatis, qua Judæi, inter gentes diſperſi, extra urbem ſacris ſuis operari conſultum putabant, ut tanto ſecurius, & extra turbarum periculum negotio huic vacare poſſent. Non puto opus nunc eſſe, ut de vera vocis προσευχὴ notione quicquam addamus. Ex ſuperioribus enim intelligitur, alios ipſi *precationis*, alios *oratorii* ſeu ædificii precibus deſtinati ſignificatum tribuere.

Posteriorem tum circumstantiæ loci hujus, tum usus scriptorum illius ætatis, oratoria seu Synagogas Judæorum Proseucharum nomine appellantium, præferre jubent, quamvis ipse olim aliter senserim in Notis ad Casauboniana p. 324. Ita *Hammondus*, *Heinsius*, *Goodwinus* in Mose & Aarone lib. II. c. 2. §. 12. *Colomesius* in Obss. Sacr. p. 130. *Dougtæus* in Analect. Exc. LV. *Jos. Mede* in Operibus p. 67. *Ludov. Capellus* in Opp. p. 271. & ipse *Vitringa*, qui in libro de Archisynagogo p. 105. & 250. aliter olim judicaverat & προσευχὴν de *precibus* acceperat, de Vetere Synagoga p. 124. & 217. Ceterum de Proseuchis illis Judæorum dicere hic supersedemus. Legatur inter modo laudatos inprimis *Zornius* in Dissertatione ante citata, ubi cap. I. de Proseuchis sive Scholis Judæorum publicis & domesticis ita commentatur, ut appareat, *quid differentiæ sit inter Synagogam & Proseucham*, tum, *quæ Proseuchæ publicæ, quæ domesticæ ratio fuerit, atque utra harum apud Judæos Philippenses exstiterit?* Hinc cap. II. ipsam hanc Philippensium Proseucham considerat, & eadem opera Martialis Anchialum diligenter illustrat. Confer qui de Proseuchis agentes laudantur a Cl. *Fabricio* in Bibliograph. Antiquaria p. 289. Adde *Jos. Mede* in Opp. p. 66. sqq. *Melchiorem Leydeckerum* de Republica Hebræorum lib. VIII. cap. 6. p. 531. sqq. *Wilh. Ernest. Tenzelii* Disput. de Judæorum Proseuchis, *Witteb.* 1682. *Lyderi von Myllen* Diss. de genuina significatione vocis προσευχή, *Hafn.* 1706. B. *Gottfr. Olearium* Obss. Sac. in Matth. VI. 5. & *Jo. Braunium* in Selectis Sacris lib. V. p. 774. sqq. ubi inter cetera memorat, prope Thyatiram Inscriptionem Græcam inventam fuisse, in qua σαββαθεῖον appelletur, quod de proseucha ipse censet interpretandum.

καὶ καθίσαντες) De more sedendi docentibus recepto passim diximus ad Evangelia.

ἐλαλοῦμεν ταῖς συνελθούσαις γυναιξὶ) Non Gentiles, sed Judæas has feminas fuisse, ostendit *Lud. Cappellus* in Opp. p. 271. b.

Vers. 14. Καί τις γυνὴ ὀνόματι Λυδία) Non proprium hoc, sed gentilitium illius feminæ, a Lydia tanquam loco natali appellatæ, nomen habendum esse *Camerarius* & *Hugo Grotius*, cumque illis Cl. *Jo. Christianus Biel* in Bibliotheca Bremens. Class. II. p. 411. contendunt. Thyatiram enim, quæ statim memoratur, Lydiæ urbem fuisse, testatur *Stephanus Byzantinus* de Urbibus, quam & *Ptolemæus* lib. V. c. 2. *Lydiæ* metropolin appellat. Sic & purpuræ tingendæ ars a Lydis inprimis tractari consuevit. Sed recte admonitum est a *Jac. Hasæo*, admitti id quidem posse, si Lucas scripsisset: καί τις γυνὴ Λυδία. Sic enim ἄνδρα Λυδὸν & γυναῖκα Λυδίαν apud *Achillem Tatium* lib. I. pag. 17. & *feminam Lydiam* apud Claudianum lib. I. de R. Pros. v. 275. dici. Hic autem diserte addi ὀνόματι, quo non possit non indicari, nomen id ipsi proprium fuisse. Ita enim Scriptores Sacri & Lucas inprimis loquuntur alias, v. c. Actor. V. 1. ἀνὴρ δέ τις ὀνόματι Ἀνανίας v. 36. Φαρισαῖος ὀνόματι Γαμαλιήλ. IX. 36. X. 1. XI. 28. &c. Sic de feminis IX. 36. μαθήτρια, ὀνόματι Ταβιθά.

XVII.

XVII. 34. *γυνὴ ὀνόματι Δάμαρις.* Nec insuetum est hoc nomen apud veteres. *Lydiam* quandam memorat *Martialis* XI. epigr. 103. *Horatius* lib. I. Od. 8. *Lydia dic, per omnes te Deos oro &c.* Eandem sententiam firmat *Jo. Georg. Altmannus* in eadem Bibliotheca Class. V. p. 670. Atque ea quidem argumenta permoverunt Cl. *Bielium*, ut in repetitis curis pristinam sententiam desereret, & alteram illam amplecteretur Class. VI. p. 670. sqq. allatis tamen nonnullis, quae ad commemoratas rationes excipi possent. Mihi quidem extra dubium res posita videtur. Inprimis ideo, quod ceterorum observatis addo, quod non constet, feminam illam Thyatiris vere oriundam fuisse. Dicitur quidem *πορφυρόπωλις πόλεως Θυατείρων*, i. e. *purpuraria Thyatirensis.* Sed talis dici etiam potest eo nomine, quod ibi potissimum fuerit commorata. Et cur non credamus, eam more mercantium, Judaeis inprimis recepto, mercatus caussa varias terras obiisse, propriam vero rerum suarum sedem fixam habuisse Thyatiris, ex alia ceteroquin regione oriundam? Non urgebo? nunc, cum Cl. *Theodoro Hasaeo* Class. V. p. 671. in notis, nec id hactenus evictum esse, quod Thyatira urbs Lydiae fuerit. *Plinius* enim V. 30. eam inter Joniae urbes numerat, & *Strabo* lib. XIII. p. 625. eandem urbem *τῶν Μύσων ἐσχάτην* appellat. Ad haec enim a *Bielio* sic satis puto responsum esse ibidem Class. VI. p. 1044. sq.

πορφυρόπωλις) Purpurae tingendae artificium apud Lydos eorumque feminas vel maxime & olim, & Lucae speciatim aetate, viguisse, atque hanc ob caussam, feminam illam Lydiae nomine a regione, artificii hujus nomine celebrata, appellatam esse, multis contendit Cl. *Bielius* l. c. Class. II. p. 410. sqq. ubi eadem opera de tinctura ejusmodi purpurea, Sardiniaca item, & vestibus puniceis erudite commentatur. In eandem sententiam alia affert *Jac. Hasaeus* Class. III. p. 279. sq. Sed & hoc in dubium vocavit laudatus *Altmannus* Class. V. p. 637. existimans, rectius & commodius, imo ad explicandam hanc Lucae phrasin accommodatius artem purpurae tingendae non tam Lydis in genere, quam speciatim Thyatirensibus tribui debuisse. In argumentum ita sentiendi affert Inscriptionem Graecam apud *Sponium* in Miscell. Erud. Antiquit. Sect. III. n. 93. exstantem, & Thyatiris inventam, in qua *οἱ βαφεῖς* i. e. *tinctores* seu *purpurarii* commemorentur. Addit quoque p. 675. feminam hanc non ipsam tingendae purpurae artem fecisse, sed ex illa hinc inde vendenda lucrum fecisse videri. Existimaverim equidem, a *Bielio* & *Hasaeo* ea veterum loca de Lydis ad hoc momentum allata esse, ut *Bielius* caussam habuerit Class. VI. p. 1049. sq. caussam hanc adferendi. Confer, si placet, *Kusterum* ad Suidam, & *Aristophanis* Acharn. v. 112. ubi de *βάμματι Σαρδιανικῷ*, item *Huetii* epistolam in *Tilladeti* Dissertatt. variis Tom. II. p. 169. sq. nec non *Spanhemium* ad Julianum p. 306. unde lux toti huic argumento afferri poterit.

πόλεως Θυατείρων) de urbe hac diximus paulo ante, quantum heic satis

ſatis eſt. Plura aliquando, cum Deo, ad Apocalypſin afferentur. Commode huc repetetur inſcriptio, ex *Braunio* p. 1238. commemorata, in qua *σαββαθεῖς* Thyatirenſis ſeu Proſeuchæ mentio fit. Hinc enim confici poſſe puto, quod Lydia gentilis forte ortu, ex ſacris Judæorum, Thyatiris celebrari ſolitis, ad veri Dei cognitionem primum pervenerit, atque hoc nomine Philippis tanto facilius Chriſti ſacra, præeuntibus Apoſtolis, amplexa ſit.

σεβομένη τὸν Θεὸν) Ita feminam hanc *contradiſtincte ad Lydiæ conterraneos, omnium Aſiæ incolarum ſuperſtitioſiſſimos*, appellari contendit *Altmannus* Claſſ. V. p. 676. minus, puto, recte, quod ſatis evicit *Bielius* Claſſ. VI. p. 1053. *Σεβόμενοι τὸν Θεὸν* dicuntur proſelyti, qui relicta Gentilium ſuperſtitione Judæorum ſacris ſe adjunxerunt. Vide quæ in hanc rem diximus ſupra ad XIII. 43. & 50. Adde infra XVII. 4. & 17. Atque talem fuiſſe hanc feminam, ejus ad Proſeucham Judaicam acceſſus demonſtrat.

ἧς ὁ Κύριος διήνοιξε τὴν καρδίαν) Eadem phraſi utuntur Hebræi in Precibus ſuis, הוא יפתח לבנו בתורתו *ipſe aperiet cor noſtrum in lege ſua*. Conf. *Feſſelii* Adverſaria Sacr. lib. VIII. c. 1. §. 17. & Cl. amicum *Jo. Henr. Majum* in Bibliotheca Uffenbachiana Part. I. p. 10. Vide quoque *Jo. Clericum* in Arte Critica Part. II. Sect. I. c. 4. §. 12. ubi inter cetera ſimilis Plutarchi phraſis in lib. de audiendis Poetis p. 75. ed. Grotii affertur: *προσανοίγειν καὶ προσκλίνειν τὴν τοῦ νέου ψυχὴν τοῖς ἐν φιλοσοφίᾳ λόγοις.*

προσέχειν τοῖς λαλουμένοις ὑπὸ τοῦ Παύλου) Pro ſcholio hæc habet *Millius* in Prolegom. §. 1294. Æthiopica ſcilicet verſione, in qua hæc non exſtant, adductus. Sed habent & Codices, & verſiones præter eam omnes, nec phraſis *διήνοιξε τὴν καρδίαν* adeo obſcura erat, ut illuſtrari his verbis a quopiam debuiſſet, niſi ipſi Lucæ addenda viſa eſſet ideo, ut cognoſceretur, quo fine, imo & quo medio Deus apertionem cordis perfecerit. Phraſis ipſa elliptica videtur *Lamberto Bos* de Ellipſi Gr. L. p. 131. qui ſubintelligi hic vult *τὸν νοῦν*. Infert autem non nudam attentionem, ſed aſſenſum iis, quæ audiuntur, præſtitum. Lege huc exempla a Rev. *Raphelio* in Notis Polybianis p. 352. allata. Ita enim *Polybius* p. 1471. *ὁ δὲ οὐ προσεῖχε τοῖς λεγομένοις*, *ille vero cuncta, quæ dicerentur, parvi faciebat.* Adde p. 1479. & 53. *οὐδενὶ προσέχοντες τῶν λεγομένων.* Conf. *Keuchenium* ad h. l. eandem notionem adſtruentem p. 196.

De ipſa converſione Lydiæ ex hoc commate exponit *Mich. Hörnleinius* in Diſſertat. ſingulari, *Lipſ.* 1699. ed. & ibid. 1713. recuſa.

Verſ. 15. *Ὡς δὲ ἐβαπτίσθη καὶ ὁ οἶκος αὐτῆς*) i. e. *cum baptiſata eſſet ipſa cum familia ſua.* Οἶκος denotat familiam, ſeu *πάντας τοὺς ἐν τῇ οἰκίᾳ*, ut infra in hoc capite v. 32. dicitur. *Cum vero familiam bene ordinatam conſtituunt Parentes, liberi, majores, minores natu, ſervi, ſervæ, eorumque nati, ætate majores etiam & minores,*

minores, quis ea impudentia fit, ut negare ausit, hos omnes, & horum in numero quoque liberos minores natu baptisatos fuisse, quando Apostoli integras familias baptisatas fuisse scribunt? Vel enim dici deberet, minorennes ad familiam non pertinere, quod quisque sentit esse falsum, vel, si baptisata tota familia dicitur, minores æque ac domesticos alios fuisse baptisatos, quod verissimum judicamus. Neque juvat repetere, positum esse in incerto, num in familiis, quæ memoratæ sunt in Apostolorum Actis, infantes ætate minores fuerint educati, quia Apostoli ejusmodi voce utuntur, quæ justam nobis dat præsumendi ansam, fuisse in iis infantes, qua certe usi non fuissent, si contrarium nos voluissent docere. Ita rectissime argumentatur *Campeg. Vitringa* Observatt. Sacrar. lib. II. c. VI. p. 83. sq. ubi in ejusdem sententiæ præsidium morem quoque Judæorum affert, qui Judæos proselytos cujusvis sexus, ætatis & conditionis baptisare consueverint: de quo argumento alibi in his Notis dicere me memini.

καὶ παρεβιάσατο ἡμᾶς) i. e. *precibus ursit, & expugnavit:* ut *Luc.* XXIV. 29. & apud τὺς LXX. 1 *Regg.* XXVIII. 23. Sic *Lucianus* simplici verbo *βιάζεσθαι* utitur in Contemplantibus p. 322. *Τί γὰρ ἂν καὶ πάθη τις, ὁπότε φίλος τις ὢν βιάζοιτο,* & *Ælianus* Var. Histor. XIII. 32. Conf. *Elsnerum* p. 435.

Vers. 16. *πορευομένων ἡμῶν εἰς προσευχὴν*) Vide ad v. 13. *Omnes quidem consentiunt, hic per προσευχὴν metonymice intelligendum esse* locum, *in quo preces fieri solebant. Quis neget tamen in hoc textu προσευχὴ planius & disertius verti per* Synagogam & Proseucham, *quam per* Orationem? *Commodius utique dicitur, quod quis tendat ad Synagogam, quam ad precationem aut orationem.* Ita recte *Vitringa* de Vetere Synagoga p. 127. Atque sic *Syrus* quoque vertit *προσευχὴ* per בית צלותא i. e. *domus precationis.* Conf. *Jos. Medum* p. 67. Opp. ubi ad probandam sententiam affert, quod Paulus eo non iverit ad precandum, sed ad prædicandum Verbum Dei.

παιδίσκην τινὰ ἔχουσαν πνεῦμα Πύθωνος) *πνεῦμα Πύθωνος ἔχειν* dicebantur, qui spiritu seu dæmonio fatidico ac ventriloquo futura prædicebant, eo quod Apollo i. e. *Πύθων* summus vaticinandi ac divinandi artifex habebatur. Ita *Corn. Adami* in Obss. Theolog. Philolog. p. 25. & ante ipsum *Colomesius* in Obss. Sacr. p. 126. ex nostratibus *Fesselius* in Adversariis Tom. I. p. 463. & *Dilherrus* in Dissertatt. Philolog. Tom. 1. p. 219. Illi itaque nominis originem ab Apolline repetunt, & hujusmodi vates eosdem cum *ἐγγαστριμύθοις* seu ventriloquis esse contendunt. Sed utrumque ob idoneas rationes in dubium merito vocatur. Apollo sæpius *Πύθιος*, nunquam vero *Πύθων* aut *Πυθὼν* appellatur. Vox *Πυθὼν* adhibetur de *Delphis*, ut a *Callimacho* hymn. in Apollinem v. 35. in Delum v. 90. & Dianam v. 250. & haud semel apud Pindarum, tum vero de *serpente Pythio*, uti ab eodem Callimacho in Apollin. v. 100. quod recte observatum est ab Illustri *Spanhemio* ad Callimachum in Delum v. 90. p. 383. *Πύθων* vero retracto accentu, a veteribus de *ἐγγαστριμύθῳ* explicatur. Ita *Plutarchus* de Oraculorum defectu

p. 414. ὥσπερ τὰς ἐγγαστριμύθους Εὐρυκλέας πάλαι, νυνὶ Πύθωνας προσαγορευόμενοι, *ficuti vates ventriloquos Eurycleas olim, nunc Pythonas vocant.* Sic *Hesychius*: πύθων ὁ ἐγγαστρίμυθος. Itaque de Apolline hic non videtur esse cogitandum. Majorem veri speciem habet alterum illud, quod πνεῦμα Πύθωνος ἔχοντες cum ἐγγαστριμύθοις iidem sint. Sed nec hoc puto penitus admittendum. Credo enim Πύθωνος vocem generalem esse, & de hominibus fatidicis quibuscunque, quorum aliqui tantum erant ἐγγαστρίμυθοι, adhibitam. Ita *Hesychius* Πύθων interpretatur per δαιμόνιον μαντικὸν, *dæmonium fatidicum.* Ancillam, quæ hic commemoratur, clara voce usam esse, atque adeo clausis labiis ex ventre obscurum sonum non edidisse, quod de ἐγγαστριμύθοις dicitur, ex v. 16. apparet. Itaque facultatem fatidicam quamcunque per πνεῦμα Πύθωνος hic indicari statuo, ut sensus sit, ancillam hanc *spiritum* habuisse, qualem possidere soleat πύθων i. e. *fatidicus.* Confer in eandem sententiam *Petri Jurieі* Historiam Cultuum ac Dogmatum Parte III. Tract. II. 1. c. 5. ubi diligenter ostendit, feminam hanc nec cum ἐγγαστριμύθοις, nec cum בעלי אוב, de quibus in V. T. mentio est, comparandam esse. Adde Rev. *Deylingium* in Observatt. Sacr. Part. II. p. 200. sqq. Ceterum de Engastrimythis præter citatos lege, quos appellat Cl. *Fabricius* in Bibliographia Antiquaria p. 414. His adde *Jo. Henr. Ursinum* in Analectis Sacr. lib. II. c. 7. *Voetium* Tom. I. Dissertt. Select. p. 1037. *Suicerum* Tom. I. Thesauri p. 985. & *Schedium* de Diis Germanis p. 456. Ad locum nostrum confer *Fabricii* notas ad Codic. Apocr. N. T. Tom. I. p. 446. & *Amelium* Part. I. p. 1069. item *Witsii Meletemata* p. 71.

De pueris sive servis veterum magicis ad locum hunc illustrandum nonnulla commentatur *Pignorius* de Servis p. 355.

ἥτις ἐργασίαν πολλὴν παρεῖχε) phrasin hanc diligenter illustrat *Erasmus Schmidius* ad h. l.

Vers. 17. δοῦλοι τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου εἰσὶ) *Servi Dei* appellantur hic Apostoli, non solum quod coluerunt Deum, sed quod singulari plane ratione ministerio ejus dicati essent, quo sensu Moses vocatur δοῦλος Θεοῦ Jos. I. 1. & XII. 6. Conf. *Ezech. Spanhemium* ad Aristoph. Plutum v. 1171. Atque ita profanos quoque Scriptores δούλους Θεῶν appellare tum Sacerdotes, tum qui religiosius Deos colebant, variis veterum locis demonstrat *Elsnerus* p. 437. & *Gatakerus* ad *Marc. Antoninum* III. 4.

Θεοῦ ὑψίστου) Sic Deus עליון *summus* simpliciter vocatur *Num.* XXIV. 16. Sic Phœnices Deum Ἐλιοῦν i. e. עליון colebant: vide *Bochartum* in Geographia Sacr. lib. II. c. 2. & Græci Θεὸν ὕψιστον, qui vocatur in Inscriptione apud *Sponium* in Miscellan. Erud. antiquit. p. 345. cujusmodi loca plura affert *Spanhemius* ad *Callimachi* hymnum in Jovem v. 91. & *Elsnerus* p. 438.

Vers.

Verſ. 18. *παραγγέλλω σοι ἐν τῷ ὀνόματι τȣ̃ Κυρίȣ &c.*) Interpretes nonnulli recte hic monent, Paulum dæmonem fatidicum tam efficaciter procul eſſe juſſiſſe, ut appareat, nihil ſibi & doctrinæ ſuæ cum dæmone commercii eſſe, ſeque poteſtatem accepiſſe illa dæmonum longe ſuperiorem.

ἐξελθεῖν ἀπ' αὐτῆς) Cl. *Sam. Battierus τὸ ἀπ' αὐτῆς* non vult referre ad *ancillam*, tanquam ex qua dæmonium exire juſſum ſit, ſed per ellipſin vocis *ὥρας* interpretatur, ut idem ſit, quod *illico, mox, ſtatim.* Sic plene dicitur *Matth.* XV. 28. *ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης*, & XXII. 46. *ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας.* Rationem interpretationis hujus repetit ex verbis proxime ſequentibus, ubi dicitur: *καὶ ἐξῆλθεν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ.* Addit Paulum *διαπονηθέντα* ita animo commotum fuiſſe, ut de ejiciendo actutum dæmonio laboraret. In exemplum ſignificatus hujus affert denique *Arriani* locum Diſſertt. Epictet. lib. II. c. 12. *ὥςε πάνθ' ὅντινα ȣ̃ν, συναισθανόμενον τῆς μάχης, ἀποχωρεῖν ἀπ' αὐτῆς.* Quæ ita convertit, *ut, quicunque intellexiſſet, a diſceptatione illico diſcederet.* Vide Biblioth. Bremenſ. Claſſ. VI. p. 92. Sed obſtant nonnulla, quo minus Viro docto aſſentiar. Nullum video hujus ellipſeos vocis *ὥρας* exemplum. Illud *Arriani* huc non ſpectat. Ibi enim phraſis *ἀπ' αὐτῆς* referri debet ad vocem *μάχης*. Et recte omnino *Hier. Wolfius*, feliciſſimus Interpres, ita hunc locum convertit: *Nam ea, quæ ex anticipationibus concluduntur, ita in illuſtri ponebat loco* (*ȣ̃τω γὰρ ἐναργῆ ἐτίθει τὰ ἀπὸ τῶν ἐννοιῶν*) *ut quilibet, animadverſa repugnantia, ab ea recederet.* Nec ex eo, quod alibi vox *ὥρας* cum *ἀπ' αὐτῆς* aut *ἐκείνης* conjungitur, ſequitur, eam tuto ſatis ſubintelligi alias poſſe aut debere. Quod proxime ſequitur: *ἐξῆλθεν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ*, adeo non adſtruit hanc ſententiam, ut potius evertat. Si enim ſub phraſi *ἀπ' αὐτῆς* ex mente Lucæ intelligi deberet *ὥρας*, ſcripturus potius erat ſimpliciter: *καὶ ἐξῆλθε.* Paulus præterea cum impetu ejicere potuit dæmonium, etiamſi definiti temporis mentionem non faceret. Itaque præſtat, *τὸ ἀπ' αὐτῆς* per: *ex ea*, interpretari. Imo id fieri neceſſe eſt. Ita enim in ſimili cauſa Lucas alibi loquitur v. c. in Evangelio c. IV. 35. ubi Chriſtus ad dæmonem: *ἔξελθε ἀπ' αὐτȣ̃*, & eodem commate: *καὶ ἐξῆλθεν ἀπ' αὐτȣ̃.* Sic. v. 41. *ἐξήρχοντο δὲ καὶ δαιμόνια ἀπὸ πολλῶν.* Confer. VIII. 2. 29. & alibi.

Verſ. 20. *Καὶ προσαγαγόντες αὐτȣ̀ς τοῖς ςρατηγοῖς*) *Caſaubonus* in Athenæum lib. V. c. 14. p. 234. ita: *Seculo Athenæi ςρατηγοὶ in municipiis dicebantur etiam civiles & urbani Magiſtratus, ut Act.* XVI. 20. Quæ recte probat *Boiſius* in Collatione p. 422. Confer omnino *Zachar. Huberi* Diſſertt. Juridicas & Philolog. Diſſert. I. c. 7. qui contra *Wiſſenbachium* ad Tit. de Juriſdict. n. 27. oſtendit, eos non fuiſſe Præſides provinciæ cum mero imperio, ſed Duumviros, ſive magiſtratus municipales. Conf. L. 6. §. 16. ff. de Excuſ. Tut. Inſpice præterea eos, qui allegati a me ſunt ſupra ad *Luc.* XXII. 4. 52.

& *Actor.* IV. 1. inprimis vero III. *Spanhemium* ad Julian. Orat. I. p. 76. *Jo. Harduinum* in Opp. Selectis, ubi de Numis Populorum & Urbium p. 10. & *Lamb. Bos* Observatt. Critic. p. 107. ut & *Jo. Alberti* p. 253. Obss. Sacr. qui a *Vulgato* & Glossis τὺς ςρατηγὺς, per Magistratus, quasi duces populi, i. e. ςρατῦ recte verti monuit. Adde itidem *Anton. van Dale* Diss. V. c. 3. p. 409. sq. qui ex numis quoque ostendit, munus ςρατηγῦ non militare, sed politicum fuisse.

Vers. 21. ἔθη, ἃ ὐκ ἔξεςιν ἡμῖν παραδέχεσθαι) Apud Romanos scilicet nefas erat, Deos colere, nisi publica auctoritate constitutos. Vide *Pet. Fabri* Semestria lib. III. c. 1. & *Picinellum* in Lumin. Reflex. p. 679.

Vers. 22. καὶ οἱ ςρατηγοὶ περιῤῥήξαντες αὐτῶν τὰ ἱμάτια) Phrasi eadem utitur *Polybius* p. 1001. & *Arrianus* Expedit. Alex. VII. 24. 5. & alii, a *Grotio* laudati. Dubium hic nonnullis videtur, utrum vox αὐτῶν ad Apostolos, an ad ςρατηγὺς, quasi scriptum sit αὑτῶν cum spiritu aspero, referri debeat. *Petrus Faber* in Semestrium II. p. 121. recte affirmat prius, atque hanc in rem ad morem veterum provocat, apud quos fustigandis vestimenta ante discissa fuisse idoneis locis demonstrat. Adde præter *Grotium*, *Pricæum*, & *Picinellum* in L. Reflex. p. 679. *Jo. Alberti* in Observatt. Sacr. p. 252. Illustris est *Dionysii Halicarnassensis* locus lib. IX. p. 596. τοῖς ῥαβδέχοις ἐκέλευσαν τὴν ἐσθῆτά τε περικαταῤῥῆξαι, καὶ ταῖς ῥάβδοις τὸ σῶμα ξαίνειν. *Jusserunt lictoribus, ut vestem dilacerarent, corpusque virgis percuterent.* Sic *Aul. Gellius* lib. I. c. 13. *Vestimenta detrahi imperavit, virgisque multum cecidit.* Magistratibus itaque id adscribitur, quod eorum jussu fiebat, ut apud Ælianum Var. Hist. XIV. 49. de Philippo adversus Aphthonetum dicitur ἐμαςίγωσε i. e. *virgis cædi jussit.* Vide ibi notas *Perizonii.* Conf. *Jos. Arndii* Miscell. Sacr. pag. 74.

Vers. 24. ἔβαλεν αὐτὺς εἰς τὴν ἐσωτέραν φυλακὴν) Varia erant carcerum genera apud veteres, quæ descripta leges a *Spicione Gentili* observationibus in epist. ad Philemonem, atque hinc a *Witsio* in Meletematibus p. 182. ἐσωτέρα φυλακὴ est interior tutiorque custodia, quam Scriptores variis nominibus exprimere solent, ut ostendit *Pet. Faber* Semestrium II. p. 92.

καὶ τὺς πόδας αὐτῶν ἠσφαλίσατο εἰς τὸ ξύλον) Per lignum intelliguntur compedes ligneæ, quibus reorum pedes muniebantur, ut securius in carcere servarentur, & ante mortem variis tormentis etiam cruciarentur. Hinc apud *Prudentium* :

Lignoque plantas inserit
Divaricatis cruribus.

Hujus ξύλυ passim meminit *Eusebius*, v. c. IV. 16. V. 1. VI. 39. VIII. 20. Vocatur alias ποδοκάκη, *Aristophanes* in Equitibus v. 366. ξύλον hoc appellat πεντεσύριγγον, quod Scholiastes interpretatur per πέντε ὀπὰς ἔχον, *quod haberet*

beret quinque foramina, quibus cervices, manus, pedes indebantur. Add. *Hesychius* voce πεντεσύριγγον. Latinis, nominatim Plauto in Rudente, ideo audit *columbar*, a columbario ſcilicet, variis cavis & foraminibus inſtructo. Hæc & hujusmodi alia ex antiquitate diligenter affert *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra p. 501. ſqq. Adde Cl. *Elsnerum* p. 439. & 506. qui inprimis contra *Grotium* oſtendit, ποδοκάκην idem eſſe, quod ξύλον ex *Lyſiæ* Orat. IX. p. 128. ἡ ποδοκάκη αὐτη ἐςὶν, ὦ Θεόμνηστε, ὃ νῦν καλεῖ (ὁ νόμος) ἐν τῷ ξύλῳ δεδέσθαι. Latini vocant *nervum*, item *ligneam cuſtodiam*, & *cippum*. Cum quanto dolore lignum hoc conjunctum fuerit, intelligitur ex *Luciano* in Toxari p. 76. ubi ita Interpres de vincto ejusmodi: *Itaque jam ſubægrotabat, & male ſe habebat, utpote qui humi cubaret, idque etiam noctu, neque crura protendere poſſet, ligno ſcilicet incluſa: interdiu enim collare ſufficiebat, & altera manus ferro vincta.*

Verſ. 26. Ἄφνω δὲ σεισμὸς ἐγένετο μέγας) Adventante Deo aliquo motum ejusmodi vehementem fieri conſueviſſe, profani quoque Scriptores tradunt, ut *Callimachus* Hymn. in Apollinem v. 2. ubi vide *Spanhemii* notas p. 48. Conf. ſupra ad II. 2. & IV. 31. Vocem μέγας hic per *major* converti vult *Jac. Gronovius* in Diſſert. de voce μέγας C. 4. b.

ὥςε σαλευθῆναι τὰ θεμέλια τῦ δεσμωτηρίυ) Ita tremebat mons Sinai Exod. XIX. 18. qua de re οἱ LXX. Pſ. XVII. 7. τὰ θεμέλια τῶν ὀρέων ἐσαλεύθησαν. Concuſſionem ejusmodi profani quoque Scriptores in argumentum præſentiæ Deorum ſuorum afferunt, ut *Ovidius* Faſtor. III. v. 329.

Conſtat Aventinæ tremuiſſe cacumina ſylvæ,
Terraque ſubſedit pondere preſſa Jovis.

Alia hujus generis loca lege apud *Pricæum* ad h. l. & *Elsnerum* p. 442. item *Cuperum* in Harpocrate p. 167.

ἀνεώχθησάν τε παραχρῆμα αἱ θύραι πᾶσαι) Sic ſupra XII. 10. & *Job.* XX. 19. Ita Moſen, in carcerem ab Ægyptio Rege conjectum, confeſtim liberatum eſſe, apertis ſponte ſua carceris foribus, refert ex Artapano *Euſebius* Præpar. Evangel. IX. 27. Simile quid Æneæ ad fuſas preces contigiſſe, auctor eſt *Virgilius* Æneid. VI. 81. Conf. Cl. *Elsnerum* p. 443. ſq. qui eadem opera oſtendit, prodigii loco habitum fuiſſe, quoties ſua ſponte fores occluſæ patuiſſent? nonnunquam etiam Magica arte januas dici apertas, & Apollonium Tyanenſem vinculis ſe ipſum ſolvere potuiſſe ferri a Philoſtrato VII. 38. ubi B. *Olearius* in notis obſervat, idem Simonem Magum de ſe credi voluiſſe.

Verſ. 27. ὁ δεσμοφύλαξ) Interpretes Græci huic *Stephanæ* nomen fuiſſe tradunt, cujus mentio fiat 1 *Cor.* I. 16. & XVI. 15. 17. quod h. l. obſervavit *Camerarius*.

Verſ. 29. εἰσεπήδησε) Verbum hoc cum efficacia ſolet adhiberi in

re inopina, & quæ summo fit cum impetu. Ita *Aristænetus* lib. I. ep. 5. εἰσεπήδησεν ἔνδον κεκραγὼς & *Ælianus Var. Hist.* XIII. 2. σὺν ὁρμῇ καὶ θυμῷ εἰσεπήδησεν εἰς τὴν οἰκίαν. Vide hic *Jo. Alberti* p. 253. & supra ad XIV. 14.

Vers. 30. Κύριοι) Sic veteres Græci & Romani compellabant homines, quorum conditionem & nomina ignorabant. Testis est *Seneca* ep. 3. *Obvios, si nomen non succurrit, Dominos salutamus.* Vide ibi *Lipsium.* Germani nostrates dicunt: Herrschafft. Conf. *Erasmi Schmidii* notas ad 1 *Tim.* VI. 15.

Vers. 31. Πίστευσον ἐπὶ τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν) Apostoli a custode carceris appellati erant Κύριοι. Illi vero animum ejus revocant ad verum illum Κύριον, Jesum Christum. Non erat, quod Judæus virulentus in *Chissuk Emuna* Part. II. c. 75. pugnam hic inter Apostolos, & Dominum fingeret, quando illi quidem fidei hic primum faciunt mentionem, cum Christus de servandis Legis præceptis, ad interrogantes loqui consueverit, v. c. *Matth.* XIX. 16. & *Marc.* X. 17. Convenientiæ ratio facile patebit ex interrogantium discrimine, & diversis scopis, quos illi sibi constitutos habebant. Lege plura apud *Gussetum* in Confutatione libri illius p. 429.

Vers. 33. καὶ ἐβαπτίσθη αὐτὸς καὶ οἱ αὐτοῦ πάντες) Vide supra ad v. 15.

Vers. 34. Ἀναγαγών τε αὐτοὺς εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ) Nolim hic οἶκον de conclavi τοῦ δεσμοφύλακος tantum cum *Erasmo Schmidio* interpretari. Propria enim domus significatio hic obtinet, quam scilicet carceri illi interiori superstructam fuisse vel ex voce ἀναγαγὼν apparet. Atque hinc δεσμοφύλαξ ex somno excitatus prospicere poterat, fores carceris apertas esse.

Vers. 35. ἀπέστειλαν τοὺς ῥαβδούχους) De ῥαβδούχοις seu ministris publicis, qui Magistratibus virgas fascesque & alia dignitatis insignia præferre solebant &c. lege Cœl. Rhodigin. Antiq. Lect. VII. 29. *Jul. Cæs. Scaligerum* Poetic. lib. I. c. 21. *Brissonium* lib. III. Antt. Juris, & *Dilherrum* in Dispp. Philolog. p. 238.

Vers. 37. δείραντες ἡμᾶς δημοσίᾳ) De verbo δέρειν abunde diximus ad Evangelia. Confer hic *Corn. Adami* in Exercitatt. Exegetic. p. 321. qui & de publica ista contumelia hic commentatur. De voce δημοσίᾳ & illi similibus lege *Pfochenium* de Stylo N. T. §. 96.

ἀκατακρίτους) Vocis hujus rationem exponit *Jo. Conr. Dietericus* in Antiquitatt. Biblicis Tom. I. p. 69. Jus Gentium & inprimis Romanorum (v. *Act.* XXV. 16.) hic violasse Philippenses Magistratus, quando, indicta causa, Apostolos flagris & carceri addixerunt, post Grotium ostendit *Adami* l. c. p. 322. Lege ex veteribus *Lucianum* Tom. II. p. 406. & Tom I. p. 527. item *Demosthenem* de Corona p. 313.

ἀνθρώ-

ἀνθρώπȣς Ρωμαίȣς) De civitate Romana Pauli, qua donatus erat, dicemus ad Act. XXI. 39. & XXII. 25. Conf. interim *Christoph. Cellarii* Dissertatt. p. 710. sqq. & *Dilberrum* in Dispp. Philolog. p. 236. Peccaverant vero hic Magistratus in Leges Porciam & Semproniam, quod recte observavit *Grotius*, ad *Act.* XXII. 25. Conf. *Jo. Ern. Buttneri* Disp. de civitate Romana virgidemiis exacta, Jen. 1672. 4. Ceterum Paulus & Silas objecto civitatis Romanæ jure nec carcerem nec flagra a se amoliti sunt ante, ut facere poterant, non quod nonnullis visum est, tumultu publico, qui audiri eos vetuerit, prohibiti, sed divino nutu & consilio, ut scilicet & veritati testimonium præberent invictum, & occasionem nanciscerentur, custodem carceris cum familia sua Christo lucrandi. Conf. Rev. *Deylingii* Obss. Sacr. Part. III. p. 310. Recte præterea hic a *Schmidio* & *Raphelio* in Annotatt. Xenophonteis p. 165. observatum est, concinnam esse Pauli orationem, quæ singulis fere verbis singula non tantum commata, sed & argumenta, indignitatem rei actæ repræsentantia, complectatur. Simile quid in Xenophonte initio Agesilai p. 515. animadvertit *Aristides* de dictione simplici cap. II. p. 350.

Οὐ γαρ, ἀλλὰ ἐλθόντες αὐτοὶ ἡμᾶς ἐξαγαγέτωσαν) Æquitatem postulati hujus post alios in luce collocat *Adami* l. c. p. 320. & 325. Dimissio scilicet, a Magistratu publice facta, innocentiæ, quam omnibus hic manifestam fieri religionis Christianæ intererat, argumentum apud Macedonas habebatur, quod ex *Luciano* in Asino Tom. II. Opp. p. 116. patet, ubi Thessalonicæ idem hoc usu venisse narrat dicenti: κἀν τȣτω με ὁ ἄρχων δημοσίᾳ πάντων ἀκȣόντων ἀπολύει *cum publice, omnibus audientibus, solvit me præses.* Confer eundem in Toxari T. II. p. 55. Sic *Plato* in Critone testatur, Socratem noluisse, ut *clam* de carcere subduceretur.

Vers. 40. εἰσῆλθον εἰς τὴν Λυδίαν) *Diverterunt ad Lydiam, seu ingressi sunt Lydiæ domum.* Non erat, cur dubitaret *Erasmus*, utrum *Lydiæ* vox de femina ejusque domo, an de regione, accipi deberet? Prius fieri necesse esse, ex contextu orationis ad oculum ostendit *Erasmus Schmidius* ad h. l. Nec phrasis obstat, quæ ab elegantissimis quibusque Scriptoribus eodem sensu adhibetur, quod post eundem Schmidium ostenderunt copiose Cl. *Jo. Henr. Majus* in Observatt. Sacris lib. II. p. 3. sqq. & *Jo. Alberti* p. 254. *Lydia* ponitur pro Lydiæ domo, ut *Pilatus* pro Pilati ædibus Marc. XV. 43. τολμήσας εἰσῆλθε πρὸς Πιλάτον. Ita *Aristophanes* in Pluto Act. I. Sc. II. p. 25. ed. Kusterianæ; ἢν μὲν γὰρ εἰς Φειδωλὸν εἰσελθὼν τύχω.

Si forte avarum adire contigerit.

Ubi præter rem *Ludolphum Kusterum* legere malle εἰς Φειδωλȣ scilicet οἶκον post *Lamb. Bos* in Animadvers. p. 4. ostenderunt *Majus* & *Alberti* l. c. Sic *Lysias* Orat. XVIII. p. 303. τῇ δὲ προτεραίᾳ, ἢ ἀνήγετο, εἰσελθὼν εἰς τὸν πατέρα τὸν ἐμόν. Ita denique & Latini Auctores, ut *Terentius* Andr. Act. I. Sc. III. v. 21. *Sed Mysis ab ea egreditur.* i. e. ex domo Glycerii, & in Phormione Act. V. Sc. I. v. 5. *a fratre egressa* i. e. ex domo fratris.

Cap.

CAP. XVII.

VErſ. 1. Διοδεύσαντες δὲ τὴν Ἀμφίπολιν καὶ Ἀπολλωνίαν) *Apollonia* erat Corinthiorum & Corcyræorum colonia, civitas Illyriæ, teſte *Stephano* de Urbibus: Ἀπολλωνία πόλις Ἰλλυρίας, ἣν ᾤκησαν Ἰλλυριοὶ κατ' Ἐπίδαμνον. *Strabo* lib. VII. eam vocat πόλιν εὐνομωτάτην, *civitatem optimis legibus conſtitutam; Cicero* Orat. in Piſonem *magnam urbem & gravem.* Vide *Palmerium* in Græcia Antiqua lib. I. c. 27. & *Witſium* in Meletematibus p. 77. qui recte hinc illuſtrat locum ad *Rom.* XV. 19.

Verſ. 2. Κατὰ δὲ τὸ εἰωθὸς) Vide ad XIV. 1.

ἐπὶ σάββατα τρία) i. e. *per tria Sabbata*, quibus ſcilicet, tanquam dicto tempore, Judæi Synagogas adire conſueverant. Non video, cur *Martianæus* σάββατα illa de tribus diebus hebdomadis continuis & ſe invicem excipientibus acceperit in Conatibus ſuis p. 317. Infra v. 17. dicitur quidem διαλέγεσθαι κατὰ πᾶσαν ἡμέραν ſeu *quotidie.* At ibi non tantum ſynagoga memoratur, ſed & forum, ubi nempe gentiles Athenienſes convenire conſueverant.

διελέγετο) *concionabatur.* Vide *Raphelii* Semicenturiam Annotationum Philolog. in N. T. p. 11.

Verſ. 3. Διανοίγων) *Grotius*, *Pricæus*, cumque illis nuper *Elsnerus* p. 444. vocem hanc prava diſtinctione ab antecedentibus ἀπὸ τῶν γραφῶν ſeparatam eſſe contendunt, eique jungi volunt, ut notetur, Paulum, *monſtrato vero Scripturæ S. ſenſu, docuiſſe*, Chriſtum mori & reſurgere debuiſſe. Non video, quid cogat, ut a recepta commatum diviſione abeamus: Verbum διαλέγεσθαι non minus patitur præpoſitionem ἀπὸ, quam vox διανοίγων. Et ſi hanc ad Scripturam referri voluiſſet Lucas, ſcripturus potius erat διανοίγων τὰς γραφὰς, ut *Luc.* XXIV. 32. Structura verborum rectius fluit, ſi διανοίγων καὶ παρατιθέμενος immediate conjungantur. Tunc enim utrumque ad argumentum referetur, in quo exponendo & ediſſerendo verſabatur Paulus.

παρατιθέμενος) *inſinuans*, ut Vulg. vel *ob oculos ponens*, ut *Beza*, vel potius: *exponens.* Ita *Polybius* Hiſtor. IV. 5. p. 381. *Diodorus Siculus* lib. I. p. 6. & *Athenæus* lib. IX. c. ult. p. 410. παρέθετο ταῦτα καὶ Δωρόθεος φάσκων. *Docet hæc etiam Dorotheus dicens.* Vide *Elsnerum* l. c.

καὶ ὅτι οὗτος ὁ Χριστὸς Ἰησοῦς, ὃν ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν) Tranſit oratio a recta ad obliquam, cujus frequentia habemus in ſacris & profanis exempla.

Verſ. 4. τῶν τε σεβομένων Ἑλλήνων) Vide ſupra ad XIII. 16. Ad hunc ſpecia-

ſpeciatim locum lege differentem *Joſ. Mede* in Operibus p. 19. ſq. ubi de variis Profelytorum generibus commentatur.

γυναικῶν τε τῶν πρώτων ὀκ ὀλίγαι) Paulus itaque & ad feminas, in Synagoga ſubſellia diſtincta occupantes, diſſeruit. Conf. *Vitringam* de vetere Synagoga p. 129.

Verſ. 5. *οἱ ἀπειθῦντες Ιεδαῖοι*) Vocem priorem *Rich. Simon* in verſione Gallica omittit, ideo quod in *Alexandr.* & aliis quibusdam Codd. deeſt. Sed cave eum audias. Deſtinato enim conſilio divinus ſcriptor eam adhibuit, ut hos opponeret illis Judæis & proſelytis, de quibus v. 4. dixerat, *ἔτι ἐπείσθησαν.*

τῶν ἀγοραίων τινὰς ἄνδρας) *Rich. Simon* in Notis ad Verſ. Gall. de hominibus *otioſis* explicat, quos *les bateurs de pavé* appellat. Germani dicerent Pflaſtertreter. Alii per homines *viles*, *triviales*, *nequam*, interpretantur, meo quidem judicio rectius. Hinc iidem vocantur *ἄνδρες πονηροὶ καὶ ὀχλοποιήσαντες.* Conf. *Eraſm. Schmidii* notas, & *Suicerum* Tom. I. p. 66. ſq. Add. infra ad XIX. 38.

ἀγαγεῖν εἰς τὸν δῆμον) *producere ad populum*, ut ſcilicet in concione eos accuſarent. *Arrianus* de Expedit. III. 26. 2. & IV. 14. 3. Conf. infra XIX. 3.

Verſ. 6. *ἐπὶ τὲς πολιτάρχας*) Hi ſupra vocantur *ἄρχοντες* XVI. 19.

ἀναστατώσαντες) Vide *Boiſii* Collationem p. 423.

Verſ. 7. *ἀπέναντι τῶν δογμάτων Καίσαρος*) De voce *δόγμα* lege ſupra ad XVI. 4.

βασιλέα λέγοντες ἕτερον εἶναι) Id ſcilicet didicerant a Judæis Hieroſolymitanis *Luc.* XXIII. 2. Et veri ſit ſimile, nonnullos eorum Theſſalonicæ tunc præſentes fuiſſe.

Verſ. 9. *Καὶ λαβόντες τὸ ἱκανὸν*) *Budæus* & *Grotius*, cumque iis *Raphelius* in Notis Polybianis p. 354. ita phraſin accipiunt, *quod Jaſon & amici ejus ſatis dederint*, *judicio ſiſti Paulum*, *ſi opus eſſet*. *Raphelius* præterea ſimilem ex *Polybio* p. 1325. phraſin affert *τὸ δίκαιον λαβεῖν παρά τινος*, i. e. *judicio cum aliquo contendere.* D. *Marcus* XV. 15. ait *ἱκανὸν ποιῆσαι.*

Verſ. 11. *Οὗτοι δὲ ἦσαν εὐγενέστεροι τῶν ἐν Θεσσαλονίκῃ*) h. e. *Judæos Beroenſes generoſiores* ſeu meliores *erant Theſſalonicenſibus.* Comparatio enim inter Judæos, utriusque civitatis incolas, inſtituitur, quorum illi maximam partem Paulum & Silam male acceperant, hi vero promto obſequio dignabantur. Ex Theſſalonicenſibus Judæis nulli Beroeæ tunc aderant, qui potius ſecundum v. 13. accepto nuncio de Apoſtolis, Beroeæ verbum ſalutis prædicantibus, illuc confluebant. Itaque nec illi ſecum invicem comparari poſſunt. Conf. huc poſt *Bezam Eraſm. Schmidium*, *Herzogium* de certitu-

 dine

dine Hermeneutices in N. T. §. 21. & *Starckium* in Notis Selectis p. 120. Εὐγενέστεροι i. e. ἐπιεικέστεροι, ut exponit *Chrysost.* & *Theophylactus.* Non enim generis nobilitas, ut alias fieri solet, sed mansuetudo & mores a fastu alieni seu mitior indoles hic indicatur. Conf. *Boisii* Collationem p. 424. *Jo. Buxtorfii* Catalecta p. 199. & *Gusseti* Præfat. ad Confutat. libri *Chissuk Emuna* §. 69. item in Lexico Hebr. radice חור.

μετὰ πάσης προθυμίας) Sic *Polybius* p. 447. φιλανθρώπως δὲ αὐτοὺς καὶ μετὰ πάσης προθυμίας ὑποδεξαμένων. Item p. 701.

Vers. 12. γυναικῶν τῶν εὐσχημόνων) Vide ad *Marc.* XV. 45. Ita supra v. 4. appellantur γυναῖκες πρῶται.

Vers. 13. οἱ ἀπὸ τῆς Θεσσαλονίκης) i. e. Θεσσαλονικεῖς Vide *Salmasium* de Lingua Hellenistica q. 203.

σαλεύοντες τοὺς ὄχλους) i. e. *concitantes vulgus.* Sic *Dionysius Halicarnass.* lib. VIII. p. 319. νοσοῦσα (ἡ πατρὶς) καὶ ἐν πολλῷ κλύδωνι σαλευομένη, *ægrotabat patria & multis fluctibus agitabatur.* Hinc ἐν σάλῳ γίνεσθαι dicitur urbs intestinis motibus laborans a *Lysia* Orat. V. p. 77. Comparatur scilicet vulgus cum *mari*, vel cum *navi.* Horum vero utrumque proprie dicitur σαλεύεσθαι. Conf. omnino *Elsnerum* p. 446.

Vers. 14. ὡς ἐπὶ τὴν θάλασσαν) Codices nonnulli τὸ ὡς omittunt, alii vero pro eo ἕως habent. Neutri recte. Phrasis enim est probatissima, & *Xenophonte*, *Polybio* ac inprimis *Arriano* frequentata, quorum locos copiose attulit Rev. *Raphelius* in Annot. Xenophonteis & Polybianis ad h. l. Sic *Polybius* p. 30. classem ait πλεῖν ὡς ἐπὶ τὸν πορθμὸν *ad fretum navigare* & p. 59. ἔπλεον οἱ στρατηγοὶ ὡς ἐπὶ τῆς Σικελίας. Itaque miror, præstantissimum *Erasm. Schmidium* τὸ ὡς per *quasi* interpretandum censuisse, quasi iter hoc simulatum fuerit. Lege contra eum *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 58. Cl. *Starckius* in Notis Selectis p. 121. *Schmidium* hic sequitur.

Vers. 15. Οἱ δὲ καθιστῶντες τὸν Παῦλον) i. e. *qui deducebant Paulum.* Ita *Arrianus* Hist. Indic. 27. 1. dicit καταστήσειν αὐτοὺς μέχρι Καρμανίης, *se illos in Carmaniam delaturum.* Conf. 36. 4. & *Polybium* p. 1157. & 1158. Lege *Raphelii* Annotat. Polybian. p. 357. *Guil. Budæum* in Commentar. Gr. L. p. 413. & *Boisii* Collationem p. 424.

ἕως Ἀθηνῶν) de *Athenis* differit huc *Jo. Conr. Dietericus* in Antt. Biblic. p. 51. Sed has quidem nunc mittimus. Confer, si placet, *Corn. Adami* loco mox citando.

Vers. 16. & sequentes usque ad finem hujus capitis erudite illustrat *Corn. Adami* in Observat. Theolog-Philolog. p. 202-348. Conf. B. *Gottfr. Olearii* Differt. de gestis Pauli in urbe Athenienf. *Lipf.* 1706. & *Arnold. Monenii* com-

commentationem Belgicam in Pauli Acta Aheniensia, quæ Germanice reddita prodiit *Basil.* 1715. 4.

ἐκδεχομένυ αὐτὺς τῦ Παύλυ) i. e. *cum eos exspectaret Paulus*, quos scilicet per literas ad se vocaverat, v. 15. Alii malunt vertere: *cum eos exciperet Paulus.* Cum his novissime facit *Herzogius* in Dissertat. de Subscriptione epistol. Paulin. §. 5. recte ideo notatus a *Schœnlandio* in Miscellan. Lipsiens. Tom. VII. p. 98. Certe non poterat eos tunc excipere Paulus, qui aliquo tempore post Athenas venisse narrantur XVIII. 5.

παρωξύνετο τὸ πνεῦμα αὐτῦ ἐν αὐτῷ) i. e. *incandescebat*, conspecta scilicet illa superstitionis indignitate. Sic in simili negotio dicitur διαπονηθεὶς *Act.* XVI. 18. & πυρῦσθαι 2 *Cor.* XI. 29.

κατείδωλον ὖσαν τὴν πόλιν) i. e. *urbem idolis refertam.* Sic Massilia κατάμπελος i. e. *vineis referta* dicitur *Straboni* lib. III. p. 124. ubi confer *Casaubonum*, qui idem in Notis ad h. l. observat. Atque cum hoc malim facere, quam cum *Grotio*, cui κατείδωλος ad exemplum vocis κατάθεος inferre videtur urbem cultui idolorum addictam. Exempla idolomanias Atheniensis a variis allata sunt, ex quibus adeas velim *Meursium* in Athenis Atticis, *Witsium* in Miscellaneis p. 80. sq. *Leeuwenium* in Comment. ad h. l. & *Cornel. Adami* l. c. p. 207. sq. Afferemus unum *Luciani* locum in Prometh. Tom. I. p. 180. Ἀπανταχῦ δὲ βωμὺς, καὶ θυσίας, καὶ ναὺς, καὶ πανηγύρεις μεςαὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαὶ πᾶσαι δὲ ἀνθρώπων ἀγοραί. *Undique aræ, victimæ, templa, festivitates statuuntur: adeo, ut viæ passim & hominum conciones Jovis sint omnes plenæ.*

Vers. 17. Διελέγετο μὲν ὖν) Vox διαλέγεσθαι & διάλεξις ad denotandas Philosophorum inter se disputationes proprie adhibetur, quemadmodum & διαλέξεις ab ἐπιδείξεσι & μελέταις a Scriptoribus ita distinguuntur, ut hæ quidem orationes inferant, ad pompam & eloquentiæ laudem comparatas, illæ vero sermones, ad inquirendam veritatem propius pertinentes. Tales sunt, quæ hodienum exstant, *Epicteti, Arriani & Maximi Tyrii* διαλέξεις. Vide de vi horum verborum differentem B. *Gottfr. Olearium* ad Philostratum p. 565. & 579. Ceterum non ignoro, ab Ecclesiasticis Scriptoribus διαλέγεσθαι & διάλεξιν de homiliis ad populum habitis usurpari. Conf. *Valesium* ad Euseb. p. 110. Eodem sensu exstat supra v. 2.

καὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ) Plura erant Athenis fora, scilicet *Areopagiticum, Hippodamium, Piræeum, Ceramicum* &c. Ex his simpliciter & quasi κατ' ἐξοχὴν ἀγορὰ seu *forum* dici solebat *Ceramicum* illud, & quod in eo erat loco, cui *Eretria* nomen est. Atque hoc postremum hic indicari verisimile est, tum quod ibi inprimis conventus hominum frequentatos fuisse testatur *Strabo* lib. X. p. 447. tum quod ante illud forum fuit ςοὰ ποικίλη, in qua Stoicos διαλέξεις suas obiisse constat. Hinc *Stoicorum* Philosophorum mentio fit v. 18.

 Confer

Confer omnino *Meurſii* Diſſertat. de Ceramico Gemino c. 16. & *Olearium* in Diſput. citata §. 9. *Monenius* in laudato Commentario Belgico p. 33. factum hoc vult in foro illo magno, quod a rotunditate κύκλȣ nomen habuerit, quindecim Ἀγορανόμων curæ ſubjectum.

κατὰ πᾶσαν ἡμέραν) Horæ diei tres antemeridianæ, quæ a nona ad undecimam fiunt, huic negotio videntur ab Apoſtolo adhibitæ, quod tempus nomine πληθούσης ἀγορᾶς ſeu *concurſus frequentioris* veteres appellare conſueverunt. Lege de hac phraſi *Lud. Kuſterum* ad Suidam Tom. I. p. 34. & *Brodæum* Miſcellan. IV. 33.

Verſ. 18. Τινὲς δὲ τῶν Ἐπικȣρείων καὶ τῶν Στωικῶν φιλοσόφων) *Epicurei* rerum ſecularium ſatagentes forum frequentes obibant, Stoici autem, ut modo monitum eſt, foro huic vicinum habebant porticum. Utrique Doctrinæ Apoſtolicæ inimicos ſe præſtabant, illi quidem, quod de Deo & divinis rebus nullas, hi vero, quod vagas admodum & ſubobſcuras nec ſibi conſtantes notiones foverent. Platonicorum nulla fit mentio, forte ideo, quod illi æquius de doctrina diviniore, quæ inprimis immortalitatem animorum, & reſurrectionem corporum urgebat, pro principiorum ſuorum ratione judicabant. Confer de his Philoſophis ad h. l. differentem *Dilberrum* in Diſputt. Philolog. Tom. II. p. 288. & *Cornel. Adami* p. 223. ſqq.

συνέβαλλον αὐτῷ) *conflictabantur cum eo*, ut *Eraſmus* & *Beza* vertunt, convenienter acerbitati illi, qua diſputantes in Apoſtolum paulo poſt graſſabantur. Verbum συμβάλλειν alias de conflictu in ipſis præliis adhibetur. Vide Cl. *Schwartzii* Notas ad Olearium de Stylo N. T. pag. 31. Pro re nata amicam quoque collationem ſeutentiarum, imo & alloquium infert, ut patet ex *Apollonii* ep. XLV. ubi συμβαλὼν τοῖς ἐν Ῥόδῳ φίλοις, *ubi conveni amicos in Rhodo.*

τί ἂν θέλοι λέγειν) Vide ſupra ad II. 14.

ὁ σπερμολόγος ȣ̈τος) Placent inprimis, quæ de hac voce attulit B. *Gottfr. Olearius* in Diſput. laudata §. 13. Suidas σπερμολόγον interpretatur per εὐρυλόγον & ἀκριτόμυθον, qui ſcilicet multos & prolixos, quaſi ſementem faciens, ἀφθόνως ſpargat ſermones, ſine judicio & delectu, ut ſolent, qui ſemina ſpargunt, facere. Sic *Heſychius* σπερμολόγον vertit φλύαρον, & Gloſſæ antiquæ σπερμολογεῖν *funditare.* Nempe copioſus in dicendo Paulus, unde Lyſtrenſibus pro Mercurio habebatur. Cumque ea eſſet in verbis & ſenſibus ejus ſublimitas, quæ hominum ψυχικῶν longiſſime excederet intelligentiam, ὅσα μὲν ȣ̓κ οἴδασι βλασφημȣ̃ντες, σπερμολόγον appellant, cujus ratio λόγος erat καὶ σοφία. Ignominiæ plenam vocem eſſe vel ex eo patet, quod *circulatores* ea inſigniri, & σπερμολογεῖν dici ſolebant. Vide *Philoſtratum* in vita Apollonii lib. V. c. 20. *Cotelerius* ad Tom. II. Monumen-

numentorum Eccles. Græc. p. 588. cum Vulg. vertit *feminiverbius*. Hæc malim amplecti, quam cum *Casaubono* ad Theophrasti Characteres p. 197. *vilissimæ notæ hominem* ea voce indicatum credere. Σπερμολόγυς, inquit is, *vocabant Athenienses abjectissimos quoscunque homines, imo hominum mendicabula, qui forum & digma oberrantes, si quid e mercium oneribus, ut fit, excideret, id legebant, & vitam hoc quæstu sustentabant. Deinde ab his ad alios quoscunque vilissimæ notæ homines translata appellatio est.* Applaudit illi *Boisius* in Collatione pag. 428. *Paulus σπερμολόγος audit a Philosophis Atheniensibus, non ut loculentus, aut blaterator aliquis, sed ut homo tenuissimæ fortunæ, parumque splendide vestitus. Est enim convitium in viles potius, quam plebejos.* Omitto alia huc pertinentia, quæ legi malim apud *Cloppenburgium* Tom. I. Opp. p. 87. *Suicerum* Tom. II. p. 994. *Witsium* in Meletemat. p. 82. *Monenium* lib. cit. p. 52. *Cornel. Adami* p. 232. sq. ex nostratibus Rev. *Buddei* Differt. de Veritate Relig. Christ. p. 4. *Starkium* in Notis Selectis p. 121. & *Pet. Zornium* in Differt. singulari de hoc Atheniensium Sarcasmo, *Kilon.* 1710. B. Lutherus noster interpretatur per Lotterbuben, de qua voce lege *Stadenii* Expositionem vocum difficiliorum p. 712. & *Raithii* Vindicias versionis Lutheri p. 470.

ξένων δαιμονίων δοκεῖ καταγγελεὺς εἶναι) ξένα δαιμόνια de *Diis novis* & peregrinis hic Interpretes tantum non omnes accipiunt. Recte omnino & usui Scriptorum Sacrorum & profanorum convenienter, qui Deos Gentilium δαίμονας & δαιμόνια appellare consueverunt. De sacris vide *Jos. Mede* in Opp. p. 635. & *Lamb. Bos* in Exercitatt. ad 1 *Cor.* X. 20. 21. De profanis diligentissime *Rudolph. Cudworthum* in Systemate Intellectuali hujus universi p. 263. sq. & p. 400. & 411. *Jac. Thomasium* de Stoica mundi exustione p. 23. *Marcilium* ad Pythag. aurea Carmina p. 331. sq. Interpretes ad *Æliani* Var. Hist. VI. 13. *Georg. Wonnam* in Exerc. I. de Geniis. c. II. §. 1. alios. Nec dubito, *Lambertum Bos* de Ellipsi Græc. L. p. 160. recte nomen δαιμόνιον pro adjectivo habendum, & vocem πνεῦμα subintelligendam judicasse. Adde laudatis Rev. *Raphelium* in Notis Xenophonteis p. 167. qui scite observat, δαιμόνιον duplicem potissimum habere significationem, & tum Deum, tum res divinas declarare. Id quod pateat tum ex *Xenophonte* Memorabil. lib. I. p. 561. & lib. 4. p. 634. tum vel maxime ex *Aristotele*, qui Rhetor. lib. II. c. 23. §. 27. hæc tradit: τὸ δαιμόνιον ὐδέν ἐςιν, ἀλλ' ἢ θεὸς, ἢ θεῦ ἔργον. Καίτοι ὅςις οἴεται θεῦ ἔργον εἶναι, τῦτον ἀνάγκη οἴεσθαι καὶ θεὺς εἶναι. *Dæmonium nihil aliud est, quam aut Deus, aut Dei opus. Et vero, qui Dei opus esse aliquod putat, eum necesse est, putare etiam Deos esse.* Petita hæc sunt, ut Schraderus ibi recte annotat, ex Apologia Socratis Platonica, cum qua conspirat Apologia ejusdem Xenophontea p. 555. ubi Athenienses Socratem dicuntur accusasse, ὡς, ὓς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεὺς, ὐ νομίζοι, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσφέροι, *quod, quos civitas Deos putaret, ipse non putaret, aliosque novos Deos introduceret.* Conf. Platonis Apolog. Socratis Tom. I. p. 26. *Diog. Laert.* lib. II. in

in Socrate & *Plutarchum* lib. I. de Fortuna Alexandri, ubi Socrates dicitur ξένα παρεισάγειν δαιμόνια. Atque hæc loca omnia, similiter vero & nostrum ita accipi vult B. *Olearius* in Disput. aliquoties citata §. 18. ut *δαιμόνια non sint dii, sed ea, quæ ad deos pertinent, & ἕτερα δαιμόνια καὶ καινὰ introducere sit in genere noviter de rebus divinis philosophari, novam theologiam, novam de rebus divinis doctrinam invehere. Uno verbo heterodoxe de iis statuere.* Conferatur idem ad Philostratum p. 156. Non vacat in argumenta Viri docti inquirere, nec necesse est, cum ea opera jam defunctum esse videam diligentissimum *Raphelium* l. c. p. 169. qui ex Apologia Platonica, & ipsis Socratis verbis ostendit, Socratem cum Melito disputantem per δαιμόνια πράγματα non *res divinas*, ut voluit *Olearius*, sed *opera divina* intelligere. His subdit *Raphelius: Jam Athenienses cum Paulum dicerent ξένων δαιμονίων καταγγελ῀η, si quis eos, ut Socrates Melitum, interrogasset, Deos ne appellarent δαιμόνια, an opera Deorum? equidem putem responsuros fuisse, de utrisque se loqui. Id adeo intelligitur ex verbis Lucæ, qui propterea ait Athenienses ita de Paulo sensisse, quod* Jesum & resurrectionem *iis annunciaret. En tibi hic duo Dæmonia, quorum alterum Deus est, Jesus nempe: alterum Dei opus, resurrectio.* Itaque ratum hoc est, quod ξένα δαιμόνια Deos novos hic inferant. Atque id ex concione Pauli quoque intelligitur, quando v. 23. objectioni huic quasi occursurus, affirmat, se non novum aliquem Deum, sed antiquissimum, & qui se jam pridem hominibus testatum fecerit, prædicare. Contrariis Viri docti argumentis satis fieri potest. Novos ait Deos Atheniensibus adeo non fuisse invisos, ut eos potius libentissime in suorum Deorum numerum cooptarint. Quam in rem ut ipse veterum testimonia affert, ita idem præstat *Adami* p. 234. Hinc vero conficit, eos libenter admissuros fuisse de diis novis nuncium, nec ea, quam Lucas narrat, ratione aversaturos. Sed primum testabantur omnino studium Athenienses Pauli doctrinam audiendi. Eo enim consilio ducebant in campum Martium, & ad dicendum invitabant. Deinde non videntur æquiores & modestiores se præstituros fuisse, si non tam Deos novos quam novam cultus rationem ab Apostolis inculcandam exspectassent. Non obstat præterea, ceu viro docto ad Philostratum visum est, quod v. 19. καινὴν διδαχὴν *novam doctrinam* appellent. Nova enim vel maxime doctrina haberi poterat; quæ de novo Deo & inaudito hactenus nomine præciperet. Atque ex his responderi quoque potest ad ea, quæ in eandem sententiam ornandam attulit *Jo. Schurzmann* in Dissertat. ad h. l. de Resurrectione *Lips.* 1708.

Sunt, qui mirantur, Athenienses ξένων δαιμονίων καταγγελίαν, quasi rem insolitam hic accepisse dici, quibus alioquin volupe erat novorum Deorum cultui se obstringere. Enimvero publica auctoritate id fieri facile patiebantur, neque vero propterea idem in privatis hominibus, quales Apostoli illis habebantur, ferebant. Atque ita accipienda sunt, quæ ex *Alciphrone* afferuntur in Historia Critica Reipubl. Literar. T. XIII. p. 133.

ὅτι

ὅτι τὸν Ἰησοῦν καὶ τὴν ἀνάστασιν αὐτοῖς εὐηγγελίζετο) Tres hic video Interpretum discrepantes sententias. Alii enim ἀνάστασιν Athenienses tanquam nomen appellativum de *resurrectione* mortuorum, alii tanquam nomen proprium de Deo aliquo vel Dea, ut illud *Jesu*, accepisse existimant: alii neutrum horum admittunt. De his postremis primum dicemus. Atque hic unus, quem sciam, *Olearius* ὁ μακαρίτης, se offert l. c. §. 15. Is enim existimat, Paulum de neutro horum cogitandi occasionem Atheniensibus sermone suo fecisse. *Nec puto*, inquit, *ipsissima verba prædicationis Pauli referre Lucam, sed ejus summam duas istas voces*, Ἰησοῦν καὶ ἀνάστασιν, *indicare, quarum sensus sit, eum prædicasse* Ἰησοῦν ἀνεστηκότα *Jesum resuscitatum. Hoc enim caput doctrinæ Apostolicæ semper, ut Jesum prædicarent, qui mortuus est & resurrexit, ut adeo indivulso nexu cohæserit prædicatio de Christo & resurrectione ex mortuis.* Apparet hinc, Virum doctum Ἰησοῦν καὶ ἀνάστασιν per Hendiadyn ita interpretari, ut ad idem subjectum, nempe Christum, quatenus resurrexit, referatur. Non nego hoc dicendi genus omnibus Scriptoribus frequens esse (vide supra ad *Matth.* III. 11.) sed hic obtinere posse paucissimi largientur. Paulum hic non solum de Christo ut ex mortuis excitato, sed & inprimis & diserte de hominibus aliquando in vitam revocandis, & piis beneficio mortis Christi, itidem resuscitati, ad meliorem perferendis locutum esse apparet ex v. 31. ubi Paulus dicitur in eadem sua oratione meminisse diei extremi seu παντοκριτικοῦ, quo homines omnes, atque adeo tum vivi, tum ex mortuis reducti, Christi judicio sisti aliquando deberent. Hinc & v. 32. Athenienses dicuntur ἀκούσαντες ἀνάστασιν νεκρῶν *resurrectionem mortuorum*, itaque non unius Christi, sed *plurium*, ad exemplum Christi resuscitandorum. Eodem modo Apostolus in prædicanda Christi doctrina & inculcanda mortuorum resurrectione versatos esse, patet ex *Act.* IV. 2. ubi dicuntur καταγγέλλειν ἐν τῷ Ἰησοῦ τὴν ἀνάστασιν τὴν ἐκ νεκρῶν. Utrumque hoc doctrinæ Christianæ momentum coram Lysia urgebat Paulus Act. XXIV. 15. Utrumque vero conjungendum fuisse intelligitur ex 1 *Cor.* XV. 12. sqq. ubi Christi passi hominumque mortuorum resurrectionem palmaria esse Christianismi capita, quorum alterum ex altero pendeat, commonstratur. Scilicet Christus prædicandus erat ut fundamentum resurrectionis melioris, resurrectio vero mortuorum futura, ut homines ad amplectendum fide Christum excitarentur. Itaque nec dubium est, Paulum h. l. tum Christi mortem & resurrectionem, tum futuram hominum omnium resuscitationem data opera & distincte inculcasse, atque adeo Athenienses occasionem nactos de Christo, & resurrectione mortuorum, tanquam distinctis capitibus, cogitandi.

Hic vero jam quæritur: quo sensu ἀνάστασιν acceperint Athenienses, utrum pro numine aliquo novo, an pro re aliquando eventura? Prius magno conatu adstruere instituit *Alex. Morus* in Notis ad Novum Fœdus

p. 96.

p. 96. *Quasi Deum & Deam:* inquit, ἀνάστασις *hic est nomen proprium. Libenter & sexum alterum Gentiles divinis honoribus prosecuti. Unde nati & Hermaphroditi Dii, nec tantum Eunuchi, ut Minutius Attidem vocat.* Quæ cum variis exemplis comprobasset, tandem p. 98. ista subjungit: *Vix igitur dubitem, quin hoc loco per Jesum & Anastasin Deum & Deam intellexerint, aut certe ita præ se tulerint* χλευάζοντες, *quod habetur infra, labiorum gestu subsannantes. Aristophanes diceret* διαμυλλαίνοντες. *Unde dicitur ab iis Paulus* καταγγελεὺς ξένων δαιμονίων, *multitudinis numero pro duali. Nec magis mirum,* τὴν Ανάστασιν *ab iis* θεοποιεῖσθαι, *quam veritatem a* Polybio, *ab* Euripide τὴν Τυραννίδα θεῶν πάντων μεγίστην *vocari, maxime cum Athenis excitata essent Verecundiæ Famæque delubra, teste* Pausania. Hæc ille. Eandem sententiam ante & post Morum, *Chrysostomi*, credo, auctoritate adducti, alii suam fecerunt, nominatim *Jo. Seldenus* de Diis Syris p. 33. *Rousius* in Archæologia Attica II. 1. p. 67. *Hammondus* ad h. l. & *Jo. Spencerus* de Legibus Ritual. Hebr. p. 1202. Sed nolim his adsentiri. Per ludibrium hæc ita dixisse audientium nonnullos, probabile non videtur. De iis enim hic sermo est, qui Paulum hactenus summatim loquentem quasi obiter audierant, quia plura intelligendi studio ducebantur. Distinguuntur etiam ab illis, qui alienum animum a Paulo testati erant, conjecto in ipsum σπερμολόγε convicio. His itaque præter rem cavillandi licentia tribuetur. Serio vero & bona mente iidem vocem ἀνάστασις de Numine interpretari non potuerunt. Præstruimus, Paulum de Jesu, & resurrectione tum ipsius, tum mortuorum, ita dixisse, ut paulo post summam sermonis Lucas refert. Illa vero tam clara sunt, ut audientes insulsos, quales certe Athenienses non erant, fuisse opporteat, si de Deo vel Dea aliqua hic cogitassent. De Deo & Christo ut divinorum & mirabilium operum auctore, atque adeo agente vivo differit, de resurrectione vero, ut re seu actione atque effectu partim præstito, partim aliquando insecuturo. Exempla aliarum rerum, v. c. Veritatis &c. θεοποιησεων a Gentilibus, nihil probant aliud, quam fieri h. l. etiam ab Atheniensibus potuisse; non autem re vera factum esse, nulla scilicet occasione a Paulo perorante suppeditata. ξένα δαιμόνια in plurium numero vel per enallagen in his argumentis receptissimam appellata sunt, vel ex inani persuasione, fore, ut inposterum de pluribus Diis ex Paulo audirent, vel denique eo sensu, quod per δαιμόνια tum opera divina, de quibus locutus erat Apostolus, indicarent, quam in rem vide, quæ paulo ante ex Rev. *Raphelio* allata sunt.

Recte itaque statuunt, qui ἀνάστασιν ex ipsorum Atheniensium sententia de *resurrectione mortuorum*, tanquam re Gentilibus minus persuasa, interpretantur. Vide, quæ pro illa expositione afferunt doctissimus *Rich. Bentlejus* in Concione II. de Stultitia Atheismi p. 66. ed. Lat. *Cornel. Adami* l. c. p. 238. Cl. *Franc. Wokenius* in Meditatt. Privatis Tom. II. p. 115. sqq. *Jo. Wilh. de Neve* in Differtatt. de Epicureorum & Stoicorum Christianismo intentatis

tentatis

intentatis conviciis, Francof. ad Oder. 1708. 4. & *Jo. Schurzmann* in Differt. de *Ἀναστάσει* ad h. l. fupra citata, nec non J. F. *Buddeus* in Decade Meditationum Sacrarum p. 38. fqq. Confer & *Joach. Frid. Schmidii* Difput. Theolog. Philolog. *Stargard* 1706.

Verf. 19. *Ἐπιλαβόμενοί τε αὐτοῦ ἐπὶ τὸν Ἄρειον πάγον ἤγαγον*) Nonnulli verbum *ἐπιλαβέσθαι* & alterum illud *ἤγαγον* de violentia quadam interpretantur, per quam Paulus inftar facinorofi cujusdam, atque hoc nomine accufandi, caufamque dicturi, in Areopagum deductus fit. Ita ftatuit *Corn. Adami* p. 239. fq. Mihi quidem nihil horum vel ex verbis ipfis, vel ex rei, prout gefta hic narratur, circumftantiis tuto dici poffe videtur. Utrumque vocabulum *μέσον* eft, & de amica vel apprehenfione vel ductione, æque ac de contraria, ufurpatur. De verbo *ἐπιλαβέσθαι* lege *Matth.* XIV. 31. ubi de Petro in aqua a Domino apprehenfo, *Marc.* VIII. 23. ubi cœcum fanandum Chriftus dicitur *ἐπιλαβόμενος*. Adde *Luc.* IX. 47. XIV. 4. XX. 20. &c. Sic amici ægrotos dicuntur *ἄγειν*, perducere ad Chriftum fanandos *Luc.* IV. 40. Samaritanus hominem reficiendum in hofpitium publicum *ἀγαγεῖν* narratur X. 34. &c. Itaque ex verbis ipfis nihil effeceris. Non magis autem ex circumftantiis. Qui enim hic ducebant Paulum, vel curiofitate quadam vel difcendi cupiditate invitati, plura ex ipfo de tota hac caufa intelligere volebant. Neque video ullum in narratione Lucæ veftigium, ex quo conftare poffit, Paulum inftar rei cujusdam in corona Judicum caufam agere in Areopago debuiffe. Nec excitantur accufatores, nec Paulus compellat Judices, fed *ἄνδρας Ἀθηναίους*, nec quicquam a fe vel criminis vel convicii fibi objecti amolitur. Hinc obvium eft fufpicari, imo contendere, Paulum eo tempore non ad locum illum Areopagi, ubi caufæ perorari & cognofci folebant, deductum effe, fed in loco alio amplo & fpatiofo, & forte fub dio conftitiffe, ut fic & confpici & audiri eo rectius poffet. Lege *Jo. Harduini* Opera Selecta p. 635. & 351. Propterea nec fententia fertur ab audientibus. Conf. *Selden.* de Synedriis lib. II. c. 4. p. 640. Vide etiam quæ dicentur ad v. 22.

De *Areopago* feu campo aut colle Martio non attinet hic dicere. Lege, fi placet, poft *Meurfium* in libro fingulari, *Suicerum* Tom. I. p. 504. *Dilherrum* in Differtatt. fingulari, quæ in Tomo II. Difputatt. ejus Academic. p. 284. fqq. recufa eft, & *Corn. Adami* p. 241. fqq. item *Chrift. Frid. von Haven* Differt. de Areopago, *Hafn.* 1708. Novam nominis originem, quafi *Ἄρειος πάγος* ex Hebr. הר פגע *mons impetus* feu *cædis* dictus effet, a *Jo. Clerico* ad Hammondum in h. l. allatum, paucos credo admiffuros. Sic enim *Harpegus* potius dicendus fuerat locus, & communior Græcis eft vox *ἄρειος*, tanquam ex *Ἄρης* deducta, quam ut aliunde repeti poffit. Paufaniam audire malim in Atticis c. XXVIII. p. 68. ita fcribentem: *Καθὸ καὶ ὁ Ἄρειος πάγος. Ἔστι δὲ Ἄρειος πάγος καλούμενος, ὅτι πρῶτος Ἄρης ἐνταῦθα ἐκρίθη.* *In qua parte etiam eft Areopagus. Quæ vero urbis pars Areopagus dicitur, ex*

eo nomen accepit, quod Mars eo in loco primus capitis causam dixerit. Confer *Gurtleri* Orig. Mundi lib. I. c. XV. §. 23. & *Dougtai* Analecta N. T. p. 83.

Vers. 20. *ξενίζοντα γάρ τινα εἰσφέρεις*) Vocem *ξενίζοντα* sicut *καινὴν διδαχὴν* v. 19. non tam *novum*, respectu *παλαιῶ*, quam *insolitum* aliquid & *paradoxum* inferre existimat B. *Olearius* l. c. §. 17. Utramque notionem, vocibus his a Scriptoribus alias subjectam, hic optime conjungi posse existimo, ubi non solum de *Deo* sermo erat, Atheniensibus non audito, sed & de *doctrina* animos eorum percellente. Confer *Corn. Adami* p. 259. sqq. qui eadem opera ostendit, Christianæ religioni a Gentilibus *καινότητα* sive *novitatem* objectam esse. Patet id inprimis ex Apologeticis veterum scriptis, eorumque, qui exstant, commentatoribus. Conf. Biblioth. Bremens. Class. IV. p. 530. & quæ ipse notavi ad *Theophili* libros Autolyco inscriptos.

τί ἂν θέλοι ταῦτα εἶναι) Vide ad v. 18. *τί ἂν θέλοι ὁ σπερμολόγος οὗτος λέγειν*.

Vers. 21. *Ἀθηναῖοι δὲ πάντες*) Curiositas nimia & novitatis studium Atheniensibus hic tribuitur, & a gentilibus ipsis alias objectum est. Vide inprimis *Demosthenis* & aliorum loca apud *Casaubonum* ad Characteres Theophrasti p. 128. *Jos. Arndium* in Miscellan. Sacr. p. 47. & *Corn. Adami* p. 262. sqq. Similia vel elogia vel reprehensiones Atheniensium ex veteribus cumulat *Conr. Rittershusius* in Sacris Lectionibus p. 611.

καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες ξένοι) *Jac. Gronovius* & Cl. *Honertus* in Introductione in Epist. ad Romanos p. 244. *τὺς ἐπιδημῦντας* hic dici arbitratur, eos qui fixam quasi sedem Athenis habuerint, & tantum non inter cives recepti sint, secus ac illi, quibus ad breve tempus ibi commorari contigerit. His vide quæ opponit *Adami* l. c. p. 264. sq. cui peregrini qualescunque, Athenis commorantes, hic indicari rectius videntur. Lege, quæ in eandem sententiam nos supra diximus ad II. 10. ubi *ἐπιδημῦντες Ῥωμαῖοι* commemorantur. Mihi quidem h. l. *οἱ ἐπιδημῦντες* per *ξένυς* satis huic notioni vindicati videntur. Peregrini enim dicuntur, tanquam ex terris exteris huc profecti, & *ἐπιδημῦντες* seu *commorantes*, tanquam ad suos redituri. Ita *Polybius* p. 1402. *ξένοι τῶν ἀπὸ τῆς Βοιωτίας εἰς τὴν Λακεδαίμονα παρεπιδημήσαντες*, *peregrini ex Bœotia Lacedæmonem profecti*; ubi recte *Raphelius* p. 357. Annott. Polybian. observat, *παρεπιδημεῖν* dici, qui alicubi aliquo tempore versentur.

λέγειν τι καὶ ἀκύειν καινότερον) Loquacitatis Atheniensis argumentum præbent *λέσχαι* illis receptæ, i. e. porticus, basilicæ, tabernæ, aliaque loca publica, in quibus otiosi confabulandi causa conveniebant. De istis *λέσχαις* lege interpretes *Æliani* & inprimis *Kuhnium* ad Var. Histor. II. 34. *Rousium* in Archæolog. Attica I. 3. *Spanhemium* & alios ad Callimachi Epigram.

gram. II. v. 3. *Petavium* ad Themiſtium, *Menagium* ad Laertium p. 25. *Caſaubon.* ad Theophraſti Characteres περὶ ἀδολεσχίας, *Gravium & Clericum* ad Heſiodi Ἐργ. καὶ ἡμέρ. v. 49. Quod ad audiendi nova cupiditatem attinet, eam phraſi hic obvia exprobrat Athenienſibus Demoſthenes Philipp. I. ἢ βούλεσθε περιιόντες αὐτῶν πυνθάνεσθαι κατὰ τὴν ἀγορὰν, λέγεταί τι καινόν; Similiter *Theophraſtus* in Characteribus c. IX. ubi λογοποιὸς quidam dicitur interrogare *unde tu*; *quid dicis*; *habesne aliquid novi?* καὶ ἐπιβαλὼν ἐρωτᾷν μὴ λέγεταί τι καινότερον; *pergens interrogat*: *habesne ſuper hoc novi quicquam?* Nolim tamen ex hoc loco, quod facit Cl. *Herzogius* in Diſputat. de certitudine Hermeneutices N. T. §. 21. conficere, quod comparativus in voce καινότερον apud Lucam non poſitivi loco poſitus ſit, ſed propriam ſuam notionem tueatur. Quam is affert rationem, ea & in ſe levis eſt, & non poteſt accommodari ad ſimilem Demoſthenis locum in reſponſione Demoſthenis ad epiſtolam Philippicam, ubi Athenienſes ait πυνθανομένυς κατὰ τὴν ἀγορὰν, εἴτι λέγεται νεώτερον. Confer omnino *Gatakerum* de Stylo N. T. c. XXV. p. 220.

Verſ. 22. 23. illuſtrantur ſingulari diſſertatione a *Tobia Eckardo*, quæ recuſa eſt in Theſauro Diſputatt. Tom. II. p. 461. ſqq.

Verſ. 22-34. ſeptem ſermonibus gallice editis explicandos ſuſcepit *Bened. Pictetus*, Genev. 1719. 8.

Verſ. 22. Σταθεὶς δὲ ὁ Παῦλος) *Nempe in medio ſtantes in omnibus judiciis Græcorum & Romanorum cauſas agebant. Videturque omnino hæc ipſa formula ſuadere judicialiter rem actam fuiſſe, utut aliter Hugoni Grotio* (adde & Bezæ) *videatur, qui non ad judicium, ſed quod in Areopago multi eſſe ſolerent homines eruditi, eo abductum Paulum putabat. Cujus ſententiæ nullam ab eo rationem video allegari: nec aliam comminiſci poſſum, niſi quod de conſueta iſtius judicii forma nihil diſerte addat Lucas, id quod tamen brevitatis ſtudio dici poteſt.* Ita B. *Olearius* l. c. §. 19. ex voce ςαθεὶς judicii ſolennis Areopagitici formam exſculpere conatur, invitis & reluctantibus rei geſtæ circumſtantiis, quas ſupra urſi ad v. 19. Nec patrocinatur huic ſententiæ vox ςαθεὶς magis, quam verba, ἐπιλαβόμενος & ἤγαγον, de quibus ibidem dictum eſt. *Stare* enim dicturi plerumque ſolebant, quod vel ex *Creſollii* Theatro Sophiſtarum patet. *Stabat* item Petrus *Act.* II. 14. ubi non ad judices, ſed turbam populi æque ac hic congregatam dicebat. Ibi vero Lucas eadem phraſi uſus ait: ςαθεὶς δὲ Πέτρος σὺν τοῖς ἕνδεκα ἐπῆρε τὴν φωνὴν αὐτοῦ. Stabat Paulus auditorum corona cinctus, cum marinorum fluctuum periculum experiretur, Act. XXVII. 21. Τότε ςαθεὶς ὁ Παῦλος ἐν μέσῳ αὐτῶν εἶπεν. Interim nolim negare, fuiſſe forte hic inter audientes etiam eos, qui alias cauſis cognoſcendis adeſſe ſolebant, inopino ſcilicet hominum concurſantium adventu allecti & excitati. De ipſa Pauli, quæ ſequitur, oratione recte a Rev. *Valent. Erneſto Læſchero* in Decimis Evangelic.

 Part.

Part. V. p. 284. observatum est, eam varia interioris doctrinæ capita complecti, & argumenta afferre, ex disciplina Hieratica, originibus gentium, Philosophia Græcorum arcaniore, & Poesi veterum petita. Quod ipsum indicio est, Paulum sapienter ad auditorum conditionem suam orationem comparasse, nec quicquam tamen omisisse eorum, quæ ad causæ caput & institutum suum pertinerent.

κατὰ πάντα ὡς δεισιδαιμονεστέρους ὑμᾶς θεωρῶ) Vocem δεισιδαιμονέστερος hic alii in exprobrationis modestioris & subobscurioris loco habent, tanquam qua Paulus superstitionem vanumque deorum cultum notet; alii ad benevolentiam comparandam & laudem religionis qualemcumque adhibitam a Paulo censent. Horum partibus accedit B. *Olearius* l. c. §. 18. & alii, inter quos & numerari oportet *Jos. Mede* in Operibus p. 635. *Monenium* p. 107. & *Corn. Adami* p.283.ll.cc. Et constat omnino, vocabulum hoc apud Scriptores μέσον esse, & nunc in laude, nunc in vitio poni. Vide hanc in rem veterum loca apud *Medum* l. c. *Radulph. Cudvvorthum* in Systemate Intellectuali p. 409. & 473. *Tob. Eckardum* Disput. citata §. 19. & *Jacob Gronovium* in Decretis Romanis & Asiaticis pro Judæis p. 33. in quibus passim cultus Dei Judaicus δεισιδαιμονία apellatur. Sed id quoque compertum est, ut plurimum etiam a profanis δεισιδαιμονίαν in deteriorem partem sumi, & ad nimium illud, quod in cultu ejusmodi est, referri. Ita *Pollux* lib. I. c. I. §. 21. εὐσεβὴς, θεῶν ἐπιμελὴς. Ὁ δὲ ὑπερτιμῶν δεισιδαίμων καὶ δεισίθεος. Atque hanc sequiorem notionem voci isti Paulum hic subjecisse non dubito, quod & comparativi forma, & addita phrasis κατὰ πάντα suadet. Confer *Stresonem* in h. l. & B. *Calovium* in Bibliis illustratis ad h. l. ex Reformatis vero *Priceum* & *Suicerum* Tom. I. p. 828. Ceterum δεισιδαιμονίας illius documenta varia post alios idem Adami affert, de quibus etiam ad v. 16. dictum est. Adde *Jo. Conr. Dieterici* Antiquitt. Biblic. N. T. Tom. I. p. 38. item *Raphelium* in Annott. Xenophonteis p. 172. & *Tob. Eckardum* l. c. *Xenophon* de Republ. Athen. p. 553. auctor est, Athenienses ἄγειν ἑορτὰς διπλασίους, ἢ τοὺς ἄλλους, *agere dies festos duplo plures quam ceteros. Boisius* in Collatione p. 429. cum *Chrysostomo* hic facit, qui δεισιδαιμονεστέρους per εὐλαβεστέρους i. e. *religiosiores* interpretatur, atque in laudem Atheniensium accepit. Idem in phrasi κατὰ πάντα subintelligit τόπον, *in omni loco.* Malim ego de rebus accipere, cum δεισιδαιμονίαν suam variis modis, v. c. multitudine deorum, festorum dierum copia, varietate cultus, & copioso εἰδωλομανίας apparatu exererent.

Vers. 23. καὶ ἀναθεωρῶν τὰ σεβάσματα) Vulg. vertit *simulacra vestra:* Erasmus *culturas vestras.* Beza & Piscator: *sacra vestra.* Theophylacti Interpres: *numina, quæ colitis.* Hoc postremum placet *Boisio* in Collat. p. 430. *Nam* σέβασμα, inquit, 2 *Thess.* II. 4. *est numen, etiam ex Bezæ & Piscatoris interpretatione. Possis etiam dicere* Deos vestros, *aut* simulacra vestra *cum vetere Interprete. Eodem enim hæc omnia recidunt. Jam* σεβάσματα *haud aliter sunt dii, aut numina, aut simulacra, quam* παιδεύματα, literarum studiosi,

diosi, *aut* *στρατεύματα* milites, *aut* *ἀκροάματα* histriones, citharœdi, tibicines. *Sic modo loquendi non dissimili habes apud Latinos* consilia *pro* consiliariis, & matrimonia *pro* uxoribus. Adde quæ de hac voce ex *Salmasio*, *Pricæo*, *Lud. de Dieu* & *Hammondo* affert *Adami* p. 284. & *Suicerus* Tom. II. p. 942. Malim ego de *simulacris*, *statuis* & *aris* interpretari. Hæc enim & hujusmodi alia, tanquam in editiore loco conspecta sibi, indicat Apostolus verbo *ἀναθεωρῶ*. Imo deinde ad probandam sententiam suam statim provocat ad Aram illam *Ignoto Deo* dedicatam. Hoc sensu dixerat civitatem illam *κατείδωλον*.

Ἀγνώστῳ Θεῷ) Ara hæc plurium eruditorum industriam exercuit, quorum præcipuos, more suo, diligenter affert Cl. *Fabricius* in Bibliographia Antiquaria p. 296. Iis adde, si placet, Dissertt. singulares *Simon. Frid. Jägeri* Witteb. 1691. *Georg. Wonnæ* Tom. II. Thesauri Dispp. p. 464. sq. *Jo. Ern. Segeri* binas, *Regiom.* 1710. & 1712. *Christian. Wilh. Langii* unam, *Hafn.* 1692. Cl. *Franc. Fabricii*, Lugd. Bat. 1713. *August. Calmeti* in limine Commentarii super Acta, & novissime Abbatis *Anselmii* illam, quæ exstat in Historia Academ. Inscriptionum Tom. IV. p. 560. sqq. ubi speciatim ostendit, plures ignotos Deos (de quibus etiam legatur *Jac. Sponii* Diss. de Aris ignotorum & obscurorum Deorum Tom. VII. Antiquit. Gronov. p. 239. comparata *Pet. Zornii* Bibliotheca Antiquar. Exegetica Tom. I. p. 213. sq. in Notis) tanquam a variis gentibus cultos memorari, ex eo tamen non consequi, quod Athenis non fuerit ara, uni Deo ignoto dedicata, hunc vero videri eum fuisse, quem pro summo omnium habuerint Athenienses. Præter hos alii oblata occasione de eodem argumento commentati sunt v. c. *Dilherrus* in Disp. Philolog. Tom. I. p. 60. *Jo. Conr. Dietericus* in Antt. Bibl. N. T. p. 30. sq. *Sanbertus* de Sacrificiis pag. 49. sq. *Olearius* ad Philostratum p. 232. Rev. *Buddeus* in Histor. Eccles. V. T. Tom. II. p. 729. *Lomeierus* de Lustrationibus p. 40. sqq. *Ramiresi. de Prado* in Pentecontarcho p. 106. *Dougtæus* in Analectis p. 86. *Casaubonus* in Exerc. Anti-Baronian. p. 480. *Seldenus* de Synedriis p. 1243. sq. & de Diis Syris p. 64. & 205. *Cavius* in Vitis Apostolorum p. 361. *Cudvvorthus* in Systemate Intellectuali p. 474. item *Cornel. Adami* p. 285. Nec omittendus est *Amelius* Part. I. p. 679. & Part. II. p. 95. sqq.

Præcipuum momentum, quod hic Interpretibus visum est præ ceteris excutiendum, in eo vertitur, quod inscriptio ejusmodi, quæ hic in singulari numero exstat, a Scriptoribus, tanquam in plurium numero concepta afferatur. *Hieronymus* scilicet in Comment. ad *Tit.* I. Inscriptionem illam ita sibi lectam testatur: *Θεοῖς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης, καὶ Λιβύης, θεοῖς ἀγνώστοις καὶ ξένοις* i. e. *Diis Asiæ & Europæ, & Libyæ, Diis ignotis & peregrinis.* Ad eam vero, vel similem aliam, *Hieronymus*, cumque eo *Erasmus* & alii respexisse volunt Paulum, numerumque pluralem pro instituto suo in singularem convertisse. Sed præter veri speciem hæc ita dici, recte existimarunt alii. Afferam huc B. *Olearii* erudite & scite observata, in ea, quam sæpe ex-

citavi, Disputatione §. XIX. *At eam* (inscriptionem) inquit, *esse non posse, quam Apostolus respexit, pluribus argumentis erudite demonstravit magnus* Reinesius, *in Thesauro Inscription.* p. 1. sq. *quæ nunc non repeto. Sane ara plurium Deorum Ignotorum minus erat Apostoli instituto accommodata, nec bonam fidem probasset Areopagitis, numerum multitudinis numero unitatis permutans. Nec scio, an satis commode huc trahantur ea, quæ de sacrificiis, Deo προσήκοντι ab Atheniensibus ad avertendam pestem oblatis,* Epimenidis *suasu, leguntur apud* Laertium *lib. I.* §. 110. *& βωμοὺς ἀνωνύμους inde in urbe passim exstructis. Ista enim altaria nulla plane inscriptione mihi notata fuisse videntur, cum jam ἀνώνυμος non sit ara, quæ Θεῷ ἀγνώστῳ inscribitur. Ut* Brodæo *Miscell.* II. 2. *proinde hanc sententiam, cujus primus mihi fuisse videtur auctor, sectatores inde nactus complures ex doctis Interpretibus, defendendam relinquam. Ceteri auctores omnes, qui altarium meminerunt, Θεῶν ἀγνώστων plurali numero illos Deos efferunt: puto tamen* Pausaniæ & Philostrati *loca viris doctis observata, in quibus βωμῶν Θεῶν ἀγνώστων mentio, ita accipi posse, ut aræ exstitisse multæ intelligantur, quorum singulis, aut saltem quibusdam ex iis inscriptio fuerit Θεῷ Ἀγνώστῳ. Solus* Lucianus *in Philopatride his meminit τοῦ Ἀγνώστου τοῦ ἐν Ἀθήναις numero unitatis. Quem ita de eo, quod Athenis ipse videre poterat, minime locuturum fuisse puto, eo loco, quo Paulum Apostolum cum maxime arrodere gestiebat, ob ea, quæ de ἀγνώστῳ Θεῷ philosophatus fuerat, minime censeo, nisi ita res exacte habuisset. Præterea dubium esse non potest, Paulum coram viris patriæ religionis & cultus exquisite peritis, exacte, quod viderat, retulisse.* Hæc ille. *Luciani* locus prior, ad quem provocat Vir doctus, exstat in novissima *Philopatridis* editione, a Cl. *Jo. Matthia Gesnero* Jen. 1714. 8. curata c. IX. p. 122. posterior c. XXII. p. 203. *Philostrati* autem in Vita Apollonii lib. VI. c. 3. ubi ejusdem notas confer p. 232.

Absit itaque, ut cum *Steph. le Moyne* in Differt. ad *Jerem.* XXIII. 6. statuamus, Inscriptionem illam literis Græcorum majusculis ita formatam fuisse ΑΓΝΩΣΤΟ ΘΕΟ, i. e. Ἀγνώστου Θεοῦ, more scilicet veterum, qui passim Ο pro ΟΥ & Ω in Manuscriptis & numis exhibeant. Res ipsa quidem negari non potest, cujus idonea exempla afferunt *Spanhemius* de Usu & præstantia Numismatum, p. 73. edit. in 4. *Montfauconius* item in Palæographia pag. 131. & Cl. *Mich. Rossal.* in Tentamento Critico pag. 15. Huc tamen ea observatio non pertinet, vel ideo, quod inscriptio ejusmodi Ararum non in gignendi, sed dandi casu, ex testimonio veterum, facta est.

Quæritur hic præterea, ad quem speciatim Deum respexerint, quem Ἀγνώστων appellarunt? Et plerique tum nostratium, tum aliorum, Interpretum *Deum Judæorum*, verum scilicet illum unum & summum rerum omnium conditorem, quem Paulus curate describit, subindicatum hoc nomine fuisse

fuisse recte existimat, tanquam cujus notitia obscurior a Judæis ad Ægyptios, hinc vero ad Græcos & Athenienses pervenerit. Vide huc ex nostratibus B. *Calovium* in Bibliis illustratis ad h. l. *Dilherrum* in Dispp. Academ. Tom. I. p. 60. & 229. *Ursinum* in Quinquag. Fest. c. 19. *Jo. Conr. Dietericum* in Antt. Biblic. N. T. p. 30. sq. ex Pontificiis *Huetium* in Demonstrat. Evangel. Propos. IV. §. 57. ex reformatis *Vossium* in Theolog. Gentili Part. I. lib. I. c. 2. *Sam. Basnagium* Tom. I. Annalium p. 635. *Witsium* in Meletemat. Leidens. p. 85. & *Corn. Adami* l. c. p. 286. Ab his abit B. *Olearius* in Disp. citata §. 19. *Isidem* Ægyptiorum hac inscriptione indicatam esse existimans. *Inter Ægyptia*, inquit, *sacra dum mens obambulat, opportune ecce sese offert in urbe Saitica* εἶδος *celebratissimi Numinis, quod* Isidem *ad sua lingua indolem nomine transformato, appellabant Græci. Ex Saitica vero urbe hoc probabilius me grande illud Atheniensium mysterium repetere puto, quod summa Saitis cum Atheniensibus intercesserit necessitudo, atque conjunctio: Atheniensibus scilicet Saitarum colonis vulgo habitis.* His ex antiquitate commonstratis p. 24. hæc subjungit: *Ut tamen de Symbolica hac* Isidis *apud Saitas imagine Deoque adeo* Ἀγνώστῳ *plenius constet, tenendum est, nihil aliud, quam Spiritum æternum, infinitum, rerum omnium causam efficientem & conservantem, Ægyptiacam Theologiam, quæ tota Symbolica existit, ea repræsentasse.* Addit p. 27. partem inscriptionis, quam εἶδος illud Isidis præ se tulit, tanquam maxime huc pertinentem, & ita conceptam: τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδείς πω θνητὸς ἀπεκάλυψεν, *Peplum meum nemo unquam mortalium revelavit.* Tandemque p. 28. ita totam hanc causam perorat: Ἄγνωστον *igitur illum* Θεὸν *h. e. sapientiam illam creatricem, Parentem omnium,* Φρόνησιν τοῦ Θεοῦ, νοῦν δημιουργὸν, *jam non amplius sub Isidis Palladisque peplo latentem, sed clare manifestatum, sine involucris sese Apostolus prædicare ait, Christum nempe,* δι᾽ ὃν τὰ πάντα ἐγένετο, *qui vere est,* ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, *in quo est* τὸ μυστήριον τὸ ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ τῶν αἰώνων, *post peplum cœlorum, in templo Judæorum quoque velo repræsentatum, hucusque latentem &c.* Ingeniose, fateor, & erudite hæc afferuntur, sed ita tamen comparata sunt, ut nonnullis premantur difficultatibus. Vide J. F. *Buddei* Histor. Eccles. V. T. Tom. II. p. 729.

Casaubonum ad Athenæum Θεὸν ἄγνωστον ad Θεοὺς ξενικοὺς, quos ab Atheniensibus cultos memorat *Hesychius*, parum recte referre, eo quod illorum nomina descripta adeoque non ignota fuisse, idem testetur, commode observat *Boisius* in Collatione p. 430.

Vers. 24. Ὁ Θεὸς ὁ ποιήσας τὸν κόσμον &c.) De hoc elogio lege quæ scripsimus supra ad XIV. 15. & adde hic *Corn. Adami* l. c. p. 288 - 295.

οὐκ ἐν χειροποιήτοις ναοῖς κατοικεῖ) Vide ad VII. 48. & adde eundem *Adami* p. 295.

Vers. 25. προσδεόμενός τινος) Vide *Suicerum* Tom. I. p. 334.

αὐτὸς

αὐτὸς διδοὺς πᾶσι ζωὴν καὶ πνοὴν καὶ τὰ πάντα) Καὶ τὰ πάντα præstantissimi Codd. MSS. tum versiones, & editiones quoque curatiores hic exhibent, pro quibus *Millius* cum *Stephano* legit κατὰ πάντα, notatus ideo a *Ludolpho Kustero* in præfatione ad repetitam editionem Millianam, & a Cl. *Jac. Lenfant* in epistola singulari, quæ exstat in *Jo. Clerici* Biblioth. Selecta Tom. XVIII. p. 211. Lectionem καὶ τὰ πάντα genuinam esse, vel sensus vocum ipse demonstrat, inprimis si compararetur cum alio, quem phrasis κατὰ πάντα fundit. Itaque spuria hæc lectio accepta ferenda est librariorum incuriæ, qui etiam alias τὸ κατὰ cum καὶ τὰ & vicissim, frequenter confundunt. Vide exempla apud *Cotelerium* in Notis ad Tom. II. Monum. Græc. p. 589. Sic Paulus v. 24. mundum καὶ πάντα similiter a Deo condita dixerat.

ζωὴν καὶ πνοὴν) Per ζωὴν vitam *hominibus & brutis* competentem, per πνοὴν vero *respirationem plantarum* hic indicari existimat Cl. *Henr. Scharbau* in Miscellaneis Lipsiensibus Tom. V. 169. sqq. Sed assensum Vir doctus non facile extorserit. Neque enim video vel allatum esse, vel afferri posse locum Græci Scriptoris ullum, in quo plantis & inanimatis aliis πνοὴ & respiratio tribuatur. Recentiores philosophi, ut *Malpighius* p. 32. de Anatomia Plantarum, & Anonymus in Dissertat. de respiratione Plantarum, quæ in Memoriis Trevultinis an. 1712. Majo p. 895. & in Ephemerid. Paris. an. 1713. Januar. p. 77. sq. tum vero in Memoriis Literariis Anglice editis an. 1712. p. 193. sq. (adde & p. 1397.) exstat, plantis respirationem tribuere instituerunt, non diffitentes interim, sine sensu omni & motu mere mechanico fieri, atque adeo improprie ita appellari. Parum præterea verisimile est, Paulum de plantis hic cogitasse. Quamvis enim alias arborum mentio inter ceteras Dei creaturas fieri soleat, ut Ps. CXLVIII. 9. Paulus certe eas, ut & reliqua v. 24. complexus erat, dicendo: ὁ Θεὸς ὁ ποιήσας τὸν κόσμον καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτῷ. Hinc vero ad homines speciatim convertitur, tanquam ad quorum commoda ista spectent omnia, quibusque, ut illis frui possint, vitam & halitum largitus sit. Unde simul patet, voculam πᾶσι non universaliter, sed restricte ad *homines*, quorum ope Deum non indigere eodem commate dixerat, accipiendam esse. Itaque & sic plantarum mentio pro instituto Apostoli hic fieri non poterat. Sed Stoicorum, qui inter audientes erant, causa Paulum hæc dixisse obvertit Vir doctus. Horum enim principem, nempe Zenonem Citticum *Theodoretus* lib. V. Affect. Græc. p. 13. statuisse auctor est, semen plantarum μετέχειν πνεύματος καὶ τῆς ψυχῆς εἶναι μέρος καὶ ἀπόσπασμα. Confer *Diog. Laërt.* lib. VII. §. 86. ubi de Zenone & lib. VIII. 28. ubi de Pythagora, cum notis *Menagii*, qui Anaxagoram, Platonem & Democritum, plantas inter animalia ipsa numerasse ex veteribus ostendit.

Sed primo responderi hic potest, non constare adhuc, an Stoici omnes,

omnes, inter se quippe mirum quantum dissentientes, & a Zenone in multis abeuntes, ita senserint. Certe *Clemens Alexandrinus* lib. VIII. Stromatum eos in hoc capite Platoni opponit, testatus: Πλάτων γὰρ καὶ τὰ φυτὰ ζῶα καλεῖ, & paulo post subjungens: κατὰ δὲ τοὺς Στωϊκοὺς οὔτε ἔμψυχον οὔτε ζῶν ἐστὶ τὸ φυτόν. Quod si vero id liberaliores largiamur, certe non apparet, cur Apostolus in eorum gratiam plantarum hic fecerit mentionem, quæ ad institutum ejus omnino non pertinebat, &, quæ efficere præterea poterat, ut ceteri, ab hac opinione alioquin alieni, in omnia alia dilaberentur. Itàque præstat, meo judicio, πνοὴν καὶ ζωὴν ad idem subjectum, nempe homines, de quibus sermo erat Paulo, referre, ita, ut ζωὴ animam, ut vitæ πρῶτον δεκτικὸν, πνοὴ vero respirationem, ut vitæ continuandæ *medium*, signumque externum indicet. Nisi cum Grotio malis ζωὴν καὶ πνοὴν per hendiadyn existimare positam pro *vita* simpliciter, seu πνοῇ ζωῆς, quæ phrasis exstat apud τοὺς LXX. *Gen.* II. 11.

Vers. 26. Ἐποίησέ τε ἐξ ἑνὸς αἵματος) αἷμα hic semen denotat, ut apud Hebræos & τοὺς LXX. passim. Ita vero etiam exteri loquuntur, v. c. *Homerus* Iliad. T. v. 105.

Τῶν ἀνδρῶν γενεῆς ἥ θ' αἵματος ἐξ ἐμεῦ εἰσί.

Ubi scholia parva vocem αἵματος per σπέρματος interpretantur. Sic *Pindarus* Nemeis r. v. 114. & alii a Cl. *Elsnero* p. 447. & 506. citati. Vide supra ad Joh. I. 13. Ita M. *Antoninus* II. 1. αἵματος ἢ σπέρματος eodem sensu conjungit, ubi vide notas *Gatakeri*. De hac notione non cogitantes librarii omiserunt in nonnullis Codd. vocem αἵματος, quæ nec ab *Æthiope* expressa est.

Argumento hoc Paulus nonnullis usus videtur eo consilio, ut Atheniensium vanam gloriationem deprimeret, qui scilicet aliis se ut αὐτόχθονας, i. e. tanquam ex sua terra prognatos ostentare consueverint. Vide, quæ in hanc rem post *Monenium* affert *Adami* p. 305. item *Meursius* de Fortuna Athenarum cap. I. & *Cæl. Rhodiginus* Antiqu. Lectionum XIII. 7. & XVIII. 25. nec non *Amelius* Part. II. p. 683.

Alii vero Philosophis Epicureis æque ac Stoicis, quorum alia erat de origine hominum sententia, opposita hæc fuisse existimant. Vide præter *Adamium* l. c. *Amelium* p. 684. Interim ex Gentilibus cordatiores nonnulli ex uno sanguine procreatos esse homines ajebant, ut *Julianus* in Fragmento p. 291. refert tanquam τῶν θεῶν φήμην, ἣ παραδέδοται διὰ τῶν ἀρχαίων θεουργῶν, ut Deorum oraculum traditum ab antiquis sacerdotibus & mystis, ὡς ὅτε ὁ Ζεὺς ἐκόσμει τὰ πάντα, σταγόνων αἵματος ἱεροῦ πεσουσῶν, ἐξ ὧν που τὸ τῶν ἀνθρώπων βλαστήσειε γένος. Hinc addit idem: Καὶ οὕτως ἂν συγγενεῖς γενόμεθα πάντες, εἰ μὲν ἐξ ἑνὸς καὶ μιᾶς ἐκ δυοῖν ἀνθρώπων, ὄντες οἱ πολλοὶ καὶ πολλαὶ, καθάπερ οἱ θεοὶ φασιν, καὶ χρὴ πιστεύειν ἐπιμαρτυρούντων τῶν ἔργων, ἐκ τῶν θεῶν πάντες γεγονότες. Conf. *Elsnerum* p. 447. & 506. & *Huetium* in Alnetan. Quæstioni-

ſtionibus II. 17. itemque *Pfannerum* in Syſtemate Theologiæ Gentilis cap. V. §. 6.

πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων κατοικεῖν ἐπὶ πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς) Hæc Epicureorum inprimis doctrinæ de mundis innumeris, iisque a ſuis incolis habitatis, oppoſita videntur nonnullis, de quibus lege *Amelium* l. c. p. 694. ſqq.

ὁρίσας προτεταγμένους καιροὺς) Ita *Polybius* p. 992. *νῦν δὲ καὶ τὴν ἡμέραν καὶ τὸν καιρὸν ὥρικεν*, *nunc vero & diem & horam deſignavit*; item p. 767. & 770. Sic *Arrianus* I. 12. *ἀγανακτήσεις δὲ καὶ δυσαρεστήσεις τοῖς ὑπὸ τοῦ Διὸς διατεταγμένοις, ἃ ἐκεῖνος μετὰ τῶν μοιρῶν παρουσῶν καὶ ἐπικλωθουσῶν σου τὴν γένεσιν, ὥρισε καὶ διέταξεν.* Confer *Raphelii* Notas Polybian. p. 358. qui per *καιροὺς* recte hic intelligit *vitæ tempus* cuique conſtitutum a Deo. Adde *Suicerum* T. I. p. 691. Ex his locis præterea manifeſtum eſt, vocem *προτεταγμένους* genuinam eſſe, nec cum *προστεταγμένους*, quam nonnulli Codd. hic afferunt, permutandam.

καὶ τὰς ὁροθεσίας τῆς κατοικίας αὐτῶν) *Lud. de Dieu* hæc de limitibus vitæ cuique hominum poſitis accipi vult, quos præcedente phraſi *προτεταγμ. καιροὺς* indicatos putare rectius arbitror. Ὁροθεσίαι potius de limitibus regionum ab hominibus in univerſum habitandis accipiendæ ſunt, quam in rem vide *Adamium* p. 308. & Monenium. Ea enim vocis *ὁροθεσία* notio eſt. Confer ſimilem *Arriani* locum Epictet. lib. I. c. 9. p. 42.

Verſ. 27. *Ζητεῖν τὸν Κύριον*) De uno & ſummo Deo a Gentilibus ſapientioribus multa dici ad h. l. monuit *Dougtæus* in Analectis N. T. p. 88. De hoc diximus alias. Vide interim *Cudvvorthi* Syſtema Intellectuale hujus Univerſi, quo nemo diligentius in hoc argumento fuit occupatus.

εἰ ἄρα γε ψηλαφήσειαν αὐτὸν καὶ εὕροιεν) i. e. *εἰ ἄρα γε ψηλαφῶντες αὐτὸν εὕροιεν*, *ſi forte palpando eum invenirent.* Ita optime *Bezam* hæc vertiſſe ſtatuit *Boiſius* in Collatione p. 431. & *Elsnerus* p. 449. Sic *Ariſtophanes* in Concionatric. v. 314.

- - - ὅτε δ' ἤδ' ἐκεῖνο ψηλαφῶν
Οὐκ ἐδυνάμην εὑρεῖν - - -

Poſtquam autem palpando illud (pallium) *non poſſem invenire.* Similiter *Plutarchus* de Socratis Genio p. 589. *τὰς μὲν ἀλλήλων νοήσεις οἷον ὑπὸ σκότῳ διὰ φωνῆς ψηλαφῶντες γνωρίζομεν* *animorum noſtrorum ſenſus per voces, tanquam in tenebris palpantes, invenimus.* Verbum *ψηλαφᾶν* de eo inveſtigationis genere dici, quo Muſici in fidibus oberrando per ſonorum intervalla concentum quærunt, monuit *Vockerodtius* in Commentat. de eruditione, quæ Conſultationibus ejus addita eſt p. 28. *Euſtathio* auctore in Iliad. ζ. & λ. *ψηλαφᾶν* eſt, quaſi *ψαλτήριον ἀφᾶν*. Conf. *Stephani* Theſaurum T. I. p. 505. De re ipſa, hic ſignificata, lege *Petavium* in Dogmatibus Theologic. Tom. I. p. 284.

καίτοιγε οὐ μακρὰν ἀπὸ ἑνὸς ἑκάστου ἡμῶν ὑπάρχοντα) Ita *Oppianus* Halieutic. β. v. 8. Deos vocat *τηλόθεν ἐγγὺς ἐόντας* i. e. *e longinquo præſentes.* Vide

ibi

ibi omnino *Conr. Rittershusii* notas, ubi similia Gentilium effata leges, cujusmodi affert quoque *Gatackerus* ad *Antonin.* IV. 40. Nec omitte *Corn. Adami* p. 317. sq. qui non solum similia Gentilium dicta affert, sed eos quoque confutat, qui Paulum hoc tantum voluisse censent, quod Deus ab unoquoque facile cognosci possit.

Vers. 28. Ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν &c.) Sic Jupiter quasi ἀπὸ τοῦ ζῆν, ζεὺς dici visus est Gentilibus: παρ' ὅσον τοῦ ζῆν αἴτιός ἐστι. Vide *Menagium* ad Diogenem Laertium VII. 147. & *Gatakerum* ad Antonin. IV. §. 23. & V. §. 27. tum *Elsnerum* ad h. l. p. 451. Verba hæc in alienum sensum detorsit post alios *Hobbesius* & *Spinosa*, a quorum calumniis oraculum hoc vindicavit Cl. *Jac. Staalkopfius* sub B. *Mayeri* præsidio Dissertat. singulari, *Gryphisvv.* 1707. edita, & in Biblioth. Bremens. Class. III. p. 470. sqq. recusa. Eadem opera postea perfunctus est Rev. *Deylingius* in O. S. Part. II. p. 365. sqq. Simile quid tentarunt homines nonnulli Fanatici, contra quos lege Rev. *Buddei* Institut. Theolog. Dogmaticæ p. 461. sqq. Quomodo veteres Ecclesiæ Patres hoc loco ad probandam Providentiam Dei universalem usi sint, ostendit *Petavius* in Dogmat. Theolog. Tom. I. p. 318. Adde in eandem sententiam Dissertationes singulares *Martin. Chladenii* Witteb. & *Gottlob. Frid. Jenichen* de Deo in sensuum externorum œconomiis palpabili, *Lips.* 1703.

καὶ κινούμεθα) Ulyssis & Socratis ad Deum hæc vox refertur ab Epicteto: ὅτι οὐδέ σε λήθω κινούμενος, neque, cum me moveo, te lateo. Vid. lib. I. c. 12.

ὡς καί τινες τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασι) Ad Poetas Gentilium hic potissimum provocavit Apostolus, quod magnam eorum apud Ethnicos auctoritatem esse sciret, id quod evincit *Adami* p. 317.

τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν) *Arati* hic versus est in limine Phænomenon ejus, ad quem proinde D. Paulum respexisse præter veteres Patres recentiorum plerique existimarunt. Vide inprimis *Grotium* de Veritate Relig. Christ. lib. I. Tom. III. Opp. p. 15. *Dilherrum* in Dispp. Philolog. Tom. I. p. 274. qui & antecedentem sententiam: ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν &c. ex ejusdem antecedentibus verbis desumtam statuit, *Rudolph. Cudvvorthum* in Systemate Intellectuali hujus universi p. 475. & novissime Cl. *Frider. Strunzium* in Diss. Philolog. III. de hoc dicto *VVitteb.* 1719. habitis, ubi & in genuinum ejus sensum inquirit. Interim audiendum hic putem Cl. *Fabricium* nostrum in Biblioth. Græc. lib. III. p. 397. ita scribentem: *Neque forte erraverit, qui dixerit, S. Paulum Apostolum, cum versiculum hunc commendavit Atheniensibus, non respexisse ad solum popularem suum Aratum, Cilicem, sed etiam ad Cleanthem, qui Athenis vixerat, & in cujus hymno jam laudato versu statim quarto diserte legitur:* ἐκ σοῦ γὰρ γένος ἐσμέν, *Exthalius a Viro Claris. Laur.*

Zacagnio non ita pridem editus p. 428. *notat dictum a Paulo allegatum esse* Ἀράτου Ἀστρωνόμου καὶ Ὁμήρου ποιητοῦ. *Sane Homero quoque audit Jupiter* πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Certe non de nihilo est, quod Paulus non unius Poetæ, sed plurium facit mentionem, cum alias v. c. *Tit.* I. 12. ubi unius, & quidem *Epimenidis* versum affert, unum tantum commemoret. Amplexi sunt hanc sententiam *Elsnerus* p. 451. & *Amelius* Part. II. p. 738. qui & de sensu dicti hujus commentatur. Similia veterum Gentilium dicta afferunt *Gatakerus* ad M. *Antoninum* lib. V. §. 21. ubi τὸ τῷ Θεῷ ὁμογενὲς de homine prædicatur, & ad XII. 1. nec non *Elsnerus* l. c. item *Seldenus* de Diis Syris p. 200. Addam illis unum *Apollonii* ep. 45. κἄρτοι οὐ λέληθεν ἡμᾶς, ὡς καλῶς ἔχον ἐστὶ πᾶσάν τε γῆν πατρίδα νομίζειν, καὶ πάντας ἀνθρώπους ἀδελφοὺς καὶ φίλους, ὡς ἂν γένος μὲν ὄντας Θεοῦ μιᾶς τε φύσεως. Compara varia *Arriani* loca ex Epicteteis ejus allata a *Raphelio* p. 359. Notarum Polybian. & aliorum a Cl. *Majo* in Obss. Sacris lib. I. p. 77. sq. Vide denique *Gerb. Joh. Vossium* Tom. V. Opp. p. 5. sq. & *Georg. Phil. Olearii* Disput. de Scripturis profanis a Paulo allegatis, Lips. 1701. 4. nec non *Jo. Adami Königii* de iisdem, *VVitteb.* 1678. 4.

Vers. 29. Γένος οὖν ὑπάρχοντες τοῦ Θεοῦ &c.) Totum hoc comma illustrat *Adami* p. 322. sqq.

Vers. 30. Τοὺς μὲν οὖν χρόνους τῆς ἀγνοίας ὑπεριδὼν ὁ Θεὸς) Verbum ὑπεριδεῖν a multis per *dissimulationem* convertitur, quasi Deus ad peccata Gentilium connivendum ad tempus esse statuerit. Alii vero rectius per *despicere* & *contemnere cum indignatione* interpretantur. Hanc notionem voci tribuunt οἱ LXX. v. c. *Deut.* XXII. 1. 3. 4. & *Jobi* XXXI. 19. tum vero profani Scriptores, ut *Plutarchus* in Bruto, & *Marcus Antoninus* V. 31. πόσων ἡδονῶν καὶ πόνων ὑπεριδεῖς. Hinc *Hesychius* ὑπεριδεῖν per καταφρονεῖν explicat. Sensus itaque fuerit, Deum indignatione & odio temporum pristinorum, peccatis transactorum, correptum, novam nunc rebus faciem dare constituisse. Ita accipiunt hæc verba *Knatchbullus* ad h. l. *Gatakerus* in Adversar. Sacris p. 331. *le Cene* in Conatu novæ versionis p. 658. *Lud de Dieu* & *Monenius*, ex nostratibus vero B. *Calovius* in Bibliis illustratis ad h. l. B. *Seb. Schmidius* in Colleg. Biblico Posteriori p. 269. duo hic ait comprehendi momenta, nempe tum longanimitatem Dei, qua prohiberi se passus sit a delendis, ut meriti erant, peccatoribus, tum benignitatem, per quam eos nunc vocet ad pœnitentiam. Aliena ab hoc loco conjectura est *Hombergii*, in Parergis Sacris p. 184. suspicantis, legendum hic esse ὑπερείδων, ut idem sit, quod *suffulciens*, aut *subveniens*. Sane non video, quomodo Deus dici possit temporibus ignorantiæ subvenisse, quæ & sublata volebat, & vere tunc tollebat.

τανῦν παραγγέλλει τοῖς ἀνθρώποις πᾶσι πανταχοῦ μετανοεῖν) Recte existimat B. *Fechtius* in Philocalia Sacra p. 22. vix ullum in sacris locum esse, qui universalitatem vocationis ad salutem majori cum ἐμφάσει exprimat, quam quidem istum. Evincit id tum ipse, tum *Jo. Cyprianus* in Dissertat. de vocatione

catione hominum univerſali ad h. l. Lipſ. 1678. tum *Seb. Schmidius* in Collegio Biblico Poſteriori p. 267. ſqq. *Jo. Kahlerus* in Diſp. de Gratia converſionis omnibus hominibus oblata, *Rinthelii* 1712. & *Sandenius* Regiom. 1714.

Verſ. 31. *Διότι ἔςησεν ἡμέραν, ἐν ᾗ μέλλει κρίνειν*) Vide huc eundem *Schmidium* l. c. p. 385. ſqq.

ἐν ἀνδρὶ, ᾧ ὥρισε) Hæc *Henr. Nicolai*, homo fanaticus, vane & temere ad ſe pertraxit, caſtigatus ideo ab *Henr. Moro* in Opp. Theol. p. 235.

πίςιν παρασχὼν πᾶσιν) Verba hæc noſtrates Theologi tantum non omnes vel cum B. *Glaſſio* in Rhetorica Sacra p. 25. *de verbo ſalvifico, quo Deus fidem operatur in omnibus non reluctantibus*, vel cum aliis de facultate credendi omnibus data interpretantur. Pauci quidam, ad uſum phraſeos hujus profanis Scriptoribus familiarem reſpicientes, id per ſe hinc confici non poſſe exiſtimant. Inter hos præcipuus eſt Rev. *Raphelius* primum in Semicenturia Annotatt. Philolog. p. 30. tum vero in Annotatt. Polybianis p. 360. ſqq. ubi producta nube locorum *Polybii* & aliorum Scriptorum oſtendit, *παρέχειν πίςιν* Græcis idem eſſe, quod *confirmare, probare, fidem facere*. Sufficiat nobis locus *Polybii* unus ex lib. IV. c. 33. p. 419. *ὃ μὴν ἀλλὰ καὶ χωρὶς τῶν πάλαι τὰ τελευταῖα γεγονότα μετὰ τὸν Μεγάλης πόλεως καὶ Μεσσήνης συνοικισμὸν, ἱκανὴν ἂν παράσχῃ πίςιν τοῖς ὑφ' ἡμῶν εἰρημένοις*, *Sed, ut taceamus hæc antiqua, noviſſima, quæ contigerunt poſt Megapoleos & Meſſenæ inſtaurationem, ſatis, quod dicebamus, confirmat.* Hoc præſtructo ſenſus loci foret: *Quod Deus judicaturus ſit orbem terrarum per Filium ſuum, ejus rei argumentum fide dignum præbuit, &, quantum in ſe fuit, fidem fecit omnibus hominibus, eo quod ipſum excitavit ex mortuis.* In hanc ſententiam plura idem ex ſerie ſermonis Apoſtoli affert, tandemque *ὁμοψήφους* ſibi excitat *Brentium* in h.l.ſ.168. *Arcularium* item, & ex Pontificiis *Cornel. a Lapide* ac Interpretes Gallos N. T. Montenſis. Adde illis *Boiſium* in Collat. p. 432. vertentem: *prout fidem fecit omnibus ſuſcitando eum a mortuis. Vulgatus* reddit: *fidem præbens omnibus*, quod in eundem ſenſum accipi poſſe, idem obſervat pag. 361. Sic enim *Corn. Nepos* Attici c. IV. n. 4. *Ciceroni in omnibus ejus periculis ſingularem fidem præbuit*. Eandem interpretationem amplexus nuper eſt Cl. *Starkius* in Notis Selectis p. 121. Nec videtur omnino contemnenda. Scriptorum enim uſui perpetuo reſpondet, & inſtituto Apoſtoli eſt accommodatiſſima. Illa vero Scriptorum exempla huc tanto magis advocanda ſunt, quod alias in Sacris hæc phraſis non exſtet, ex qua recepta communiter interpretatio confirmari queat. Nec officit præterea communi veræque noſtratium doctrinæ de conſilio divino facultatem credendi omnibus impertiendi. Nam ut illa ex aliis Scripturæ oraculis abunde conſtat; ita vel ex hoc ipſo loco, ita, ut diximus, explicato per pronam conſecutionem ſtabilitur. Quod ſi enim Deus tam ſolicite & diligenter *fidem fecit* hominibus de extremo

 judicio

judicio a filio suo aliquando exercendo, eum in finem, ut ad pœnitentiam factorum conversi Christum agnoscerent, & gratiam ab eo partam amplecterentur, fieri non potest, quin idem omnibus hæc prono assensu & plena fiducia excipiendi facultatem tribuat. Si πίστιν de verbo salvifico, tanquam medio excitandi fidem salvificam, interpretemur cum *Glassio*, eadem interpretatio adhuc magis se tuebitur. Verbum enim salutis omnibus prædicatum & exhibitum inprimis urget resurrectionem Christi, ad confirmandam tum doctrinæ ab eo promulgatæ veritatem, tum satisfactionis, a Sospitatore unico præstitæ, plenitudinem & abundantiam. Conf. Rev. *Val. Ern. Læscheri* Decimas Evangel. Part. III. p. 146. sqq. & *Bernh. Sandenii* Disp. de Deo fidem exhibente omnibus, *Regiom.* 1716. 4.

Vers. 32. *Ἀκούσαντες δὲ ἀνάστασιν νεκρῶν*) Resurrectionem mortuorum universalem hic indicatam esse, ostendimus supra ad v. 18. Scilicet doctrina hæc præ ceteris offendiculo præter rationem fuit Gentilibus, ut patet ex exemplis, in Actibus his commemoratis, & ex *Minutio Felice*. Is enim p. 10. *Aniles*, inquit, *fabulas adstruunt* (Christiani) *& annectunt: renasci se ferunt post mortem & cineres & favillas, & nescio, qua fiducia mendaciis invicem credunt; putes, eos etiam revixisse.* Confer. ibi *Heraldum* p. 22. & *Ouzelium* p. 59. Adde vero inprimis *Humfr. Hody* elegantissimum Tractatum de resurrectione corporis ejusdem, Anglice editum.

οἱ μὲν ἐχλεύαζον) χλευάζειν Græcis contemtum & derisionem verbis, gestibus, calumniis etiam & conviciis notare, ostendit *Monenius* ad h. l. p. 310. Conf. supra II. 13. Χλευασμὸν hunc ab Epicureis inprimis profectum esse credibile est, cum Stoici eam etiam vi principiorum suorum æquius ferre possent.

Vers. 34. *ἐν οἷς καὶ Διονύσιος ὁ Ἀρεοπαγίτης*) De hoc Scriptores Ecclesiastici abunde dixerunt, quorum scrinia adeat, qui volet. Iidem manifestum fecerunt, falso ipsi inscribi, quæ hodie sub ejus nomine circumferuntur. Idem breviter agit ad h. l. *Alex. Morus* in Notis p. 98. Permulti *Areopagitam* dici arbitrantur eo, quod ex Judicibus Areopagiticis esset. Vide huc *Seldenum* de Synedriis lib. II. c. IV. p. 641.

καὶ γυνὴ ὀνόματι Δάμαρις) Δάμαλις legi mavult *Grotius*, i. e. *juvenca*, quod Atticum mulieris nomen exstat in Antholog. lib. III. c. 12. & VII. pag. 603. nec minus in Inscriptionibus Gruteri p. 935. 947. & 952. Sed conveniunt Codices omnes in hac scriptione. Est præterea, quod recte observavit B. *Olearius* in Diss. ad Gesta Pauli Atheniensia p. 32. apud Græcos pariter & alias gentes literarum ejusdem organi, quales sunt liquidæ λ & ρ, permutatio. Vide Scholiast. Apollonii in Argonautic. lib. I. v. 308. ubi *ἀχράδες* & *ἀχλάδες*, *Theocriti* Idyll. I. v. 134. ubi *ὑδρηλοὶ* & *ὑδρηροὶ*, *ἔμπολος* & *ἔμπορος*, imo *δάμαλις* pro *δάμαρις* dici observatur. Hac literarum permutatione *lilium* ex λείριον, macellum ex *μάγειρος* factum esse quis neget?

Dama-

Damalin hanc Dionysii conjugem fuisse, sibi persuasit *Chrysostomus* lib. IV. c. 7. de Sacerdotio, & *Asterius* in Orat. VIII. ideo procul dubio, quod hic proxime jungitur Dionysio. Sed si hoc indicatum voluisset Lucas, addito pronomine αὐτȣ̃ id, credo, indicaturus æque fuisset, ac fecit *Act.* V. 1. & XXIII. 24. Unam vero feminam hic commemoravit Scriptor Sacer, quia vel non plures, vel certe non multas præter hanc adfuisse in ea Philosophorum aliorumque frequentia, locoque præterea alieniori, credibile videtur.

CAP. XVIII.

VErs. 1. ἦλθεν εἰς Κόρινθον) De hac urbe dicemus aliquando, si Deus adnuerit, ad I. ep. ad Corinth.

Vers. 2. εὑρὼν τινα Ἰȣδαῖον ὀνόματι Ἀκύλαν) Ἀκύλας procul dubio ex Latino *Aquila*, addita terminatione Græca, ortum est. In Hebraica enim lingua nomini illi nulla notio subjici potest. Hebraicum נשר i. e. *Aquila* illi nomini occasionem dedisse crederem cum *Grotio*, si ullo exemplo constaret, Judæos unquam τῷ נשר pro nomine proprio fuisse usos. Itaque malim dicere, Judæum illum, & forte civitate Romana donatum, Aquilæ nomen, ut Latinum assumsisse, eadem ratione, qua Apostolus *Pauli* illud sibi adscivit. Hebræi idem per עקילס & ex dialecto Hierosolymitana, vel aliunde, per אונקלוס efferunt: qua de re dixi in Biblioth. Hebræa Part. I. p. 958. Cave tamen *Aquilam* hunc cum nonnullis eundem putes cum Aquila versionis Græcæ, cujus fragmenta tantum exstant, auctore. Hic enim, quandoquidem sub Adriano vixit, vel temporum ratione satis a nostro distinguitur. Non inepte tamen suspiceris, genus illius, quippe itidem Pontici, a nostro hoc repeti posse. De nomine hoc lege *Drusii* Comm. priorem ad Voces Hebr. N. T. p. 13. 14. *Aquilam* nostrum cum *Priscilla* uxore ejus Menologia memorant ad 13. Febr.

προσφάτως ἐληλυθότα) *qui nuper advenerat. Suidas*: προσφάτως ἀντὶ τȣ̃ νεωςὶ & *Hesychius*: νεοεργές, νεωςὶ εἰργασμένον, προσφάτως. Adverbio hoc eodem sensu utitur *Dioscorides* lib. III. c. 7. Hæc & alia lege apud Cl. *Jo. Alberti* in Obss. S. p. 256. S. *Paulus* in ep. ad Hebr. X. 20. ὁδὸν πρόσφατον commemorat.

καὶ Πρίσκιλλαν) Ejusdem cum marito suo mentio quoque fit *Rom.* XVI. & 1 *Cor.* XVI. Nomen ejus non minus Latinum est, quam Aquilæ, quamvis *Grotio* hic iterum ex Hebræo קרמה ita expressum videatur; quod admitti forte poterat, siquidem nominis קרמה tanquam proprii ullum in antiquitate Hebraica exemplum exstaret. Vicissim antiquitatis Romanæ tabulæ, numi, lapides &c. Priscos, Priscas, atque hinc Priscianos, Priscillianos, per diminutivam autem formam, quæ in feminarum

rum inprimis nominibus frequens est, Priscillas frequenter exhibent. Martyres Christianas hujus nominis varias commemorat *Aringhus* in Roma Subterranea T. II. lib. IV. c. 28. p. 94. sqq. ubi speciatim de *Priscillæ* hujus cœmiterio disserit. Conf. *Baronii* Martyrologium Romanum ad d. 12. *Januar.* Eruditam eam fuisse, Cl. *Gustav. Georg. Zeltnerus* in singulari Dissert. de *Priscilla hac, tanquam feminarum in Gente Judaica eruditarum specimine*, Altorf. 1719. ed. ex eo suspicatur, quod Paulus eam *Rom.* XVI. 3. cum Aquila συνεργὸν suam appellet, quodque in hoc capite v. 26. Apollini τὴν ὁδὸν τοῦ Θεοῦ ἀκριβέστερον exposuisse dicatur. Quicquid hujus erit, id certe falsum est, quod in *Dorothei Tyrii* Synopsi de vita & morte Prophetarum &c. traditur, quod Colophone Episcopi auctoritate aucta fuerit. Quæ alia de ea hic dici poterant, ea l. c. a *Zeltnero* occupata, si placet, videbis.

διὰ τὸ τεταχέναι Κλαύδιον χωρίζεσθαι πάντας τοὺς Ἰουδαίους ἐκ τῆς Ῥώμης) Plerique Interpretes, cum hoc conferunt, *Suetonium* in Claudii Vita c. 25. ita tradentem: *Judæos, impulsore Chresto, assidue tumultuantes Roma expulit.* Ita *Pet. Pithœus* in adversariis subseciv. lib. II. c. 3. Tom. II. Thesauri Critici Gruteriani p. 777. *Quod in Actis Apostolorum*, inquit, *scriptum est, Claudium Imp. jussisse, ut omnes Judæi Roma excederent, Sueton. Tranquillus in ejus Vita factum refert. Non est mihi dubium, Christianos quoque, si qui tum Romæ erant, ut fuisse credibile est, simul cum Judæis urbe pulsos. Nam hos omnes Romani veteres eodem ordine diu habuerant, ut ex Tertulliani & aliorum Apologeticis constat.* Hic itaque, atque illi ὁμόψηφοι alii, Svetonium ita interpretantur, quod *Christum*, quem *Chrestum* appellet, tumultus illius atque adeo exilii auctorem venditarit, eo scilicet sensu, quod doctrina Christiana occasionem disputationibus & dissensionibus animorum fecerit. At alii Svetonium de Christo, Domino nostro, hic cogitasse negant, inter quos est *Dominicus Mellinus* in libro rarissimo, quem contra malevolos Christiani nominis hostes scripsit. Is enim p. 78. ita: *Nam in vita Claudii, ubi legitur, ab ipso Claudio Judæos Roma fuisse pulsos, propterea quod impulsore Chresto assidue tumultuarentur, nullo modo legendum esse arbitror, quemadmodum putavit S. Orosius, qui pro* Chresto Christo *legi debere falso existimavit. Fuit enim ille deceptus mea quidem sententia, ea de causa, quia vel inscitia, vel incuria librariorum immutata est una litera, e scilicet in* i. Idem vero paulo ante monuerat, quod Svetonius in vita tantum Neronis, idque semel Christianorum meminerit. Idem & mihi persvasum esse non diffiteor. Non nego, Svetonium *Christi* nomen cum *Chresti* illo permutare facile potuisse, non tam, ut opinor, ex obvia τοῦ η in χρηστὸς & ι in χριστὸς permutatione, quam ex familiari inter Romanos *Chresti* appellatione. Sed hanc confusionem nominum hic factam, & ad Christum respectum a Svetonio fuisse, ideo mihi non persuadeo, quia Svetonius *tumultum* Judæorum assidue continuatum expulsionis causam memorat. Jam vero hujus tumultus causam præbere non poterant disputationes inter

Judæos

Judæos & Christianos, si qui tales Romæ exstitissent, obortæ. His enim alio modo occurrere consuevisse Imperatores Romanos, quam ut omnes urbe pellerentur, historia Sacra & Ecclesiastica, imo ea, quæ de Paulo & aliis Apostolis Acta sunt, commonstrant. Præterea Claudii tempore Christianam doctrinam Romæ ita jam invaluisse, ut tantis contentionibus & turbis publicis Judæorum vitio occasionem dederit, ideo credi non potest, quod, cum Paulus aliquot & decem circiter annis post Romam veniret, Judæi, ignorantiam doctrinæ Christianæ professi, id tantum sibi constare dicebant, *sectæ huic ubique contradici*. Vide *Act.* XXVIII. 22. Itaque sic potius statuerim, expulsionem Judæorum sub Claudio, teste Suetonio, factam, rebellioni cuidam, qualiscumque demum fuerit, acceptam ferendam esse, cujus auctor exstiterit *Chrestus* quidam, vel Judæus, vel gentilis, Judæorum credulitate & ingenio, ad res novas moliendas proclivi, in rem suam abusus. Ceterum de nominum *Chresti* & *Christi* permutatione lege elegantissimam Observationem Cl. *Mich. Rossal* de Christo per errorem in Chrestum commutato, *Groning*. 1717. 8. *Henr. Valesius* ad Eusebii H. E. p. 37. Judæos putat ob famem cum aliis peregrinis exire jussos esse, quibus Claudius alioquin faverit.

Vers. 3. *καὶ εἰργάζετο*) Verbum ἐργάζεσθαι de opificio & ejusmodi labore, quo victus quæritur, ab Auctoribus adhibetur. Vide *Grævii* notas ad Hesiodi Ἐργ. p. 9. Conf. *Er. Schmidii* notas ad h. l. Nec mirum videri debet, S. Paulum manuariæ operæ indulsisse. Id enim eruditis inter Judæos usu maximopere tritum erat, nec inter alias gentes ea ætate insuetum. Vide inprimis *Buxtorfium* in Lexico Talmudico voce אומנות *Hottingerum* ad Chagiga p. 122. *Lightfootum* ad Marc. V. 3. *Triglandium* in Diatriba de Karæis p. 165. *Dilherrum* in Dissert. Academ. Tom. II. p. 360. *Zeltnerum* in Disp. de Priscilla §. 21. & *Rittershusium* Lection. Sacris p. 298. De aliis & quidem nobilibus & Principibus *Picinellum* in L. R. p. 680. *Vossium* de Artibus Popularibus p. 4. alios. De Hebræis sufficiat nobis præceptum Rabbinorum, quod exstat in *Berachoth* Babyl. f. 63. 2. l. 30. לעולם ילמד אדם את בנו אומנות נקיה וקלה: i. e. *omnino unusquisque filium suum opificium honestum & facile doceri faciat*. Hinc & *Maimonides* in Tract. *Talmud. Tora* c. I. §. 9. testatur שרוב החכמים היה להם אומנות כדי שלא יתהנו לאחרים: i. e. *Sapientes plurimos artem aliquam fecisse, ne aliorum beneficentiæ indigerent*. In Christiana Ecclesia Clericis idem injunctum fuisse, ex variis Canonibus manifestum est, de quibus lege *Mabillonium* de studiis Monasticis lib. I. c. 14. Adde *Vindingium* ad Eustratii Delineationem Eccles. Græc. p. 21. sq.

ἦσαν γὰρ σκηνοποιοί) *σκηνοποιὸν* hic *Syrus* reddit *conficientem tabernacula*, ut exponit *Buxtorfius*. Chrysostomus *σκηνοῤῥάφον*, *consutorem tentoriorum*, e pannis nimirum lineis aut laneis, vel maxime e pellibus homil. V. de S.

Paulo Origenes: *Paulus arte erat faber tabernaculorum:* qualium uſus in plagis Orientalibus, fervidiſſimis ſolis radiis maxime expoſitis, fuit frequentiſſimus. Qui Paulum faciunt reſtionem, illi pro σκηνοποιὸς male σχοινοποιὸς legerunt. Hæc *Dilberrus* p. 360. Tom. I. Diſputt. Philolog. *Chryſoſtomum* ſecuti ſunt nonulli recentiorum, qui proinde σκηνοποιὸν Germanice per Zeltmacher, vel generalius Sattler interpretandum putarunt. Lege huc *Saubertum* in Opp. Poſthumis p. 143. *Suicerum* Tom. II. p. 981. *Schurzfleiſchium* in Diſſert. de Paulo σκηνοποιῷ *Witteb.* 1674. & *Amelium* Part. I. p. 64. *Schurzfleiſchius* in hanc ſententiam obſervat in Animadverſionibus ad inſigniores Ciliciæ antiquitates, Ciliciam, ex qua Paulum oriundum fuiſſe conſtat, inprimis arte, coria ad diverſos uſus parandi, celebratam fuiſſe. B. *Lutherus* non incommode vertit Teppichmacher, recteque monuit Rev. *Aug. Herm. Franckius*, in Continuat. Obſſ. Biblic. p.434. vocem hanc in eundem cum altera illa ſenſum facile abire. Adde B. *Raithii* Vindicias Verſionis B. Lutheri p. 472. Ceterum de Paulo, huic artis generi vacante, lege *Caveum* in Vita ejus Sect. I. n. 4. & *Cotelerium* ad Conſtitutt. Apoſtolic. II. 63.

Verſ. 5. συνείχετο τῷ πνεύματι) Codd. quidam & verſiones, a Millio memoratæ, quibus adde *Copticam*, pro πνεύματι, legunt λόγῳ, ut ſenſus ſit, Paulus *inſtabat verbo*, ſeu *ſermoni*, ut Vulg. Atque ita vertit & *Rich. Simon* gallice, & *Millio* in Prolegom. §. 804. lector quiſpiam jam olim ad marginem λόγῳ ſcripſiſſe videtur, quod deinde in textum tranſierit. Sed idem tamen l. c. recte monet, receptam lectionem ſtricte ſumtam, ſenſum videri fundere longe apertiorem & clariorem iſta interpolata: *Paulum nempe coarctatum Spiritu fuiſſe, ſummoque in dolore, quod poſt prædicatam Judæis biſce aſſidue ac* κατὰ πᾶν σάββατον *fidem in Chriſtum, nihil plane apud ipſos profecerit.* Recte is ita arbitratur. Verbum enim συνέχεσθαι eo ſenſu Lucæ etiam alias adhibetur, v. c. in Evangelio IV. 38. VIII. 37. & XII. 50. Idem eſt, quod S. Lucas ſupra XVI. 18. dicit διαπονηθείς. Ita 2. *Cor.* II. 4. συνοχὴ καρδίας memoratur, nec diſſimiliter Paulus ſupra XX. 22. ſe vocat δεδεμένον τῷ πνεύματι. Conf. *Boiſium* in Collat. p. 432. Viciſſim ignota Græcis phraſis eſt συνέχεσθαι τῷ λόγῳ.

Verſ. 6. Ἀντιτασσομένων δὲ αὐτῶν) Phraſis emphatica eſt, quæ oppoſitionem & pugnam, quaſi inſtructa acie factam, infert. Hoc ſenſu adhibet verbum *Arrianus* de Expedit. II. 7. p. 70. & *Euripid.* in Heraclid. v. 801. Conf. *Elsnerum* p. 452. qui aliis veterum locis oſtendit, in genere idem eſſe, quod *opponere ſe*, & *reſiſtere.* Vide *Iſocrat.* Panathen. p. 600.

ἐκτιναξάμενος τὰ ἱμάτια) *excuſſis veſtibus.* De pedibus & calceis a pulvere liberandis præceptum dederat ſuis Dominus *Matth.* X. 14. & alibi quod

quod & fecisse Apostolos ex his Actibus constat. Nec dissimili instituto vestium excussio hic facta est, cujus in ejusmodi causa exemplum apud veteres vix exstat, quanquam Romani togam suam & penulam alia occasione concussisse legantur. Vide *Dougtæi* Analecta Sacra Exc. LX. p. 90.

τὸ αἷμα ὑμῶν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν ὑμῶν) i. e. *culpa exitii vestri vobis incumbit*, ut vertit Cl. *Elsnerus* p. 453. Αἷμα scilicet hic non *cædem*, sed *exitium*, quod cæde alias effertur, denotat. Phrasis in V. T. passim est recepta v. c. 2 *Regg*. I. 16. & 3 *Regg*. II. 33. τὸ αἷμά σȣ ἐπὶ τὴν κεφαλήν σȣ, item *Ezech*. XXXIII. 4. Atque hinc pro Hebraica habetur a *Gatakero* & aliis de Stylo N. T. p. 227. contra *Pfochenium* §. 80. Non præter rem, si phrasin integram hic spectes: quanquam pars ejus profanorum quoque Scriptorum exemplis possit comprobari. Sic *Aristophanes* Nubib. v. 39.

Σὺ δ' ἂν κάθευδε, τὰ δὲ χρέα ταῦτ' ἴσθ' ὅτι
Ἐς τὴν κεφαλὴν ἅπαντα τὴν σὴν τρέψεται.

Dormias igitur licet, at debita ista scito Omnia in caput tuum redundatura. Hinc malum alteri imprecaturi dicebant εἰς κεφαλήν σοι *in caput tibi*. Conf. idem in Pluto v. 526. Sic *Virgilius* Æneid. VIII. 483 -- *Dii capiti ipsius generique reservent*. Plura lege apud *Elsnerum* l. c. qui ibidem scite phraseos originem repetit a ritu veterum victimarum capitibus manus imponendi, quo facto peccata & mala quævis ab offerentibus in eas transferri existimabantur. Vide *Lev*. XVI. 21. Phrasis ipsa, εἰς τὴν κεφαλήν σοι, elliptica est, quæ plena fiet, si addatur verbum τρέποιτο, quod ex allato *Aristophanis* loco patet, & aliis similibus probatum est a *Kustero* ad Aristoph. Plut. v. 526. & *Mureto* in Var. Lection. XII. 4. Addam illis unum ex epistola *Phalaridis* 102. ubi ita: δυνασόμεθα εἰς κεφαλήν σοι καὶ τῷ σῷ γένει τρέψαι.

Vers. 7. εἰς οἰκίαν τινὸς ὀνόματι Ἰȣ́στȣ) Ita Codd. & versiones pleræque omnes: in nonnullis vero legis Τίτȣ vel Τιτίȣ, in aliis quibusdam Τίτȣ Ἰȣ́στȣ. Ex his *Millius* ad h. l. illam Τίτȣ genuinam putat, Ἰȣ́στȣ vero additam ex interpolatis Latinis Interpretis Vulgati, postquam scilicet aliquis pro germanis istis *Titi, colentis Deum*, reposuerat: *Titi, justi, colentis Deum*, inserto *justo* ex elogio Cornelii *Act*. X. 22. Hinc enim factum suspicatur, ut librarius, *Justi* cognomen pro proprio Viri illius habens, idem alteri illi *Titi* adjunxerit, quod tandem in aliis Codd. verum *Titi* expulerit. At idem in Prolegom. §. 437. in omnia alia abit, & nomen Ἰȣ́στȣ pro genuino habet, cui studiosus aliquis ex traditione sæculi istius addiderit aliud ad marginem, nempe *Titi*, quod denique admiserit in contextum Interpres. Vides, quam incerta utrinque sit hariolatio. Præstat itaque in communiori illa lectione *Justi* acquiescere, nec multum inquirere, unde alterum illud Titi natum sit. Non ignotum alioquin est, duobus nominibus tum Romanos, tum Hebræos quoque alias gavisos esse, qua de re alias in hac

commentatione, diximus. Fortasse librarius aliquis de *Timotheo* v. 5. cogitans, in *Titi* illud incidit, idque negligenter cum illo *Justi* permutavit; imitatores nactus æque præcipites ac negligentes.

σεβομένου τὸν Θεὸν) Vid. supra ad XIII. 43. & 50. ex quibus patebit, veri simile, si non certum, esse, quod Justus hic ex Proselytis fuerit. Conf. *Vitringam* de vetere Synagoga p. 226.

οὗ ἡ οἰκία ἦν συνομοροῦσα τῇ συναγωγῇ) Non absurdum videtur eidem *Vitringæ* l. c. Justi ædes destinatas fuisse hospitio viatorum & peregrinantium ejusmodi, quorum in aliis locis ex Talmude ab ipso allatis, mentio fit. Videtur autem Paulus ædes has destinato consilio ingressus, ut Judæi intelligerent, Apostolum, quod dixerat, serio apud se constituisse, relictis Judæis ad Gentiles, ortu tales, se cum sermonibus suis & Evangelii prædicatione convertere. *Erasmus Schmidius* ad h. l. suspicatur, Paulum ideo huc commigrasse, ut Synagogæ esset vicinior. Sed id quidem vix crediderim, præsertim cum ex sequentibus non possit colligi, Paulum deinde Synagogam Judæorum iterum adiisse, imo veri simile etiam fiat, Judæos aditurum prohibuisse, & Gallionis auctoritate v. 12. ad eum expellendum vel castigandum abuti voluisse. Hinc v. 11. dicitur docuisse *ἐν αὐτοῖς inter eos*, h. e. inter Corinthios seu gentiles, qui una cum Crispo Archisynagogo fidem in Christum Dominum nostrum receperant.

Vers. 8. *Κρίσπος δὲ ὁ Ἀρχισυνάγωγος*) Vers. 17. *Σωσθένης* Corinthi itidem commoratus, non minus *ἀρχισυνάγωγος* appellatur, unde *Vitringa* in Archisynagogo id colligi posse visum est, quod in eadem Synagoga plures fuerint Archisynagogi nomine appellati. Sed vide, quæ contra hæc excipit *Rhenferdius* de Decem Otiosis p. 228. & compara ea cum responsione Vitringæ in opposito illi libro singulari de Decem viris Otiosis p. 244. Nos de hoc argumento ad S. Evangelistas diximus.

σὺν ὅλῳ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ) Vide supra ad *Act.* X. 2. XI. 14. & XVI. 15.

καὶ ἐβαπτίζοντο) Conf. ad XVI. 15.

Vers. 9. *ἐν νυκτὶ*) *Alex.* Cod. & versio *Syr.* hæc omittunt, unde *Millius* in Prolegom. a librario repetit forte ideo, quod *τὸ ἐν νυκτὶ*, ipsi non videbatur necessarium, tanquam in phrasi, *ἐν ὁράματι*, jam latens. Enimvero poterat illud *ὅραμα* etiam contigisse interdiu, ad exemplum S.Petri *Act.* X. 3. Itaque Lucas necesse putavit, istam temporis circumstantiam adjicere, tantum abest ut a librario repetere fas sit.

Vers. 10. *ἐγώ εἰμι μετὰ σοῦ*) Omittit hæc *Æthiops*, quæ propterea pro suspectis *παρεμβλήσεως* habet *Millius* in Prolegom. §. 1214. *Quis enim*, inquit, *talia expunxerit?* Enimvero aliud est, expungere aliquid destinato consilio, aliud cum ratione, aliud denique ex incuria, aut aliis similibus causis. Cum ratione

ratione id certe fieri non potuit, nec forte etiam destinato consilio; at fieri potuit ex incuria. Et nonne efficacior est oratio: Διότι ἐγώ εἰμι μετὰ σοῦ καὶ οὐδεὶς ἐπιθήσεταί σοι, quam si, omissis mediis illis, simpliciter legatur: διότι οὐδεὶς ἐπιθήσεταί σοι; Imo vero, quod hic Dominus Paulo confirmat, id Apostolis, abiturus, omnibus promiserat, dicens: ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας. Atque ex hac præsentia consequitur plena fiducia & spes de injuriis hostium certissime superandis.

καὶ οὐδεὶς ἐπιθήσεταί σοι) *& nullus adorietur*, aut *invadet te*, ut *Camerarius* verti hic voluit. Ita enim *Xenophon* inprimis hoc verbo utitur frequenter, v. c. in Cyropæd. VII. p. 139. ὁπόταν αἴσθησθε ἡμᾶς ἐπιτιθεμένους κατ' ἄκρον, *vos ubi senseritis, nos suprema in parte hostem invadere*, & alibi, quæ loca diligenter annotavit Rev. *Raphelius* in Annott. Xenophonteis. p. 172. *Keuchenius* ad h. l. p. 197. verti mavult per *conjurabit*, ex usu τῶν LXX. quæ significatio cum altera illa facile conspirat. Utrumque enim hostium est, & alterum ex altero pendet. Malim tamen prius.

τοῦ κακῶσαί σε) i. e οὐδὲ κακώσει σε. Vid. *Luc.* I. 54.

διότι λαός ἐστὶ μοι πολὺς) Hic prius διότι, ratione sensus, referendum est ad μὴ φοβοῦ in versu superiore, posterius autem ad ἀλλὰ λάλει, quod scite observavit *Boisius* in Collatione ad h. l. p. 433. qui & duo similia loca ex *Suetonio* affert, in quibus membra ejusmodi diversa, a se invicem disjuncta, ad suum quæque locum sunt referenda.

Vers. 12. Γαλλίωνος δὲ ἀνθυπατεύοντος) De *Gallione* & *Achaja*, tempore Claudii Proconsulari, vide hic *Grotium* & *Nic. Antonium* in Biblioth. Hisp. Vet. Tom. 1. p. 121. sq. tum vero B. *Dannhauerum* in Disputat. de Gallionismo §. 1. sqq.

ἀνθυπατεύοντος) Nonnulli Codd. habent: ἀνθυπάτου ὄντος, *cum esset Proconsul*, quod ex interpretamento natum est. De voce ἀνθύπατος vide nos supra ad XIII. 7.

ἐπὶ τὸ βῆμα) Vox hæc de tribunali tum ad conciones habendas, tum ad judicia ferenda, concinnate adhibetur a Scriptoribus. Vide inprimis *Ezech. Spanhemium* ad Oratt. Juliani p. 214. & *Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra p. 373. sqq.

Vers. 14. Μέλλοντος δὲ τοῦ Παύλου &c.) Verba hæc & sequentia usque ad v. 16. fuse & diligenter interpretatus est B. *Dannhauerus* in Differt. de Gallionismo, quæ in Disputatt. ejus Theolog. pag. 175 – 213. recusa est. Gallionismus vero in hanc sententiam ab eo definitur, quod sit *ars nova Pseudo Politicorum, ex amelia Atheistica seu supina ignavia potissimum suborta, controversiarum de fide & religione incuria & ignara, exterius* ἀπολυπραγμοσύνης καὶ λογομαχίας *pseudophantasia, pacis & simplicitatis corusca, revera tamen*

tamen conſcientiæ carnificina, ignorantiæ aſylum, apoſtaſiæ mater, via atheiſmi. Quæ quidem omnia ex circumſtantiis hic commemoratis ad liquidum perducit, ſuo loco legenda. Mitius, ſed non rectius de Gallione ſenſit *Benjamin Ibbot*, in concione ſingulari *Lond.* 1720. in 4. ad h.l. habita, cujus ſummam leges, ſi placet in Biblioth. Anglicana Tom. VIII. Part. I. p. 153. ſqq. Adde Nova Literaria Lipſienſ. German. edita an. 1721. p. 181.

Verſ. 15. Ἐι δὲ ζήτημά ἐςι περὶ λόγυ) *λογομαχίαν* una voce dixeris, quæ hodie quoque intempeſtive crepatur, ubi de elevandis circa doctrinas capitales diſputationibus agitur. Lege B. *Joh. Fechtii* Examen Theologiæ Indifferentiſticæ p. 378. ſqq. Exſtat. alioquin *Sam. Werenfelſii* Diſſertat. de Logomachiis, *Amſtelod.* 1702. 8. Vocem ζητημα cum Hebr. דרוש confert *Vitringa* in Archiſynagogo p. 197. & oſtendit, innui ea quæſtionis argumentum, ſuper quo diſſertatio inſtituitur.

Verſ. 17. πάντες ὁι Ἕλληνες) Vox Ἕλληνες abeſt a nonnullis Codd. ſed paucis, & verſione *Vulg.* ideoque pro inſititia habetur a *Grotio* & *Millio* in Prolegom. §. 1351. qui &, quod mireris, cum MS. Collegii Novi legere mavult Ἰυδαῖοι, quamvis & ipſum hoc pro ſcholio habeat. Scilicet vox Ἰυδαῖοι omnino ſublеcta eſt. Quis enim crediderit, Judæos, quorum ſuaſu, impulſu & commodo hæc agebat Soſthenes Archiſynagogus, eum ipſum verberibus & injuriis excepiſſe? Neque obſtat, quod *Millius* excipit, de Judæis ſermonem eſſe in ſuperioribus. Verum hoc eſt, ſi de accuſantibus quæras: ſecus autem, ſi de aliis, qui, cum hæc agerentur, aderant. Inter hos enim & ex Corinthiis, ad Chriſtum converſis, non paucos fuiſſe probabile eſt, qui providere voluerunt, ne quid durius de Paulo ſtatueretur. Atque hi appellantur Ἕλληνες, niſi ipſos quoque Gentiles intelligere velis, qui ſcilicet Gallionis auctoritate & ſententia ducti, & Judæorum quoque odio animati, indignitatem conſilii & conatus ipſorum hac ratione ulciſcendam putarunt. Fortaſſe etiam omne hoc ad occupandam Soſthenis gratiam fuit inſtitutum.

Verſ. 18. κειράμενος τὴν κεφαλὴν ἐν Κεγχρεαῖς) κείρασθαι eſt, *facere ſe tonderi*, vel, *ſe tondendum præbere:* quam vim eſſe formæ mediæ, oſtendit *Lud. Kuſterus* in libello ſingulari de his verbis p. 106. Vel infert etiam *tondere ſibi caput*, quo ſenſu id Cl. *Jo. Alberto* p. 257. O.S. occurrere videtur apud *Arrianum* Exped. Alex. lib. VII. p. 292. ubi Alexandrum, mortuo Hephæſtione, narrat κείρασθαι ἐπι τῷ νεκρῷ τὴν κόμην. Sed nihil obſtare video, quo minus & ibi verbo huic commemorata ante notio vindicetur. Tonſionem ipſam ad Aquilam, non ad Paulum, referunt nonnulli, inter quos eſt *Grotius*, *Witſius* in Meletemat. p. 101. ſq. Auctores des freywilligen Heb-Opffers, Tom. III. p. 260. & noviſſime *Alberti* l. c. ideo inprimis, quod Πρίσκιλλα primum, deinde vero Ἀκύλας, ut ſcilicet eo commodius hoc de ipſo referri poſſet, appelletur,

letur, quorum nomina alias inverſo ordine Ἀκύλας & Πρίσκιλλα recitentur, ut v. 2. & 26. Sed iſta quidem ratio nihil hic effecerit. Non utar verſione Slavonica, quæ *Aquilæ* nomen illi *Priſcillæ* præponit, monente *Jameſio* in Epp. MSS. in Biblioth. Bodlej. exſtantibus, p. 247. Sed id monebo, quod *Rom.* XVI. 3. Πρίσκιλλα καὶ Ἀκύλας, eadem ſerie obſervata, commemorentur, ubi nihil ejusmodi ſequitur, quod ad Ἀκύλαν propius pertineat. Præterea nihil eſt in promtu, quod Aquilæ tonſionem capitis ſuſcipiendam ſuadere potuerit. Viciſſim Paulum, præter votum, cujus hic fit mentio, adduxiſſe idem potuit, quod *Act.* XXI. 24. ipſi ad eundem ritum obeundum ſubjiciebatur, ut ſcilicet per συγκατάβασιν quandam Judæorum animos, alioquin alieniores, ſibi conciliaret. *Concedamus*, inquit *Salmaſius* in Epiſt. de cæſarie virorum & mulierum coma p. 709. *id de Paulo eſſe accipiendum, quod de Aquila verius poſſit accipi:* ſed nullam ſententiæ ſuæ rationem affert.

ἐν Κεγχρεαῖς, εὐχὴν γὰρ εἶχε) Legi non videtur conſonum, ut Paulus in Græca urbe tonderetur. Hieroſolymis enim duntaxat vota perſolvi *Num.* VI. 18. & ſacrificia omnia offerri debebant, quia ibi erat templum. Hic nodus vindice dignus viſus eſt Æthiopico Interpreti, ſed cum illum ſolvere non poſſet, reſecuit, nullamque Cenchrearum mentionem fecit. Non erat tamen Gordius ille nodus, & legenti Naziræatus leges variis pollutionibus obnoxios fuiſſe Nazaræos patebit: e. g. occurſu inopinato mortui polluebantur, *Num.* VI. 9. tunc autem, ubicumque illa pollutio contigiſſet, radere comam tenebantur, quod voti complementum non erat, ſed contra, quæcunque præceſſerunt, irrita erant, & ab illa tonſura rurſus debebant dies voti numerari. Paulus itaque voti reus inceptum votum Cenchreis aliqua legali impuritate abrumpere coactus eſt & illico redintegrare *Num.* VI. 12. ut abſolutum tandem Hieroſolymis ſolveret. Ita *Steph. Morinus* in Diſſertationibus VIII. p. 103. Is itaque factum hoc ex lege Naſiræatus, tanquam more Judaico ſtricte a Paulo obſervata, pependiſſe putat. Quod & alii exiſtimant, monentes præterea, cum *Grotio* ad h. l. tempore Judaismi inclinantis non adeo neceſſe fuiſſe, ut ab iis, qui in itinere verſarentur, coma, voti facti cauſa, Hieroſolymis tantum deponeretur.

Aliis vero hæc cogitata non parum hic præter rem diſplicent, cogitantibus, non eſſe veriſimile, Paulum, Chriſti ſacra & inſtituta mitiora jam amplexum, legi ceremoniali ſe adeo obſtrinxiſſe, a qua ipſe alios diligenter avocare conſueverat. Itaque civile quoddam voti genus Paulo heic tribui arbitrantur. Ita *Salmaſ.* l. c. p. 710. *Civile iſtud votum fuiſſe videtur, quod ſumſerat vel Paulus, vel Aquila, qualia multa faciebant Judæi: Non ante capillum tondebo, quam ad illum locum pervenero. Quæ vota erant peregrinantium. Ita Paulus votum fecit tondendi capilli, ubi Cenchreas perveniſſet. Hujus generis*

ris erant & vota five ἀναθέματα, quæ in se suscipiebant, non cibum sumturos, non potum, nisi illud effectum dedissent, ut illi, qui conjurati devoverunt se, non manducaturos, aut bibituros, donec Paulum interemissent Act. XXIII. Cum *Salmasio* facit *Jo. Alberti* p. 258. Non abit hinc *Spencerus* de Legibus Hebræorum ritualibus lib. III. c. VI. Diss. I. p. 862. *Verisimile habeo*, inquit is, *Apostolum cum primum itineri Corinthiaco se daret, votum illud de crinibus alendis, pro gentis suæ more, concepisse, & comam ejus, cum ad portum Corinthi feliciter appulisset, in animi grati testimonium fuisse, eoque magis, ut, Hierosolymam jam profecturus, Deo non minus propitio uteretur.* Quam in rem cum in sequentibus varia ex antiquitate gentium attulisset, quod homines a graviore malo liberati, vel beneficium aliquod impense desiderantes, capillitii florem diis sacrare consueverint, cujusmodi quid de Judæis quoque testatum reliquit *Josephus* de Bello Jud. II. 15. tandem p. 864. subjungit: *Quid enim in Cenchreis, Corinthiorum portu maxime frequenti, caput raderet, nisi ut ea tonsione se voto marino quam primum liberaret?* Accedit his partibus *Adrianus Relandus*, in Ant. Hebraic. p. 277. exserte affirmans, longe diversum ab illo Nasiræatus Paulinum hoc votum fuisse. Non enim fuisse תגלחת טהורה *tonsuram munditiei*, seu tonsuram Nasiræi voto suo soluti, quæ in Templo fieri debuerit; nec תגלחת טומאה seu *tonsuram immunditiei*, i. e. Nasiræi, qui ante dies Nasiræatus sui impletos pollutus sit. Talem enim tonderi debuisse in terra Israelitica, vel in tali loco, unde spatio diurno ad Templum aliquis pervenire posset. Idem vero voti hujus conditionem non exprimit.

Sed cum & hoc voti civilis genus, qualecunque demum fuerit, mores vel Judaicos vel Gentiles nimium sapiat, alii tonsionis Paulinæ rationem non ex voto ullo pependisse statuunt, nec proinde verba illa: εἶχε γὰρ εὐχὴν ad illud κειράμενος referri volunt, quasi tonsuræ illius ratio his exponeretur; sed in iis caussam inveniunt, cur Paulus in Syriam fuerit profectus. Ita *Petitus* lib. I. c. III. p. 13. sq. Var. Lect. rationes instituit. Ait scilicet, Paulum in Syriam contendisse, ut Hierosolymis festum ageret, cui celebrando voto se obstrinxerit. Hinc enim paulo post v. 21. professum esse, se festum imminens Hierosolymis agere debere; ex voto scilicet, non autem ex lege Mosaica, de tribus festis per annum Hierosolymis agendis. Huic enim legi se non alligaverat Paulus, qui per biennium fere Corinthi, per triennium vero Ephesi hæserat. Jam vero Hierosolymas profecturus consultum putabat, in gratiam Judæorum, instituto libero, quamvis ex more Judaico, comam sibi tondere, quam hactenus, dum inter Corinthios versaretur, eorum caussa & ex Græcorum more aluerat: ut scilicet Judæis fieret ut Judæus, iis vero, qui sine lege essent, tanquam & ipse esset sine lege 1. *Cor.* IX. Atque hanc sententiam præ ceteris idoneam habeo ad eas, quæ hoc argumentum premunt, difficultates expediendas. Confer interim G. F. *Meinhardi* Disput. de D. Pauli Nasiræatu, *Witteb.* 1680. edi-

tam

tam & in Thesauro Disputt. super N. T. f. 473. recusam, qui idem tribus aliis Dissertationibus Jen. 1676. ritum Nasiræatus ex Judæorum monimentis diligenter edisseruit. De Nasiræis, ad causam hanc rectius cognoscendam, inspici quoque possunt *Melch. Leydeckerus*, de Republica Hebræorum lib. XII. p. 665. *Leusdenius* in Philologo Hebræo-mixto Diss. XXII. & *Gustavi Peringeri* Disputat. singularis *Upsal.* 1683. 8. plagulis sex.

Portum illum *Cenchreensem* celeberrimum varie scribunt veteres: alii cum D. Luca Κεγχρεὰς, ut *Strabo*, appellant; alii Κεγχρέας, ut *Ptolemæus* & *Stephanus*; alii Κεγχρειὰς vel Κεγχρείας, ut *Thucydides* & *Pausanias*. Vide *Cellarii* Geograph. Antiquam lib. II. c. 13. p. 1174.

Vers. 21. *Δεῖ με πάντως τὴν ἑορτὴν τὴν ἐρχομένην ποιῆσαι εἰς Ἱεροσόλυμα*) Absunt hæc a Codd. nonnullis & versionibus, & propterea aliunde huc translata videntur *Millio* in Prolegom. §. 1202. *Quæ*, inquit, *ad historiæ bujus claritatem tantopere faciunt, nemo sanus expunxerit, modo locum babuissent in autographo D. Lucæ. Verum aliunde sunt ex Act. XX. 16. aut XIX. 21. ex istis locis occasio data est bujus scbolii, seu etiam ex* 1. *Cor.* XVI. 8. *ubi Apostolus ait, se Epbesi mansurum usque ad festum Pentecostes.* Ita ille. Eodem argumento adduci idem se passus est, ut v. 10. phrasin integram, omnino genuinam, propter unam versionem Æthiopicam expungendam statueret. Vide, quæ ibi in contrarium allata sunt. Hoc certe loco argumentatio ista nihil valet. Paulum hic aliquam festinationis suæ causam attulisse, non tam probabile, quam certum est, ut scilicet intelligerent Christiani, aliud suadentes, non mentis quadam pervicacia, sed serio & destinato consilio iter maturari. Voverat enim Paulus, quod ad v. 18. monuimus, se festum illud Hierosolymis celebraturum. Loca, quæ tanquam parallela affert *Millius*, verborum *γνησιότητα* confirmant potius, quam destruunt. Argumento enim sunt, consilium hoc Pauli animo semper obversatum fuisse. Imo illa loca non iisdem, quæ hic leguntur, verbis concepta sunt, sed longe aliis, brevioribus item & obscurioribus: ut interrogare rectius nobis liceat: *quis sanus bæc addere ausus fuerit, si non in autograpbo D. Lucæ exstitissent?* Quis præterea ignorat, integra commata, nedum sententias ex incuria, præter omnem consilii rationem, omissa interdum in Codicibus fuisse? Cui obscurum est, vel unum Codicem negligenter exaratum pluribus aliis exemplum, quod non imitandum erat, præbuisse? Itaque suo loco & hæc relinqui fas est.

πάλιν δὲ ἀνακάμψω πρὸς ὑμᾶς) Τὸ δὲ, quod iidem, quos modo subindicavimus Codices, neque tamen omnes, omittunt, præcedentem sententiam ab ipso Luca profectam esse evincunt. Vinculum enim est, quod priora illa omnino ceteris jungit. Τὸ ἀνακάμψω ellipticum est, & vocem *δρόμον* subintelligi jubet, quod recte monuit *Lamb. Bos* de Ellipsi Gr. L. p. 55.

τῦ Θεῦ θέλοντος) Ita etiam profani Scriptores loquuntur. Vide *Schotti* Adagialia N. T. p. 97.

Verf. 22. ἀναβὰς καὶ ἀσπασάμενος τὴν Ἐκκλησίαν) Nonnulli hic τὸ ἀναβὰς ad urbem *Hierofolymam* referunt, proprio verbi, quod alias de itinere verfus Hierofolymam ufurpari folet, fignificatu adducti. Sed non habent illi idoneam ita fentiendi rationem, quod oftendit *Lud. de Dieu* ad h. l. Alii rectius ad Ecclefiam Cæfareenfem referunt, quam, more fuo perpetuo, hic D. *Paulus* adiit, ut eam in bono confirmaret. Atque fic τὸ ἀναβὰς adhibetur, vel, quod conventus ille facer in editiore quodam domus loco v. c. ὑπερῴῳ agi confueverit, quæ hic *Jof. Medi* fententia eft in Opp. p. 323. vel, quod vox ἀναβαίνειν fimpliciter de omni loci mutatione adhiberi folet, quam in rem lege B. *Calovium* in Bibliis Illuftratis ad h. l. & ad *Luc.* V. 2.

Verf. 23. ἐπιστηρίζων πάντας τὺς μαθητὰς) Vide *Act.* XIV. 22. & XV. 41.

Verf. 24. Ἰυδαῖος δέ τις Ἀπολλῶς) Unus Codex *Cantabrig.* legit Ἀπολλώνιος, ceteri in communi illa appellatione confentiunt, quos merito fequimur. *Apollonem* alii, ubi flectendum hoc nomen eft, alii *Apollo* fimpliciter appellant, rectius omnino, quam qui *Apollinem* nobis exhibent ex nomine Ἀπολλῶ. Contra hos lege *Erafmum* & *Drufium*, nec omitte, quæ de nominis ratione monuit *Frid. Erneftus Meifius* in Difputatt. ad v. 25. mox fequentem. De *Apollone* ipfo ex antiquitate Ecclefiaftica differunt præter H. E. Scriptores, & noviffime *Clericum* in Hift. Ecclef. p. 380. *Jo. Prideaux* in duobus fermonibus ad hæc Lucæ commata illuftranda relatis, qui exftant in Opp. ejus Latinis p. 463. fqq. Ibi de inftitutione ejus, zelo item & praxi multa non contemnenda tradi videbis. Adde Cl. *Laurent. Mülleri* Differt. de Eloquentia Apollonis, Viri Apoftolici, *Schleufing.* 1717. & aliam *Jo. Jac. Pfizeri* de Apollone Doctore Apoftolico, *Altorf.* 1718. *Hieronymo* in Comment. ep. ad Titum III. 13. audit *Vir Alexandrinus ex Judæis valde eloquens, & perfectus in lege; Epifcopus Corinthiorum; Nilo* autem II. 49. Epift. ὁ Ἀλεξανδρεὺς λόγιος, ὁ ποτιστὴρ (i. e. *rigator*) τῶν Χριστῦ μαθητῶν.

Ἀλεξανδρεὺς τῷ γένει i. e. *patria Alexandrinus*, ut fupra IV. 36. Κύπριος τῷ γένει, & XVIII. 2. Ποντικὸς τῷ γένει. Ea vero urbs præ ceteris Viris doctis, inter *Ethnicos*, *Judæos*, & ipfos deinde *Chriftianos* abundabat, quod multi ex veterum monumentis commonftrarunt. Lege inter ceteros B. *Adami Rechenbergii* Differtat. de Mufeo Alexandrino.

ἀνὴρ λόγιος) Λόγιον Græci appellant hominem *eloquentem*, unde Mercurius inprimis λόγιος audit, & variis *difciplinis* inftructum. Hinc factum eft, ut ex Interpretibus alii Apollonem noftrum ab *eloquentia* inprimis & *dicendi facundia*, alii ab *eruditione* in univerfum, & fpeciatim difputandi facul-

facultate hic laudari existimarent. Posteriores partes sectatur *Campeg. Vitringa* lib. III. Obss. Sacrarum c. XXI. Hic enim existimat; eum olim ex eorum secta fuisse, quos Judæi v. c. auctor libri *Cosri* Part. V. §. 15. מדברים i. e. ratione vocis, *loquentes*, ratione rei, *Dialecticos* appellent. Ornandam hanc conjecturam suscepit laudatus *Müllerus* in allata Disputat. Sect. II. §. 4. sqq. ubi tum de illa Hebræorum secta τῶν מדברים ab Arabibus ducta, tum de ista *Dialecticorum*, a *Zenone* inprimis, & reliquis Stoicis exculta, & tum Athenis tum *Alexandriæ* magni habita, commentatur, eo consilio, ut appareat, Appollonem hunc, sectæ tam illustris exemplo & præceptis usum, Dialecticam potissimum Rhetorices studio junxisse. Erudite, fateor, nec sine veri specie, ut *Pfizerus* l. c. §. 6. *Vitringæ* largitur, hæc afferuntur, sed ita tamen comparata sunt, ut ultra conjecturam non adsurgant. Illa Judæorum secta τῶν מדברים ea, qua Apollo vixit, ætate nondum exstitisse videtur, ab Arabibus scilicet ducta & accepta eo tempore, cum illi principatum & armis & literis tenerent. Hoc autem tempus Apollonis ætate longe inferius esse constat. Dialecticorum Stoicorum disciplina celebrata quidem erat, sed tot subtilitatibus imo ineptiis circumfusa & impedita, ut ipsis quoque Græcis v. c. *Plutarcho*, & aliis ridiculi viderentur. Itaque vix verisimile est, Apollonem huic arti se dedisse. Id vero certum, D. Lucam per vocem λόγιον, nec illos מדברים, qui tum non erant, nec ad διαλεκτικὺς Græcorum aut Stoicorum alludere voluisse. Hos enim λογίυς quasi κατ' ἐξοχὴν appellatos fuisse nusquam invenies. Ex his relinquitur, tutius illos agere, qui non tam ad eam Philosophiæ, quam diximus, partem disputandique facultatem, quam ad eruditionem sanctiorem & inprimis facundiam hic respici arbitrantur. Placent omnino solertissimi *Raphelii* verba in Annotatt. Polybianis p. 376. *Cum ergo*, inquit is, *sacræ literæ vocentur* λόγια, *Rom. III. 2. crediderim, Apollo hunc ob earum cognitionem, & insignem eas interpretandi facultatem, partamque inde dicendi vim atque copiam hoc nomine appellari. Cumque vocabulum* λόγιος *latissime pateat, & universam doctrinam, inprimisque eloquentiam complectatur; ne ignoretur, quo scientiæ genere excelluerit per* ἐπεξήγησι. *addita puto verba*, δυνατὸς ὢν ἐν ταῖς γραφαῖς. *Fuit igitur magna ejus & eruditio & facundia, sed hausta utraque ex Sacræ Scripturæ fonte.* Vocem λόγιος frequenter *eruditum* & *sapientem* Virum inferre, diligenter ad h. l. ostendit *Elsnerus* p. 454. Atque sic quoque exponit *Hesychius*.

δυνατὸς ὢν ἐν ταῖς γραφαῖς) Quid hoc elogio contineatur, B. *Calovius* more suo graviter & solide ostendit in præfatione ad Apodixin, quam omnino lege.

Vers. 25. Οὗτος ἦν κατηχημένος &c.) Vide huc Rev. *Frid. Ernest. Meis* singularem Dissertationem: de verbo κατηχεῖσθαι lege ad Evangelium *S. Lucæ* I. 4.

ἐπιστάμενος μόνον τὸ βάπτισμα Ἰωάννου) Recte hic nostrates contendunt,

non nudam baptiſmi, a Johanne adminiſtrati, notitiam hac phraſi inferri, ſed tum cognitionem doctrinæ, ex ipſo Johanne olim, aut ejus diſcipulis ab Apollo hauſtæ, tum ipſam baptiſmi ſuſceptionem indicari. Vide huc Rev. *Pfizeri* Diſſertat. laudatam §. XI. ſqq. ubi etiam de eo commentatur, utrum differentia, & quænam inter Chriſti & Johannis baptiſmum interceſſerit? De quo argumento nos ad Evangelia ſatis diximus.

Verſ. 26. ἤρξατο παῤῥησιάζεσθαι) i. e. ἐπαῤῥησιάσατο. Verbum ἄρχεσθαι enim ſæpe eſſe pleonaſticum, paſſim ad Evangelia oſtendimus.

ἀκριβέστερον ἐξέθεντο) Lege Rev. *Zeltneri* Diſſert. de Priſcilla §. 17.

τὴν τοῦ Θεοῦ ὁδὸν) i. e. *religionem Chriſtianam.*] Lege ſupra ad IX. 2. & *Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra p. 923.

Verſ. 27. βουλομένου δὲ αὐτοῦ προτρεψάμενοι οἱ ἀδελφοὶ ἔγραψαν) *Boiſius* in Collatione ita p. 434. i. e. διὰ γραμμάτων, προὐτρέψαντο. *Videtur hic etiam quædam eſſe trajectio, ut legitimus ordo ſit:* οἱ ἀδελφοὶ ἔγραψαν τοῖς μαθηταῖς προτρεψάμενοι (ſc. αὐτοὺς) ἀποδέξασθαι αὐτόν i. e. fratres ſcripſerunt diſcipulis, hortantes, ut exciperent eum. *Qui ſic hunc locum reddunt, ac ſi fratres hortati eſſent Apollo, mihi certe parum ſatis faciunt. Nam quid opus erat, ut currentem, quod dicitur, invitarent? Magis mihi placet Syrus Interpres,* τὸ προτρεψάμενοι *pro* προφθάσαντες *accipiens.* Nemo, credo, non animadvertit, ſimpliciorem eſſe eam, quam *Boiſius* averſatur, interpretationem, adeoque vel hoc nomine retinendam. Et cur Chriſtiani ceteri Apollo currenti calcar non adderent, datisque literis animum confirmarent, quem ſcilicet videbant, inſigni pollere facultate & dotibus incremento Eccleſiæ profuturis. Id ſane malim, quam trajectionem invehere l. c. non neceſſariam, quamvis alias obviam. Ceterum non opus eſt, ut moneamus, vocem καλουμένου, quam hic bini Codd. pro βουλομένου exhibent, ex ſcholio intempeſtivo natam eſſe ab iis, qui exiſtimabant ſic clarius patere, cur Apollo in Achajam proficiſci ſtatuerit. Certe D. Lucam ita non ſcripſiſſe vel inde patet, quod alioquin ex communiori Græcæ L. ratione ſcripturus erat: καλουμένου δὲ αὐτοῦ τοῦ διελθεῖν εἰς τὴν Ἀχαΐαν. De conſuetudine veterum Chriſtianorum fratres literis commendatitiis ad fidei ſocios comitandi diximus alias. Legatur inprimis *Franc. Bernhardinus Ferrarius* de Epiſtolis Eccleſiaſt. *Mediol.* 1613. 8.

συνεβάλετο πολὺ τοῖς πεπιστευκόσι) i. e. *multum contulit, multum adjumenti attulit.* Sic *Arrianus* Epictet. p. 353. Ὁμήρου πλείονα τῇ κοινωνίᾳ συνεβάλετο Πρίαμος, *Priamus plus communi vitæ profuit, quam Homerus*, pro quo idem ante dixerat μείζονα ὠφελεῖ. Vide etiam *Polybium* p. 1066. & alias apud *Raphel.* in Annott. Polybianis p. 377. Alias verbum hoc a noſtro de *diſputatione* cum adverſariis ſuſcepta adhibetur, ut XVII. 18. Τινὲς δὲ τῶν Ἐπικουρείων καὶ Στοϊκῶν φιλο-

φιλοσόφων συνέβαλλον αὐτῷ. Sed ea notio locum hic non tuetur, cum disputatione adversus credentes opus non fuerit.

διὰ τῆς χάριτος) Codex unus, & versio *Vulg.* cum Patribus quibusdam hæc omittunt. Ideo ex *Act.* XV. 11. huc relata videntur *Millio* ad h.l. & in Prolegom. §. 439. Omittit etiam *Rich. Simon.* in Vers. Gallica, præter rem. Ex *Act.* XV. 11. si hæc postliminio repetita essent, non video, cur non integra phrasis, quæ ibi exstat: διὰ τῆς χάριτος τȣ̃ Κυρίȣ Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃, hic fuisset retenta. Et quem latet, fidei donum passim in Sacris literis τῇ χάριτι τȣ̃ Θεȣ̃ adscribi? Unde nec τὴν χάριν cum Rev. *Raphelio* in Notis Polybianis p. 377. de *sermonis* Apollinei *gratia* hic accipiendam puto. Quamvis enim *Plutarchus* in Alcibiade τὴν τȣ̃ λόγȣ χάριν hoc sensu celebret, nullo tamen exemplo constat, vocem χάριν, simpliciter positam, de sermone accipiendam esse, quæ vicissim in sacris literis κατ' ἐξοχὴν gratiam divinam infert.

Vers. 28. Εὐτόνως γὰρ τοῖς Ἰȣδαίοις διακατηλέγχετο) *bonis lateribus disputabat cum Judæis, sic ut revinceret.* Ita *Dounæus* ad Demosthenem p. 165. Τὸ διακατηλέγχετο idem hic esse, quod simplex ἤλεγχε monet *Boisius* ad h. l. p. 435. contra eos, qui τὸ διὰ hic efficaciam quandam per *magis ac magis* latine exprimendam, inferri contendunt. Nec negari potest, composita verba apud Græcos sæpe simplicium locum tueri.

CAP. XIX.

VErs. 1. ἐν τῷ τὸν Ἀπολλὼ εἶναι) *Coptus* hic nove habet *Apellis* nomen, apud *Wilkinsium.*

τὰ ἀνωτερικὰ μέρη) *Theophylactus* legit ἀνατολικὰ μέρη. Et sic quoque bini Codd. MSS. a *Millio* laudati, secus, quam *Boisio* visum est, qui omnes Codd. in nostra lectione consentire tradit p. 436. Interim ista se omnino tuetur, quod ex Interpretibus constat. Per *superiores* nempe *partes* hic recte intelliguntur Septentrionales illæ, *Pontus* & *Bithynia.* Vide *Witsium* in Meletematibus p. 107.

Vers. 2. ἀλλ' ȣ̓δὲ, εἰ Πνεῦμα ἅγιόν ἐςιν, ἠκȣ́σαμεν) Nonnulli hinc colligunt, Christianos hos Corinthios revera ignorasse, quod Spiritus S. a Patre & Filio distinctus, existat, tanquam qui a Johanne baptisati esse videantur, cujus ætate doctrina hæc nondum cognita fuerit. Ita, ut ceteros taceam, *Sam. Basnage* statuit in Exercitatt. Anti-Baronian. p. 44. & *Jac. Basnage* Tom. III, lib. IV. §. 19. Hist. Jud. At alii rectius, inter quos & *Grotius* est, de extraordinariis Spiritus S. donis, de quibus Paulus in sermone suo verba fecerit, hæc accipienda esse contendunt, de quibus nempe nihil hactenus audiverint, tantum abest, ut acceperint. Quo sensu nonnulli phrasin ajunt esse ellipticam, & supplendam per verbum ἐκχυνόμενον hoc sensu: nescimus,

Spiritum S. esse effusum, nempe tam large, ut donis suis singulariter se manifestarit. Ita enim similiter dici *Joh.* IX. τοῦτο δὲ εἶπε περὶ τοῦ Πνεύματος, οὗ ἔμελλον λαμβάνειν οἱ πιστεύοντες εἰς αὐτόν οὔπω γὰρ ἦν Πνεῦμα ἅγιον (sc. ἐκχυνόμενον) ὅτι ὁ Ἰησοῦς οὐδέπω ἐδοξάσθη. Lege in hanc sententiam Cl. *Schœtgenium* in notis ad *Lamb. Bos* de Ellipsi Gr. L. p. 64. & *Pearsonum* ad Symbolum Apostolic. p. 543.

Vers. 3. Εἰς τί οὖν ἐβαπτίσθητε;) *in quid igitur baptisati estis*, h. e. *cujus nomine invocato baptisati estis?* ut *Petavius* in libris de SS. Trinitate interpretatur.

Vers. 4. Ἰωάννης μὲν ἐβάπτισε βάπτισμα μετανοίας) Ex his verbis nonnulli differentiam baptismi Christi, & Johannei insignem prono impetu consequi arbitrantur, contra quos, ut ceteros taceam, lege novissime disputantem Rev. *Buddeum* in Institutionibus Theolog. Dogmaticæ p. 1438.

Vers. 5. Ἀκούσαντες δὲ ἐβαπτίσθησαν εἰς τὸ ὄνομα Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ) His verbis nonnulli tum ad elevandam baptismi Johannei conditionem & efficaciam, tum ad adstruendum anabaptismum, tanquam a Christianis illis Ephesinis susceptum, & hodie, ubi res tulerit, suscipiendum, abusi sunt. Inter hos est post alios *Vossius* in Thesibus Theologic. Disp. VIII. §. 33. T. VI. Opp. p. 287. sqq. *Grotius* Tom. III. Opp. p. 642. *qui non videre se ait*, *quid vel in speciem contradici possit*. Et nonnullis aqua ita hæsit, ut arbitros se præstare nollent, sed rem in medio relinquerent. Ita agit *Witsius* in Meletematibus p. 111. Et fuit nuper ex nostratibus *Sigismundus Jac. Apinus*, qui duplicem hic baptismum agnosceret, in Schediasmate Acad. de duplici baptismo discipulorum Ephesinorum, *Altorf.* 1719. Statuit is, Christianos hos Ephesinos non a Johanne, sed a falsis potius Apostolis circumforaneis, non ex mandato divino, sed ex κακοζηλίᾳ quadam, omissa præparatione debita, & adhibita nuda formula, βαπτίζω σε εἰς τὸ Ἰωάννου βάπτισμα, Christi sacris initiatos fuisse. Atque id ideo ipsi fit verisimile, quod Spiritum S. sibi incognitum esse profiterentur, & ne finem quidem baptismi Johannei intellexerint. Lege plura in Fastis Altorfinis an. 1719. pag. 47. Sed suspicio hæc de baptismo, tam ludicre administrato, nimis sinistra est, quam ut tam facili opera approbari possit. Saltem ita comparata est, ut ex allatis textus circumstantiis robur non accipiat. Præcipua est, quæ ex ignoratione Spiritus S. petitur. Eam vero paulo ante ad liquidum perduximus, ut huic sententiæ patrocinari non possit. Itaque in illorum potius partes concedimus, qui discipulos Ephesinos vel ab ipso Johanne, vel a genuinis ejus discipulis rite recteque baptisatos olim esse contendunt, & eadem opera inficiantur, baptismum hic esse repetitum. Atque hi quidem verba commatis nostri 5. non Lucæ, tanquam narrationis filum pertexentis, sed Pauli, orationem suam de hominibus a Johanne baptisatis persequentis, esse arbitrantur, hoc sensu: *Johannes quidem baptisavit*

baptismo

baptismo pœnitentiæ, populo præcipiens, ut crederent in Christum Jesum, illi vero, qui hæc audierant & fide receperant, baptisati sunt a Johanne in nomen Domini Jesu. Ita *Luc.* VII. 29. populus Johannem Baptistam *audivisse* dicitur, h. e. ita doctrinam ejus excepisse, ut *baptismum susciperet.* Hanc expositionem primus, si *Vossio* l. c. credimus, attulit *Philippus Marnixius*, & post eum *Theod. Beza*, quos deinde ex reformatis Doctoribus permulti sunt secuti. Eos laudatos vide a *Jo. Marckio* in Exercitat. Textuali XXXVII. p. 376. sq. qui & ipse ad eos accedit, sex omnino argumentis innixus. Ex nostratibus eadem interpretatio se probavit B. *Calovio* in Bibliis Illustratis ad h. l. & nuper Rev. *Buddeo* in Institutt. Theologiæ Dogm. p. 1438. nec non antea *Trillero* in der Untersuchung etlicher Oerter Heiliger Schrifft p. 219. & *Alethæo* in der Erläuterung Tom. I. p. 333. Vide etiam *Schönlandi* Responsf. ad libellum Trillerianum p. 204. sq. Habuisse quidem sibi visus est *Boisius* in Collat. p. 436. sq. quæ *Bezæ* hic opponeret, ad *Zanchium* sibi ὁμόψηφον in observationibus ad confessionem suam de Baptismo Aphor. 6. provocans; sed istis satisfecerit, qui *Marckium* l. c. consulet.

Aliis convenientius verba ista Lucæ, narranti, tribui videntur. Nec vel sic Anabaptistas hic invenire arbitrantur, quod quærunt, modo verbum ἐβαπτίσθημεν latiori significatu induatur, ut nempe non ipsam baptismi solennem repetitionem, quam *impositionem manuum*, in eo alias receptam, innui dicatur, qua factum sit, ut jam olim baptisati, & nunc de donis Spiritus S. extraordinariis edocti, eorundem participes redderentur. Ita ex nostratibus statuunt B. *Osiander* & *Franzius* in Disp. Witteberg. Tom. II. p. 739. Sed his id obstat, quod v. 6. impositio illa manuum diserte memoretur, tanquam a baptismo antecedente distincta. Itaque præstat, ut interpretationi proximæ insistamus. Confer de hoc argumento *Theodoric. Treuneri* Analysin Dialecticam hujus loci *Coburgi* 1663. editam p. 156. sqq. ubi *Ambrosii* sententia de horum 12. discipulorum, tanquam irritum baptismum indeptorum, anabaptismo defenditur.

εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ) i. e. postquam nomen Domini Jesu ante baptismum professi erant. Vide *Fechtii* Philocaliam Sacr. p. 38. Conf. supra ad II. 38.

Vers. 7. Ἦσαν δὲ οἱ πάντες ἄνδρες) *omnes isti viri.* Ita enim πάντες cum articulo omnes certi cœtus significat, ut infra XXVII. 37. & apud *Xenophontem* Hist. Gr. lib. VI. p. 457. Confer *Raphelii* Notas Xenophonteas p. 173.

Vers. 8. καὶ πείθων) *& suadens*, vel *docens*, pro διδάσκων, ut infra XXVIII. 23. & 31. observante ad h. l. *Boisio*. Nam inter hos, quos docebat Paulus, erant etiam non πειθόμενοι, sed ἀπειθοῦντες v. 9.

Vers.

Verf. 9. *καὶ ἠπείθουν*) i. e. *averterunt ſe ab audiendo*, ut ex uſu τῶν LXX. Intt. explicat *Keuchenius* p. 197.

κακολογοῦντες τὴν ὁδὸν) Pauli quidam Codices hic nomen Κυρίου vel Θεοῦ addunt, ex interpretamento ſcilicet. Nam ἡ ὁδὸς ſimpliciter de doctrina Chriſtiana a noſtro IX. 2. adhibetur. Conf. huc *Keuchenium* p. 198.

ἀποστὰς ἀπ' αὐτῶν) ab illa ſcilicet Judæorum Synagoga ſe abſtinuit, non item a Synagogis aliarum urbium. Poſt hæc enim adiit alias. Conf. *Dodwellum* de Jure Laicorum p. 207.

διαλεγόμενος ἐν τῇ σχολῇ) Τὸ διαλέγεσθαι paſſim quidem tum in Novo Fœdere, tum alias, de *ſermone* ſimpliciter ſeu concionibus ad alios habitis adhibetur, ut infra XX. 9. hic autem, ſicut ſupra XVII. 17. de diſputatione ſeu collatione ſententiarum cum aliis vel adverſantibus, vel doctrinæ cupidis, inſtitutam inferre videtur. Confer in hanc ſententiam *Vitringam* de Vetere Synagoga p. 13. qui eo fine vocem σχολὴ urget, eamque non tam Synagogam, quam Scholam ſeu Gymnaſium, docendo & diſputando deſtinatum, ſignificare non inepte exiſtimat, quod Judæi alias בית המדרש appellant.

Τυράννου τινὸς) Τυράννου nomen aliis *appellativum*, aliis rectius *proprium* videtur, nominatim Cl. *Majo* in Obſſ. Sacr. lib. III. p. 89. & *Vitringæ* de vetere Synagoga lib. I. p. 137. poſt *Druſium*, qui Τυράννου nomen Hebraico טורנוס reſpondere tradit. Et ſane nomen hoc טורנוס apud Talmudicos frequens eſt, & ab ipſo Interprete Syro heic expreſſum. Unde & ſimul colligas, eum non gentilem, ſed Judæum fuiſſe, quod aliæ quoque circumſtantiæ ſuadent, ut credamus. Non poteſt cum *Eraſmo* objici, ſic locum non habere vocem τινός. Nam idem etiam alias nominibus propriis jungi videmus, v. c. infra XXI. 16. XXII. 12. &c.

Verf. 11. *Δυνάμεις τε οὐ τὰς τυχούσας ἐποίει*) Plerique recte vertunt *virtutes* ſeu *miracula non vulgaria edidit*. Hæc enim communiſſima vocis notio eſt. Interim vir doctus in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. I. p. 252. reddi mavult per *virtutes non fortuitas*, ut indicetur; divino quodam nutu & auſpicio ea præſtita fuiſſe. Sed recte in eadem Bibliotheca Claſſ. II. p. 1025. admonitum eſt, priorem illam interpretationem hac meliorem eſſe, non ſolum ex uſu phraſeos, de quo ibi diſſeritur, ſed etiam ideo, ut innuatur, miracula maxima fuiſſe, & iis, quæ a Gentilibus falſo oſtentarentur, longe illuſtriora. Et cur quæſo, S. Lucas addidiſſet ἐποίει ὁ Θεὸς, ſi quidem per phraſin οὐ τὰς τυχούσας divinam eorum originem indicare voluiſſet?

Verf. 12. *σουδάρια*) Vide ad *Luc.* XIX. 20. *Joh.* XI. 44. & XX. 7.

ἢ σιμικίνθια) Codex Stephanicus unus legit καὶ σημικίνθια, quæ ſcriptio ad Latinam vocem *ſemicinctium*, unde Græca hæc procul dubio nata eſt,

eſt, propius accedit. Sed nihil eſt inſolens, mutationis nonnihil afferri vocibus, ex alia lingua in aliam transſumtis, nec mirum inprimis in hac, quæ, ſi per η ſcribatur σημικίνϑιον, in pronunciatione τῦ η per ι *ſimicinthium* effertur. Vocis notio & differentia ſudario expreſſa eſt in ſcholio, quod Codex quidam Stephanicus in margine ad h. l. exhibuit. Ἀμφότερα (ſcilicet σϰδάρια & σιμικίνϑια) λινοειδῆ εἰσι· πλὴν τὰ μὲν σϰδάρια, ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐπιβάλλεται, τὰ δὲ σιμικίνϑια ἐν ταῖς χερσὶν κατέχϰσι πρὸς τὸ ἀπομάτlεσϑαι τὰς ὑγρότητας τῦ προσώπϰ, οἷον ἱδρῶτα, δάκρυα, πlύελον ϗ τὰ ὅμοια. Hoc ſenſu σϰδάριον *mitræ capitis*, σιμικίνϑιον vero faſciolis linteis ad ſordes detergendas accommodatis, quas Schnupftücher noſtrates appellant, reſponderet. Conf. *Theophylactum* & *Oecumenium*, & ex utroque *Boiſium* ad h. l. p. 439. item *Suicerum* Tom. II. p. 959. Malunt tamen alii, &, ut puto, rectius, *ſemicinctium* ex ipſa vocis origine de tegumento ejusmodi interpretari, quod partem hominis anteriorem a cingulo & lumbis usque ad pedes præcingat, cujusmodi fere mechanici, ut piſtores, fabri ferrarii &c. uti conſueverunt. Noſtrates dicunt ein Schurtzfell. Ita Gloſſæ: *Semicinctium*, ἡμιζώνιον. Conf. in hanc ſententiam *Dilherrum* in Diſputatt. Philolog. Tom. I. p. 231. ſq. *Amelium* Part. I. p. 66. & *Anſelmum Solerium* ſeu *Theophilum Raynaudum* de Pileo p. 167. B. *Lutherus* vertit: ein Koller, i. e. *collare*, ein Halskragen, ein Halsmantel, quam vocis illius notionem eſſe ex cognatis aliis linguis oſtendit B. *Stadenius* in Expoſit. vocum German. difficiliorum p. 365.

ἀπαλλάσσεσϑαι ἀπ' αὐτῶν) Sic *Xenophon* Cyropæd. I. p. 17. ὅτε Κῦρος ἀπῄει ϗ ἀπηλλάτlοντο ἀπ' ἀλλήλων.

Verſ. 13. ἐπεχείρησαν δέ τινες ἀπὸ τῶν περιερχομένων Ἰϰδαίων ἐξορκιςῶν ὀνομάζειν-τὸ ὄνομα τῦ Κυρίϰ Ἰησῦ Χριςῦ) Ita etiam agebant Phariſæorum diſcipuli, de quibus Dominus noſter *Luc.* XI. 19. Qui cum revera dæmonia ejecerint, abſit ut eos in tantum pro meris impoſtoribus habeamus cum *Ant. van Dalen* in Diſſert. de Divinationibus idololatricis c. VI. p. 520. Interim lege eundem de Judæorum exorciſtis ibidem commentantem ex *Joſepho* lib. VIII. Antt. Judaic. c. 2. & aliis. De primitivæ Eccleſiæ Chriſtianæ Exorciſtis inſpice, quos laudat Cl. *Fabricius* in Bibliographia Antiquaria p. 459. item *Suicerum* Tom. I. p. 1151.

Verſ. 15. ὑμεῖς δὲ τίνες ἐςέ;) *Interrogatio hæc eſt non ignorantis, ſed partim increpantis eum, qui ſibi arrogat, ad ſe quod nihil attinet, partim contemnentis eum, qui neque ſuas neque hoſtis vires conſiderat, ſed temeritate quadam actus certare audet cum valentiore, cui eum vincere ludus eſt.* Hanc phraſeos vim eſſe oſtendit *Raphelius* in Annott. Polybianis p. 377. ex *Arriano* Epictet. lib. III. c. 1. σὺ ϰ̃ν τίς εἶ ἐνταῦϑα;-σὺ δὲ τίς εἶ;- μὴ δὴ λέγε τῷ ἐξαιρέτῳ· σὺ ϰ̃ν τίς εἶ; Conf. idem *Arrianus* p. 357.

Verſ. 16. ϗ κατακυριεύσας αὐτῶν) Codd. quidam MSS. legunt κατακυριεύσαν, qui ſcil. rem hanc ad dæmonium potius, quam ad hominem dæmonio oc-

cupatum putabant esse referendam. Sed ita hiulca redditur oratio, nec est verbum, a quo pendeat antecedens vox ἐφαλλόμενος, quæ vicissim una cum sequente κατακυριεύσας egregie quadrat ad verbum ἴσχυσε κατ' αὐτῶν. Pro αὐτῶν Codd. quidam habent æque male ἀμφοτέρων, quamvis hæc lectio probetur *Millio* in Prolegom. §.974. hoc sensu, ut tam Scevas pater filiorum illorum septem exorcistarum, quam filii ipsi, indicentur. At enim vero Scevam patrem, eumque sacerdotem primarium, exorcismo ejusmodi defunctum esse, a Luca non traditur, nec proinde tuto credi potest. Deinde, si etiam hoc largiamur, non puto græce dici posse ἀμφοτέρων de Patre, & septem filiis, numero pluribus; sed scribendum potius fuisse, si hoc S. Lucas indicare voluisset, ἐκείνων, aut πάντων. Itaque crediderim potius, vocem αὐτῶν, quæ sequitur in phrasi: ἴσχυσε κατ' αὐτῶν, effecisse, ut sciolus aliquis, plures postea nactus imitatores, prius illud αὐτῶν cum ἀμφοτέρων permutaret.

ἴσχυσε κατ' αὐτῶν) ἰσχύειν κατά τινος hic non est *superare* aut *prævalere*; sed viribus aut victoria contra aliquem, & ad perniciem ipsius uti, cædendo nimirum illum, pulsando, &, ut Latini loqui solent, male multando. Observa ergo tria hæc: primum insiliit in eos: tum domat & vincit: & postremo pugnis cædit, pœnasque de illis pro arbitrio sumit. Ita non inconcinne *Boisius* p. 441.

Vers. 18. Πολλοί δὲ τῶν πεπιστευκότων ἤρχοντο, ἐξομολογούμενοι καὶ ἀναγγέλλοντες τὰς πράξεις αὐτῶν) Πράξεις illas i. e. *negotia, facta, res*, non retulerim ad ea, quæ quisque conversorum ad Christum in prædicando Evangelio persecerit, sed ad ea, quæ hactenus in Gentilismo susceperit & patrarit, & ad vitæ genus artemque, cui adhuc indulgeat. Atque hoc professi videntur ideo, ut intelligerent, utrum ista vivendi negotiandique ratio cum Evangelica doctrina stare possit, an minus? Id manifestum est ex v. 19. ubi statim commemoratur: ἱκανὸς τῶν τὰ περίεργα πραξάντων libros suos attulisse & concremasse. Apparet sane τὸ πράσσειν hic respicere ad πράξεις antea subindicatas. Hinc vero simul patet, homines illos concionibus Pauli incitatos & admonitos fuisse, ut quisque sigillatim vitæ suæ negotiorumque rationem exponeret, atque sic perciperent, numquid recte agerent an minus. Videmus itaque & hic praxin Exomologeticam, a privatis hominibus antiquissima Ecclesiæ ætate susceptam, quam hodie nonnulli, tanquam novam & Pontificiam, vel deprimunt, vel contemnunt. Huic confessioni occasionem quoque dedisse videtur exemplum pœnæ, de temerariis illis exorcistis sumtæ. Pro eorum sententia, qui de rebus in prædicando Evangelio miraculose patratis sermonem hic esse contendunt, lege B. *Raithii* Vindicias versionis Lutheri German. p. 475.

Vers. 19. Ἱκανοὶ δὲ τῶν τὰ περίεργα πραξάντων) Περίεργα *hic sunt artes turpe*

pes magicaeque: οἱ τὰ περίεργα πράξαντες Magi sunt, homines rei magicae artibusque turpibus dediti, & nimium curiosa sectantes, quae sub naturalium scientiarum specie incantationes & artes magicas fovebant. Hanc phraseos illius h. l. notionem esse recte affirmat post alios, & idoneis veterum Scriptorum exemplis commonstrat doctissimus *Deylingius* in Obss. Sacr. lib. III. pag. 277. sqq. Quamvis enim alias περίεργα & περιεργία latius pateant, & ad *curiosa* quaevis studia innuenda adhibeantur, hoc tamen loco id speciatim vitium & scelus innui, quod κατ' ἐξοχὴν *curiositatis* notam habet, tum *Ephesus* ipsa, ubi hae artes inprimis exercebantur, tum libri, disciplinam ejusmodi tradentes, & hic appellati, evincunt. Significatum hunc vocis ex apposito admodum *Aristaeneti* loco probavit *Boissius* in Collat. p. 441. Is enim lib. II. ep. 18. de lenone quodam, magum se esse simulante, quo facilius juvenem, amore ebrium, in nassam suam pertraheret: ὁ γὰρ ἄνθρωπος, inquit, οὐχ ὡς προαγωγὸς τῷ παθόντι προσῆλθεν, ἀλλά τις εἶναι τῶν περιέργων ἐδόκει. *Non enim, ut leno venit homo ille ad prurientem libidine juvenem: sed ita se gerebat, ac si unus esset e curiosis sive magis.* Sic autem accipiendam esse ibi vocem περιέργων clarissime docent, quae sequuntur, quemadmodum idem homo eadem epistola dicitur ὑποκρινάμενος τῶν περιέργων τὸ σχῆμα. Non minus huc pertinet *Irenai*, Scriptoris, Apostolicis Patribus proximi, locus ex lib. I. adversus Haereses c. XX. *Exorcismis*, inquit, *& incantationibus utuntur, amatoria & agogima, & qui dicuntur paredri & oniropompi, & quaecunque sunt alia* periergа, *apud eos studiose exercentur.* Eundem significatum voci *curiosus* subjicit *Horatius* in his versibus:

> *An quae movere cereas imagines*
> *(Ut ipse nosti curiosus) & polo*
> *Deripere lunam vocibus possum meis,*
> *Possum crematos excitare mortuos &c.*

Quem locum commode de homine, magicis artibus dedito, interpretatur *Henr. Stephanus* in Schediasmat. lib. II. c. 28. qui eodem in loco observat, *Herodianum* quoque lib. IV. de Antonino eodem sensu dicere: περιεργότερος γὰρ ὢν οὐ μόνον τὰ ἀνθρώπων πάντα εἰδέναι ἤθελεν, ἀλλὰ καὶ τὰ θεῖά τε καὶ δαιμόνια πολυπραγμονεῖν: nec non *Platonem* in Apologia de Socrate: περιεργάζεται ζητῶν τάτε ὑπὸ γῆν καὶ τὰ ἐπουράνια. Omitto alia, a Viris doctis pridem in hanc sententiam observata, quae, si libuerit, leges apud *Wagenseilium* in praef. ad Tela ignea Satanae pag. 33. *Jo. Henr. Ursinum* in Analectis Tom. II. p. 46. qq. *Jo. Conr. Dietericum* in Antt. Biblic. V. T. ad Prov. XXV. 11. & in N. T. ad hanc vocem, *Christian. Andr. Siberum* in Disput. de περιεργία Ephesiorum *Witteb.* 1685. quae recusa est in Tom. II. Thesauri Dissertatt. super N. T. p. 484. sq. *Christoph. Cellarium* in Disputt. Academic. p. 441. *Amelium* Part. II. p. 326. & *Wolfburgium* in Observatt. Sacris p. 470. Nec omitte *Laur. Ramiresf. de*

Prado in Pentecontarcho p. 214. Atque hanc interpretationem præterea adstruit urbs Ephesus, ubi hæ artes inprimis invaluerant, ita ut Ἐφέσια γράμματα i. e. μαγικά in proverbium abierint, per quæ intelligi fas est notas seu voculas subobscuras, quibus ad averruncandos morbos, dæmones, &c. uti solebant. De his Ephesiis γράμμασι lege, præter allegatos, quos citat *Th. Galeus* ad Jamblichum p. 290. quibus adde *Ludolph. Küsterum* ad Suidam Tom. I. p. 919. & ex nostratibus *Conr. Sam. Schurzfleischii* Dissertat. de literis Ephesiis, *Witteb.* 1698. aliamque *Georg. Fleischeri* Hafn. editam. Itaque magis in ista vocis περίεργα interpretatione acquiesco, quamvis non ignorem, *M. Jo. Christoph. Ortlobium* in Diss. de Ephesiorum libris curiosis combustis §. 9. defendendum suscepisse, quod per περίεργα non magicæ ejusmodi & superstitiosæ artes indicentur, sed περίεργα πράξαντες illi potius homines dicantur, qui operibus satis curiosis cultum Dianæ Ephesiæ adjuverint, quique proxime ab his verbis, tumultu concitato, pro illius cultu pugnarint. Quo præstructo §. 11. affirmat, libros illos idololatrici, obscœni, ludicri, satyrici & forte ex parte magici, præstigiatoriique argumenti fuisse. Enimvero relegenti mihi illius cogitata nihil occurrit aliud, quam id, quod latior sit hujus vocis significatus, nec proinde tam arctis limitibus heic constringendus. Sed facile patet, sufficere, eidem voci strictiorem hanc & eminentiorem notionem a Scriptoribus subjici, eandemque huic loco etiam ex antecedentibus vindicari, in quibus v. 13. de *hominibus circumforaneis* actum erat, qui scilicet inter ceteras ejusmodi artes eam quoque, quæ ad ejiciendos dæmonas pertinebat, professi sint. Jam ipsi illi occasionem dabant divino judicio singulari, quo excitati ceteri, iisdem & similibus artibus dediti, superstitionem suam & agnoscebant, & detestabantur, pœnitentiæque suæ argumentum concremationem librorum esse volebant. Ad Dianæ Ephesiæ cultum libri isti minus recte referri videntur, tum quod non constet, ejus rationem singularibus libris comprehensam & traditam esse, nec præterea veri fiat simile, illos tanto pretio, quantum hic edisseritur, venire potuisse, quod vicissim facile statui poterat libris & scriptis ejusmodi, quibus artes Magicæ & superstitiosæ, ad lucrum quippe faciendum accommodatæ, edocebantur.

τὰς βίβλυς κατέκαιον) Librorum ab ipsis Scriptoribus in pœnitentiæ argumentum, vel aliis de causis, combustorum, exempla afferunt *Picinellus* in L. Refl. p. 681. & Auctor Observatt. Miscell. German. editarum Part. III. p. 294. sq.

εὗρον ἀργυρίυ μυριάδας πέντε) Eodem sensu *Polybius* p. 1295. ait: τὸ ἐλλιμένυ κατὰ τὺς ἀνώτερον χρόνυς εὑρίσκοντος ἑκατὸν μυριάδας δραχμῶν i. e. *portorium, quod superioribus temporibus decies centenis drachmarum millibus redimebatur &c.* & *Xenophon* p. 649. Oeconom. De utroque loco lege *Raphel.* Notas ad h. l.

ἀργυρίυ μυριάδας πέντε) Summam pretii hujus ad nostram monetam exacti

exacti diligentius computat *Ortlobius* in Differt. citata p. 21. fqq. ita ut ad imperiales noftrates 6250. redire videatur.

Verf. 21. ἔθετο ὁ Παῦλος ἐν τῷ πνεύματι) Non deeffe, qui nomen *Spiritus* hic ad Spiritum S. referri oportere non fine ratione contendant, obfervat *Boifius* ad h. l. p. 442.

διελθὼν τὴν Μακεδονίαν καὶ Ἀχαΐαν) Græci Scriptores fub Romanis Ἀχαΐας vocabulum de Græcia i. e. Hellade paffim ufurpant, ut a Peloponnefo feparent. Acta Apoftolorum: διελθὼν τὴν Μακεδονίαν καὶ Ἀχαΐαν, Græciam intelligit, τὴν Ἑλλάδα. Ptolemæus Ἀχαΐαν τὴν καὶ Ἑλλάδα feorfim defcripfit, a Peloponnefo difcrevit. Ita *Salmafius* in Exercitatt. Plinianis Tom. I. p. 568.

Verf. 22. αὐτὸς ἐπέσχε χρόνον) Ita *Arrianus* de Expedit. I. 14. 8. χρόνον ἐφεστῶτες, *aliquandiu fubfiftentes*: & *Polybius* p. 300. βραχὺν ἐπισχόντες χρόνον, item *Xenophon* aliquoties. Vide *Raphelii* Notas Polybian. p. 379. & Xenophonteas p. 174.

Verf. 23. περὶ τῆς ὁδοῦ) i. e. de religione Chriftiana. Vide fupra ad XVIII. 26. & IX. 2. Adde *Pearfonium* ad Symbol. Apoftol. p. 183.

Verf. 24. ἀργυροκόπος) Vetus: *argentarius*. Erafmus & Theophylacti Interpres *faber argentarius*. Beza & Pifcator *fignator argenti*. Ita & Lexicon Græco-Latinum vetus: ἀργυροκόπος, *argentarius*, *faber argentarius*; quod affert *Boifius* l. c. & deinde p. 444. defendit.

ποιῶν ναοὺς ἀργυροῦς Ἀρτέμιδος) Per templa illa Dianæ argentea alii intelligunt *numos argenteos*, figuram templi Dianæ Ephefiæ referentes, ut *Waferus* II. 15. de numis Hebr. *Beza* item, *Scaliger* in Scaligeranis p. 279. & *Th. Goodwinus* in Mofe & Aarone lib. IV. c. 6. Ejusmodi numorum effigiem *Beza* in notis ad h. l. & *Waferus* l. c. tum vero alii exhibent, quos Celeb. *Lafcherus*; qui & ipfe ab hac fententia non alienus videtur, laudat in Differt. de Ufu numorum veterum cap. II. §. 13. *Sed cum conjectura ifta*, inquit *Boifius* l. c. p. 444. *levi fundamento nitatur, argumento nimirum ducto a notatione nominis* ἀργυροκόπος, (*quo genere argumentorum nihil eft interdum invalidius*) *rem in medio pono.*

Alii intelligunt capfulas feu ædiculas argenteas, ad exemplum Dianæ Ecclefiæ fabrefactas, & ejus imagine inftructas. His ex veteribus præivit *Chryfoftomus* ad h. l. ita fcribens: καὶ πῶς ἔνι ναοὺς ἀργυροῦς γενέσθαι; ἴσως ὡς κιβώρια μικρά. *Et qui fieri potuit, ut Templa argentea five ædes argenteæ fierent? Fortaffe erant tanquam ciboria parva.* Ubi per κιβώρια parva, fcriniola parva vel arculas parvas i. e. κιβώτια, ut nonnulli legunt, intelligi fas eft. Eandem fententiam amplexi funt ex recentioribus *Boifius* l. c. p. 444. & *Salmafius* in Exercitatt. Plinian. Tom. II. p. 803. ed. Ultraject. *Sic* ναοὶ ἀργυροῖ, inquit is,

is, *dicuntur in Actis Apostolorum parvulae effigies argenteae ad instar templi factae, quae templum Dianae Ephesiae repraesentabant i. e. templa Dianae parva argentea, vel templorum potius εἰκονισμὺς. Frustra sunt, qui aliter accipiunt. Fiebant & ex ligno & ex alia materia hujusmodi templorum simulacra. Vetus interpres Rhetoricorum Aristotelis ναοποιὺς appellitat hos parvulorum templorum fabricatores & ναοποιὺς exponit, οἱ τὺς ναὺς ποιῦσιν, ἢ εἰκονοςάσιά τινα μικρὰ ξύλινα ἃ πωλῦσι.* Scholion hoc ad Aristotelis Rhetoric. lib. I. c. 15. ed. Parif. legitur, & ab *Hammondo* quoque ad muniendam hanc sententiam adhibitum est, quam praeter dictos amplectuntur plerique omnes, v. c. *Jos. Arndius* in Miscellan. Sacr. p. 180. *Suicerus* Tom. II. p. 390. *Reizius* ad Goodwinum l. c. *Fabricius* in Bibliographia Antiquaria ed. primae p. 297. *Deylingius* in Obss. Sacr. Part. III. p. 284. *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 174. *Jo. Henr. Lederlinus* in Dissertat. singulari de templis argenteis Dianae Ephesiae *Argentor.* 1714. *Faesius* ad Dougtaeum de Calicibus Eucharisticis p. 19. & *Amelius* Part. I. p. 419.

Sunt denique, qui existiment, ναὺς illos fuisse *minutas & portatiles quasdam aediculas in majoribus templis plerumque collocatas, continentes intra se deorum dearumve simulacra, quae una cum simulacris inclusis huc & illuc pro occasione facillime transferri potuerint.* Ita sentiunt *Dougtaeus* in Analectis ad h. l. Exc. LXI. *Priceaus*, & *Casaub.* ad h. l. Quae sententia utut cum proxime superiori facile conciliari potest, malim tamen in priori illa acquiescere. Neque enim hic aediculae quaecunque, quas illi hic intelligere videntur, sed tales, quae speciem templi Dianae ipsius praeferebant, indicantur. Alioquin enim non ναὺς, sed εἰκίσκυς S. *Lucas* appellasset. Nec praeterea iidem ναοὶ vel ναΐσκοι, aut ναΐδια, quae alii vocant, in illum usum comparata erant, ut de loco in locum transferrentur, sed ut lucri causa venderentur a Demetrio iis, qui, ab exteris forte adventantes, memoriae & cultus causa ejusmodi ναὺς secum asportare consueverant. Ceterum de omni illa ναΐσκων ratione lege *Spencerum* de Legibus Hebr. Ritual. p. 816. ed. Lipſ. *Jo. Michaelis* ad Gaffarelli Curiositates inauditas p. 355. *Tob. Guthberletum* de Saliis p. 93. *Jo. Gregorium* in Observatt. Sacr. c. 11. *Gisb. Cuperum* in Harpocrate p. 131. & *Jo. Andr. Schmidii* Dissertat. de templis Demetrii argenteis, *Jen.* 1685. & Reyheri Mathes. Mosaic. p. 792.

παρείχετο τοῖς τεχνίταις ἐργασίαν ὐκ ὀλίγην) Vox ἐργασία & *laborem* seu *operam*, & *quaestum* infert. Prioris significatus lege exempla *Luc.* XII. 58. & *Eph.* IV. 19. Dubium hic est, uter sit praeferendus. Malim ego priorem, quasi Germanice dixeris: **er schaffte ihnen viele Arbeit, und gab ihnen viel zu thun.** Sic v. 25. ἐργασία ab εὐπορία distinguitur, ut *quaestus* a *labore*, qui ejus fons est. Vidit hoc etiam *Hombergius* in Parergis p. 185.

Vers. 25. *τὺς περὶ τὰ τοιαῦτα ἐργάτας*) Tales erant procul dubio *sculptores*, *pictores*, & alii, qui operam suam in aediculis illis, a Demetrio fabre-

brefactis, vel exornandis amplius, vel colorum varietate distinguendis, collocabant. Vide etiam *Cornel. Adami* Obss. S. p. 217.

ὅτι ἐκ ταύτης τῆς ἐργασίας ἡ εὐπορία ἡμῶν ἐςὶ) i. e. *ex opificio isto quaestus* vel *divitiae nobis nascuntur*. *Εὐπορίαν* per *acquisitionem* heic vertit Vulg. per *copias* mavult *Beza*. Pro Vulgato facit *Jac. Hasaeus* in Biblioth. Bremens. Class. IV. p. 352. qui probam vocis hujus latinitatem veterum Jureconsultorum scriptis, *Juvenalis* item Sat. XIV. 115. 125. & 222. adstruit. Illi enim *acquisitionem* & *acquirere* de quaestu ex re aliqua facto adhibent.

Vers. 26. *Καὶ θεωρεῖτε, καὶ ἀκούετε*) Alterum eorum ad ea, quae nunc a Paulo Ephesi agi ipsi videbant, alterum ad illa, quae alibi ab eodem praedicari audiverant, refertur. Id autem inprimis egisse Paulum, cum ad Gentiles diceret, ut ex animis eorum *εἰδωλομανίαν* exstirparet, omnes ejus conciones, in Actibus his relatae, testantur.

λέγων, ὅτι ὐκ εἰσὶ θεοὶ οἱ διὰ χειρῶν γινόμενοι) Ita scilicet ferebat malesana plerorumque Gentilium opinio, ut Deos putarent simulacra ex auro, argento, lapide aut ligno facta. Testis est *Plutarchus* de Iside & Osiride p. 379. de Graecis, *τὰ χαλκᾶ*, inquiens, *καὶ τὰ γραπ]ὰ καὶ λίθινα μὴ μαθόντες, μηδὲ ἐθισθέντες ἀγάλμα]α καὶ τιμὰς θεῶν, ἀλλὰ θεὺς καλεῖν, aera, picta & lapidea non didicerunt neque consueverunt simulacra & honores Deorum appellare, sed Deos*. Hinc &, qui illa simulacra fingebant, *θεοποιοὶ* & *θεοπλάςαι factores* Deorum & fictores appellabantur, ut constat ex *Pollucis* Onomastico I. 1. §. 13. Fuerunt tamen etiam inter ipsos, tum Philosophi, de quibus diligenter *Cudworthus* in Systemate Intellectuali hujus Universi praecipit, tum alii, inprimis, ex quo Christiana doctrina publice promulgabatur, qui ab his ineptiis & ipsi abhorrerent, & avocarent alios. In hanc rem lege *Porphyrium* apud Euseb. Praepar. Evang. lib. III. c. 7. qui negat, se simulacra illa pro Diis habere, sed tantum *θεῖα καὶ θείας μετυσίας ἀνάπλεα, divina & praesentia Numinis referta* existimare, profitetur. Conf. *Ezech. Spanhemium* ad Callimachi Hymn. in Pallad. v. 52. & inprimis *Jac. Elsnerum* O. S. p. 455-459. qui & hodiernam Pontificiorum de imaginibus doctrinam cum illa prudentiorum Gentilium de simulacris suis opinione apprime convenire ostendit. Lege prae ceteris *Julianum* in Fragmento p. 294. & *Maximum Tyrium* Differt. XXXVIII. cui simulacra dicuntur esse *σημεῖα τῆς πρὸς τὸ θεῖον τιμῆς καὶ ὥσπερ χειραγωγίαν τινὰ καὶ ὁδὸν πρὸς ἀνάμνησιν*. Nonnulli eorum simulacra Deo indigna esse tradebant, quod ex Platone & Plutarcho testatum reliquit *Eusebius* l. c. c. VIII. p. 99.

Vers. 27. *Οὐ μόνον δὲ τῦτο κινδυνεύει ἡμῖν τὸ μέρος*) *τῦτο τὸ μέρος* refertur ad lucrum, quod ut *partem suam*, quemadmodum Hebraei inprimis loqui amant, tuendam censebat. Nolim itaque cum *Jos. Arndio* in Miscellan. Sacr. p. 99. *τὸ ἡμῶν μέρος* interpretari per: *quod ad nos attinet*. Sic enim

non

non poterit phrasis commode referri ad sequentia, εἰς ἀπελεγμὸν ἐλθεῖν. Taceo, non dici τὸ ἡμῶν μέρος, sed ἡμῖν τὸ μέρος τοῦτο. Pro ἡμῖν quidem Codex unus *Baroc.* legit ἡμῶν, atque id mavult *Grotius.* Sed non opus est mutatione, cum τὸ ἡμῖν idem hic sit, quod *respectu nostri.*

εἰς ἀπελεγμὸν ἐλθεῖν) Nihil hoc aliud est, quam ἐλέγχεσθαι, aut ἀπελέγχεσθαι i. e. vinci, succumbere, in fugam verti: sic fugere & discedere, ut victi & convicti solent. Nam ut Latine dicimus, in odium & contemtum venire, pro, haberi odio & contemni; sic Lucas hic λατινίζων τῇ φράσει, *venire in fugam*, posuit pro *fugari*, h. e. fugere & discedere. Ita *Boisius* in Collatione p. 446. qui interpretationem suam probat ex Sapient. c. 1. ubi de Spiritu S. dicitur: ἐλεγχθήσεται ἐπελθούσης ἀδικίας, *discedet superveniente iniquitate.* Eandem notionem verbo huic subjicere aliquoties *Chrysostomum* v. c. Homilia L. & LVIII. in Matthæum idem ostendit. Conf. *Suicerum* Tom. I. p. 1082. Verbum ἐλθεῖν simili ratione a *Polybio* p. 422. & *Arriano* Expedit. IV. 4. 5. & 18. adhiberi, recte commonuit *Raphelius* in Notis Polybianis p. 379. Prior eorum ita: εἰς τοῦτ' ἦλθε καταφρονήσεως.

ἀλλὰ καὶ τὸ τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδος ἱερὸν) De titulo μεγάλης θεᾶς dicemus mox ad v. 28. De templo vero hoc, antiquis celebratissimo, lege, quos diligenter affert Celeb. *Fabricius* noster ad Cod. Apocryphum N. T. Tom. I. p. 573. & in Bibliograph. Antiquar. p. 298. ed. prioris. Præcipui sunt *Jo. Seldenus* ad Marmora Oxoniensia p. 57. 96. & 73. *Th. Smithus* in Notitia VII. Ecclesiarum Asiæ p. 156. sq. *Pet. Faber* lib. III. Semestrium p. 51. sq. *Ezech. Spanhemius* de Vesta & Prytanibus Græcorum Tom. V. Antt. Roman. p. 698. & *Octav. Falconerius* in Diss. de numo Apameensium. Iis adde ex nostratibus Rev. *Deylingium* in O. S. Part. III. p. 286. & *Aug. Esmarchii* Disquisitiones IV. *Hamburgi* editas p. 21-39. Templi ipsius formam ex veterum monumentis delineat, & in duplici numo exhibet *Claudius Menetrejus* in Commentatione de Statua Dianæ Ephesiæ f. 48. sq. quo labore amplius perfunctus est *Jo. Pet. Bellorius* in repetita ejusdem libelli editione Rom. 1688. & in Tom. IV. Antt. Græc. Statuam Dianæ Ephesiæ, quam hoc templum complectebatur, apud eundem *Menetrejum* tum in numis, tum in ipso simulacro conspicias, unde repetiit Rev. *Deylingius* l. c. p. 284. & *Neocorus* in Biblioth. Novor. libr. an. 1699. p. 185. *Deylingius* p. 285. aliam repræsentat ex *Leonh. Augustino*, & aliis numis p. 287.

ἣν ὅλη ἡ Ἀσία καὶ ἡ οἰκουμένη σέβεται) Recte hæc ita dicta esse ex *Strabone* inprimis lib. XIV. apparet. Nec mirum, si vera tradit *Livius* lib. I. c. 45. qui jam Servii Tullii temporibus *inclytum Dianæ Ephesiæ fanum* fuisse testatur, *idque communiter a civitatibus Asiæ factum, famam tulisse. Philo Byzantius* templum ejus μόνον θεῶν οἶκον appellat in libro de septem Orbis spectaculis, ubi confer notas *Leonis Allatii* p. 91. Conf. alia apud *Deylingium* l. c. p. 292. & illos, quos appellat *Zornius* in Biblioth. Antiquario-Exegetica Tom. I. pag. 64. in Notis.

Vers.

Verſ. 28. *Μεγάλη ἡ Ἄρτεμις τῶν Ἐφεσίων*) Formula hac uti ſolebant gentiles, ubi Deos ſuos ut beneficiis rebusque geſtis illuſtres prædicabant. Sic *Ariſtides* p. 520. *ἦν καὶ βοὴ πολλὴ τῶν τε παρόντων καὶ ἐπιόντων, τὸ πολυύμνητον δὴ τοῦτο βοώντων· μέγας ὁ Ἀσκλήπιος. Multus erat aſtantium & advenientium clamor, quo decantatum illud clamabant:* ***Magnus Æſculapius.*** Conf. *Ezech. Spanhemium* ad Ariſtophanis Plutum v. 639. & *Elsnerum* p. 460. qui præterea oſtendit, Gentium Deos ſæpe in Numis, Inſcriptionibus & libris veterum *μεγάλους* appellari conſueviſſe. Quam in rem adeundus quoque eſt idem *Spanhemius* ad Callimachum in Cererem v. 122. *Colomeſ.* in Obſſ. Sacr. p. 17. & *Jac. Gronovius* in Diſp. de voce *μέγας*, *Lugd. Bat.* 1694. habita, ubi & de hoc Dianæ elogio ſpeciatim agitur. Adde *Petri Zornii* Opuſcula Sacra Tom. I. p. 243. & Biblioth. Antiquario-Exeget. Tom. I. p. 63. Interim per ſe patet, Dianæ titulum hunc ſenſu eminentiore collatum fuiſſe, non ſolum, quod inter ceteras Deas principatum obtinere, aut poteſtatis benignitatisque ſuæ illuſtria ſpecimina edidiſſe crederetur, ſed quod magna & ampliſſima templi cultusque ejus eſſet celebritas. Lege plura apud *Jo. Alberti* p. 259. O. S. Imo ab eruditis commode quoque obſervatum eſt, ipſum *Ἀρτέμιδος* nomen *μεγαλειότητος* ſeu *magnitudinis* notionem complecti. Ita *Alex. Morus* in Notis ad h. l. p. 101. heroes & magnos viros ſimili nomine appellatos eſſe monet. Perſis, inquit is, *Ἄρτης*, magnus. Heſychius: *Ἀρταῖοι οἱ ἥρωες παρὰ Πέρσαις.* Idem: *Ἀρτής, μέγας καὶ λαμπρός.* Herod. lib. VI. *Ξέρξης, ἀρήιος, Ἀρταξέρξης, μέγας, Ἀρήιος. Cum igitur*, ita pergit, Magna Diana *dicimus*, perit alluſionis lepos, conſpicuus in Græcis. *Μεγάλη ἡ Ἄρτεμις. – Putem forte Ἄρτεμις contractum ex Ἀρτεμάρτις i. e. magna virgo: nam Diana Βριτόμαρτις etiam dicebatur.* Hæc non inconvenienter afferri exiſtimo, quamvis non ignorem, Viros doctos nominis originem ex Hebræa lingua derivare maluiſſe. Ita *Bochartus* in Hierozoico Part. II. p. 581. ed. Francof. חרתום i. e. *Magus* huc advocat, *Clericus* autem ad Heſiodi Theogon. v. 918. dictam opinatur quaſi הרתמי *mons eſt admiratio mea* ex הר & תמה. In montibus enim Dianam verſari conſueviſſe Poetæ teſtantur. In alia omnia abit *Libanius*, quando *ſanitatis* notionem hoc nomine exprimi contendit. *Ὅτι μὲν οὖν*, inquit, *καὶ ὑγίεια παρὰ τῆς Ἀρτέμιδος ἀνθρώποις, αὐτὸ μηνύει τοὔνομα.* Tom. II. Opp. p. 666. Scilicet *ἀρτεμὴς* Græcis *ſanum* & *incolumen* infert. Forte etiam huc alluſerunt, qui Dianam *σώτειραν* appellabant, quod in numis frequenter fieri docuit *Ezech. Spanhemius* de Uſu & præſtantia Numismatum p. 385. ed. in 4. Sed nimis forte in his hæreo. Ceterum conferri huc quoque merentur diſſertationes de *Diana Epheſia* ſingulares, *Jo. Nic. Schulini* Witteb. 1687. quæ recuſa eſt in Theſauro Diſputt. ſuper N. T. f. 491. *Iſraelis Neſſelii*, Aboæ an. 1708. *Jo. Nic. Polckii* Lipſ. 1718. in cujus frontiſpicio templi Dianæ effigies exſtat, & *Auguſt. Esmarchii* in Diſquiſitt. ſupra allegatis.

Vers. 29. καὶ ἐπλήσθη ἡ πόλις ὅλη συγχύσεως) *Polybius* p. 949. ταραχὴν καὶ σύγχυσιν conjungit. Et quod hic dicitur σύγχυσις, supra v. 23. audit τάραχος.

ὥρμησάν τε ὁμοθυμαδὸν) Plerique τὸ ὁμοθυμαδὸν vertunt *unanimiter*, quæ vocis hujus notio obtinet alias, ut supra II. 1. IV. 24. VII. 27. &c. Cum vero hic consensus animorum, quem vox infert, locum non habuerit, cum v. 32. cœtus dicatur fuisse confusus, multique causam conventus nesciverint, Rev. *Deylingius* Part. III. p. 294. interpretari mavult *conjunctim, simul*, ut sic externa tantum civium collectio innuatur, ad exemplum *Act.* XII. 20. & XV. 22. Quæ ut in tantum recte admonentur; ita per alteram illam versionem, quam & B. *Lutherus* noster secutus est, nihil diversi innuere voluerunt Interpretes. Nam utut nescirent omnes, de qua re ageretur, in eo tamen probe illis conveniebat, quod uno impetu illuc concurrerent, imo & uno consilio, ut scilicet viderent, quid tandem ageretur.

Vers. 30. Τοῦ δὲ Παύλου βουλομένου εἰσελθεῖν εἰς τὸν δῆμον) Similiter *Polybius* p. 488. εἰσελθὼν εἰς τοὺς Ἀχαιοὺς) & alibi, apud Rev. *Raphelium* in Notis Polybian. p. 379. Adde, quæ scripsimus supra ad XVI. 40.

Vers. 31. Τινὲς δὲ καὶ τῶν Ἀσιαρχῶν) De Asiarchis his singularibus Dissertationibus egerunt *Christ. Andr. Siberus*, Witteb. 1683. quæ recusa est in Thesauro Disputatt. super N. T. p. 487. *Christoph. Sonntagius* Altorf. 1712. *Sever. Lintrupius* in Specimine Meletematum Criticorum secundo Hafn. 1715. *Pet. Adolph Boysen*, Hal. 1718. & *Christian. Schœtgenius* in Miscellan. Lipsiens. Tom. V. p. 178. sqq. Inter hos *Schœtgenius* eos pro Magistratu civili habet, *Boysenius* autem, qui Latine per *Principes Asiæ* vel *munerarios* verti vult, pro præfectis sacrorum, aut Pontificibus summis, ad curam ludorum, festorum, munerum agonumque a populo Asiæ electis. Eadem est sententia *Sonntagii* Diss. cit. §. 10. Non alienus est *Ezech. Spanhemius*, de Usu & præstantia Numismatum Tom. II. p. 418. Ubi enim de illis ex monumentis veterum commentatus esset, hæc subjungit: *Liquet ex monumentis allatis, Asiarchas id genus non Ephesi solum, ut existimant nonnulli, sed modo Cyzici, modo Smyrnæ locum habuisse, ubi nempe communia Asiæ sacra & publici conventus habebantur, quibus præerant illi Asiarchæ. Secundo unum videri Asiarcham hoc munus eodem tempore administrasse, quamvis plurium simul Asiarcharum mentio h. l. occurrat, & tertium aut quartum Asiarcham electum se tradat alicubi Aristides.* Eandem de Asiarcha uno, munus hoc eodem tempore administrante, ceteris autem nominis dignitatem post functionem retinentibus, sententiam tuentur *Salmasius* in Exercitatt. Plinianis Tom. I. p. 566. & *Valesius* in notis ad Eusebii Hist. Eccles. p. 18. approbant *Tillemontius* in notis ad Tom. I. Memoriar. Hist. Eccl. not. XV. *Harduinus* loco mox citando, & ex nostratibus *Deylingius* Part. III. O. S. p. 296. Lege præterea de Asiarchis eorumque munere *Seldenum* ad Marmora

mora Oxonienf. III. p. 73. & ad *Eutychii* Origines Alexandr. p. 13. *Steph. Lemonium* ad Varia Sacra in Prolegom. p. 25. *Albaspinæum* p. 103. Obff. Sacr. *Ant. van Dalen* in Differt. III. Antiquitatum cap. III. & *Jo. Harduinum* de Numis Populorum & Urbium paffim, inprimis vero p. 145. Opp. Selector. atque inde *Zornium* in Biblioth. Antiquar. Exeget. Tom. I. p. 65. qui & p. 154. fqq. de iisdem ex *Jac. Gothofredi* Epiftola ad *Andr. Rivetum* de interdicta Chriftianorum cum Gentilibus communione, an. 1645. 8. edita commentatur.

πέμψαντες) fcilicet ἀγγέλους, *nuncios*, quam vocem fubintelligi hic vult *Lamb. Bos* de Ellipfi Gr. L. p. 8.

μὴ δοῦναι ἑαυτὸν εἰς τὸ θέατρον) Ita *Polybius* p. 506. ἐδόκει εἰς τόπους αὐτὸν δεδωκέναι παραβόλους.

Verf. 32. ἦν γὰρ ἡ ἐκκλησία συγκεχυμένη) Vox ἐκκλησία hic *conventum* quemvis infert. Sic *Hefychius* per σύνοδον, συναγωγὴν, πανήγυριν explicat, quo fenfu etiam apud profanos paffim occurrit. Conf. *Deyling.* O. S. Part. III. p. 293. & *Ant. van Dalen* in Antiquitatt. Diff. III. p. 458. Adde infra v. 40. *Polybius* idem dicit, quod h. l. legitur p. 1266. θορυβώδης ἦν ἡ ἐκκλησία.

Verf. 33. κατασείσας τὴν χεῖρα) Sed alibi dicitur: κατασείσαν τῇ χειρί. Vide fupra ad XII. 17. XIII. 16. Hinc & quidam Codd. itidem h. l. legunt τῇ χειρί. Sed nihil ideo mutandum.

Verf. 34. Ἐπιγνόντων δὲ) Alii Codd. legunt hic ἐπιγνόντες. Sed proba eft lectio noftra communior, ita ut fubintelligatur αὐτῶν.

Μεγάλη ἡ Ἄρτεμις τῶν Ἐφεσίων) Vide ad v. 28.

φωνὴ ἐγένετο μία ἐκ πάντων κραζόντων) *Ariftophanes* Equitib. Act. II. Sc. I. οἱ δ' ἐξ ἑνὸς στόματος ἅπαντες ἀνέκραγον.

Verf. 35. Καταστείλας) Codices bini, Cantabr. & Laud. 3. legunt κατασείσας i. e. *concutiens*, *terrens populum*, ut interpretatur Millius ad h. l. qui præterea hanc lectionem pro genuina habet, alteram vero illam fuffectam jam olim ex eo, quod paulo infra dicitur: δέον ἐστὶν ὑμᾶς κατεσταλμένους ὑπάρχειν. Sed certiffime genuina eft lectio noftra. Nam τὸ κατασείειν nusquam habet terrendi notionem, quæ præterea neque hic locum tueri poffet, cum Scriba nihil hactenus ad populum fuerit locutus. Viciffim καταστέλλειν de fedandis & componendis tumultuantium animis adhibetur a *Plutarcho*, cujus locum attulit *Budæus* in Commentar. Gr. L. θορυβοῦντας τοὺς ἐν ἀξιώματι νέους καταστεῖλαι βουλόμενος. Taceo ipfam vocem κατεσταλμένους, ad quam pro fe provocat Millius, hunc vocis fignificatum adftruere. Sufpicari denique rectius licet, vocem κατασείσας hic ortam effe ex eo, quod

v. 33. dicitur κατασείσας τὴν χεῖρα, quam κατασείλας ex sequenti κατεσταλμένους. Facilius enim librarius in eandem vocem relabitur, quam paulo ante scripsit, quam ex sequente errandi occasionem nanciscitur.

ὁ γραμματεὺς) De Scribis ejusmodi civilibus lege *Fesselii* Adversaria Sacra lib. I. c. 1. De Ephesinis speciatim *Ezech. Spanhemium* epistola II. ad Morellum p. 105. & Tom. I. de Usu & præstantia Numismatum p. 704. Adde *Gottf. Olearium* ad Philostratum p. 393. & *Deylingium* l. c. p. 299. sq. & quos citat *Pet. Zornius* in Biblioth. Antiquar. Exeget. Tom. I. p. 57.

τὴν Ἐφεσίων πόλιν νεωκόρον οὖσαν) De urbibus Neocoris h. e. talibus, quibus Templum Dii Deæve alicujus inprimis cordi erat, permulti data opera exposuerunt, quos diligenter laudat Cl. *Fabricius* in Bibliographia Antiquaria p. 297. Adde illis *Anselmum Bandurium* in Numismatibus Impp. Roman. Tom. I. p. 123. *Pet. Zornium* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tom. I. p. 32. sqq. ex *Vaillantio* & *Harduino*, &, qui de hoc commate exposuerunt, *Dilherrum* Tom. I. Dispp. Philolog. p. 233. *Deylingium* l. c. *Amelium* Part. II. p. 313. & *Sylingium* in singulari Differt. de νεωκόροις seu templi curatoribus, *Rostoch.* 1702.

καὶ τοῦ Διοπετοῦς) De voce διοπετὴς singularis exstat differt. *Christ. Andr. Siberi*, recusa in Thesauro Dispp. super N. T. fol. 494. Διοπετὲς scilicet ἄγαλμα dicebatur i. e. *simulacrum cælo delapsum*, ut plene dixit *Herodianus* I. 11. 2. Αὐτὸ μὲν τὸ ἄγαλμα διοπετὲς, ὥς λέγουσιν, οὔτε δὲ τὴν ὕλην, οὔτε τεχνιτῶν ὅστις ἐποίησεν, ἐγνωμένων, quem locum observavit *Lamb. Bos* de Ellipsi G. L. p. 7. Ellipsin eadem ratione suppleverunt Interpretes *Syrus* & *Arabs.* Conf. J. E. *Gerhardi* Pentadem Positionum §. 3. & adde *Siberi* differt. citatam, qui uno nomine simulacrum hoc Ἀρτεμίσιον ab *Hyperide* in Orat. Deliaca appellatum esse observat, ac præterea ostendit, plures gentes vel urbes simulacra ejusmodi cœlo delapsa jactasse. *Callimachus* hymn. in Dianam v. 238. simulacrum Dianæ Ephesi ab Amazonibus erectum tradit, ad quem locum *Ezech. Spanhemius* in Obss. p. 289. ita: *Dianæ hujus Ephesiæ simulacrum tanquam* διοπετὲς *potius, de quo* Act. XIX. 35. *quam ab Amazonibus, uti hoc loco dicitur, aut ab artifice, juxta* Plinium XVI. 40. *fabricatum non summa solum religione, quod itidem exstat Act. XIX. 27. sed ad ejus formam quoque passim in aliis Græcanici ritus urbibus sacratum. Quod tamen non a Strabone adeo, Pausania, aliisque priscis Auctoribus, quam e veteri & luculenta numorum supellectile etiamnum & qua de re nos alibi, obvium.* Idem *Plinius* XII. 1. miratur, Mucianum *artificis* illius simulacri *nomen nuncupasse, cum tamen idem antiquiorem illa Minerva quoque, non modo Libero patre vetustatem ei tribuat.* De quo loco commentantem vide *Salmasium* in Exercitatt. Plinian. p. 574. ed. Ultraject. qui inter cetera rectissime ait, se magis mirandum ducere, quod figmentum ligneum (ita enim descripserat Mucianus) quando templum deflagravit, non simul eodem igne absumtum fuerit.

fuerit. De Palladiis, quæ cœlo delapsa gentiles fingebant, vide *Lipsium* de Vesta & Vestalibus c. IX. & *Jac Gutherium* lib. de Jure Pontific. c. 12. quos citat *Amelius* l. c. p. 313. qui & p. 764. in occasionem & originem persuasionis ejusmodi, inter Gentiles frequentatæ, inquirit, quam Sacerdotum fraudibus omnium optime adscribi posse existimem. Totum hoc comma singulari Differt. illustravit *Christ. Andr. Siberus*, *Witteb.* 1686. 4.

Vers. 36. *καὶ μηδὲν προπετὲς πράττειν*) *προπετὲς* est *præceps*, & *temerarium. Hesychius* explicat *προπίπτων πρὸ τοῦ λογισμοῦ. Menander* Fragment. p. 212. v. 93. ita: - - *μηδὲν ἠρεθισμένος*
Πράξῃς προπετῶς.
Conf. Cl. *Jo. Alberti* p. 260. O. S. & *Suicerum* Tom. II. p. 850.

Vers. 37. *οὔτε βλασφημοῦντας τὴν θεὰν ὑμῶν*) Scilicet hoc nefas erat etiam apud Gentiles, sicut inter Judæos ex præcepto divino, quod nonnulli eorum etiam ad ficta Gentilium Numina pertinere censent. Vide *Seldenum* de Jure Nat. & Gent. p. 268.

Vers. 38. *ἀγοραῖοι ἄγονται*) Pleræque editiones vocem *ἀγοραῖοι* tanquam *προπερισπωμένην* exhibent, paucæ, inter quas *Erasmi Schmidii* est, *προπαροξύτονον*, per *ἀγόραιον*. Atque hoc malunt Criticorum præstantissimi, v. c. *Schmidius* in Notis, qui ita quoque habet in Concordant. Græcis, & *Isaac. Casaubonus* ad Theophrasti Characteres p. 100. *Recte*, inquit is, *notat* **Suidas**, *ἀγόραιον dici diem, quo lites disceptantur. Ita omnino scribendum in Actis* c. XIX. *& subintelligendum ἡμέραι. Glossarium vetus*: cum res agitatur; *ὅτε ἡ ἀγόραιός ἐστι.* Consentiunt *Pricæus* ad h. l. *Lud. de Dieu*, *Suicerus* Tom. I. Thesauri p. 67. sq. *Jo. Frid. Gronovius* Obss. III. 22. *Alex. Morus* in Causa Dei p. 67. & *Lamb. Bos* de Ellipsi Gr. L. p. 78. adducto *Strabonis* loco lib. XIII. *διοικήσεις ἐν αἷς τὰς ἀγοραίους ποιοῦνται*, unde patere putat, vocem *ἡμέρας* hic esse subintelligendam. Nec alienus ab his videtur *Salmasius* de Modo Usurarum p. 71. *Ammonius*, inquit, *distinguit inter ἀγοραῖον & ἀγόραιον, accentu variato. Ἀγόραιος, inquit, ἐὰν προπαροξυτόνως, σημαίνει τὸν ἐν ἀγορᾷ τεθραμμένον, ἐὰν δὲ προπερισπωμένως τὸν ἐν ἀγορᾷ τιμώμενον. Corruptissime hæc postrema. Lege, si emendatiora vis, τὸν ἐν ἀγορᾷ τι ὠνούμενον*: qui in foro aliquid emit. *Intellige hos concionatores, qui in foro ab agricolis & artificibus atque etiam exteris mercatoribus, quod venale habebant, præstinabant, carius postmodum vendituri, qui ἀγοραῖοι dicendi, cum accentu in penultima circumflexo. Sed melius legatur, τὸν ἐν ἀγορᾷ τι πωλοῦμενον, qui in foro aliquid vendit.* Sed intercedit his Vir Græce itidem doctissimus, *Jo. Conr. Dietericus* in Antiquitt. Biblic. N. T. Tom. I. p. 33. *Sed quid vetat*, inquit, *legi ἀγοραῖοι, ut sit sensus, quem Vulg. expressit: ἀγοραῖοι ἄγονται*, i. e. *conventus vel judicia in foro, κρίσεις forenses aguntur, siquidem, quod negari nullo modo potest, ἀγοραῖος præter alias, de quibus postea, & hanc habet significationem, ut significet* forensis, *vel* ad

 forum

forum judiciarium pertinens, *unde Herodoto lib. VII. ἀγοραῖος διαφορὰ, causa, seu dissidium forense, Suidæ*: *ἀγοραία δίκη*, causa forensis. *Plutarchus in Pericle*: *ἀγοραῖος δὲ καὶ πολιτικὸς μᾶλλον, rerum fori peritus*: *id quod H. Stephanus largitur ex Herodiano, πράξεις ἀγοραίους ἐνεχείρισαν. Arabs quoque aliter videtur legisse: ἀνθύπατοί εἰσιν, ἀγοραῖοι ἀγέτωσαν, καὶ ἐγκαλείτωσαν ἀλλήλοις. Vertit enim secundum Fr. Junium:* sunt Judices in civitate: isti rite agant, & compareant, disceptaturi quisque illorum cum socio suo: *quasi ἀγοραίως in Græco esset*, i. e. *κατὰ τοὺς θεσμοὺς τῆς ἀγορᾶς*. Ampliandum igitur hic esse censeo, quod & facit *Boisius* in Collat. p. 448. cum vox *ἀγοραῖος* cum circumflexo itidem forense aliquid denotet, & nunc ad *personas*, nunc ad *res*, referatur. Si ad personas, subintelligere fas est *ἀνθρώπους*, si ad res, vel *ἡμέρα*, vel *κρίσις*, vel *πρᾶξις*, vel *σύναξις*. Malim hic accipere de personis, seu viris, ad causas cognoscendas pertinentibus, qui scilicet convocari solere hic dicantur. Sic in *Strabonis* loco, a Boisio allato, vox *ἀγοραίους* rectius admittere mihi videtur vocem *κρίσεις*. Nisi malis *συνάξεις*, ex quo vel simili supplemento *Boisius* l. c. ita *Strabonis* locum convertit: *diœceses vel præfecturæ, in quibus conventus agunt* (forum agunt) *& jus dicunt*. Ita *Vulg*. h. l. *conventus forenses aguntur*. Ceterum de voce *ἀγοραῖος*, alio, quam hic, sensu adhibita, lege supra ad XVII. 5.

καὶ ἀνθύπατοί εἰσι) De voce *ἀνθύπατος* vide supra ad XIII. 7. Conf. *Jo. Harduinum* de numis Populorum & Urbium in Opp. Select. p. 13.

Vers. 39. *ἐπιλυθήσεται*) *expedietur, absolvetur*. Vide *Herm. Hardtii* Præfat. ad B. Lutheri Comment. in Scripturam S. p. 32.

Vers. 40. *τῆς συστροφῆς ταύτης*) *Polyb*. p. 420. *δεδιότες τὴν τῶν νέων συστροφὴν, cum juniorum coitionem metuerent*.

CAP. XX.

QUæ in hoc capite varietates lectionum occurrunt, earum præcipuas, interposito interdum judicio suo, exhibet *Jo. Clericus* in Arte Critica Part. III. Sect. I. c. VIII. De potioribus & nos videbimus.

Vers. 1. *καὶ ἀσπασάμενος*) Nonnulli Codd. hic habent: *καὶ παρακαλέσας ἀσπασάμενός τε*. Sed *τὸ παρακαλέσας* procul dubio ex versu proxime sequente aut *Act*. XVI. 40. huc translatum est præter rem. *Τὸ ἀσπασάμενος complexum* infert, interdum osculo jungi a discessuris solitum. Lege *Xenophont*. Cyropæd. lib. II. p. 31. & Hist. Græc. lib. IV. p. 396. & alias. Conf. *Raphelii* Annotatt. Xenophonteas p. 177.

Vers. 2. *ἦλθεν εἰς τὴν Ἑλλάδα*) Distinguitur hic Macedonia a Græcia, quod etiam fit ab aliis, ut a *Curtio* IV. 1. 10. *illato Macedoniæ & Græciæ bello*. Sic

Sic apud *Arrianum* Expedit. IV. 11. 14. & II. 10. 11. Vide Rev. *Raphelium* in Annott. Polybian. p. 380. qui id ideo factum censet, quod cum aliis rebus multis differrent Macedones a reliquis Græcis, tum lingua uterentur Græca quidem, sed tamen dialecto ejusmodi, quæ ne quidem satis intelligi a ceteris Græcis potuerit. Confer *Raderum* ad Curtium VI. 9. 35. Hoc nomine *Demosthenes* Philippum Macedonem *barbarum* appellat Olynth. 3. p. 11. Similiter supra XIX. 21. Μακεδονία καὶ Ἀχαΐα distinguitur, ubi per Ἀχαΐα Græciam intelligi, ostendit *Salmasius*.

Vers. 3. ποιήσας τε μῆνας τρεῖς) Nominativus hic absolute ponitur, qui alioquin referri non potest ad phrasin sequentem: ἐγένετο γνώμη. Ita vero præstantissimos Græciæ Scriptores loqui, ostendit *Raphelius* in Annott. Polyb. ad h. l. p. 381. & ad Marc. IX. 20. nec non in Xenophonteis ad h. l. & ad *Luc.* XXI. 6. Conf. hic *Erasm. Schmidium*, qui & ipsam phrasin ποιεῖν μῆνας Græcam esse probat ad *Matth.* XX. 12.

Vers. 4. ἄχρι τῆς Ἀσίας) Omittunt hæc Codd. nonnulli, & *Vulg.* Ideo pro scholio marginali habet *Millius* in Prolegom. §. 439. addita ratione, quod nemo talia prætermissurus fuisset. Sed pro responsione ad hanc rationem, quam alias dedimus, rectius quæretur: quis talia, non præeunte Scriptore ipso, in textum facile intruserit?

Σώπατρος) Codd. alii legunt Σωσίπατρος, quod natum puto ex *Rom.* XVI. 21. ubi Σωσίπατρος quidem inter συγγενεῖς Pauli memoratur, sed eum tamen vel ideo, quod hæc circumstantia hic non additur, a nostro hoc distinctum puto. Interim crediderim *Sopatri* & *Sosipatri*, cujus utriusque in Romana & Græca historia exempla exstant, idem esse nomen, quamvis alterum, ut fieri in his solet, sit decurtatum. Quidam Codd. addunt τοῦ Πύῤῥου i. e. *Pyrrhi filius*, quod *Millius* Prolegom. §. 437. recte pro scholio habet ex traditione nato, qua cognitum olim fuerit, Sopatrum hunc Pyrrhi fuisse filium.

Vers. 5. Οὗτοι προελθόντες) *hi cum præivissent.* Alii legunt προσελθόντες i. e. *cum advenissent.* Communem illam lectionem genuinam esse, vel inde constat, quod additur, eos Paulum Troade exspectasse, quod dici potest de iis, qui præiverunt. Crediderim autem referendum hoc esse speciatim ad *Tychicum* & *Trophimum*, ut ceteri Paulum comitati intelligantur.

Vers. 7. Ἐν δὲ τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων) *prima die hebdomadis* seu die Dominico. Vide quæ scripta sunt ad *Matth.* XXVIII. 1. Ad h. l. speciatim lege *Altingium* Tom. V. Opp. p. 88. ubi de Sabbato. Is vero ita: Paulus per quinque dies in itinere versatus, exacto jam primo die seu Dominico; Troadem venit. Hæsit istic, licet festinaret Hierosolymam, v. 16. dies integros

gros ſeptem, quos quidem procul dubio non transmiſit otioſus, ut ab exhortandis fidelibus abſtineret, qui noctes quoque diebus jungere ſuetus eſſet in iſto opere v. 18. & 31. potuiſſet tamen ſui expediendi & perſequendi itineris ergo intra illud tempus conventum extraordinarium indixiſſe; ſed ſatis habuit, dilato eousque itinere, exſpectare ſolennem diem primum, habendis ſacris cœtibus ordinarium; quo diſcipuli congregati fuere, non ex ipſius ſpeciali juſſu, ſed recepta lege ac conſuetudine, ut panem frangerent. Ita ille. Conſentit cum his *Lud. Cappellus* in Operibus p. 283. b. qui tamen morem illum non a Domini aut Apoſtolorum præcepto aliquo, ſed a ſola Chriſtianorum conſuetudine, repetit. Vide etiam *Barnab. Briſſonium* in Comment. ad L. Dominic. de ſpectaculis & feriis, qui exſtat Tom. VI.Antt. Græc. Adde *Pitſchmanni* Dubia Vexata Hiſt. Eccleſ. Faſcic. I. p. 61. ſq. ubi de eo diſputatur, an Apoſtoli diem Dominicum celebrarint.

συνηγμένων τῶν μαθητῶν) Nonnulli Codd. pro *μαθητῶν* legunt *ἡμῶν* quod & *Vulg.* habet, & ad ejus exemplum *Rich. Simon* in Verſ. Gall. retinuit. *Millius* τὸ *ἡμῶν* ex Lectionario repetit. Et non dubium eſt, lectionem *μαθητῶν* genuinam eſſe. Id patet tum ex ſequente phraſi *διελέγετο αὐτοῖς*, in qua, ſi altera lectio ſtaret, τὸ *αὐτοῖς* vel omittendum erat, vel τὸ *ἡμῖν* repetendum. Nec minus ex eo manifeſtum eſt, quod heic non tantum conventus actus ſit comitum Pauli, v. c. Lucæ & ceterorum v. 4. commemoratorum, ſed ceterorum quoque fidelium. Hinc etiam fit, ut v. 13. Lucas, in narratione ſua pergens, dicat: *ἡμεῖς δὲ προελθόντες* &c. ubi vox *ἡμεῖς* ceteris *μαθηταῖς* ibi congregatis, contradiſtinguitur. Nomen *μαθητῶν* de fidelibus Chriſtianis uſurpari, tot Actuum locis conſtat, ut in dubium vocari non poſſit. Vide vel c. VI. 1. 6. 7.

τοῦ κλάσαι ἄρτον) i. e. ut celebrarent Euchariſtiam: vide ad *Act.* II. 46. & confer huc *Voſſii* Philolog. Sacr. Part. II. p. 220.

Verſ. 8. *Ἦσαν δὲ λαμπάδες ἱκαναὶ*) Eas quidem non ſolum nocturnum tempus exigebat, ſed ſuadebat etiam diei ſolemnitas. Judæi enim æque ac Gentiles conventus ſacros ſeu feſtos luminibus decorare conſueverant. Vide *Feſſelii* Adverſaria Sacra lib. VII. c. 1. p. 115. Tomi II. Adde *Kochii* Obſſ. Miſcellan. Tom. III. p. 211.

ἐν τῷ ὑπερῴῳ) De voce hac diximus ſatis ad *Act.* I. 13. Conf. *Georg. Urſini* Antiquitates Hebræorum Academic. & Scholaſtic. p. 55.

οὗ ἦσαν) Alii Codd. *οὗ ἦμεν*, ii ſcilicet, qui v. 7. pro *μαθητῶν* legunt *ἡμῶν*, qua de re modo diximus. Cumque mutata hæc lectio ab illa pendeat, patet, eandem quoque non minus cum illa cadere. Itaque miror, *Millium*, qui lectionem *ἡμῶν* pro *μαθητῶν* ut ſpuriam recte rejecerat, præſentem

ſentem iſtam in Proleg. §. 1282. pro genuina habere potuiſſe, ideo, quod Lucas in antecedentibus & ſequentibus in prima perſona plurali loquatur. Certe Lucas v. 7. non loquitur in prima perſona, dicens: συνηγμένων τῶν μαθητῶν-διελέγετο αὐτοῖς, nec in ſequentibus: ἦσαν δὲ λαμπάδες &c. Ad primam vero perſonam v. 13. demum devenit, ubi orationis filum ab illis, quæ geſta narraverat adverſus alios, ad ſe & ceteros Pauli abituri comites deflectit.

Verſ. 9. ὀνόματι Εὔτυχος) Nomen *Eutychi* occurrit etiam apud *Artemidorum* III. 38. Juvenem hunc vere mortuum fuiſſe, exiſtimat *d'Eſpagne* in Opp. German. editis p. 295. Conf. v. 10.

Verſ. 10. ἡ γὰρ ψυχὴ αὐτοῦ ἐν αὐτῷ ἐστι) Perinde fuerit, ſive ψυχὴν de *anima*, ſive de *vita* interpreteris. Mavult tamen poſterius *Jo. Clericus* in Arte Critica Part. II. Sect. I. c. 5. §. 5. provocans ad *Virgil.* Eclog. IV. 53. & *Juſtinum*, qui vocem hanc eadem notione adhibuerint. Idem ſimile huic exemplum ex *Livii* lib. XLII. c. 16. affert, hominem ſcilicet, quem lapidibus proſtratum *vivere adhuc ex calore & ſpiritu remanente in præcordiis ſenſerint* accedentes. Pravum imitamentum hujus hiſtoriæ *Clearchum*, Ariſtotelis diſcipulum, in libris *de ſomno* memoraſſe, & ex eo perſuaſum Ariſtoteli, animam eſſe χωριστήν, poſtquam eam vidiſſet, virga, neſcio qua, in corpus revocari, obſervat h. l. *Alex. Morus* in Notis p. 101. Fortaſſe nec plus fuerit tribuendum ſimilibus quorundam de Sanctis narrationibus, quas ad h. l. commemorat *Picinellus* in L. R. p. 681. *Gerh. Joh. Voſſius* de origine & progreſſu Idololatriæ lib. 3. c. 20. T. V. Opp. p. 301. animam Eutychi nondum corpore exceſſiſſe, ſed vinculum tantum ejus cum corpore diſſolutum fuiſſe, exiſtimat. Vide ibi plura.

Verſ. 11. καὶ κλάσας ἄρτον) Videtur hæc phraſis itidem de uſu S. Cœnæ accipienda, ut ſupra v. 7. Veroſimile enim eſt, Chriſtianos tunc congregatos & longiore Pauli ſermone, & intercedente fatali illo juvenis lapſu, prohibitos fuiſſe, quo minus ſolenni illa *panis fractione*, ad quam præcipue convenerant, defungi poſſent. Neque tamen res adeo expedita & liquida eſt. Nam & de Paulo uno accipi commode poteſt, qui ſcilicet, ſumto cibo, ad iter ſe hac ratione præparare voluerit. Id colligi poterat ex ſequente verbo γευσάμενος, quod nunquam video adhibitum, ubi de ſacro illo epulo ſermo eſt. Viciſſim vero de jentaculo, vel prandio & cœna dici conſtat. Vide *Act.* X. 10. Phraſin vero illam ſatis Græcam eſſe, oſtendit *Gatakerus* de Stylo N. T. c. XL. p. 249.

οὕτως ἐξῆλθεν) Τὸ οὕτως hic non eſt particula ſimilitudinis, ſed idem infert, quod *tunc*. Hoc vero ſenſu ſæpe adhibetur a *Xenophonte*, ut Cyropæd. lib. VIII. p. 159. & 162. item *Polybio* lib. I. cap. 3. p. 4. ubi

non minus, quam h. l. participio antecedenti jungitur: τῷ γὰρ προειρημένῳ πολέμῳ κρατήσαντες Ῥωμαῖοι Καρχηδονίων - οὕτω καὶ τότε πρῶτον ἐθάρσησαν ἐπὶ τὰ λοιπὰ τὰς χεῖρας ἐκτείνειν *Nam cum eo, quod diximus, bello Romani Carthaginenses superassent--ita demum, ac tunc primum in reliqua manus ausi sunt porrigere.* Conf. *Raphelii* Notas Xenophonteas p. 178. & Polybian. p. 382. & *Perizonium* ad Aeliani V. H. I. 16. p. 21.

Vers. 12. καὶ παρεκλήθησαν οὐ μετρίως) Solatium hoc indeque coortum gaudium non solum ex ante auditis Pauli sermonibus, sed inprimis ex juvene vitæ plene reddito, amotisque sic, quæ hinc nasci poterant, calumniis repetendum esse, recte judicatur in Biblioth. Bremensi Class. I. p. 251.

Vers. 13. εἰς τὴν Ἄσσον) Alii Codd. habent Νᾶσον, vel Θάσον vel Θάσσον, quæ diversa scriptio a librariis nonnullis orta est, urbis hujus nomen ignorantibus. Vox Νᾶσον speciatim ex eo huc devenit, quod librarius ultimam literam ν ex articulo τὴν cum sequente voce præpropere conjungeret. Urbs ipsa *Assus* Troadis est, auctore *Plinio* II. 96. *Ptolemæo* Ἄσσον est neutro genere, ceteris femineo, ἡ Ἄσσος, ut *Straboni* XIII. p. 420. Conf. *Cellarii* Geogr. Antiqv. lib. III. c. 3. p. 43. Lege quæ dicemus infra ad XXVII. 13. ubi de adverbio ἆσσον.

Vers. 14. Ὡς δὲ συνέβαλεν ἡμῖν) *ut se conjunxit nobiscum.* Συμβάλλειν τινὶ est *incidere in aliquem, conjungere se cum aliquo in itinere,* ut apud *Josephum* Ant. VIII. 7. & *Plutarchum* in Lucullo p. 494. ἐκεῖθεν δὲ Σύλλᾳ περὶ χερρόνησον ἤδη μέλλοντι διαβαίνειν, συμβαλὼν τὸν πόρον ἀσφαλῆ παρεῖχε. *Inde Syllæ transmissuro in Chersoneso cum se conjunxisset, transitum tutum præstitit.* Conf. Cl. *Elsn.* p. 462.

εἰς τὴν Ἄσσον) i. e. *apud Assum.* vel ἐν τῇ Ἄσσῳ.

εἰς Μιτυλήνην) Unus Codex *Alex.* legit mendose Μιτυλάνην. Nostra illa scriptio in libris tantum non omnibus Græcis & Latinis recepta est: in numis vero constanter habes Μιτυλήνη, quam in rem lege *Cellarii* Geographiam Antiqu. lib. III. c. 2. p. 16.

Vers. 15. ἀντικρὺ Χίου) *Chios* insula est inter Lesbum & Samum, hodie *Scio:* de qua multa Cellarius l. c. p. 18.

παρεβάλομεν εἰς Σάμον) *accessimus, appulimus ad Samum.* Ita *Polybius* XII. 3. ἐμοὶ δὲ συμβαίνει καὶ παραβεβληκέναι πλεονάκις εἰς τὴν τῶν Λοκρῶν πόλιν, & lib. XVI. extremo. Lege *Raphelii* Annot. Polybian. p. 383. *Samos* insula est, Epheso objecta. Lege *Cellarium* l. c. p. 20.

καὶ μείναντες ἐν Τρωγυλλίῳ) Omittunt pauci Codd. & versiones *Vulg.* ac *Æthiop.* Sed illas non sequetur, qui tot aliorum vel Codd. vel versionum aucto-

auctoritatem plus valere recte ſtatuere didicit. De ſcriptione vocis Τρογυλλίῳ varia non repetam ex *Millio*. Suffecerit monuiſſe, Ptolemæum inter Epheſum & Mæandri oſtia Τρογύλιον ἄκρον i. e. *Trogylium promontorium* memorare, quod *Strabo* lib. XIV. p.438. Τρωγίλιον ἄκραν appellat, qui & ibidem parvam ejusdem nominis inſulam, ante hoc promontorium ſitam, commemorat. Atque hanc parvam inſulam a S. Luca indicari exiſtimat *Cellarius* l.c.p.81.

Verſ. 16. Ἔκρινε γὰρ ὁ Παῦλος παραπλεῦσαι τὴν Ἔφεσον) Vide ad hoc comma *Ezech. Spanhemium* de Uſu & præſtantia Numiſmatum Tom. I. p. 621. ed. in fol.

Verſ. 17. μετεκαλέσατο τὺς Πρεσβυτέρυς τῆς Ἐκκλησίας.) Hinc recte cordatiores nonnulli conſequi putarunt, Pauli tempore eam non fuiſſe inter Epiſcopos & Presbyteros diſtinctionem, quæ inſecuta ætate obtinuit, quamque ideo antiquiſſimis quoque illis temporibus locum habuiſſe perperam ſibi perſuaſerat. *Hoc uno* (τῶν πρεσβυτέρων ſcilicet) *nomine*, inquit *Vitringa* de vetere Synagoga lib. II. c. 2. p. 477. *deſignantur omnes illius Eccleſiæ Rectores, quos etiam ut ejusdem ordinis & officii homines compellat in contextu ſequente, nullo prorſus indicio, inter Presbyteros illos unum fuiſſe gradu ceteris excellentiorem, ad quem oratio Pauli ſpeciatim ſit directa, vel cujus curæ Epheſina Eccleſia ſingulariter ſit commiſſa.* Rem hanc conficit, quod v. 28. illi, qui hic vocantur πρεσβύτεροι, ἐπίσκοποι appellentur. Lege de hoc argumento *Salmaſium* de Epiſcopis & Presbyteris p. 10. & 154. *Petavium* in Dogmat. Th. Tom. IV. p. 169. ſq. & adde *Beveregium* in Codice Canon. Vindicato p. 233.

Verſ. 18. Ὡς δὲ παρεγένοντο πρὸς αὐτὸν) Codices pauci hic addunt ὁμοθυμαδὸν, alii vero ὁμόσε vel ὁμοῦ ὄντων αὐτῶν. *Jo. Clericus* Arte Critica P.III. Sect. I. c. 8. p. 90. ad hanc rem ita: *Sed cum nulla fuerit addendi ratio, fuit aliqua detrahendi; quod nimirum inutilia judicarentur, & ſapere gloſſema. Verum, cum ſuperiora verba nequaquam obſcura ſint, non opus erat gloſſemate. Itaque retinenda cenſuerim, ut innumeras alias repetitiones, aut voces non neceſſarias, quas nemo unquam circumcidendas putavit.* Largior facile Viro docto, verba per ſe adeo clara eſſe, ut non opus fuerit interpretamento aut gloſſemate. Sed idem, credo, conceſſerit, gloſſemata varii generis eſſe, alia ſcilicet, quæ ad obſcuritatem aliquam vere talem tollendam pertineant, ut, quando voces ignotiores phraſesve clarioribus aliis permutantur; alia vero, quæ ex paralleliſmo petita ſint, & quibus gloſſatores ſuperſedere poterant. Hujusmodi vero illa verba, de quibus ſermo nobis eſt, recte haberi crediderim. Scilicet D. Lucas ſæpe, ubi de conventu quodam agitur, utitur voce ὁμοθυμαδὸν v. c. *Act.* I. 14. II. 1. 46. IV. 24. V. 12. VII. 57. VIII. 6. XII. 20. XV. 25. XVIII. 12. Cujus phraſeos recordatus aliquis idem ὁμοθυμαδὸν hic locum habere poſſe exiſtimavit, & vel ideo ad marginem vel in con-

textum ipsum referendum censuit. Eam vero vocem alius obscuriorem esse ratus, cum non solum de eadem animi sententia, sed de eodem loco dici possit, alteram phrasin substituit, nempe: *ὁμᾶ ὄντων αὐτῶν.* Atque ipsa hæc permutatio glossematis suspicionem vehementer auget. Alterutrum enim tantum, si ullum, a Luca profectum esse necesse est.

Verf. 20. Ὡς ὑδὲν ὑπεστειλάμην τῶν συμφερόντων) Verbum ὑποστέλλεσθαι & de *re* & de *persona* usurpatur. In hoc commate de *re*, in commate vero 27. de *persona* adhibent. In nostro itaque recte verteris; ut *nihil celaverim, dissimularim, subduxerim, eorum, quæ conducere videbantur.* Ita non opus erit, ut cum *Boisio* in Collat. p. 450. soliciti simus, utrum vox ὑδὲν ad verbum ὑποστέλλεσθαι, an ad ἀναγγεῖλαι sit referenda? Pertinet enim omnino ad ὑποστέλλεσθαι, si illum, quem dixi, significatum teneamus. Eum vero voci huic satis vindicarunt ad h. l. *Camerarius*, *Pricæus*, *Ezech. Spanhemius* ad Julian. Oratt. p. 10. *Elsnerus* p. 463. & *Suicerus* T. II. p. 1398. novo quoque exemplo verbi simplicis στέλλεσθαι ex *Polybio* p. 328. munivit *Raphelius* in Annot. Polybianis p. 383. Commate 27. ὐ γὰρ ὑπεστειλάμην ellipticum est, per additam vocem ἐμαυτὸν supplendum. Sic *Gal.* II. 12. de Petro Paulus ait: ὑπέστελλε καὶ ἀφώριζεν ἑαυτόν.

Verf. 21. τὴν εἰς τὸν Θεὸν μετάνοιαν) i. e. τὴν εἰς vel πρὸς τὸν Θεὸν ἐπιστροφὴν, *conversionem ad Deum.* Pœnitentiæ enim veræ scopus est conversio ad Deum. Et constat, voces nonnullas quasi gravidas & prægnantes esse, quæ ampliorem notionem complectantur, quam primo intuitu præ se ferunt.

Verf. 22. ἐγὼ δεδεμένος τῷ πνεύματι) Vocem πνεῦμα alii ad Spiritum S. alii ad Spiritum seu animum Pauli referunt. Priores πνεῦμα interpretantur de *revelatione* a Spiritu S. facta, fore scilicet, ut Hierosolymis in vincula conjiciatur. Hinc v. 23. statim Paulus provocat ad illud Spiritus S. oraculum, ὅτι τὸ Πνεῦμα κατὰ πόλιν διαμαρτύρεται, λέγον, ὅτι δεσμά με καὶ θλίψεις μένυσι. Conf. XXI. 4. ubi de Christianis dicitur: οἱ τινες τῷ Παύλῳ ἔλεγον διὰ τῦ Πνεύματος μὴ ἀναβαίνειν εἰς Ἱερυσαλήμ, si scilicet evitare vellet vincula & calamitates alioquin certissime subeundas. Lege pro hac sententia inprimis *Erasm. Schmidium* ad h. l. Alii de Spiritu S. hæc accipienda itidem censentes, *impulsum* potius & *mandatum* ejus, ut Hierosolymam vel sic proficiscantur, intelligunt cum *Beza*, contra quem disputat *Schmidius* l. c. Cum *Beza* facit *Camp. Vitringa* Comment. in Jesaiam Tom. II. p. 504. ad XLV. 14. *Vinciri Spiritu sive a Spiritu S.* inquit is, *sive a cogitationibus mentis a Spiritu S. administratis, idem est, atque ad certum aliquod, quale sit, determinari.* Alii denique idem esse volunt, quod *spiritu munitus, firmatus, & quasi circumligatus*, ut *Ælianus* VI. 12. ἀδάμαντι δεδεμένην ἀρχὴν i. e. *regnum firmatum*, & quasi *adamante vinctum* appellat; quasi diceret Paulus: *quantumvis diræ*

diræ mihi atque atroces minentur calamitates, Spiritu tamen cœlesti, tanquam validissimo vinculo, circumdatus & munitus proficiscar Hierosolymam. Ita Cl. *Jo. Alberti* in Obss. S. p. 261.

Qui τὸ πνεῦμα ad animum Pauli referunt, hoc id faciunt sensu, quod animo seu spiritu, revelatione scilicet illustrato, præsagierit catenas, quibus corpus aliquando vinciendum sit. Conf. Biblioth. Bremens. Class. VI. p. 95. in notis. Atque hanc mihi expositionem phraseos obscurioris præ ceteris placere non diffiteor, quippe quæ utramque notionem vocis πνεῦμα maxime obviam, nempe *afflatum* Sp. S. & ipsam Pauli animam, eo plenam, & de futuris fatis edoctam complectatur. Absit itaque omni modo, ut in conjecturam *Sam. Battierii* descendamus, in Bibl. Bremens. l. c. propositam. Is scilicet lectionem receptam δεδεμένος cum δεδομένος permutatam cupit, quasi diceret Paulus, se ita *traditum* commissumque Spiritui S. esse, ut impulsum ejus etiam in hac causa sequi constituerit. Non urgebo hic, temere tentari mutationem sacrarum literarum, in tanta præcipue Codicum omnium consensione. Sed phraseos hujus exemplum in sacris requiro. Eam non probant, quæ affert Vir doctus ex *Act.* XIV. 26. & XV. 40. ubi Paulus & Barnabas dicuntur παραδιδόμενοι τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ aut ex XV. 26. ubi de ἀνθρώποις παραδεδωκόσι τὰς ψυχὰς αὐτῶν. Non exiguum inter illas & nostram hanc phrasin discrimen intercedere per se manifestum est. A composito enim verbo ad simplex, ad eandem significationem utrique vindicandam, argumentari non licet. Objicitur l. c. sacras literas nusquam docere, quod Spiritus S. hominem vinciat, imo vero tradere potius, quod eum liberet. Aliter statuet, qui recogitarit, *vincula amori* tribui i. e. blandam quandam vim, quæ hominis animo non invito inferatur. Ita Paulus 2 *Cor.* V. 14. ait: ἡ γὰρ ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ συνέχει ἡμᾶς, qui amor Christi in nos, tot argumentis demonstratus, a Spiritu S. in animis fidelium confirmatus & obsignatus est Rom. V. 5. ὅτι ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ ἐκκέχυται ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν διὰ Πνεύματος ἁγίου τοῦ δοθέντος ἡμῖν. Atque ille amor Dei in nos vinculum quasi est, quo Spiritus S. hominis animum trahit, ducit & flectit. Sic Paulus supra XVIII. 5. dicitur συνέχεσθαι τῷ πνεύματι.

Τὰ ἐν αὐτῇ συναντήσαντά μοι μὴ εἰδώς) Pugnare hæc videntur cum v. 23. ubi ex revelatione Spiritus S. nosse se ait Paulus, vincula & calamitates se præstolari. Sed pugna nulla est, modo ignorantiam illam de Paulo sibi relicto accipias, vel de eventu, quam calamitates illæ fortituræ sint, intelligas. Conf. *Jo. Buxtorfii* Catalecta p. 293.

Vers. 23. κατὰ πόλιν) Elegantem trajectionem hic esse existimat *Hombergius* in Parergis p. 185. ut sensus sit: κατὰ πόλιν με μένουσι θλίψεις. At enim vero voces illæ suo loco omnino sunt relinquendæ, ut nempe Spiritus S. dicatur *per singulas civitates*, per quas hactenus iverit Paulus, idem *testatus*. Idem enim deinceps factum esse narratur *Tyri & Cæsareæ*, Act. XXI. 4.

 & 11.

& 11. & procul dubio factum est in urbibus aliis. Hinc nonnulli Codices legunt, addito scholio: κατὰ πᾶσαν πόλιν, vel κατὰ πάσας πόλεις. Et quomodo præterea dici potest, Paulo in singulis civitatibus, quæ vis est phraseos Græcæ, imminuisse vincula, quæ Hierosolymis tantum exspectare debebat.

Vers. 24. Ἀλλ' οὐδενὸς λόγον ποιοῦμαι) i. e. de nullo horum, quæ commemoravi, solicitus sum. Vide *Keuchenium* ad h. l. ex LXX. Intt. p. 199. *Polybius* p. 1329. πᾶν μὲν γὰρ καὶ πρὸς πᾶν τι λέγειν θαῤῥοῦν οὐδένα λόγον ποιούμενοι τῆς ἀληθείας. *Quidvis enim dicere, & ad omnia respondere, spreta veritate, audebant.*

ὡς τελειῶσαι τὸν δρόμον μου) Videtur hic alludi ad cursum in Olympicis certaminibus receptum. Vide *Ezech. Spanhemium* in epistolis Specimini rei numariæ universæ Morelli subjectis p. 40.

Μετὰ χαρᾶς) Codd. pauci & versiones quædam omittunt. Ideo ex Hebr. XIII. 17. huc translata credit Millius in Prolegom. §. 975. Sed facilius, puto, fieri potuisse, ut hæc ex nonnullis per incuriam exciderent, quam ut in tot Codices, nisi Scriptor Sacer præivisset, reciperentur.

διαμαρτύρασθαι τὸ Εὐαγγέλιον τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ) διαμαρτύρασθαι hic est *indicare*, sive *annunciare* Evangelium. Ita οἱ LXX. hoc verbo utuntur *Ezech.* XVI. 2. & XX. 4. Conf. *Keuchenium* p. 199.

Vers. 26. ὅτι καθαρὸς ἐγὼ ἀπὸ τοῦ αἵματος πάντων) purus sum a condemnatione & exitio vestrûm. Conf. ad *Act.* XVIII. 6.

Vers. 27. Οὐ γὰρ ὑπεστειλάμην) Vide ad v. 20. *Boisius* ad h. l. p. 452. observat, *Budæum* in Commentariis Gr. L. libere, sed erudite vertere: *nec enim prævaricatus sum, in renunciando vobis consilio divino.* Significat scilicet, Paulum nequaquam perfide aut dolose Christi negotium egisse, sed bona fide, maximeque serio, ita ut nihil illi prius fuerit, quam ut Apostoli officio in regno Christi promovendo sincere fungeretur.

Vers. 28. Προσέχετε ἑαυτοῖς) *attendite vos ipsos*, i. e. vestram salutem non negligite. Similiter *Epictetus* Enchiridii c. 75. Conf. *Raphelii* Annott. Polybian. p. 384.

ἐν ᾧ ὑμᾶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο Ἐπισκόπους) Hi v. 17. vocantur πρεσβύτεροι, ubi nos vide. Ceterum recte ex h. l. colligit *Pet. de Marca* de Concordia Sacerdotii & Imperii VI. p. 58. sq. jam tum constitutos fuisse, qui certo loco, & certæ Ecclesiæ Christi portioni præessent.

ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν) ποιμαίνειν de Presbyteris & Episcopis, tanquam Pastoribus Ecclesiæ, adhibet etiam Petrus 1 ep. V. 1. 2. & Patres Apostolici passim, quorum loca vide apud *Vitringam* de Vetere Synagoga p. 622.

p. 622. qui præterea observat, nomen hoc convenientissime in hac causa adhiberi, quia facilis admodum & clara sit comparatio *Ecclesiæ* & *Gregis*, Rectorum item Ecclesiæ & Pastorum, qui scilicet gregem suum nutriant, ducant, & tueantur: tum vero Pastoris nomen omni tempore, præsertim antiquo, in summo fuerit pretio, & frequentissimo usu ad quamvis præfecturam per illud exprimendum, quod Philonis & SS. literarum exemplis commonstrat. Idem p. 625. seq. verbum ποιμαίνειν & vocem ποιμὴν confert cum Hebr. פרנס *Parnas*, quod *pastorem* proprie infert, quemadmodum verbum *Parnes* denotat pascere. Vide Paraphrasten Chald. ad *Jer.* XXXIV. 8. & *Ezech.* XXXIV. 23. Jam vero non solum olim, sed hodienum rectores Synagogarum a Judæis פרנסים appellantur, quod idem in sequentibus cum cura edisserit. Adde ejusdem Archisynagogum p. 46. & 72. *Lutherus* convenientissime interpretatus est per: weyden, pro quo lege *Raithii* Vindicias vers. German. p. 476. sq.

τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ) Quidam Codd. legunt τοῦ Κυρίου, alii τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ, *Syrus* vero, *Theodoretus* & alii quidam Patres Χριστοῦ. Sed nostra lectio τοῦ Θεοῦ communissima est, & in antiquissimis Codd. recepta atque ideo omnino retinenda. Certe ex voce Χριστοῦ, etiamsi per compendium ΧΟΥ scripta existimetur, non tam facile, quod Grotius putavit, fieri potuit per incuriam ΘΕΟΥ vel ΘΟΥ, unde nec in ullo Cod. MS. h. l. occurrit. Et *Syrus* quoque in Codice suo videtur legisse non Χριστοῦ, sed Κυρίου, quippe quod nomen etiam alibi, ut *Act.* IV. 33. & *Col.* III. 18. per משיחא i. e. Χριστόν, sensum magis quam vocem expressurus, reddidit. *Lectio vero* Κυρίου, ut *Millius* in notis ad h. l. recte ait, *ex hoc fonte profluxisse* videtur, *quod absurdum videbatur, sanguinem Dei dicere, ideoque in ἀκυρολογίας medelam ad oram Codicis apponendum* Κυρίου, *quasi interpretamenti loco, quod deinde in germanæ lectionis locum admiserint librarii.* Addit idem, factum hoc esse jam ab *Irenæi*, cujus eadem est lectio III. 14. sæculo, per fraudem, vel hoc nomine intolerabilem, quod absurdum illud, cujus evitandi gratia admissa est, jam olim omni Christianismi ævo pro vero & Catholico habuerit Ecclesia. Patres enim Apostolis proximi haud veriti sunt sanguinem Christi *Sanguinem Dei* dicere, ut patet ex *Ignatio* in limine Epist. ad Ephesios: μιμηταὶ ὄντες Θεοῦ, ἀναζωπυρήσαντες ἐν αἵματι Θεοῦ. Conferatur idem in Prolegom. §. 1365. ubi contra *Grotium* recte disputat, item *Whitbius* in Examine p. 55. qui communem lectionem optime a Millio adstructam esse pronunciat. Interim *Jo. Clericus* in Arte Critica Part. III. Sect. I. c. 8. p. 92. item in Epistola N. T. Milliano edit. Amstelod. præfixa p. 2. tum vero in notis ad Vers. Gall. N. T. & in Bibliotheca Vetere & Nova Tom. VII. Part. I. p. 202. lectionem τοῦ Κυρίου, tanquam ordinarium Christi nomen, non obscure approbat, notatus ideo a *Philip. Mesnardo* in Conatu de Socinianismo & Examine interpretationum quarundam Clerici, Parte II. Ceterum non ignota erat Judaicæ Ecclesiæ

Ecclesiæ doctrina de redemtione populi a Deo ipso præstanda. Fundatam enim eam esse in *Ps.* XXII. & *Zach* IX. 9. veteres Judæorum Interpretes agnoverunt. Conf. *Allixii* Judicium Ecclesf. Judaicæ adversus Unitarios p. 267.

ἣν περιεποιήσατο διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος) Illud περιποιεῖσθαι per λυτροῦσθαι egregie explicat S. Petrus 1. ep. I. 18. 19. unde simul apparet, sanguinem illum *Dei* loco pretii effusum & exhibitum esse. In quam sententiam scite observavit *Vitringa* Obss. Sacr. lib. I. p. 107. Syros vocem דמין non solum pro *sanguine* sed etiam pro *pretio* adhibere consuevisse. Ita quoque Paraphrastes Chaldæus Jes. LV. 1. בלא דמין ait discere, h. e. *sine pretio*. Inprimis vero notanda hic est addita vox ἰδίου, quæ ut invictum κοινωνίας ἰδιωμάτων in Christo argumentum præbet, ita pretium & dignitatem sanguinis a Christo effusi, tum vero pondus redemtionis nostræ, per eundem præstitæ, in ea luce collocat, qua major dari aut exspectari non potest. Vide hanc in rem singulares nostratium Theologorum disputationes a M. *Wildeshausenio* in Biblioth. Disputatt. laudatas, interque eos inprimis *Asselmanni* Syntagm. Exerc. Theolog. Part. II. p. 142. & *Dorschei* Pentad. Dissertt. Theolog. p. 200. tum vero *Jo. Henr. Ursini* Adversaria Sacra p. 39. sq. Iidem quoque lectionem τοῦ Θεοῦ contra Socinianos vindicant, qua opera etiam B. *Calovius* mascule, ut solet, perfunctus est in Ἀποδείξει Deitatis Christi, & hinc summatim in Bibliis Illustratis ad h. l. Ceterum non video, quomodo in Notis ad Versionem N. T. Gallicam, a *Beausobrio* & *Lenfantio* editam, affirmari potuerit, in multis Codd. MSS. legi διὰ τοῦ αἵματος τοῦ ἰδίου υἱοῦ. Certe nullus talis affertur a *Millio*, qui tantum monet, in nonnullis MSS. legi: διὰ τοῦ αἵματος τοῦ ἰδίου, quod cum recepta lectione, si ordinem excipias, prorsus convenit.

Vers. 29. μετὰ τὴν ἄφιξίν μου) i. e. *post profectionem post discessum meum.* Ita Glossæ interpretantur: ἄφιξις: *profectio*; quod monuit *Alberti* p. 262. recte præterea aversatus illum, qui legere maluit ἄφισις, quæ vox h. l. nihili est. *Vulgo*, ait *Boisius* in Collat. p. 453. ἄφιξις *est adventus: at hic est abitus, præpositione* ἀπὸ *eandem hic vim obtinente, quam in aliis compluribus dictionibus compositis obtinere solet. Nam ut alibi in compositione respondet præpositioni Latinæ* ab *non* ad, *sic etiam hic.* Sic Plato in Epistol. profectionem suam in Siciliam τὴν εἰς Σικελίαν ἄφιξιν appellat.

λύκοι βαρεῖς) Convenientissime Paulus falsos doctores *lupos* appellat, respectu habito ad pastores genuinos, & *gregem*, cui lupi infesti esse solent, neque gregi parcere. Pertinet huc *Artemidori* locus Onirocritic. II. 11. λύκος σημαίνει-καὶ ἐχθρὸν δὲ βίαιόν τινα καὶ ἁρπακτικὸν καὶ πανοῦργον. *Lupus denotat hostem violentum & rapacem & callidum.* Conf. *Arriani* Epictetea lib. I. c. 3. & alios a *Jo. Alberti* l. c. allatos.

Vers.

Verf. 30. τῦ ἀποσπᾶν τὺς μαθητὰς) Sic *Polyb.* p. 1139. τὸ γὰρ τῆς ἐλευθερίας ὄνομα - ἡμῖν μὲν ἄρδην ἀποσπάσει πάντας. Alias usurpatur inprimis de improbis magiftris, difcipulos aliorum ad fe pellicientibus, ut apud *Lucianum* Sympof. p. 861. & *Ælianum* Var. Hift. XIII. 32.

Verf. 31. ὅτι τριετίαν - ὐκ ἐπαυσάμην) Pugnare hæc videntur cum XIX. 10. ubi *biennium* tantum Paulus Ephefi in fchola *Tyranni* cujusdam docuiffe dicitur. Enimvero Lucas ibi tantum computat tempus, quo ædes *Tyranni* ad hoc negotium adhibebantur, Paulus vero hic in rationes refert reliquum temporis fpatium, quo Ephefi doctrinam Chriftianam tradiderat. Huc vero pertinent tres menfes, per quos in Judæorum Synagoga huic operi invigilaverat, tum vero tempus illud, quo Ephefi docuit a primo fuo cum Aquila & Prifcilla adventu. Et fic facile magna pars anni tertii effluxerit, quam in computanda temporum ratione pro anno integro fumi folere compertum eft.

ἕνα ἕκαςον) Nonnulli Codices hic addunt αὐτῶν, fenfum, credo, illuftraturi. Cave tamen a Luca id profectum putes. Nam idem phrafi hac aliquoties utens vocem αὐτῶν nunc omittit, nunc addit. Addit *Act.* II. 3. XXI. 26. &c. omittit II. 6. ὅτι ἤκυον εἷς ἕκαςος.

καὶ τῷ λόγῳ τῆς χάριτος αὐτῦ) Per λόγον hic alii *Evangelium* intelligunt, alii *Verbum fubftantiale* Chriftum. Utraque interpretatio præfidia habet non contemnenda. Pofterius eligunt *Witfius* in Exercitatt. Academic. p. 2. 205. & Mifcellaneis T. II. Exer. III. §. 39. item *Marckius* in Exerc. Biblic. p. 784. & ex noftratibus *Amelius* Part. I. p. 1064. *Witfii* argumentis ufus; prius autem plerique alii, inprimis ex noftratibus. *Witfius* urget, Chriftum λόγον χάριτος, hic dici; uti 1. *Joh.* I. 1. λόγον τῆς ζωῆς, quemadmodum 1. *Pet.* V. 10. *Deus omnis gratiæ* appellatur. Fideles præterea concinnius commendari Chrifto quam Evangelio, quod potius commendetur fidelibus 2. *Tim.* I. 18. Sequentia denique fine fictione hyperbati, non neceffarii, ad Deum referri non poffe, neque Evangelio convenire, quippe quod nos non fuperftruat fundamento, neque det hereditatem. Sed malim tamen vel fic notionem *Evangelii* hic præferre, quemadmodum & *Marckius* l. c. non neceffe putat effe, ut de Chrifto accipiamus, quanquam & ipfe huc referat. Nam Chriftum nusquam alias video vocari λόγον τῆς χάριτος, at Evangelium diferte fic appellatur *Act.* XIV. 3. ubi Κύριος dicitur μαρτυρεῖν τῷ λόγῳ τῆς χάριτος αὐτῦ. Sic XX. 24. vocatur εὐαγγέλιον τῆς χάριτος τῦ Θεῦ. Præterea convenientiffime Deus (per quem vel Deum triunum, vel Chriftum fpeciatim intelligere poffumus, qui v. 28. fimpliciter Θεῦ nomine indicatur) conjungitur cum Evangelio, tanquam medio efficaciffimo, quo ad gratiam fuam impertiendam hominibus utitur. Denique τὸ ἐποικοδομῆσαι feu *fuper ædificare* tribui poteft verbo ipfi, eodem modo, quo alias idem di-

Dddd dddd citur

citur ſalvare homines. Superſtruit autem credentes Chriſto, tanquam unico Eccleſiæ ſuæ ſundamento, 1. *Cor.* III. 11. Niſi malis verba : *τῷ δυναμένῳ ἐποικοδομῆσαι* referre ad Deum per hyperbaton ejusmodi, cujus alias in ſacris & profanis Scriptoribus exempla exſtant, ut ſic Deus dicatur ſuperſtruere fideles verbo ſuo, cui vel propterea commendabantur a Paulo, ut illi fortiter inſiſterent. Firmat hanc interpretationem orationis ſeries. Monuerat enim Paulus v. 30. fore, ut nonnulli loquerentur *διεστραμμένα* h. e. perverſa, & a verbo ſalutis aliena. Horum doctrinam & fraudem ut evitent, tenaces eos eſſe vult verbi, ab ipſo traditi & inculcati. Ejusmodi adhortatio Timotheo data eſt 1. *Tim.* IV. 13. 16.

Verſ. 34. *ὑπηρέτησαν αἱ χεῖρες αὗται*) Ita *Xenophon* in Oeconom. p. 688. *ὧ ἂν τῇ γνώμῃ πολλαὶ χεῖρες ὑπηρετεῖν ἐθέλωσι, cujus voluntati multæ manus obſequi volunt.* Simile exemplum Regis Judæorum, manu ſua ſibi conſulentis, ex *Philoſtrato* II. 26. & aliud Achillis ex Iliad. *ά.* v. 165. affert *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 84. De re ipſa ad Paulum pertinente lege ad XVIII. 3.

Verſ. 35. *ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀσθενέντων*) v. ad *Luc.* I. 54. & *Suicerum* Tom. I. p. 376.

ὅτι αὐτὸς εἶπε. μακάριόν ἐστι διδόναι μᾶλλον ἢ λαμβάνειν) Ad hoc Chriſti dictum alii veterum alludunt, alii vero diſerte id afferunt, v. c. *Clemens* ep. 1. ad Corinth. §. 2. & Conſtitutt. Apoſtol. IV. 3. *Rich. Simon* in notis ad Verſ. Gall. obſervat, in margine Cod. MS. B. Reg. n. 2869. moneri, quod hæc verba exſtent in Conſtitutt. Apoſtolicis, quod vel de dicto Conſtitutionum loco intelligendum eſt, vel de *διδαχαῖς* ſive traditionibus Apoſtolicis deinceps in unum corpus utcunque redactis interpretandum, quo ſenſu Euthalium, a Turriano in præfat. ad Conſtitt. Apoſtol. citatum, capiendum eſſe recte tradidit *Fabricius* ad Codicem Apocryh. N. T. p. 323. Nonnulli Paulum hic alluſiſſe volunt ad *Luc.* XVIII. 22. ubi Chriſtus re ipſa docuit, quod dare beatius ſit, quam accipere. Alii, ſpeciatim *Martianæus* in Conatibus p. 320. magis hæc referunt ad *Luc.* XIV. 12. ubi de vocandis ad prandium pauperibus & ignotis. Sed cum diſerte dictum hoc inter *λόγους* Chriſti hic referatur, malim cum plerisque dicere, Paulum id ex converſatione cum diſcipulis Chriſti accepiſſe. Conf. *Fabricium* l. c. p. 324. qui & ſimilia profanorum Scriptorum, v. c. *Plutarchi* 2. adverſus Colotem : *εὖ ποιεῖν ἥδιόν ἐστι τοῦ πάσχειν* monita affert, quod & faciunt *Grotius*, *Pricæus*, ad h. l. *Picinellus* item in L. R. p. 681. & *Schottus* in Adagial. N. T. p. 98. Vide & *Raphelii* Notas Xenophonteas p. 179.

Verſ. 37. *κατεφίλουν αὐτὸν*) Amicos abeuntibus oſcula figere conſueviſſe, pridem obſervatum eſt a *Kempio* & aliis, qui de Oſculis commentati ſunt. Conf. Picinelli L. R. p. 681.

CAP.

CAP. XXI.

VErſ. 1. ἤλθομεν εἰς τὴν Κῶν) Nonnulli Codd. habent Κῶ, mendoſe: nam hic genitivus potius caſus eſt, quam accuſativus: nec ullum inveni illius formæ exemplum. Interim varie appellatur a veteribus, nempe Κώως, Κόως, Κόος & Κέως, quæ ſingula affert *Stephanus.* Conf. omnino *Cellarium* in Geographia Antiqua lib. III. c. 2. p. 25.

εἰς τὴν Ῥόδον) Vide eundem *Cellarium* p. 30.

εἰς Πάταρα) Codd. Alexandr. unus legit Πάτερα. Sed verior eſt & omni antiquitati recepta ſcriptio noſtra communis, quod patet ex locis veterum a *Cellario* l. c. cap. III. p. 108. allatis. Hodie tamen Patera appellari ſolet.

Verſ. 2. διαπερῶν εἰς Φοινίκην) vide huc *Seldenum* de Diis Syris p. 7.

Verſ. 3. Ἀναφανέντες δὲ τὴν Κύπρον) Variant hic Codices, ita ut tres diverſæ lectiones prodeant. Alii habent ἀναφανέντες δὲ τὴν Κύπρον, alii ἀναφάναντες δὲ τὴν Κύπρον, alii ἀναφανέντος δὲ τῆς Κύπρȣ. Poſtrema vitioſa eſt, & Grammaticis rationibus adverſa: ſaltem enim ſcribendum fuerat: ἀναφανείσης δὲ τῆς Κύπρȣ. Media tolerabilis, ſed minus recepta, quamvis eam editiones nonnullæ, & una Stephani, atque ad ejus exemplum *Millii* præferant, qui tamen *Millius*, primam genuinam putans, hanc Grammaticæ adverſari exiſtimat, cum ſcribendum ſit ἀναφήναντες, quod & mavult *Suicerus* in Theſauro Tom. I. p. 324. Sed ad Grammaticam recte flecti per ἀναφάναντες ita probatum dedit *Eraſm. Schmidius* ad h. l. ut in dubium vocari non poſſit. Et Schmidius quidem hanc lectionem ſecutus, ſenſum ait eſſe: *cum apparere feciſſemus Cyprum*, nempe propius ad eam navigando. Idem noſtram ἀναφανέντες δὲ τὴν Κύπρον duram quidem putat, ſed excuſabilem, quia alias dicatur πιστευθεὶς τὸ Ἐυαγγέλιον. Atque hanc malim ego cum plerisque & Codd. & editionibus retinere. Recte enim, quod *Boiſius* obſervat in Collat. ad h. l. p. 455. ita dicitur, quemadmodum alias ἀποτμηθεὶς τὴν κεφαλὴν, quod idem eſt atque ἀπετμήθη μοι ἡ κεφαλή. Sic ἀνεφάνην τὴν Κύπρον & ἀπεκρύβην τὴν Κύπρον, idem eſt, atque ἀνεφάνη μοι ἡ Κύπρος, & ἀπεκρύβη μοι ἡ Κύπρος. Hoc ſenſu *Eraſmus*, *Beza* & *Piſcator* vertunt: *cum autem cœpiſſet nobis apparere Cyprus.* Confer de hoc loco Auctores des freywilligen Heb-Opffers Tom. III. p. 261.

κατήχθημεν εἰς Τύρον) Vide *Vitringæ* Comment. in *Jeſ.* XXIII. 18. Tom. II. p. 704. b.

Verſ. 4. Καὶ ἀνευρόντες τȣ̀ς μαθητὰς) cum reperiſſemus diſcipulos, ſive Chriſtianos Tyri degentes, quærendo inveſtigatos. Ita recte verbi vim exprimit *Raphelius* in Notis Polybian. p. 385. Neque enim ſtatim obvios ha-

 bue-

buerunt discipulos, sed perquirendo investigarunt. Habet autem verbum ἀνευρίσκειν in præsenti tempore significationem quærendi, in aoristo secundo autem inveniendi, quod quæsivimus, ut apud *Arrianum* Epictet. II. 11. καὶ διὰ τί ἢ ζητοῦμεν αὐτὸν καὶ ἀνευρίσκομεν, καὶ ἀνευρόντες λοιπὸν ἀπαραβάτως χρώμεθα;

Vers. 5. θέντες τὰ γόνατα ἐπὶ τὸν αἰγιαλὸν) De schola litorali hic præter rem cogitat *Hammondus* ad h. l. Lege *Pet. Zornii* Differt. de Scholis Judæorum publicis ad litora &c. exstrui solitis c. II. §. 6. & in Biblioth. Antiquar. Tom. I. p. 224.

Vers. 6. ὑπέστρεψαν εἰς τὰ ἴδια) scilicet οἰκήματα. Vide *Lamb. Bos* de Ellipsi Gr. L. p. 139.

ἀπὸ Τύρου) Desunt in uno Codice *Covel.* ideoque ex v. 3. huc relata videntur *Millio* in Prolegom. Mirum, unius Codicis auctoritate hæc dici potuisse. S. Lucas procul dubio ita scripsit, cui quippe in enarrandis itineribus receptum est, accurate locos appellare, unde profecti sint, & quo pervenerint. Jam vero *Tyrus* ultimus erat locus, quo pervenerant; itaque interjecta narratione eorum, quæ ibi acta essent, necesse putabat, ejusdem iterum facere mentionem, tanquam termini, unde profecti Ptolemaidem salutarint.

Vers. 7. εἰς Πτολεμαΐδα) Hæc in V. T. Jud. I. 31. *Acco* vocatur; Romanis vero & Græcis Ptolemais audit, in numis denique *Colonia Ptolemais* vocatur. Vide *Relandi* Palæstinam p. 537.

Vers. 8. εἰς τὸν οἶκον Φιλίππου τοῦ Εὐαγγελιστοῦ) De *Philippo* hoc lege supra ad VI. 5. & VIII. 26. De voce Εὐαγγελιστής dicemus, Deo dante, ad *Eph.* IV. 11.

Vers. 10. ὀνόματι Ἄγαβος) Vide supra ad XI. 28.

Vers. 12. ἐντόπιοι) *incolæ loci illius*, ut *Boisius* p. 486.

Vers. 13. καὶ συνθρύπτοντές μου τὴν καρδίαν) συνθρύπτειν τὴν καρδίαν idem est quod: *animum frangere*, vel *infringere*, h. e. debilitare, & ad subeunda pericula tardiorem reddere. Ita *Plutarchus* Timoleonte p. 238. κατακλᾶν καὶ συντρίβειν τὴν διάνοιαν, & de Superstit. p. 165. συντρίβειν τὸν ἄνθρωπον, item de Crasso p. 560. κατακλᾶν τὴν ψυχὴν dixit. Vide *Elsnerum* p. 464.

ἀποθανεῖν εἰς Ἱερουσαλὴμ) pro ἐν Ἱερουσαλὴμ, quæ propositionum εἰς & ἐν enallage frequens est. Duo Codd. MSS. & *Basil.* ac *Cyrillus* omittunt εἰς Ἱερουσαλὴμ, ideoque ea pro insertis ex v. 12. habet *Millius*, præter rem. Cur enim non repeteret Paulus nomen urbis, quam ceteri ipsi ob mortis periculum adeundam non esse existimabant?

ἑτοίμως

ἑτοίμως ἔχω) Sic 2 *Cor.* XII. 14. & *Polyb.* p. 1347. πρὸς ἀμφότερα γὰρ ἑτοίμως ἔχειν *ad utrumque enim paratum esse.* Vide *Raphelii* Notas Polybianas p. 386. & Xenophonteas p. 179. ubi ostendit, Græcos similiter alia quoque adverbia verbo ἔχω jungere v. c. δεινῶς, δυσμενῶς ἔχειν.

Verf. 14. τὸ θέλημα τοῦ Κυρίου γινέσθω) Ita sæpe sacri & profani Scriptores. Vide *Gataker.* ad M. Antonin. IV. 34.

Verf. 15. ἀποσκευασάμενοι) Alii Codd. legunt ἐπισκευασάμενοι, quos sequuntur *Chrysost. Oecumenius*, *Theophylactus*; alii παρασκευασάμενοι, unus *Cant.* ἀποταξάμενοι. Postrema lectio ex interpretatione nata est. Media ad imitationem τοῦ ἐπισκευασάμενοι, quæ forte videbatur clarior. Prima vero illa ἐπισκευασάμενοι & altera ἀποσκευασάμενοι communior, de principatu secum invicem certare possunt. Utraque enim commodum, quamvis contrarium habet sensum. Si legas ἐπισκευασάμενοι, quod malunt *Grotius*, *Pricæus*, *Suicerus*, & *Pet. Zornius* de Philosophismis N. T. p. 19. sensus fuerit, quem *Chrysostomus* exprimit: τὰ πρὸς τὴν ὁδοιπορίαν λαβόντες i. e. *cum res ad iter necessarias acceptissemus*; quod ipsum loco huic apprime convenire existimat *Boisius* p. 456. Ita *Hesychius* & *Suidas* vocem ἐπισκευασάμενοι & ἐπισκευάσασθαι forte ex h. l. hinc per εὐτρεπισθέντες, *parati*, *in iter accincti*, hinc per ἐπιφορτίσασθαι, *portandum imponere*, explicant. Sin malis ἀποσκευάσασθαι, idem erit, quod *sarcinas deponere*, ad iter scilicet felicius expediendum. Sic *Polybius* p. 159. ταῦτα δ᾽ ἀποσκευασαμένους καὶ γενομένους εὐζώνους, *postquam vero sarcinis depositis expeditiores facti essent.* Atque hoc equidem præfero. Fieri enim potuit, ut nonnulla eorum, quæ in longo itinere hinc inde collegerant, tanquam sibi nunc, Hierosolymis quippe vicinioribus, non admodum necessaria deponerent. Nonnulli utramque notionem conjungi volunt, hoc sensu, *sarcinis depositis*, &, *quæ ad iter necessaria erant*, *paratis.* Vide Auctores des freywilligen Heb-Opffers, Tom. III. p. 262. Lege etiam *Suicerum* Tom. I. p. 471.

Verf. 16. Συνῆλθον δὲ καὶ μαθητῶν) scilicet τινὲς, quam particulam sæpe supplendam esse alias ostendimus.

ἄγοντες παρ᾽ ᾧ ξενισθῶμεν Μνάσωνι) Dupliciter hæc explicantur, ut vel discipuli illi Cæsareenses Mnasonem hunc secum adduxisse dicantur, apud quem diverteret Paulus, vel Paulum perduxisse ad Mnasonem, cujus hospitio uteretur. Posterius mavult *Hombergius* in Parergis p. 185. Malim tamen ego prius cum Interpretibus plerisque. Convenit enim magis cum vocum structura, eleganter hic & ad morem Græcorum conformata, quæ alias sic etiam poterat instrui: ἄγοντες Μνάσωνά τινα, παρ᾽ ᾧ ξενισθῶμεν. Jam vero Μνάσωνα eleganter in Μνάσωνι ob antecedens παρ᾽ ᾧ commutatum est. Si *Hombergium* sequamur, dicendum esset, ἄγειν τινὶ idem hic esse, quod ἄγειν πρός τινα, cujus locutionis exemplum adhuc desidero. Accedit, Mnasonem

ſonem illum videri fuiſſe incolam Hieroſolymitanum, a quo ibi hoſpitio Paulus excipi poſſet.

Μνάσωνί τινι) Τὸ τὶς nominibus Propriis addi ſolere, ſupra oſtendimus ad XIX. 9. Hic vero obſervandum eſt, particulam hanc, nominibus Propriis junctam, ſæpe obſcuritatis & ignobilioris conditionis ſignum eſſe. Vide *Raphelii* Notas Xenophonteas p. 180.

Verſ. 20—22. Lege huc Rev. *Mosheimii* Vindicias Anti-Tolandinas p. 299. *Vitringam* de vetere Synagoga p. 23. & *Rhenferdium* de fictis Judæorum hæreſibus p. 49. ſq.

πόσαι μυριάδες εἰσὶ) Ex hac credentium diſcipulorum multitudine exiguo temporis ſpatio coacta, pro veritate religionis Chriſtianæ recte argumentum ducit *Guſſetus* in præfat. ad Confutationem libri *Chiſſuk Emuna* §. 52. & in libro ipſo Part. I. c. XXXVIII. §. 23.

καὶ πάντες ζηλωταὶ τȣ͂ νόμȣ ὑπάρχȣσι) i. e. *omnes accenſi ſunt zelo legis*, puta cerimonialis, quam ſcilicet adhuc nimio ſtudio conſectabantur. Confer *Joh. Seldenum* de Anno Civili Hebræorum p. 100. edit. Londinenſ. Zelatores hos aliquot demum annis poſt Apoſtolicum decretum, & quidem tempore *Neronis* Act. XV. ſancitum, ortos putat *Vitringa* in Obſſ. Sacr. lib. IV. c. IX. qui plura de illis commentatur. Adde Rev. *Buddei* Diſſertat. de Statu Eccleſ. Apoſtol. §. 9.

Verſ. 21. *κατηχήθησαν δὲ περὶ σȣ͂*) Id alii vertunt per: *audierunt*, alii per: *edocti ſunt*, vel, *didicerunt*, præeunte *Chryſoſtomo*, qui exponit ἐδιδάχθησαν. Atque eam amplectitur *Jo. Boiſius* p. 457. Collationis ſuæ, qui addit: *Nam non ſolum audierunt, ſed etiam ſic audierunt, ut ſimul admonerentur de periculo quodam, & juberentur cavere ſibi, ne deciperentur.* κατηχῶ eſt διδάσκω, νȣθετῶ, i. e. *doceo, moneo, admoneo*. Repetit hæc *Suicerus* Tom. II. p. 69. Confer Celeber. *Fabricium* noſtrum ad Sextum Empiric. p. 285. & 339. ubi oſtendit, *κατηχεῖσθαι* Græcis idem eſſe, quod *auditione & fama percipere.*

ὅτι ἀποστασίαν διδάσκεις) Lege huc *Dodwellum* de Jure Laicorum p. 216. & 233.

Verſ. 22. *δεῖ πλῆθος συνελθεῖν*) Non habent hæc duo Codd. & verſiones quædam, hinc ex v. 27. & 30. inſtar ſcholii primum ad marginem ſcripta, & deinde in contextum relata exiſtimat *Millius* in Prolegom. §. 1393. Sed nimis præceps hic eſt vir doctus. Quo enim referentur, ſi hæc omittantur, ſequentia? *ἀκȣ́σονται γὰρ, ὅτι ἐλήλυθας.* Ex ſequentibus commatibus 27. & 30. hæc mutuo ſumta credi non poſſunt, quia ibi per *λαὸν* non cœtus fidelium, de quo v. 22. ſermo eſt, ſed Judæorum intelligitur.

Verſ. 13. *εὐχὴν ἔχοντες ἐφ' ἑαυτῶν*) Phraſin hanc ita illuſtrat *Guſſetus* in Com-

Commentar. Linguæ Hebr. p. 498. *Quando* על super *præponitur personæ, notat, complementum voti impetratum fuisse, eoque pactorem, ab homine vovente promissam, in debitum versam esse, & hoc debitum ei tanquam æris alieni pondus incumbere. Sic etiam Ps.* LVI. 13. עלי אלהים נדריך, *ut ex versibus sequentibus apparet.* Latine ejusmodi hominem ait appellari *voti reum.*

Vers. 24. ἁγνίσθητι σὺν αὐτοῖς) h. e. *abstrahe te, averte te ex voto,* ut ex significatu verbi נזר explicandum contendit *Dietericus* in Antiquitat. N. T. p. 29. Recte hoc dici, patet ex *Num.* VI. 3. ubi οἱ LXX. de Nasiræo : ἀπὸ οἴνου καὶ σίκερα ἁγνισθήσεται. Conf. *Dilberri* Dispp. Philol. Tom. I. p. 305.

καὶ δαπάνησον ἐπ' αὐτοῖς) Id more receptum erat, ut in pauperum gratiam alii sumtus facerent ad persolvendum votum necessarios. Vide *Maimonidem* Tract. נזירות cap. 8. ubi monet, eum, qui dixerit: הרי עלי לגלח נזיר כידי *mihi incumbit, ut radatur Nasiræus per me,* ad sumtus sacrificiis necessariis impendendos teneri. Conf. *Dilberrum* in Dispp. Philol. Tom. II. p. 43. & *Petitum* in Var. Lect. lib. I. c. 2. Quodnam vero illud hominum votum fuerit, utrum civile aliquod ob liberationem a morbo aut alio periculo, an sacrum Nasiræatus, disquiritur. Prius affirmat *Lud. Capellus* in Spicilegio ad h. l. posterius *Witsius* in Meletematibus Leidensibus p. 149. Conf. supra ad *Act.* XVIII. 18.

ἵνα ξυρήσωνται τὴν κεφαλὴν) Vide huc *Salmasium* de Virorum cæsarie & mulierum coma p. 427. & *Morini* Dissertationes Octo p. 80. & 103. Consilium hoc non hypocrisi aut scenæ tribuendum, sed simplicitati & integritati prudentiæque Christianæ optime respondere, ostendit *Witsius* in Meletematibus p. 150. sq.

Vers. 24. οὐδέν ἐστι) *nihili* i. e. falsum est, ut infra XXV. 11. Sic *Polybius* p. 1397. ἀλλ' οὐκ ἔστι τούτων οὐδὲν, *sed longe aliter seres habet.* Vide *Raphelii* Notas Polybian. p. 386. & *Casaubonum* ad Theophrasti Characteres c. 8.

Vers. 25. μηδὲν τοιοῦτον τηρεῖν αὐτοὺς, εἰ μὴ) Omittunt hæc pauci Codd. & versiones nonnullæ, ideoque pro scholio habet *Millius* in Prolegom. §. 1203. Sed non recogitabat Vir doctus, idem fere occurrere in epistola Concilii Hierosolymitani Act. XV. 28. ad quam hic respicitur : ἔδοξε - μηδὲν ἐπιτίθεσθαι ὑμῖν βάρος πλὴν τῶν ἐπάναγκες τούτων.

Vers. 26. σὺν αὐτοῖς ἁγνισθεὶς εἰσῄει εἰς τὸ ἱερὸν) Itaque Paulus ipse ritibus his omnibus se subjecisse, & sacrificium quoque pro se obtulisse censebitur, quod nonnullis visum est. Sed alii rectius, inter quos & *Petitus* est l. c. existimant, Paulum hic ἁγνισθέντα dici ex eo, quod & socium se illis præbuerit, & sumtus fecerit, atque sic in partem totius negotii venerit. Atque id firmari mihi videtur ex eo, quod Paulus hic tantum dicitur

tur διαγγέλλων τὴν ἐκπλήρωσιν τῶν ἡμερῶν τῦ ἁγνισμῦ, h. e. *expoſuiſſe tempus Naſiræatus vere* impletum eſſe, quod ſcilicet ex inſtituto Moſis dictum erat *Num.* VI. 13. Deinde verba ὑπὲρ ἑνὸς ἑκάςυ αὐτῶν ad quatuor illos tantum, de quibus, ut Naſiræis ſermo fuerat, rectius, quam ad Paulum ipſum ſimul referentur. Exiſtimant quidem nonnulli, votum illud Pauli, de quo *Act.* XVIII. 18. hic intelligi, & ſolutum judicari debere. Sed veriſimilius eſt, quod ibi diximus, votum illud alio pertinere. Et ſi Paulo illud implendum adhuc ſuperfuiſſet, non video, quid opus fuerit conſilio hic a Presbyteris dato, ut votum aliorum ſumtibus ſuis adjuvaret. Quod enim ipſe in ſe præſtare conſtituerat, id in aliis ut perficeret, opus non erat.

διαγγέλλων τὴν ἐκπλήρωσιν τῶν ἡμερῶν τῦ ἁγνισμῦ) *nuncians*, aut præ ſe ferens, expleturum ſeſe dies ſanctificationis aut caſtimoniæ. Nam ἐκπληρῦν ἡμέρας ſignificat *explere*, *tranſigere dies*, proinde ἐκπλήρωσις τῶν ἡμερῶν non eſt *finis & exitus*, ſed *expletio dierum præſcriptorum.* Ita *Elsnerus* p. 466. Sed vide, quæ modo diximus.

Verſ. 27. οἱ ἀπὸ τῆς Ἀσίας Ἰυδαῖοι) Qua lingua hic uſi ſint Judæi illi, diſquirit *Salmaſius* de Lingua Helleniſtica p. 182.

Verſ. 28. Ἄνδρες Ἰσραηλῖται βοηθεῖτε) Formulam hanc cum illa veterum Romanorum: *Porro Quirites:* qua uti ſolebant, qui vim patiebantur, confert *Arndius* in Miſcell. Sacris p. 73.

καὶ τῦ τόπυ τῦτυ) Per τόπον Templum Hieroſolymitanum, in quo illi quidem congregati erant, non præter rem intelligit heic *Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra p. 522. quod ipſum ex repetita phraſi κεκοίνωκε τὸν ἅγιον τόπον τῦτον, apparet. Ea enim de τῷ ἱερῷ, quod proxime antecedit, adhibetur. Conf. *Seldenum* de Jure Naturæ & Gentium p. 301.

Verſ. 30. Ἐκινήθη τε ἡ πόλις ὅλη) Ita prorſus *Longus* in Paſtoralibus lib. IV. p. 242. ὅλη ἐκινεῖτο ἡ πόλις.

Verſ. 31. ὅτι ὅλη συγκέχυται Ἱερυσαλήμ) *quod tota Hieroſolyma ſit conturbata.* Ita plerique vertunt. Sed *Hombergius* in Parergis p. 186. mavult: *quod tota Hieroſolyma tumultuarie collecta erat*, id quod patere putat ex XIX. 32. ubi τὸ συγκεχῦσθαι explicetur per συνελυλῆσθαι. Enimvero alterum ab altero pendet, & concurſus inopinatus utplurimum cum turbis & æſtu animorum conjunctus eſt. Interim rectius hic verbum illud per *conturbationem* ſeu *confuſionem* explicari patet ex v. 27. ubi dicitur: συνέχεον πάντα τὸν ὄχλον, h. e. *conturbarunt* ſeu *commoverunt populum*, qui jam in templo aderat nec cogi amplius debebat. Sed hæc tanti non ſunt.

Verſ. 33. καὶ ἐκέλευσε δεθῆναι ἁλύσεσι δυσὶ) Vid. ſupra ad XII. 6. & adde *Laur. Ramireſ. de Prado* in Pentecontarcho p. 36.

Verſ.

Verſ. 35. συνέβη βαστάζεσθαι αὐτὸν) Pleonaſtice ita dicitur pro ἐβαστάζετο, *ferebatur.* Ita frequentiſſime *Polybius*, v. c. p. 44. ὃ δὴ καὶ συνέβη γενέσθαι, *atque ita profecto accidit.* Plura vide exempla apud *Raphelium* in Notis Polybianis p. 387.

Verſ. 37. Ἑλληνιστί γινώσκεις;) *Iſaacus Voſſius* legi hæc voluit ſine interrogandi nota, & verti: *Græce ſcis.* Sed video contra eum diſputantem *Rich. Simonem* in Hiſtor. Critica N. T. lib. I. p. 62.

Verſ. 38. σὺ εἶ ὁ Αἰγύπτιος) De eo vide *Joſephi* Antiquitt. XX. 6. & de Bello Judaico II. 12. item *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. II. 21.

ὁ ἀναστατώσας) *Beza* & *Eraſmus* vertunt: *qui concitaſti.* Sed rectius eſt: *qui concitavit.* Vide *Act.* IV. 24. & adde *Boiſii* Collationem p. 458.

τῶν σικαρίων) Latinum nomen eſſe, non eſt dubium. Lege *Suicerum* Tom. II. p. 957. B. *Lutherus* eleganter convertit: **Meuchelmörder**, quæ vox homines infert clanculum & per inſidias alios interficientes. Vide *Stadenii* Expoſitionem vocum Germanic. difficiliorum p. 435.

Verſ. 39. Κιλικίας οὐκ ἀσήμου πόλεως πολίτης) Tarſus hic per λιτότητα, non ignobilis Ciliciæ urbs vocatur, i. e. *nobiliſſima*, de quo genere loquendi alibi in his Curis diximus. Ita *Xenophon* de expedit. Cyri lib. 1. p. 195. Ταρσὸς πόλιν τῆς Κιλικίας μεγάλην καὶ εὐδαίμονα appellat. Conf. ſupra IX. 30. & paulo poſt XXII. 3. *Stephanus* de Urbibus ἐπισημοτάτην vocat. Lege huc *Cellarium* in Geographia Antiqua lib. III. c. VI. p. 254. & in Diſſertatt. Academicis p. 150. ſq. tum vero *Dilherrum* in Diſſert. Philolog. Tom. I. p. 235.

Verſ. 40. κατέσεισε τῇ χειρὶ τῷ λαῷ) Vide ſupra ad XII. 17.

τῇ Ἑβραΐδι διαλέκτῳ) i. e. dialecto Syriaca, qualis tunc Hebræis recepta erat. Vide *Salmaſium* de Lingua Helleniſtica p. 238. ſq. item in Funere Linguæ Helleniſt. p. 36. Ubi tamen obſervandum eſt, non intelligi debere Syriacam, qualis in verſione N. T. aut alias exſtat, ſed dialectum Syro-Chaldaicam, quam in rem lege *Basnagium* in Exercitatt. Anti-Baronianis p. 388. ſqq. *Waltonum* in Prolegomenis ad Biblia Polyglotta Diſſert. XIII. §. 15. & ex noſtratibus *Pfeiferum* in Critica Sacra cap. III. Qu. XII. *Reiskium* in Diſſertat. de vernacula lingua Salvatoris noſtri, & *Læſcherum* de cauſis Linguæ Hebr. pag. 75. ſqq.

CAP. XXII.

VErſ. 1. Ἄνδρες ἀδελφοὶ καὶ πατέρες) Vide ad *Act.* VII. 2.

Verſ. 2. τῇ Ἑβραΐδι διαλέκτῳ) Vide ad XXI. 50.

ἡσυχίαν παρέσχον) Ita *Lucianus* in Anacharſ. καθ' ἡσυχίαν ἀκούσα,

quiete audiens. Alias ἡσυχίαν ἄγειν dicuntur, qui in Sacris Gentilium silentium præstant, ut apud *Aristophanem* in Ranis v. 324. ubi lege notas *Ezech. Spanhemii.*

Vers. 3. γεγεννημένος ἐν Ταρσῷ τῆς Κιλικίας) Vide ad XXI. 39. Vocem πόλει hic subintelligendam esse res ipsa ostendit. Eam vero similiter omittere solere Scriptores, variis *Xenophontis* locis demonstrat *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 180.

ἀνατεθραμμένος δὲ ἐν τῇ πόλει ταύτῃ παρὰ τὰς πόδας Γαμαλιὴλ,) Ita editiones, quas novi, omnes, & Interpretes plerique has voces uno commate conjungunt, hoc sensu, quod Paulus educatus sit ad pedes Gamalielis h. e. in domo ejus altus & nutritus. Ita, ut ceteros taceam, Wagenseilius in Notis ad Tela Ignea Satanæ, & speciatim ad Carmen R. *Lippmanni*, p. 265. provocans ad Interpretem Syrum, qui in eandem sententiam ita totum comma convertit: *Ego vir sum Judæus, & natus sum in Tarso Ciliciæ, nutritus vero in hac civitate juxta pedes Gamalielis, & eruditus fui perfecte in lege Patrum nostrorum. Sam. Petitus* in Obss. lib. III. c. 2. eandem sequens interpunctionem, verba hæc id speciatim innuere existimat, *quod Paulus puer, ad lecti tricliniaris, in quo accumbebat Gamaliel, fulcra, i. e. ad pedes consederit.* Sed de hoc verborum sensu merito dubitat *Wagenseilius* l. c. p. 266. cui hæc per extenuationem potius dici videntur, dum non arroganter se puerum Gamalielis convictorem & familiarem fuisse, ac sacra & profana omnia cum eo communia habuisse, jactitet, sed potius ad pedes quasi summi Doctoris abjectum, sic sese cibum captasse demisse profiteatur. Eadem repetit *Wagenseilius* in Notis ad Codicem Sota p. 993. sqq. &, qui cum eo facit, Rev. *Deylingius* in Observatt. Sacris Part. III. p. 226.

Enimvero malim ego facere cum illis, qui phrasin παρὰ τὰς πόδας Γαμαλιὴλ referunt potius ad sequens πεπαιδευμένος i. e. *institutis & literis eruditus.* Ita sentiunt *Vitringa* de Vetere Synagoga lib. I. Part. I. cap. 7. p. 168. sq. *Jac. Perizonius* in Addendis ad Æliani Var. Histor. p. 997. & *Joh. Alberti* in Obss. Sacr. p. 263. Sic enim Paulus convenientissime primo *gentem* suam, qua sit Judæus, tum *patriam*, Tarsum, hinc educationis locum, Hierosolymam, ac denique *institutionem*, a Gamaliele haustam, recitaret. Hanc interpretationem firmat, quod Hebræi, ubi de Præceptoribus loquuntur, pedes eorum & pulverem commemorant. Clarissimus est locus in *Pirke Avoth. I. 4.:* יהי ביתך בית ועד לחכמים והוי מתאבק בעפר רגליהם *Sit domus tua domus congregationis Sapientum, & consperge te ipsum pulvere pedum ipsorum, & bibe cum siti verba ipsorum.* Hujus moniti ampliorem expositionem habes in *Aboth* R. Nathanis f. 3. col. 2. Alia ejusmodi loca lege apud *Altingium* lib. III. c. 6. de

Schilo

Schilo T. V. Opp. p. 55. & *Scaligerum* in Trihæresio c. V. Non obstat isti expositioni, ut Viris quibusdem eruditis visum est, quod hoc modo Paulus coram Gamaliele cum ceteris ejus discipulis consedisse existimandus sit, contra antiquitatis testimonium, quippe quæ discipulos non sedisse, sed stetisse, usque ad Gamalielis ætatem, tradat. Ita enim in Megilla f. 21. a. Sic tradunt Magistri: *a diebus Mosis usque ad ætatem R. Gamalielis non nisi stantes* (discipuli) *discebant* (a sedenti bus Præceptoribus) *legem. At R. Gamaliele mortuo, morbi infestare cœperunt orbem: itaque sedentes Legi discendæ operam navabant. Unde in Mischna dicitur: mortuo Gamaliele sene, evanuit honos legis.* Sed est, quod ad hæc respondeamus. Traditio illa tam liquida & certa non est, quam nonnullis videtur, vel minimum de eo tantum, quod communiter olim fieri consueverit, atque adeo non sine temperamento accipienda est. Patet id vel ex eo, quod in N. T. exempla utriusque moris exstent, quod discentes nunc steterint, nunc consederint ad pedes docentis Salvatoris. Cujus ætas cum illa Gamalielis superior sit, apparet, non demum post ejus obitum illam sedendi consuetudinem a sedentibus receptam fuisse. Conf. *Vitringam* de vetere Synagoga l. c. p. 167. & adde, quæ passim in his Curis, & inprimis ad *Luc.* II. 46. dicta sunt. Ponamus autem, discipulos, Gamalielis ætate, a præceptoribus stantes disciplinam hausisse, nonne vel sic Paulus dici potest πεπαιδευμένος παρὰ τοὺς πόδας Γαμαλιὴλ, præceptoris scilicet, in editiore loco constituti, & docendi opera fungentis. Ceterum discipulorum adversus præceptores conditionem non meliorem fuisse, quam illam servorum, ex Doctorum Judaicorum præceptis huc pertinentibus ostendit *Altingius* l. c.

Γαμαλιὴλ) de eo diximus supra ad V. 34.

κατὰ ἀκρίβειαν πατρῴου νόμου) de *Cabbala* seu arcaniore legis doctrina ex traditione hausta, hæc accipit *Possinus* in Spicilegio Evangelico p. 13. quod in tantum admitti potest, si de ceremoniis & institutis majorum accipias, quibus exponendis & cumulandis inprimis incumbere solebant Pharisæi. Confer. Miscellan. Lipsiensia Tom. IX. p. 143.

ζηλωτὴς ὑπάρχων τοῦ Θεοῦ) Sic supra XXI. 20. ζηλωταὶ τοῦ νόμου. Conf. *Suicerum* Tom. I. p. 1297. Integrum hoc comma tertium egregie expositum lege a B. *Dorscheo* in Semestri Tiburtio-Dionysian. seu Miscellaneis Historico-Philolog. p. 237. sq.

Vers. 4. Ὃς ταύτην τὴν ὁδὸν ἐδίωξα) Ὁδὸς hic eminenter sumitur de doctrina Christiana; vide supra IX. 2. & metonymice de hominibus religionem illam professis.

ἄχρι θανάτου) refertur ad Christianos, quos scilicet funditus delere & morte mulctandos tradere constitutum habebat Paulus.

Vers. 5. Ὡς καὶ ὁ Ἀρχιερεὺς μαρτυρεῖ μοι) Τὸ μαρτυρεῖ hic non præsens, sed

ſed Futurum ſecundum eſſe, recte ad h. l. obſervat *Eraſm. Schmidius.* Senſus eſt, Sacerdotem Summum, a quo ſcilicet literas acceperat Paulus, inſtituto ſuo provehendo idoneas, teſtimonium hoc, ſi requiratur, daturum eſſe.

Verſ. 9. τὸ μὲν φῶς ἐθεάσαντο -- τὴν δὲ φωνὴν ὐκ ἤκυσαν τῦ λαλῦντός μοι) Quomodo hæc cum *Act.* IX. 7. conciliari poſſint, oſtendimus ad illum locum.

ὐκ ἤκυσαν) Voces Deorum non niſi a divinis viris percipi poſſe tradunt Gentiles, ut *Plutarchus* de Genio Socratis p. 589. οἱ τῶν δαιμόνων λόγοι διὰ πάντων φερόμενοι μόνοις ἐνηχῦσι τοῖς ἀθόρυβον ἦθος καὶ νήνεμον ἔχυσι τὴν ψυχὴν, ὓς δὴ καὶ ἱερὺς καὶ δαιμονίυς ἀνθρώπυς καλῦμεν. *Dæmonum quidem voces per omnia feruntur, ab iis tamen ſolis percipiuntur, qui animo ſunt tranquillo, & ſevero, quales homines ſacros & divinos vocamus.* Confer. *Elsnerum* p. 467: qui ibidem exiſtimat, verba Chriſti cum ſono quodam auribus a Paulo hic percepta non fuiſſe. Vix enim adferri poſſe rationem, cur comites Pauli eadem non audiverint. Itaque Paulum animo in ecſtaſin rapto hæc omnia percepiſſe, quomodo deinde audiverit ἄρρητα ῥήματα 2 *Cor.* XII. 4. & Chriſtum denuo in Templo ſibi loquentem v. 17. 18. Enimvero, ſi hæc admittamus, omnis via locum hunc cum *Act.* IX. 7. conciliandi præcludetur. Ibi enim comites Pauli diſerte dicuntur ἀκύοντες τῆς φωνῆς, nempe Chriſti loquentis. Audierunt ſcilicet ſonum, ſed non articulatum, cujus ſenſum percipere potuerint, quod hic Paulus indicat. Itaque patet ratio, quare comites Pauli hic vocem non audiviſſe, h. e. aſſecuti eſſe & recte animo percepiſſe dicantur. Et cur non ſtatuamus, vocem ſonoram hic æque auditam fuiſſe, atque lumen de cœlo oculis conſpectum eſſe affirmamus? Cur non intellexerint illi loquentem, inde repetendum videtur *Feſſelio* Tom. II. Adverſar. Sacr. lib. VIII. c. 1. §. 2. quod Dominus locutus ſit Ἑβραΐδι διαλέκτῳ ceu Paulus ipſe teſtatur infra XXVI. 14. Ea vero dialectus cognita erat Paulo, quippe qua ipſe hic utitur, forte autem non item ſociis ejus, qui Græce tantum ſciverint. Mihi quidem non admodum hæc veri ſimilia videntur. Iſtos enim Pauli comites Judæos ex Judæis fuiſſe par eſt, ut credamus. Hos vero linguæ patriæ, & dialecti, ea ætate inter Judæos receptæ, ignaros fuiſſe, vix ſibi perſuaſerit, qui videat, Paulum hic ad integrum Judæorum cœtum eandem adhibere, tanquam inter eos frequentatam, & ab omnibus facile percipiendam.

Verſ. 10. περὶ πάντων, ὧν τέτακταί σοι ποιῆσαι) i. e. *de omnibus, quæ conſtitui tibi, ut facias:* τέτακταί σοι i. e. ἔταξά σοι, ut paſſiva forma, more Græcorum æque ac Latinorum, pro activa adhibita cenſeatur. Ita fere *Boiſius* in Collatione p. 461.

Verſ. 12. ἀνὴρ εὐσεβὴς κατὰ τὸν νόμον) Vocem εὐσεβὴς omittunt duo Codd. & verſio Vulg. Hinc *Millius* in Prolegom, eam a librariis repetit, tan-

tanquam qui hic, nescio quid, deesse existimarint. Alii Codd. habent εὐλαβὴς eodem sensu, & facili lapsu, cum εὐσεβὴς & εὐλαβὴς scriptione, literis majusculis instituta, proxime ad se invicem accedant, quemadmodum & εὐλαβὴς in N.T. frequenter de pio homine occurrit. Lectionem nostram omnino genuinam esse, sequens phrasis κατὰ τὸν νόμον evincit. Quis enim dixerit ἀνὴρ κατὰ τὸν νόμον? Neque vero illa κατὰ τὸν νόμον referri possunt ad μαρτυρούμενος. Hoc enim ad Judæos spectat, testimonium inculpatæ vitæ Ananiæ tribuentes. Nec unquam video, verbo μαρτυρεῖσθαι jungi phrasin κατὰ τὸν νόμον. Lege v. c. *Act.* VI. 3. X. 22. XVI. 2. Paulus autem voci εὐσεβὴς phrasin κατὰ τὸν νόμον hoc loco, quod alibi non video factum, hoc consilio addidisse videtur, ne Judæi suspicarentur, eum ex Gentilibus instar proselyti ad Christi sacra accessisse, atque adeo præjudiciis occupatum & legis Mosaicæ ignarum fuisse.

Vers. 14. προεχειρίσατό σε γνῶναι) Conf. infra XXVI. 16. i. e. *expediit & præparavit*, ut vertit *Camerarius* ad h. l. qui πρόχειρον id ferme, quod Latini dicunt *in promtu*, esse affirmat. Sic *Polybius* lib. I. c. 16. p. 21. Ἐστι δὲ παρὰ Ῥωμαίοις τὰ πάντα τέτταρα στρατόπεδα, ἃ κατ' ἐνιαυτὸν προχειρίζονται. *Sunt legiones universæ quatuor apud Romanos, quas singulis annis illi expediunt.* Conf. *Raphelii* Notas Polybian. p. 387.

καὶ ἰδεῖν τὸν δίκαιον) i. e. *Christum*, qui sæpe κατ' ἐξοχὴν *Justus* in N. T. appellatur. Vide quæ diximus ad *Matth.* XXVII. 19. & *Act.* III. 14. item VII. 52.

Vers. 16. βάπτισαι καὶ ἀπόλυσαι) *Boisius* per ἓν διὰ δυοῖν hæc ita dici arbitratur p. 462. Collationis, ut sensus sit: *baptismo ablue peccata tua.* Sed rectius hæc, ut distincta membra, commemorata esse existimantur, ut scilicet intelligeret Paulus, quo fine baptismum suscipere debeat, & quis ejus sit fructus. Conf. *Act.* II. 38.

ἐπικαλεσάμενος τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου) i. e. postquam invocaveris, atque ita professus fueris nomen Domini. Id scilicet antecedere olim debebat initiationem per baptismum faciendam. Hoc Scriptura speciatim indicat, quando baptismum administratum ait εἰς τὸ ὄνομα vel ἐπὶ τῷ ὀνόματι Χριστοῦ, ut *Act.* II. 38. ubi nos vide. Adde ad h. l. *Vossium* in Thesibus de Baptismo p. 14. & *Harduinum* in Opp. Select. p. 230.

Vers. 17. Ἐγένετο δέ μοι ὑποστρέψαντι) Possunt verba hæc conjungi cum τῷ ἐγένετο, &, quod sequitur, καὶ eodem sensu accipi, quo *Matth.* XXIII. 14. pro *idque*, *& quidem*, ut dupliciter tum tempus tum locus ecstaseos notetur, utrumque vero tum laxius, tum arctius. Quod si hæc constructio non placeat, Dativi μοὶ ὑποστρέψαντι æque possunt esse absolute positi ad designandam consequentiam, atque mox Genitivi: προσευχομένου μου

 Ita

Ita *Raphelius* in Annotatt. Xenophonteis p. 181. ubi & hujus constructionis exempla ex Xenophonte affert.

γενέσθαι με ἐν ἐκστάσει) Hanc ecstasin nonnulli eruditorum eam esse volunt, de qua S. Paulus 2 *Cor.* XII. fusius commentatur. Ita sentiunt *Jac. Cappellus*, *Lightfootus*, *Frid. Spanhemius*, alii. Sed obstant illis, quæ *Sam. Basnage* in exercitt. Anti-Baronian. p. 694. affert. *In hac ecstasi*, inquit, *nil est, quod dubium faciat animum, Paulusne vel extra corpus, vel cum corpore raperetur? Quid rei est ecstasis? Mentis contemplatio. Nec aliquid causæ fuit, cur Paulus de raptu corporeo aut spirituali potius penderet animi, quam Petrus, in quem ecstasis ceciderat. Jam vero Petrus in dubitationem non adduxit, an extra corpus, vel cum corpore in paradisum tunc receptus fuerit? Itaque cum visio Hierosolymitana Pauli ecstasis diserte dicatur, raptus corporeus esse non potuit.* Lege ibidem plura contra hanc sententiam dextre admonita. De voce ἐκστάσις vide, quæ scripsimus ad *Act.* XI. 5.

Vers. 10. καὶ ἔδειρον) Nonnulli Codd. hic legunt δαίρων, præter rem. Vide ad *Joh.* XVIII. 23.

κατὰ τὰς συναγωγάς) De flagellatione Christianorum in Synagogis recepta lege ad *Matth.* XXIII. 34. Ad h. l. speciatim evolve *Vitringam* in Archisynagogo p. 357.

Vers. 20. καὶ ὅτε ἐξεχεῖτο τὸ αἷμα) Αἷμα ἐκχέειν & *sanguinem effundere*, Græce & Latine, sine Hebraismo, dici ostendit *Horatius Vitringa* in Animadversionibus suis ad Vorstii Philolog. Sacr. p. 248.

Στεφάνου) Deest in uno Codice Alexandr. atque insititium videtur *Millio* in Prolegom. §. 1351. ideo, quod nemo vocabulum tam insigne prætermisisse credi possit. Unde igitur tot alia, ipso *Millio* alias fatente & indignante, præter omnem rationem omissa sunt? Et quomodo Paulus *Stephani* nomen hic in narratione sua omisisse cum ratione existimabitur, cui certe persuasum esse non poterat, auditoribus suis omnibus cognitum fuisse, quod ipse olim cædem Stephani cum voluptate adspectarit, eumque sub simplice μάρτυρος nomine indicatum cupiat? Numquid vero dicemus, non alios, præter Stephanum, ut testes Christianæ doctrinæ, vita a Judæis privatos esse.

τῇ ἀναιρέσει αὐτοῦ) Non magis ex vero, tanquam explicatiora ex *Act.* VIII. 1. huc relata esse ibidem opinatur *Millius*, tanquam quæ in Cod. *Cantabr.* & aliis nonnullis, itemque versionibus desiderentur. Quo igitur referetur vox συνευδοκῶν? Et præstitisset omnino, si audax esse voluisset Millius, ut totum illud comma, καὶ συνευδοκῶν τῇ ἀναιρέσει αὐτοῦ, statuisset expungendum. Nonne certissimum nobis esse debet, eadem phrasi usum hic fuisse Lucam, qua usus erat VIII. 1. cum uterque locus ex ejusdem calamo promanarit?

Vers.

Vers. 22. Ἤκουον δὲ αὐτοῦ ἄχρι τούτου τοῦ λόγου) i. e. quieti erant, donec audirent, Paulum Gentibus quoque gratiam Dei nunciandam esse statuere. Tanta erat invidiæ rabies.

Vers. 24. εἴπων, μάστιξιν ἀνετάζεσθαι αὐτὸν) *præcepit, flagris eum examinari;* vel potius *torqueri* aut *cædi*, ut idem sit, ac si simpliciter diceretur μαστίζεσθαι aut μαστιγοῦσθαι, quemadmodum Paulus v. 25. ait: ἔξεστιν ὑμῖν μαστίζειν. Ἐτάζω scilicet & ἀνετάζω est βασανίζω, *torqueo*, & ἀνετάζεσθαι est ἐτάζεσθαι, βασανίζεσθαι, *torqueri.* Ita *Boisius* in Collat. p. 463. qui in sequentibus hanc verbi notionem firmat ex *Sap.* II. 19. ubi impii de pio ita statuunt: ὕβρει καὶ βασάνῳ ἐτάσωμεν αὐτὸν, ἵνα γνῶμεν τὴν ἐπιείκειαν αὐτοῦ i. e. *contumeliis & cruciatibus torqueamus eum.* Sic VI. 6. δυνατοὶ δὲ δυνατῶς ἐξετασθήσονται i. e. *potentes vapulabant multis.* Conf. τοὺς LXX. *Gen.* XII. 17. Recte quidem hæc ita disputari non dubito, sed ita tamen, ut tantum efficiant, verbum ἀνετάζειν & ἐτάζειν pro re nata *cædendi* notione accipi posse. Hoc vero non prohibet, quo minus hoc in loco flagra illa ad *extorquendam* veritatem adhibita esse credamus. Flagra certe in habendis quæstionibus apud Romanos & gentes alias recepta fuisse, ostendit *Grotius* ad *Matth.* XXVII. 19. Nec hodie illum morem defecisse Moscorum instituta probant. Quæstionem vero hic ita instituendam judicabat Chiliarchus, ut intelligeret ex Paulo, quæ tandem causa sit tanti furoris, quo Judæos in ipsum ferri videbat. Ideo diserte additur: ἵνα ἐπιγνῷ δι' ἣν αἰτίαν οὕτως ἐπεφώνουν αὐτῷ. Neque enim percipere poterat, tanquam linguæ Syro - Chaldaicæ ignarus, quæ vel Paulus ad Judæos, vel hi ad ipsum essent locuti. Motus vero animorum insignes vel ex gestibus vultibusque eorum adsequebatur.

Vers. 25. Ὡς δὲ προέτεινεν αὐτὸν τοῖς ἱμᾶσιν) Talem verbi hujus usum merito quempiam, in Græcorum Scriptorum lectione diu multumque versatum, mirari affirmat *Henr. Stephanus* in Dissert. de Stylo N. T. p. 26. Syntagmatis Honertiani. Idem in Schediasmatibus Criticis lib. II. cap. XXVIII. Tom. V. Thesauri Critici Gruteriani in Supplemento p. 97. ita: Nullo modo possum illam verbi προέτεινεν interpretationem admittere, quam tamen & alios sequi video. Vertunt enim itidem: *cum autem adstrinxissent loris;* vel: *cum adstrinxisset*, sequendo alteram lectionem προέτεινεν, quasi προτείνειν Græcis significet *adstringere*, & quasi illis ἱμᾶσι ad eum vinciendum vel adstringendum uti vellent, non autem ad eum cædendum. Quod si autem hoc daretur, at illud dari nullo modo posset, προτείνειν significare *adstringere.* Spero igitur, fore, ut huic meæ expositioni adsentiaris: *cum objecissent eum loris;* h. e. *cum jam ei verbera intentarent.* Sic autem accipiendum erit *objicere*, ut dicitur *objicere gladio*, atque, ut Plautus dixit, *priusquam te huic meæ machæræ objicio, mastigia.* Quamvis enim res sint diversæ, lora, quibus cæditur aliquis, & gladius, quo percutitur, videmus tamen, verbum istud hinc mutari posse, cum aliud desit. Nisi forte dici queat: *admovere loris.* Erit quidem certe: *objicere aliquem loris*,

seu

ſeu *verberibus*, ſive *admovere loris*, eum prehendere, & eam corporis partem, quæ verbera eſt exceptura, velut in manus tradere eorum, qui ſunt verberaturi. Hæc *Stephanus*. Non minus in hac phraſi interpretanda hæret *Boiſius* in Collat. p. 465. Is enim nec *adſtringendi*, ut *Eraſmus* vertit, nec *diſtendendi*, ut *Beza*, (quod Græci potius κατατείνειν dicturi ſint) ſignificatum hic locum habere poſſe cenſet. Itaque hypallagen his ſubeſſe exiſtimans, τὸ, προέτειναν αὐτὸν τοῖς ἱμᾶσιν idem eſſe vult, quod προέτεινον αὐτῷ τοὺς ἱμάντας i. e. *cum vero loris jam cæſuri illum eſſent*; vel ad verbum: *cum vero exporrecta illi lora extenderent*. *Joſ. Scaliger* in lib. II. ep. 146. p. 362. ita de hoc loco: *Qui flagris cædebantur, ii funibus utrinque a terra levati ita ſuſpendebantur, ut cervices a terra longius quam pedes exſtarent. Meminiſti illud in Comœdia:* Ego plectar pendens. *Pendentes autem h. e.* μετέωροι *flagellabantur. Illud pendere eſt* ἱμᾶσι προτείνεσθαι *in Actis Apoſtolorum. Nam* προτείνεσθαι *eſt funibus utrinque a terra levari: non autem ſtantem funibus ad columnam deſtinari, ut pictorum natio ſomniat.* Atque hanc Scaligeri ſententententiam puto veriſſimam. Sic enim προτείνειν idem erit quod *protendere*, vel *extendere*, aut, quod *Grotius* mavult, *exponere*, quaſi dicas προβάλλειν. Nec neceſſe eſt, ut ἱμάντας de *vinculis* interpreteris. Senſus enim eſt: Paulum protenſum ad columnam ideo fuiſſe, ut flagris cædi rectius & gravius poſſet. Itaque vox ἱμᾶσι non pro ablativo, ſed dativo caſu habenda eſt. Pro voce προέτεινεν alii Codd. legunt προέτειναν, alii, προτέτεινον, duo προσέτεινον: adeoque in plurium numero. Sed non neceſſe eſt, ut lectio noſtra, quæ communiſſima eſt, deſeratur. Refertur enim non ad δήμιον, ſeu carnificem, ut *Boiſius* vult, ſed ad ἑκατόνταρχον, quo præſente & inſtruente hæc agebantur. Ita *Lud. de Dieu* ad h. l. exiſtimat, præpoſitionem πρὸ indicare, Paulum ſic fuiſſe tenſum, ut ſuperiore corporis parte pronus columnæ incumberet. Columna ejusmodi τύμπανον appellabatur Græcis, de cujus ratione vide Bibl. Bremenſ. Claſſ. VI. p. 653. Ex noſtratibus *Saubertus* in Opp. Poſthumis p. 125. vertit: *cum tradidiſſent eum flagellis*, h. e. flagellandum abduxiſſent. Non enim credit Paulum tamdiu tacuiſſe, donec cædendus adſtringeretur. Sic & *Hombergius* in Parergis p. 186. *cum tradidiſſent eum loris*. Addit προτείνειν idem eſſe, quod *tradere & porrigere*, ut apud *Ariſtoph.* προτείνειν δραχμάς. In Stephani, quamvis non excitati, ſententiam pronior eſt *Laur. Ramireſ. de Prado* in Pentecontarcho p. 218. *Sed cum verbum* προτείνω, inquit, *proprie ſignificet*, prætendo, porrigo, injicio, *verteretur etiam commode: cum objeciſſet eum loris*, h. e. *cum jam lora, quibus Paulus erat cædendus, prætenderentur: aut cum lora juſſiſſet Tribunus parari, quibus Paulum objiceret: & vero* loris *dativus eſt, non ſextus caſus. Quin etiam lora Græce* λῶρα ſive ἱμάντας *non ſolent parare ad vinciendum, ſed ad flagellandum, & iis ſemper ſervi cædebantur.* In ſequentibus idem multis veterum locis evincit, liberos homines *virgis*, ſervos autem *loris* cædi ſolitos,

quam

quam in rem lege etiam *Dougtæum* in Analectis N. T. Exc. LXII. p. 82. Ita Macer ICtus in L. *In servorum* 10. π. de Pœnit. *In servorum*, inquit, *persona ita observabatur, ut exemplo humiliorum puniantur: & ex quibus causis liber fustibus cæditur, ex his servus flagellis cædi, & domino reddi jubetur.* At per Porciam legem nec virgis in civem Romanum sævire licebat. *Porcia lex*, inquit *Cicero* Orat. pro Rabirio, *virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovet. Hic misericors flagella retulit.*

Εἰ ἄνθρωπον Ῥωμαῖον &c.) Quam grave & insolens fuerit, civem Romanum virgis cædere, ostendit *Pet. Faber* in Semestribus lib II. p. 82. ubi simile huic exemplum inter cetera ex Cicer. Orat. V. in Verrem affert, qui civem Romanum in Sicilia nudari ac deligari jusserit. Solemne alias erat dicere: *Civis Romanus sum*: quam vocem & implorationem sæpe multis in terris inter barbaros salutem tulisse, testatur *Cicero* VI. in Verrem.

καὶ ἀκατάκριτον) Alioquin enim, causa cognita, civis Romanus, si sceleri obnoxius esset judicatus, civitate Romana privari, & sic virgis cædi, aut capite plecti solebat. Vide *Ravardum* ad leges XII. Tabularum c. XXIX.

Vers. 28. Ἐγὼ πολλοῦ κεφαλαίου τὴν πολιτείαν ταύτην ἐκτησάμην) *Beza* κεφάλαιον hic nove pro *summa* dici arbitratur, quia κεφάλαιον non in re nummaria, sed in oratione pro *summa* dici consueverit. Atqui pro summa hac voce usus est *Theophrastus* in Characteribus c. 14. p. 64. & *Plutarchus* in Aristide p. 333, εἰς χιλίων καὶ τριακοσίων ταλάντων κεφάλαιον ἀνήγαγον h.e. *ad mille trecentorum summam redegerunt*: & alii ab *Elsnero* & *Suicero* T. II. p. 92. diligenter laudati. Conf. *Rigaltium* ad Artemidori Onirocrit. lib. 1. c. 18. p. 21. Diligentissime omnium diversas hujus vocis significationes, inter quas nec hæc omittitur, excussit *Jo. Crojus* in Observatt. Sacris p. 44. sqq. Τὸ κτᾶσθαι hic est ἀγοράζειν seu *emere*, ut supra c. l. 18. & apud τοὺς LXX. sæpe, v. c. *Gen.* XXXIX. 1. & XLIX. 30. nec minus apud profanos.

Ἐγὼ δὲ καὶ γεγέννημαι) In his verbis inprimis causa quærenda est, cur Paulus, Tarsi natus, Romanum se civem dixerit. Non scilicet habebat id a Tarso, quippe quæ nusquam civitate Romana, sed libertate tantum & immunitate donata legitur. Colonia quidem Romana Tarsus erat, quod constat ex Gordiani numo ΚΟΛ. ΕΛΕΥΘΕΡ. ΤΑΡΣ. quem *Ezech. Spanhemius* de Usu & præstantia Numism. p. 785. ed. in 4. affert. Sed non omnes coloniæ jure civitatis Romanæ auctæ erant. Lege huc *Spanhemium* in Orbe Romano p. 71. & *Christoph. Cellarium* in Dissert. Academic. p. 717. At immunitate eam donatam a M. Antonio fuisse, postquam a Cassio afflicta erat, testis est *Ammianus* lib. V. p. 675. cujus locum profert & illustrat idem Spanhemius in Orbe Romano Exerc. l. c. XVII. §. 19. Tom. XI. Antt. Roman. p. 53. sqq. Itaque Tarso urbi per se hoc jus in acceptis non retulit

 Paulus,

Paulus, unde neque hic, neque c. XVI. 21. & 37. neque XIII. 27. ulla Tarsi in hanc rem mentio fit. Relinquitur itaque, quod vel juxta veterum Græcorum annotata, quæ *Grotius* etiam sequitur, majores Pauli hoc beneficio jam mactati sint, vel, secundum scholia Græca, Pauli Parens jus illud ære redemerit. Ita de hac causa pronunciat *Spanhemius*, nihil interim definiens, simul vero contra *Dan. Heinsium* ejusque in Exercitatt. ad h. l. cogitata disputans. B. *Cellarius* emtionis titulo Parentibus Pauli civitatis Romanæ jus collatum esse in Disput. citata negat ideo, quod Parentes Pauli honestos & ab ambitione non minus quam turpi lucro alienos existimare oporteat. Vicissim vero Rev. *Deylingius* in Obss. Sacris Part. III. p. 307. sqq. luculente ex veterum monumentis commonstrat, emtionem juris hujus nec inhonestam, nec infrequentem ea ætate fuisse, tandemque p. 309. causam hanc rectissime ita definit: *Paulus igitur Civis Romanus fuit, quia natus erat parentibus, qui a Romano Magistratu emerant civitatis jus, quo plurima egregiaque continebantur, e quibus duo inprimis eminuerunt, quorum singularem fructum cepit Apostolus. Alterum est libertas agendi secure & intrandi Asiæ Græciæque urbes, nemine prohibente. - Alterum immunitas a flagellis, & a supplicio crucis.* Lege plura ad hoc argumentum in laudatis Cellarii Dissert. Academ. p. 710. sqq. & 150. item apud *Dilherrum* in Disputt. Philolog. T. I. p. 235. tum vero *Seldenum* de Jure Nat. & Gentium p. 169. & 671. & *Witsium* in Meletematibus p. 4. sqq.

Vers. 29. αὐτὸν ἀνετάζειν) Vide ad v. 24.

καὶ ὅτι ἦν αὐτὸν δεδεκώς) Omittit hæc *Æthiops*, atque ideo vereri se ait *Millius* in Prologom. §. 1214. ne Scholiastes aliquis ad plenitudinem historiæ adjecerit. Sed vere ea scripsisse Lucam vel ex v. 30. patet, ubi commemorat, Paulum jussu Chiliarchi vinculis liberatum esse, ideo scilicet, quod vereretur, ne quid inde detrimenti caperet. Et sane Cicero in Orat. pro Rabirio, *Facinus est*, inquit, *vincire civem Romanum, scelus, verberare*. De eo videtur primum homo ferox cogitasse, quia die illo, quo hæc agitabantur, Paulum in vinculis reliquit. Ceterum ex hoc simul patet, vincula illa non de alligatione Pauli loris cædendendi intelligenda esse cum nonnullis, sed de ceteris, quibus XXI. 33. constrictus fuisse dicitur.

Vers. 30. ἔλυσεν αὐτὸν ἀπὸ τῶν δεσμῶν) Voces ἀπὸ τῶν δεσμῶν non habent Codd. quidam, & versiones, quas propterea pro scholio habet *Millius* in Prolegom. §. 976. perperam omnino. Si Lucas simpliciter scripsisset ἔλυσεν αὐτὸν, cogitari poterat Paulus prorsus libertati suæ vindicatus. Hoc sensu verbo illo utitur idem infra XXIV. 26. ubi de Felice, exspectante pecuniam a Paulo, ὅπως λύσῃ αὐτὸν i. e. ut carcere liberatum dimitteret.

ἐκέλευσε ἐλθεῖν) Nonnulli Codd. legunt συνελθεῖν, atque id mavult *Grotius*, ideo, quod Chiliarchus Synedrium Judaicum non ad se vocarit, sed in loco majorum convenire jusserit. Quæ ut in tantum recte monentur,

tur,

tur, non tamen efficiunt, ut receptam lectionem deferamus. Nam verba simplicia compositorum locum & significatum tueri, & vicissim, sæpe observatum est. Itaque, qui τὸ ἐλθεῖν interpretandum putabat, alterum illud ad marginem collocavit, deinde in contextum improvide relatum.

CAP. XXIII.

VErs. 1. Ἀτενίσας δὲ ὁ Παῦλος) Vide ad III. 4.

πεπολίτευμαι τῷ Θεῷ) Vulg. *conversatus sum ante Deum.* Beza & Piscator: *servivi Deo:* Er. Schmidius: *conversatus sum ante Deum.* Boisius in Collat. ad h. l. p. 468. *vitam meam Deo probare studui*; ut sic πολιτεύεσθαι τῷ Θεῷ dicatur, qui sincere agit & simpliciter, Deo magis quam hominibus placere cupiens; πολιτεύεσθαι vero τοῖς ἀνθρώποις, qui ex adverso hominibus magis placere studet, quam Deo. Itaque idem hoc esse putat *Boisius*, ac si dixisset Paulus, ἔζησα seu βεβίωκα τῷ Θεῷ i. e. *vixi Deo*, seu totus ab arbitrio ejus pendeo. Sic *Demosthenes* ζῆν τῷ Φιλίππῳ dicit eos, qui toti ab illo pendeant. Hoc sensu Paulus *Rom.* XIV. nos vult ζῆν τῷ Κυρίῳ, *vivere Domino*, & Philip. I. 27. πολιτεύεσθαι ἀξίως τῦ εὐαγγελίυ τῦ Χριςῦ, h. e. talem vitam vivere, quæ professioni Evangelii Christi respondet. Vide quoque *Suicerum* Tom. II. p. 800. Addiderim his, quod *Philostratus* l. 18. §. 1. de Vitis Sophistarum πολιτεύειν ἄλλῳ eum ait, qui alterius partes in Republica tueatur. *Pisistratus* in epist. ad Solonem apud Laert. I. 53. profitetur, se ἐπιτρέπειν πολιτεύειν, καθότι διέθηκας τὺς θεσμὺς Ἀθηναίοις, *permittere, ut vivant secundum leges Atheniensibus datas.* Alias πολιτεύεσθαι πρὸς τὺς καιρὺς idem est, quod *tempori servire.* Vide *Valesii* Notas ad Harpocrationem p. 283. sq.

Vers. 2. Ὁ δὲ ἀρχιερεὺς Ἀνανίας) *Ananiam* quendam, seu ut Hebræi appellant חנניה *Josephus* Antiquitt. XX. 5. inter Pontifices Judæorum memorat, ibidemque testatur, eum ab Herode, Chalcidis Principe, imperante Claudio, electum, a Quadrato, Præside Syriæ vinctum, Romam missum esse, ut gestorum suorum rationem redderet Claudio Cæsari ante tempora Præfecturæ Felicis. Hinc itaque *Lightfootus* ad h. l. colligit, *incertum esse, an unquam is redierit Hierosolymam; incertius, an ad Pontificatum; incertissimum, an ille Pontificatum jam ageret, cum Pauli causa ageretur, post multos regiminis Felicis annos.* Proinde idem per Ananiam hunc intelligi mavult alium quendam hujus nominis, quem Talmudici passim חנניה סגן הכהנים i. e. *Ananiam Saganem* seu *Præfectum sacerdotum* nominent, quique hic a Luca vocetur Ἀρχιερεύς. Sed non præter rem *Vitringa* Obss. Sac. lib. VI. c. 23. §. 16. observat, probabile omnino esse, quod hic Ananias, Hierosolyma reversus, Pontificatum gesserit, cum idem diserte, v. 4. Sacerdos primarius appel-

 letur,

letur, nec ex historia Judaica ostendi possit alius, qui eo tempore Pontifex maximus fuerit. *Seldenus* de Synedriis lib. II. c. 15. p. 983. monet, Ananiam illum simul *Principem Synedrii* egisse, quem Judæi נשיא appellare consueverunt. Hinc etiam Paulum huc advocare locum Exod. XXII. 28. ubi ἄρχοντι τῦ λαῦ maledicere prohibeatur: quam legem *Maimonides* in Tr. סנהדרין c. 26. de Principe Synedrii magni & de Rege interpretatur. Addit idem, eo tempore Principem Synedrii vel *Rabban Gamelielem*, Seniorem, vel *Rabban Simeonem* filium ejus extitisse, quod ex catena ab eodem ibi allata liquet.

Vers. 3. τοῖχε κεκονιαμένε) *paries dealbate.* Ad sepulchra dealbata Hebræorum, de quibus *Matth* XXIII. 27. hic alludi existimat *Pignorius* de Servis p. 476. Proverbii locum hanc loquendi formulam obtinuisse, *Erasmus* & *Drusius* ostenderunt. An vero & Pauli jam tempore, incertum est, monente hic *Boisio* p. 469. qui tamen recte observat, eam ad omnia recte accommodari posse, quæ intus sordeant. *Augustin.* in Ps. 103. *Paries dealbatus, foris tectorius, intus lutum.* Conf. *Suicerum* Tom. II. p. 144.

καὶ σὺ κάθῃ κρίνων) *Henr. Stephanus* in Differt. de Stylo N. T. legere mavult in forma futuri κρινῶν με, hoc sensu: *itane tu, qui sedes judicaturus me secundum legem* &c. Sensus, fateor, commodissimus est, sed qui etiam prodeat per consuetam temporum enallagen, si vel maxime formam præsentis retineamus. Imo vero præsens etiam ratione sensus locum tueri potest, si τὸ κρίνειν non simpliciter de *sententia pronuncianda*, sed etiam de tota *causa cognoscenda* accipiamus. Sic infra v. 6. ἐγὼ κρίνομαι, *ad causam dicendam vocor.* Pro hac verbi forma facit sequens phrasis: καὶ παρανομῶν κελεύεις. Ecce! quam accurate hæc sibi invicem in eadem forma respondeant: κάθῃ κρίνων, & παρανομῶν κελεύεις. Interrogative hæc cum efficacia efferuntur. Ita quoque Græci, ubi admirationem produnt. Sic apud *Suetonium* in *Julio Cæsare*, Cæsar ad Brutum: καὶ σὺ τέκνον; *Ælianus* Var. Hist. II. 31. & alii apud *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 84. sq.

καὶ παρανομῶν κελεύεις με τύπτεσθαι) Elegans hic paronomasia occurrit inter phrasin κατὰ νόμον & παρανομῶν, cujus posterioris verbi frequens est apud Demosthenem usus, in quo tamen toto nihil occurrere recte judicat *Stephanus* l. c. quod majorem, quam hoc dictum, δεινότητα habeat. Vide hanc in rem *Dounæi* notas ad Demosthen. Orat. pro pace p. 191. & 194. qui τὸ καὶ accipit pro εἶτα. Ceterum de indigno hoc facto lege nonnulla apud *Seldenum* de Jure Naturæ & Gent. p. 515.

Vers. 5. οὐκ ᾔδειν, ἀδελφοὶ, ὅτι ἐςὶν ἀρχιερεύς) Torquent se hic Interpretes, quo sensu & animo hæc dixerit Paulus? Sensus maxime obvius est, eum vere ignorasse, quod Ananias Pontifex Summus sit. Neque enim vestibus sacris, quibus se alias distinguere Sacerdotes summi solebant,

bant, extra templum, ſed communibus uti conſueverant. In hanc ſententiam lege B. *Calovium* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. *Deylingium* in Obſſ. Sacr. Part. III. p. 325. *Jo. Buxtorfium* in Catalectis p. 73. & *Adr. Relandum* in Antiquitatt. Hebr. Part. II. cap. I. p. 149. ante vero *Gatakerum* in Miſcellan. Sacr. lib. I. c. 6. & *Witſium* in Meletematibus Leidenſibus p. 156. qui, retractata ea, quam in Miſcellan. Tom. I. lib. I. c. 22. §. 27. attulerat, ſententia, noſtram hanc amplexus ita commentatur: *Cur autem incredibile nobis videatur, Paulum ſimpliciter neſciviſſe, quod Ananias eo tempore Pontifex fuerit? cum & diu Hieroſolymis abſuiſſet Apoſtolus, ipſumque inter alios multos conſidentem conſpicaretur, nullo admodum notabili indicio ab aliis diſtinctum: nam Pontificatus inſignia non niſi in templo conſpiciebantur. Accedit, quod iis temporibus Pontificia dignitas nunc a Præfectis Romanis, nunc a Regibus Judæis, modo huic, modo illi delata, iisdemque paulo poſt pro lubitu ademta fuerit, ut intra unius anni ſpatium tres quandoque Pontificatum geſſiſſe ferantur.* Idem, ſi hoc minus placeat, non alienum ſe eſſe profitetur a *Riveti* in Iſagoge ad Scriptur. S. c. 21. n. 7. *Clericique* ſententia, qui Pauli verba eo accipiunt, ut profeſſus ſit, ſe neſciviſſe, oculis ſcilicet aliorſum converſis, a quo mandatum illud de ſe percutiendo ſit profectum. Sed ut taceam, ſic ellipſin, non nihil inſolentiorem, in verbis Pauli: ὐκ ᾔδειν, ὅτι ἐςὶν Ἀρχιερεὺς, ſcilicet: ὃς ἐπέταξε τύπτεσθαί με, ſtatui; contextus hanc quidem interpretationem non admittit. Is enim v. 3. teſtatur, Paulum πρὸς αὐτὸν i. e. Ananiam converſum, atque adeo oculis in eum defixis hæc verba prolocutum eſſe. Itaque ſciebat omnino, quis eſſet, cui hoc mandatum deberetur, quippe quem oculis & colloquio ſatis deſignabat. Itaque malim ego in prima illa expoſitione acquieſcere.

Nam aliæ aliorum conjecturæ adhuc minus ſe tuentur. Inter hos numero, qui τὸ ὐκ ᾔδειν exponunt per *non agnoſco, non habeo* pro Pontifice, ſive ideo, quod Pontificatus, adventante Chriſto, vere exſpirarit, ſive, quod Ananias arte aut aliis præſidiis illegitimis hanc dignitatem ſit conſecutus. Ita vero ſtatuit cum *Cloppenburgio* Tom. I. Opp. p. 58. 160. & 163. & aliis *le Cene* in Conatu novæ Verſionis p. 767. item *Keuchenius* ad h. l. p. 200. Si hoc innuere voluiſſet Apoſtolus, certe non ſcripturus erat: ὐκ ᾔδειν, ὅτι ἐςὶν Ἀρχιερεὺς, ſed potius: ὐκ οἶδα τῦτον ἀρχιερέα, quemadmodum Dominus noſter ad impios & damnandos homines ſe aliquando minatur dicturum: ὐ οἶδα ὑμᾶς. Nec placent omnino, qui τὸ ὐκ ᾔδειν per *non recordatus ſum*, interpretantur, cum *Jo. Brunsmanno* in Hendecade Diſſertatt. Miſcellan. p. 52. quemadmodum idem Apoſtolus 1 *Cor.* I. 16. dicat, ſe neſcire, num quem alium præter Stephani familiam baptiſarit. Sed eſt non exigua differentia inter phraſes ὐκ ᾔδειν, ὅτι & ὐκ οἶδα, εἰ. Prior enim per ὅτι eſt aſſertiva; poſterior per εἰ cum dubitationis indicio manifeſte conjuncta.

Non magis amplectenda putem *Simonis Epiſcopii* cogitata in Reſponſione

fione ad LXIV. Quæftiones Tom. I. Opp. p. 28. qui fcilicet Paulum exiftimat æftu animi, inopinata injuria percuffi, abreptum allocutione hac ufum effe, & lapfum fuum excufaffe dicendo: οὐκ ᾔδειν, ὅτι ἐςὶν Ἀρχιερεὺς h. e. *non confiderabam, quod faciebam*, non advertebam, quod effet Pontifex. Idem in mentem venit *Roberto Sanderfono* in Prælectionibus de obligatione Confcientiæ. Οὐκ ᾔδειν, inquit ille, i. e. *non cogitavi, fatis attente confideravi, quafi dicat: parcite, quæfo fratres, juftæ meæ indignationi; fi æftuantis animi impetu abreptus liberius aliquid elocutus fuerim, quam oportuit, immemor & illius perfonæ, & officii mei. Agnofco errorem, non debui maledicere Pontifici* &c. Sed vide, quæ in hæc animadvertit *Jo. Buxtorfius* in Catalectis p. 73.

Denique omnium minime audiendus eft *Phil. Marnixius*, quando in præfatione ad librum, quem infcripfit *Tableau des differens de la religion* verba Pauli per ironiam prolata exiftimat. Hoc enim a perfona Pauli, & argumenti, de quo agebatur, dignitate, aliisque circumftantiis alieniffimum effe exiftimo.

Ceterum, quæ ex hoc & fequentibus nonnullis commatibus in fraudem infallibilitatis Apoftolicæ in Judiciis Theologorum Batavorum de Hiftoria Critica Simoniana p. 231. afferuntur, ea recte diluit *Witfius* in Mifcellaneis lib. I. c. XXII. §. 24. fqq. item in Meletemat. p. 157. fq. ubi inprimis de eo, quod Paulus recte hac exfecrandi formula ufus fit.

Ἄρχοντα τοῦ λαοῦ σου οὐκ ἐρεῖς κακῶς) Vide huc *Guffeti* Lexic. Hebr. p. 98.

Verf. 6. Γνοὺς δὲ ὁ Παῦλος, ὅτι τὸ ἓν μέρος ἐςὶ Σαδδουκαίων &c.) Vide ad hæc & reliqua verba *Serarium* in Trihærefio p. 91. & *Drufium* de Sect. p. 264. Syntagmatis Triglandini.

Φαρισαῖός εἰμι) Quo fenfu & fine hoc dixerit Paulus, oftendit Rev. *Alb. Joach. Krackevitzius* in Differt. de Paulo Apoftolo, poft fui converfionem adhuc Pharifæo. *Roftoch.* 1703.

υἱὸς Φαρισαίου) Codd. nonnulli legunt in plurium numero Φαρισαίων, non improbantibus, ut videtur, *Grotio* & *Millio*, qui alias Paulum fe Ἑβραῖον ἐξ Ἑβραίων appellare hic monent, refpectu fcilicet habito ad patrem & matrem, tanquam ejusdem fectæ homines. Crediderim vero, Paulum pofteriore illa phrafi non tam ad parentem utriusque fexus, quam ad majores longa ferie ductos refpicere. Ita vero incertum eft, num Paulus eodem modo fe dicere potuerit natum ex majoribus itidem fecta Parifæis, cum fieri potuerit, ut inter eos effent Sadducæifmo dediti. Præftat itaque receptam lectionem hic tenere.

περὶ ἐλπίδος καὶ ἀναςάσεως νεκρῶν ἐγὼ κρίνομαι) i. e. per Hendiadyn: *de fpe refurrectionis mortuorum in judicium vocor.* Atque fic acceperunt *Syrus*, *Arabs*

Arabs & *Æthiops*. Alia quidem erant, quæ D. Paulo a Judæis vitio imo crimini vertebantur, nempe, quod Christum prædicaret Messiam, ceremoniisque sublatis gentes in Sacrorum communionem admittendas esse statueret. Sed prudentia ea usus est Apostolus, quæ laudem promeretur, & causam optimam egregie adjuvabat. *Nam præterque*, ut *Witsius* in Meletematibus p. 161. recte monet, *quod vera sint, quæ dicit, omnia, notandum est, sic exorsum fuisse, Paulum, ut qui ingenue & sincere totam causam exponere cuperet, nec astute refugisse puram & integram confessionem, qualis servis Christi edenda esset. Sed quid ageret? Obstructus erat aditus: non dabatur audientia, in orationis exordio importunis alapis turbabatur. Sibi ipsi quidem optime conscius erat, nec difficile fuisset, bonam causam æquis judicibus approbare: Sed experiebatur eos, qui pro judicibus se gerebant, cæco odio præcipites ferri. Quum igitur sciret, intestinis dissidiis laborare eos, qui in se conspiraverant, extremo remedio usus est, ut scilicet hostes ipsos inter se committeret. Quod & ex animi sententia cessit.*

Vers. 7. ἐγένετο στάσις) *orta est pugna* vel *dissensio*. Vide supra XV. 2. & in hoc capite v. 19.

Vers. 8. Σαδδουκαῖοι μὲν γὰρ λέγουσι μὴ εἶναι ἀνάστασιν &c.) De his Sadducæorum & Pharisæorum sententiis vide, quæ ex antiquitate disputata sunt a *Serario* in Trihæresio p. 91. 92. & 419. item in Minervali p. 117. nec non de Rabbinis & Herode p. 335. sq. tum vero a *Drusio* de Sectis p. 251. 253. & 292. itemque in Respons. ad Minerval Serarii p. 222. Dubium vero hic inprimis est, quid intelligendum sit per

μήτε πνεῦμα) De diversis itaque interpretum sententiis lege *Schudtium* de Voto, facto & fato Jephthæ p. 164. sq. Nonnulli quidem iique rectissime, τὸ πνεῦμα de anima hominum a corpore seorsim existente accipiunt, quippe quam non minus atque Angelos negarint Sadducæi, animam scilicet pro corporis temperatura, cum ipso intereunte, habentes. Ita *Grotius* & plerique omnes. Alii minus convenienter de Spiritu S. accipiunt, præeunte *Epiphanio* Hær. XIV. & Philastrio de Hæresibus c. 4. Conf. de his *Drusium* lib. III. p. 146. de Sectis & *Scaligerum* p. 118. Elenchi. *Jo. Harduinus* Deum ipsum intelligi vult, quem scilicet eo sensu negarint Pharisæi, quod talem non crederent, qualem Paulus, h. e. substantiam omnis corporis expertem. Aut enim corporeum Deum Sadducæos statuisse, aut naturam pro Numine habuisse, adeoque Deum re ipsa negasse. Vide ejus Prolusionem de Numis Herodiadum p. 99. sq. sive in Opp. Select. p. 352. Interim mirum est, Sadducæos in hunc errorem, non dari Angelos, nec animas separatas, incidere potuisse, qui, si non integrum Codicem V. T. de quo ad Matth. XXII. diximus, saltem Pentateuchum, contraria omnia confirmantem, recipiebant. Conf. *Petavium* ad Epiphanium p. 28. & Tom. III. Dogmatum Theolog. p. 3.

Φαρισαῖοι

Φαρισαῖοι δὲ ὁμολογῦσι τὰ ἀμφότερα) Per ἀμφότερα hic indicari duo tantum momenta posse existimant nonnulli, atque adeo duas errorum classes constituunt, quarum altera resurrectionem, altera Spiritus & Angelos spectet. Sed hac subtilitate supersedere poterant, cum veterum Scriptorum exemplis constet, ἀμφότερα non solum de rebus duabus, sed & tribus adhiberi, quod & *Chrysost.* ad h. l. monuit, Vide huc omnino *Jo. Phil. Pfeiferi* Disput. Philolog. ad h. l. singularem *Regiom.* 1682. habitam, ubi hanc phrasin a barbarismi suspicione satis vindicat.

Vers. 9. *οἱ γραμματεῖς τῦ μέρυς τῶν Φαρισαίων*) i. e. *Scribæ partibus Pharisæorum addicti.* Hinc vero non potest probari, Scribas semper fuisse ratione sectæ Pharisæos, a quibus sæpe sejunctas habebant rationes; sed id tantum, quod hac in parte Pharisæis faverint præ Sadducæis. Lege hanc in rem *Jac. Basnagii* Historiam Judæorum Tom. VI. p. 86.

εἰ δὲ πνεῦμα ἐλάλησεν αὐτῷ ἢ ἄγγελος) Per πνεῦμα afflatum quendam, qui animum vehementer afficiat, quemque Græci ἐπίνοιαν vocent, intelligit *Grotius*, quem acerbius confutat *Jo. Harduinus* in Opp. Selectis p. 352. Is enim per Πνεῦμα hic æque ac v. 8. Deum intelligit, hoc axiomate usus, quod vox πνεῦμα sine articulo Deum, cum articulo vero Spiritum S. denotet. Ita Joh. IV. 24. πνεῦμα ὁ Θεός. Sed vereor, ut Harduinus cuiquam sententiam suam probet. S. Lucas sæpissime πνεῦμα de Spiritu S. adhibet v. c. in Evang. I. 15. Πνεύματος ἁγίυ πλησθεὶς, I. 35. Πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται, I. 41. ἐπλήσθη Πνεύματος ἁγίυ iterumque v. 67. &c. Multo minus idem probaverit alteram principii sui partem, quod scilicet Πνεῦμα simpliciter positum Deum significet. Qui enim ex S. Johanne locus affertur: Πνεῦμα ὁ Θεὸς, huc certe non pertinet. Quid enim est dicere? *Deus est Deus*, cum ea propositione, si ex mente Christi invertatur: *Deus est Spiritus*, divini Numinis proprietas essentialis potius innuatur. Itaque malim cum aliis per πνεῦμα hic Spiritum S. intelligere. Constat enim, Judæos divina oracula varii generis, de quibus *Vitringa* in Obss. Sacris lib. VI. c. 8. sqq. diligenter exposuit, statuisse, interque ea numerasse speciatim id, quod per Spiritum S. ברוח הקודש prolatum sit. Hoc oraculi genus a prophetia stricte sic dicta, quam נבואה appellant, distinguunt, atque inde quosdam Scripturæ S. libros כתובים seu ἁγιόγραφα appellant. Fortasse igitur huc respexerunt Scribæ illi, Pharisæorum partibus addicti. Fortasse inquam. Nam pro certo hic affirmari quidquam posse non existimo. Veri enim simile sit, vocem πνεῦμα hic eodem sensu induendam esse, quem v. 8. obtinet. Ibi autem Spiritum S. intelligi debere, paucissimis persuasum est. Nec constat satis, quam facultatem Pharisæi animabus a corpore separatis tribuerint. Fortasse enim existimarunt illi, Deum nonnunquam animas beatas voluntatis suæ ad homines, in corpore adhuc viventes, interpretes mittere: in qua sententia fuisse videtur opulentus ille lurco, qui Luc. XVI. 26. Abraha-

Abrahamum mitti volebat ad fratres suos de conditione sua miserrima edocendos. Ita simul apparet causa, quare St. Lucas v. 8. præter resurrectionem mortuorum, quæ sufficere in hac causa videbatur, commemorarit, Sadducæos *μήτε ἄγγελον μήτε πνεῦμα* statuere. Sic enim ratio manifesta est, cur Scribæ h. l. Sadducæis objecerint, fieri posse, ut a Spiritu quodam vel Angelo, quales ipsi negent, divino nutu monitus & impulsus sit Paulus ad ea, quæ profiteretur, promulganda.

μὴ θεομαχῶμεν) Codd. nonnulli & versiones quoque hæc verba non habent. Propterea ex *Act.* V. 39. huc relata videntur *Erasmo* & post eum *Millio* ad h. l. ita commentanti: *Et certe cum ad supplendum, quod sententiæ deesse videbatur, addat de suo* Syrus; *quid in hoc rei est:* Ammonius; *ἄδηλόν ἐστι. Alii alia: quidni & hoc scholion adnotatum putemus ad marginem libri a studioso quopiam ac, cum sensum commodum efficeret, arreptum mox in contextum a librariis?* Idem in Prolegomenis §. 908. observat, *Isidorum Pelusiotam* hic argutius legere *ἢ δὲ πνεῦμα ἐλάλησεν αὐτῷ ἢ ἄγγελος.* Atque ista quidem lectio, si quid deficere aut mutandum esse existimandum sit, convenientissima meo judicio foret. Sed absit, ut quidquam hic vel defecisse olim per ellipsin in antiquis exemplaribus, vel hodie additum esse censeamus. Tota oratio manca sine his verbis futura erat, atque ita elliptica, qualem nullo exemplo probari posse certissime mihi persuasum est. Cur itaque non credamus potius, Lucam hæc scripsisse, quam ex Act. V. 39. huc relata esse a librario? Certe, qui hæc ausurus erat, eadem potius, quæ ibi exstat, phrasi usurus erat: *μὴ θεομάχοι εὑρεθῶμεν,* quam novam illam procusurus. Recte itaque hæc verba pro *γνησίοις* habent *Whitbius* in Examine Var. Lection. p. 55. & *Pfaffius* in Dissert. Critica de V. L. p. 124. De phrasi ipsa lege ad V. 39. Nostra hac utitur *Arrianus* Epictet. lib. III. c. 24. *θεομαχοῦντος ὡς μόνον οἷόν τε τοῖς δόγμασι τοῖς ἑαυτοῦ, opinionibus saltem suis, quoad potest, Deum oppugnans.* Conf. *Raphelii* Notas Polyb. p. 388. Alia ejusmodi veterum loca huc affert Cl. *Trillerus* in Notis MSS. ad h. l. v. c. *Theognidis* v. 687.

Οὐκ ἔστι θνητοῖσι πρὸς ἀθανάτους μαχέσασθαι,
Οὐδὲ δίκην εἰπεῖν· οὐδενὶ τοῦτο θέμις.

Menandri item in Eunuch. p. 70. Fragment. edit. Clerici *μὴ θεομάχει,* ubi confer ejusdem notas, & adde *Stobæi* Serm. CVI. Infelicis ejusmodi conatus a Xerxe in Apollinis templum suscepti meminit *Justinus* II. 12. Adde *Drusii* proverbia II. 3. n. 205.

Vers. 10. *πολλῆς δὲ γενομένης στάσεως*) Vide ad v. 7.

τὸ στράτευμα) i. e. *milites. Abstractum* ponitur pro *concreto*, hic etiam abstractum singulare pro concreto plurali. Sic adagium Græcorum *ἁλμυρὸν γειτόνημα* i. e. *mali & amari vicini.* Vide *Boisii* Collat.

Verf. 11. *ἐπιστὰς αὐτῷ ὁ Κύριος*) Dii & dæmones, mortalibus apparentes, dicuntur iis *ἐφιστάναι*. *Herodotus* III. 141. p. 143. *ὀλοφυρόμενον δ' ἄρα μιν ἐπελθεῖν ὕπνον καὶ οἱ δόξαι ἐν τῇ ὄψει ἐπιστάντα τὸν θεὸν θαρσύνειν*, *inter lamentationem ei obrepfiffe fomnum, & vifum effe Deum adeffe, & animum addere.* Conf. *Anacreont.* Od. III. v. 31. *Lucian.* Chronofol. p. 817. *Achill. Tatium* IV. p. 219. & alios, quos poft *Bochartum* Tom. II. Opp. p. 975. affert *Elsnerus* p. 469. fq. Verfio Montenfis Gallica vertit: *fe prefenta a luy*; quam contra *Malletum* tuetur *Arnaldus* in Defenfione ejus p. 488. fqq.

εἰς Ῥώμην) i. e. *ἐν Ῥώμῃ*, cujusmodi enallages exempla frequenter in hoc libro exftant. Poffes quoque ellipfin verbi *ἐλθόντα* aut fimilis h. l. ftatuere.

Verf. 12. *ποιήσαντές τινες τῶν Ἰουδαίων συστροφὴν*) Beza: *quidam ex Judæis facta coitione.* *Συστροφὴ* eft *σύστασις*, five *ἐπισύστασις* i. e. factiofa hominum confpiratio: coitio & confenfus hominum confpirantium in necem alicujus, aut tale aliquod nefarium facinus. Conf. fupra XIX. 40. Verf. 13. hæc *συστροφὴ* dicitur *συνωμοσία*. Lege huc *Boifii* Collat. p. 471.

ἀναθεμάτισαν ἑαυτοὺς) Solebant fcilicet Judæi privato quoque aufu & confilio voto ejusmodi fe obftringere, fine accedente fuperiorum auctoritate, cujus rationem defcribit *Seldenus* de Synedriis lib. I. c. VII. p. 108. *Atque ita*, inquit, *heic excommunicatio habetur comminatoria, quæ ex maledictione feu imprecatione vindictæ divinæ ac feparatione futura folenni conftabat juxta recentiorem, & tunc ante receptam anguftiorem feu citra, apud homines feu ex actu aliquo humano deftructionem anathematismi feu τοῦ Cherem, fecundum quæ paulo ante diximus, fignificationem. Unde fi quis eorum anathematis hujus vim violaffet, pro excommunicato faltem apud conjurationis hujusmodi focios habendus erat.* Ita ille, qui & in fequentibus dicta illuftri Effenorum exemplo adftruit. Illi enim, adhibitis *ὅρκοις φρικώδεσι*, *juramentis horrendis*, obnoxios fe reddebant inftitutis & legibus arctioribus, fectæ fuæ receptis, eosque, qui immorigeri effent, a cœtu fuo removebant. Vide *Jofephum* de Bello Judaic. II. 12, Conferatur idem *Seldenus* de Jure Nat. & Gent. lib. IV. c. 7. p. 523.

Verf. 14. *ἀναθέματι ἀνεθεματίσαμεν ἑαυτοὺς*) Vide *Seldenum* de Synedriis pag. 109.

Verf. 15. *ἕτοιμοί ἐσμεν τοῦ ἀνελεῖν αὐτὸν*) Voce *ἕτοιμοι* homines nequam indicant vel fimpliciter, fe Paulum occifuros effe: vel, fe id avide cupere; vel denique fe ad hanc rem paratos & difpofitos effe. Singulas enim has notiones voci ifti fubjiciunt *οἱ* LXX. Vide *Keucbenium* ad h. l. p. 201.

Verf. 17. *τὸν νεανίαν τοῦτον ἀπάγαγε*) i. e. *adducito*, vel, *perducito*. Vide fupra XIII. 4. & XX. 29.

Verf.

Verſ. 18. *προσκαλεσάμενός με*) Deſunt in uno Codice, & in verſionibus *Vulg.* & *Æthiop.* atque hinc *Millio* in Prolegom. §. 439. ex v. 17. huc relata videntur. At non præter rem & Centurio ille, & Lucas ipſe phraſin hanc adhibuit, tanquam ex qua cognoſceretur, centurioni illi non fuiſſe clandeſtinum aliquod cum Paulo commercium, ſed ipſum potius ad preces ejus cum eo collocutum eſſe: ne ſcilicet ex compoſito hæc agi viderentur.

Verſ. 21. *προσδεχόμενοι τὴν ἀπὸ σοῦ ἐπαγγελίαν*) *Henr. Stephanus* de Stylo N. T. p. 27. legi hic mavult *ἀπαγγελίαν*. Sed recte *Grotius* receptam lectionem tuetur, & poſt eum *Millius*, obſervans, *ἐπαγγελίαν τοῖς* LXX. Intt. paſſim, ut *Eſth.* IV. 7. & *Ezech.* VII. 29. idem eſſe, quod *ἀπαγγελίαν*. Iisdem locis in hanc rem utitur *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 85. Quod ut recte ab his admonetur, ita video, de ſignificatu vocis diſſentire Viros doctos. Alii enim cum *Vulg. de promiſſo* interpretantur, quaſi vellet dicere juvenis, nihil ſicarios illos deſiderare amplius, omnibus ad cædem jam paratis, quam ut petitioni ipſorum annuat chiliarchus, & miſſurum ſe Paulum promittat. Ita *Elsnerus* p. 471. qui & idoneis exemplis hanc ſignificationem munivit ex *Ariſtide* Serm. Sacr. IV. 605. & *Polybio* lib. III. 100. p. 348. item Excerpt. p. 1133. ubi ita: Ὁ δὲ Πόπλιος, τὸν μὲν κατὰ τὸν υἱὸν ἐπαγγελίαν ἔφη δέχεσθαι h. e. *Publius ad hæc, quod de filio polliceretur, id ſe ait accipere.* Putem tamen de *nuncio*, quem exſpectabant a chiliarcho, rectius accipi, quod & viſum eſt *Jo. Alberti* p. 264. Hoc ſenſu vocem *ἐπαγγελία* adhibet *Arrianus* Exped. Alex. I. 19. p. 40. *καὶ τοὺς Ἕλληνας νεωτερίειν πρὸς τοῦ ναυτικοῦ πταίσματος τὴν ἐπαγγελίαν ἐπαρθέντας* & *Græcos navalis cladis nuncio excitatos, novas res molituros.* Conf. *Ulpian.* Enarrat. Orat. Demoſth. contra Androtion. p. 207. Addit idem *Alberti*, forte etiam per *juſſum* converti poſſe. Ita *Heſychius ἐπαγγέλλωσιν, κελεύσωσιν* & *ἐπαγγέλλῃ, κελεύεις.*

Verſ. 22. *ὅτι ταῦτα ἐνεφάνισας πρός με*) Sic *Polybius* p. 46. *πρὸς τοὺς φίλους ἐνεφάνισε, amicis dixit.*

Verſ. 23. *ὅπως πορευθῶσιν ἕως Καισαρείας*) Iter Cæſarea inſtituebatur Dioſpolin per Antipatridem. Id liquet ex veteri Itinerario Hieroſolymitano. Hoc itinere ductus fuit Paulus Hieroſolymis Cæſaream, ita ut noctem Antipatride ageret. Ita ad h. l. *Relandus* in Palæſtina p. 409.

δεξιολάβους) *δεξιοβόλους* hic legit unus Codex *Alexandr.* Sed proba omnino eſt recepta lectio. Vulg. vertit *lancearios*; Beza & Piſcator: *ſtipatores*; Alii: *ſatellites. Jo. Meurſius* in Gloſſario ſuo vocem ita exponit: *Fuit τῶν δεξιολάβων munus in militia, quod lictorum in urbibus. Manum nimirum injiciebant maleficis & ſontibus, eosque apprehendebant, quod nominis ratio manifeſte loquitur, inde δεξιολάβοι dicti. Et carceri quoque mancipatos aut ad ſupplicium ducendos*

custodiebant, stipabantque, atque inde eos παραφύλακας interpretantur Magistri Græci. Conf. *Boisium* ad h. l. p. 472.

Verſ. 24. κτήνη τε παραςῆσαι) ſcilicet εἶπε, quod ἀπὸ κοινοῦ ex v. 23. hic repetendum eſſe recte monet Rev. *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 181. & *Boiſius* p. 472. Ita non opus eſt quidquam mutare, quod feciſſe videtur Vulgatus, qui τὸ παραςῆσαι imperandi notione accepit, legens ſcilicet παράςησαι pro παραςῆσαι. *Boiſius* Latine dici vult: *parata habere*, potius, quam *præbere, exhibere, ſiſtere*, niſi cum *Budæo* malis: *jumenta præſto ſiſtere*: quia mandatum hoc non ſolum factum, ſed facti etiam celeritatem innuit. *Polybius* p. 1449. παραςήσας ὃν λέμβον, *cum præbuiſſet navigium*. Eſt hic præterea tranſitus ab oratione recta ad obliquam, quod monet *Raphelius* in Notis Xenophont. l. c.

διασώσωσι) Nonnulli hic de Hebraico loquendi genere cogitant, per quod, poſito verbo uno, conſequens alterum ſubintelligatur. Sed ſimiliter, inprimis in hoc verbo, loqui ſolere profanos, pluribus *Xenophontis* locis evicit *Raphelius* in Notis ex hoc Scriptore depromtis pag. 182. qui nunc ἀποσώζειν, nunc σώζειν & σώζεσθαι eodem ſenſu adhibet, quod idem de *Polybio* oſtendit ex p. 725. διεσώζοντο πρὸς τὴν πόλιν, *in urbem ſe recipiebant*. Senſus eſt: *ut ſalvum perducerent*. Adde *Suicerum* Tom. I. p. 884. Interim facile largior *Boiſio* p. 473. τὸ διασώζειν idem interdum eſſe, quod ὁδηγεῖν, i. e. *comitari, perducere*.

πρὸς Φήλικα τὸν ἡγεμόνα) *Felicem* hunc anno Claudii nono miſſum eſſe in Judæam arbitratur *Valeſius* p. 38. ad Euſebium. De eodem ex *Tacito* hic commentatur *Grotius*, pluribus autem *Saldenus* in Otiis Theologic. p. 766. ſqq. Φηλικίωνα quendem laudat *Arrianus* Epictet. p. 196. ubi *Schegkius* in Latina verſione dubitat, an cum noſtro idem ſit.

Verſ. 25. γράψας) i. e. καὶ ἔγραψε. Vide hic *Boiſium* p. 476.

τὸν τύπον τοῦτον) Cicero *exemplum* dicit X. 5. ad Familiar. & alii, a *Raphelio* in Notis Xenophonteis allati p. 183. Eam & alias vocis hujus ſignificationes diligenter exponit *Gatakerus* in Adverſariis Sacris c. IV.

Verſ. 26. τῷ κρατίςῳ ἡγεμόνι) de voce κράτιςος, quantum ſatis eſt, diximus ad *Luc.* I. 3. Conf. huc *Jo. Buxtorfium* in Catalectis p. 298. Vox ἡγεμὼν perinde ut Latina *Præſes* generalem habet ſignificationem, & nunc Procuratorem, nunc Proconſulem, nunc Legatum Cæſaris infert. Vide *Valeſium* ad Euſebium p. 86. & p. 10. Adde, quæ ſcripſimus ad *Matth.* XXVII. 3.

χαίρειν) Hac ſalutandi formula in epiſtolis primum uſum eſſe Cleonem, teſtis eſt *Eubulus* Comicus apud Suidam in voce χαίρειν & *Mœris* Atticiſta.

cista. Vide omnino *Colomesium* in Obss. Sacr. p. 120. Adde nos, si placet, ad *Act.* XV. 23.

Vers. 27. μαθὼν ὅτι Ῥωμαῖός ἐστι) *Beza* plena dictione post ἐξειλόμην αὐτὸν, ita legi deinceps volebat; μαθὼν δὲ ὅτι Ῥωμαῖός ἐστι, βουλόμενος γνῶναι &c. Sed, hoc aversatus *Boisius* p. 475. ita pro recepta interpunctione argumentatur: Non recte distinguit tempora. Certum est enim ex historia, Paulum bis subiisse capitis periculum apud furentes Judæos, primum c. XXI. 30. & deinde cap. XXIII. 10. Et, ut bis in periculo fuit, ita bis illum Tribunus liberavit. Verba ego hæc, μαθὼν ὅτι Ῥωμαῖός ἐστι, ad posteriorem liberationem, non ad priorem, refero. Nam non ignotum fuit Tribuno, Paulum Romanum esse, in secunda libertatione ejus. Et si bene animadvertimus, inveniemus in Tribuni epistola commisceri hæc duo tempora, cum quædam in ea sint, quæ referri debeant ad priorem liberationem, quædam ad posteriorem, quædam ad utrumque. *Ita ille.*

Vers. 30. ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων) Desunt hæc in Codd. nonnullis, quæ propterea ex v. 27. huc translata censet *Millius*, orationem hoc ipso mancam efficiens. Nec magis vere idem sequentes voces τὰ πρὸς αὐτὸν a Scholiaste quodam derivat in Prolegom. §. 445. quippe quas orationis series itidem postulat.

Ἔῤῥωσο) Vide ad *Act.* XV. 21. Formulam istam h. l. bono sensu adhiberi manifestum est, quam alias sequiori venire *Phalaris* in epistola quadam monuit. Conf. Cl. *Schœtgenii* notas ad Epistolas Themistoclis p. 42.

Vers. 31. εἰς τὴν Ἀντιπατρίδα) vid. ad v. 23. In ea describenda multus & diligens est *Relandus*, tum alias, tum p. 569. sq. Palæstinæ, ubi inter cetera observat, hinc aliquo modo colligi, non fuisse hanc urbem maritimam, quia alia via Hierosolymis Cæsaream brevior fuisset, quam sine ullo dubio milites ivissent.

Vers. 35. Διακούσομαί σου) *Erasm. Schmidius* explicat: *sufficienter te audiam*, imo &, *distincte de singulis*. Et nihil impedire, quo minus vertatur: *plene & ad finem te audiam*; recte hic monet *Raphelius* p. 388. Notarum Polybian. addens, neque tamen hoc necesse esse, cum etiam pro simplici frequenter usurpetur a *Polybio*, ut p. 46. 62. & alias, ubi nunc emphasis aliqua, nunc nulla deprehenditur. Sic p. 46. ὃς διακούσας τὸ γεγονὸς ἐλάττωμα i. e. *audita clade* & p. 1453. ἐπὶ δέκα ἡμέρας διήκουε τῶν κατηγορούντων, *per decem dies audiendis accusatoribus vacavit.*

Ἐκέλευσέ τε αὐτὸν ἐν τῷ πραιτωρίῳ τοῦ Ἡρώδου φυλάσσεσθαι) Verba hæc, quamvis in omnibus Codd. & versionibus obvia, pro scholio lectoris cujusdam temere habet *Millius*, notatus ideo a *VVhitbio*, in Examine p. 55. De

voce Latina πραιτώριον diximus ad *Matth.* XXVII. 27. plura olim ad *Philipp.* I. 15. allaturi. Prætorium Herodis hic dicitur, ideo, quod juſſu ejus Cæſareæ erat extructum.

CAP. XXIV.

VErſ. 1. Μετὰ δὲ πέντε ἡμέρας) i. e. *die autem quinto.* Vide infra ad XXVIII. 11. & 17. Conf. Biblioth. Bremenſem Claſſ. I. p. 31.

ἐνεφάνισαν τῷ ἡγεμόνι) Alii hic *adeundi*, alii *comparandi*, alii *declarandi* verbo utuntur. Phraſis eſt elliptica, quæ ſupplebitur addendo vocem ἑαυτοὺς, & ſic comparendi notio prodibit, vel aliud quodcunque nomen, *rem* ſignificatam vel voce vel ſcripto, declarans. Atque hoc mavult *Boiſius* in Collat. p. 476. exiſtimans vertendum: *intimarunt Præſidi contra Paulum*, ſcilicet, *neſcio quid.* Confer infra ad XXV. 1.

Verſ. 3. καὶ κατορθωμάτων γινομένων τῷ ἔθνει τούτῳ) *Phrynichus* verbum κατορθοῦν probatiſſimum, verbale vero nomen κατόρθωμα ſpurium ſeu ἀδόκιμον eſſe & cum ἀνδραγάθημα permutandum cenſuit. Ejus vero judicium vel ab uno *Polybio* convellitur, apud quem uſus ejus eſt frequentiſſimus. Videeum p. 647. 811. & alias, ceu diligenter obſervavit *Raphelius* in Notis Polybianis p. 389. ſqq. Significat autem κατόρθωμα *quodvis factum egregium*, & ſpeciatim *res bello præclare & feliciter geſtas.* Idem aliorum Scriptorum locis adſtruxit *Elsnerus* p. 472. monens præterea, Romanos olim, pro ſua in Deos religione κατορθώματα non Ducibus, ſed Diis tribuere conſueviſſe, ut patet ex *Plutarcho* in Poplicola p. 109. Hinc vero idem recte conficit, Tertullum his verbis Felici nimiopere eſſe adulatum, maxime. quod conſtet, Felici huic nulla κατορθώματα in gentis Judaicæ gratiam geſta tribui poſſe, ſed πολλὰ potius εἰς Ἰουδαίους ἀδικήματα, ut *Joſephus* auctor eſt Antiquitt. XX. 6. & 7. item de Bello Jud. II. 12. p. 796. Sed idem tamen Joſephus l. c. teſtatur, Felicem Ægyptium illum impoſtorem, de quo ſupra, copiis ſuis deleviſſe. Atque hoc ſpectaſſe inprimis videtur Tertullus.

πάντῃ τε καὶ πανταχοῦ) *omni modo & ubique.* *Boiſius* in Collat. p. 477. voces has non inconvenienter ad antecedens potius participium τυγχάνοντες, quam ad verbum ἀποδεχόμεθα refert.

ἀποδεχόμεθα) i. e. *ſuſcipimus, amplectimur, agnoſcimus.* Vide quæ ex *Polybio* huc attulit *Raphelius* ad *Luc.* VIII. 40. & *Act.* II. 41. nec minus ad h. l. pag. 391.

Verſ. 4. ἐπὶ πλεῖον) i. e. *pluribus, diutius:* ut *Polybius* p. 216. ποιεῖσθαι τὴν μνήμην ἐπὶ πλεῖον dicit.

Verſ. 5. Εὑρόντες γὰρ) Plerique hic ſubintelligunt ἐσμὲν, ut idem ſit,

quod

quod εὕρομεν. Quam in rem idoneum Homeri locum ex Iliad. ϑ. v. 307. affert *Erasm. Schmidius*. Adde alium similem *Xenophontis* in Conviv. p. 702. τί τοσῦτον νομίζοντες ἠδικῆσϑαι ὑπὸ τῦ σῦ παιδὸς pro νομίζυσιν, item ex Memorabil. lib. I. p. 594. Lege *Raphelii* Annott. Xenophont. p. 184. Sed intercedit his *Boisius* in Collat. p. 479. nexum totius orationis rectiorem fore existimans, si εὑρόντες ad ἐκρατήσαμεν referatur, & voces proxime antecedentes ὃν καὶ redundare existimentur, γὰρ vero initio v. 5. pro ἂν accipiatur. Sed ex his ipsis apparet, priorem sententiam omnino simpliciorem esse, quæ nec enallagen particularum, nec pleonasmum in præsidium advocare necesse habet. Imo efficacior redditur & affectuosior Tertulli oratio, si voces ὅς καὶ - ὃν καὶ suo & loco & significatui relinquantur. Confer *Jo. Erici Ostermanni* Positiones Græcum textum N. T. concernentes Disput. III. ubi contra *Bezam* disputat, hunc participiorum usum pro tempore verbi præsentis ad Hebraismum præter rationem referentem. Ibi de nostro loco agitur §. IX. Absolute & Attice τὸ εὑρόντες positum esse, existimat *Scaliger* apud *Schurzfleischium* in Actis Literar. p. 28. Ceterum simili phrasi noster XXIII. 2. utitur: τῦτον εὕρομεν διαστρέφοντα τὸ ἔϑνος & in Evangelio XVII. 18. ὐχ εὑρέϑησαν ὑποστρέψαντες, ubi vide, quæ scripsimus.

λοιμὸν) LXX. Intt. impios quosque homines λοιμὺς vocant, quod ostendit *Keuchenius* ad h. l. p. 202. Vide etiam *Suicerum* Tom. II. p. 276.

πρωτοστάτην) *antesignanum*, ut οἱ LXX. Jobi XV. 24. Conf. *Keuchenium* pag. 202.

τῆς τῶν Ναζωραίων αἱρέσεως) Christianos hic Ναζωραίυς in genere a Jesu scilicet τῷ Ναζωραίῳ appellari manifestum est. Videntur vero, ut observat Cl. *Fabricius* noster in Notis ad Philastrium p. 20. deinde speciatim ita appellati ii, qui ex Judæis Christo nomen dedissent; & postea isti, qui ex Judæis, ζηλωταὶ τῦ νόμυ *Act.* XXI. 20. facti Christiani pressius insistebant ritibus Judaicis. Lege præterea B. *Jo. Guil. Beieri* Dissert. de Nazarenis, Christo, Christianis & hæreticis, Jen. 1692. 4. tum vero P. *Michaelis le Quien* Dissertatt. Damascenicas Diss. VII. p. 92. sqq. qui & p. 97. existimat: hujus generis Christianos, legis Mosaicæ observantiores, Justini ætate post confectum a Romanis bellum, quod Judæi duce Barcochba moverant, ab aliis Christianis separari, nec in communionem ipsorum admitti cœpisse. Vide quoque Rev. *Jo: Laurent. Moshemii* Vindicias Anti-Tolandinas.

De voce αἵρεσις, tanquam vocabulo μέσῳ, diximus ad hunc librum aliquoties. Conf. ad hunc inprimis locum *Dieterici* Antt. Biblic. N. T. Tom. I. p. 56. Adde hic v. 14.

Vers. 6. καὶ τὸ ἱερὸν &c.) Vide ad v. 5.

καὶ κατὰ τὸν ἡμέτερον νόμον ἠϑελήσαμεν κρίνειν) Hinc nonnulli colligunt, Judæis eo tempore jus vitæ & necis nondum ademtum fuisse, quia alioquin

quin nec Tertullus ita loqui ausus fuisset, nec Festus loquentem placido animo audivisset. Ita post alios argumentatur Rev. *Deylingius* in O. S. Part. II. p. 319. Vicissim *Zach. Huberus* in Dissertt. Juridic. & Philolog. Diss. I. c. 6. Tertulli verba ita accipit, quod Judæi iis lenitatem Præsidis ambitiose captare, ipsique persuadere voluerint, animum sibi tantum fuisse, id agere, quod jurisdictionis suæ & municipalis officii ratio postularet, prehensum scilicet Paulum & secundum legem suam judicatum remittere ad Felicem, ut ipse exemplum de eo statueret. Hanc vero legem municipalem Judæos recte appellare *legem suam:* quemadmodum *Ausonius* magistratus municipales dicat *regere urbes suas.* Confer, quæ de hac causa disputata a nobis sunt supra ad *Jo.* XVIII. 31. Hic observamus, id præcipue Huberianæ sententiæ adversari, quod Tertullus Judæorum nomine non obscure de vi sibi facta a Lysia conqueratur, quem per vim Paulum manibus Judæorum eripuisse profitetur. Itaque non poterat Felix verba hæc ita accipere, quasi animus ipsis fuisset, suam implorare auctoritatem.

Vers. 9. Συνέθεντο δὲ) *assensi sunt.* Vide *Scaligerum* in Actis Literariis a Schurzfleischio editis p. 28.

Vers. 10. Ἐκ πολλῶν ἐτῶν ὄντα σε κριτὴν) Hinc *Harduinus* in Prolusione de Numis Herodiadum, in Opp. Select. p. 343. conficit, Felicem Judææ præsidem jam A. C. 49. egisse, quia multis annis talis fuisse hic dicatur, Pilatus vero eidem muneri per decem annos præfuerit. *Alphenius* in Commentar. super II. ep. ad Corinth. cap. V. Felicem per duos tantum annos toti Judææ, antea vero per multos annos parti cuidam ejus præfectum fuisse existimat.

Vers. 12. ἐπισύστασιν ποιοῦντα ὄχλου) Explicat hic Paulus, & simul convellit Judæorum criminationem, qua v. 5. in Paulum utebantur, tanquam κινοῦντα στάσιν i. e. populum *ad seditionem concitantem.* Itaque nec *Boisius* p. 479. causam habuit dubitandi, utrum Paulus ibi dicatur Judæos ad seditionem, vel alios adversus illos instigasse. Ad Judæos enim ipsos concitandos hoc ex eorum mente pertinuisse Paulus indicat, quando negat, se vel in Synagogis, vel per urbem, ubi scilicet cum ipsis versari contigerit, tale quid suscepisse perficiendum.

Vers. 13. Οὔτε παραστῆσαι δύνανται) Τὸ παραστῆσαι idem h. l. est, quod infra XXV. 7. ἀποδεῖξαι & apud *Aristoph.* in Nubibus p. 148. ἀποφαίνειν i. e. *clare probare,* darthun. Ita *Antoninus* de Rebus suis VI. 21. Εἴ τίς με ἐλέγξαι καὶ παραστῆσαί μοι ὅτι οὐκ ὀρθῶς ὑπολαμβάνω, ἢ πράσσω, δύναται, χαίρων μεταθήσομαι. *Tatianus* Orat. ad Græc. p. 112. διὰ τοῦτο προεθυμήθην ἀπὸ τῶν νομιζομένων παρ' ὑμῖν τιμίων παραστᾶν &c. quæ loca cum aliis nonnullis affert *Lamb. Bos* in Exercitt. p. 87. Similia Scriptorum exempla profert *Jo. Alberti* in O. S. p. 265. ut

Pla-

Plutarchi in Pædagogia p. 7. ἐγὼ δὲ δὶ εἰκόνος παραςῆσαι τὴν ἐμαυτȣ̃ γνώμην. *Hesychius* παριςῶ explicat per ἀποδείκνυμι. Hinc patet τὸ με, quod in Codd. MSS. multis, & editionihus nonnullis, ipsaque *Millii* post παραςῆσαι exstat, non esse genuinum, quia sensus foret; *non possunt me sistere*, quemadmodum XXIII. 33. milites dicuntur παραςῆσαι τον Παῦλον *Felici*. Hoc vero jam factum erat a Lysia, qui Paulum ad Felicem deduci curaverat. Quod si τὸ παραςῆσαι ad res probandas referri deberet, saltem scribendum fuisset μοι, quod & unus Codex habet. Sed rectius omittitur utrumque, quia sensum omnino turbat.

Vers. 14. κατὰ τὴν ὁδὸν, ἣν λέγȣσιν αἵρεσιν) Vulg. vertit: *secundum sectam, quam dicunt hæresin*, in quem animadvertit jam *Beda*; sed defendit *Drusius* Quæst. Hebr. II. 49. quem & lege de Sectis p. 219. De voce αἵρεσις alibi. Lege tamen hic *Dougtæum* in Analectis N. T. Exc. LXIII. p. 93. ubi *sectam* & *hæresin* a Latinis in bono & malo sensu dici probat.

ȣ̃τω λατρεύω τῷ πατρῴῳ Θεῷ) πατρῷος Θεὸς est Deus a Patribus cultus, qui alias dicitur ὁ Θεὸς τῶν πατέρων, ut supra V. 30. Paulus autem verum Deum, notante hic *Jo. Alberti* in O. S. p. 266. ita appellat, quippe qui genti Israelitarum a Patriarcharum usque temporibus præfuerat, tanquam benignum & tutelare Numen, imo, qui velut patrius ac domesticus Deus a patribus sibi relictus erat (quæ est notio τȣ̃ πατρῴȣ secundum veteres Magistros) quemque adeo ceu generis ac familiæ præsidem & Patrem summum, majorum more, colendum censebat. Hanc in rem idem vir doctus varia Gentilium loca affert, in quibus Deorum πατρῴων vel πατρίων *patriorum* Deorum fit mentio. Adde omnino *Jac. Elsnerum* in O. S. p. 474. sq. qui itidem ostendit, Gentilibus πατρῴȣς θεȣ̀ς dici, tum, quorum cultus a majoribus sit traditus, tum, qui in patria colerentur, tum speciatim, qui ut tutelares colerentur.

πᾶσι τοῖς κατὰ τὸν νόμον καὶ ἐν τοῖς Προφήταις γεγραμμένοις) Nonnulli Codd. ultima ita efferunt: καὶ τοῖς ἐν τοῖς Προφήταις γεγραμμένοις, ubi prius illud τοῖς ex interpretamento natum esse, nemo, credo, diffitebitur. Nonnulli, quos editio Milliana sequitur, pro ἐν τοῖς Προφήταις legunt: τοῖς Προφήταις, minus recte. Quamvis enim τοῖς Προφήταις eodem sensu accipi possit, quo illud ἐν τοῖς Προφήταις sc. *per Prophetas*, vel *a Prophetis*, patet tamen, phrases κατὰ τὸν νόμον & ἐν τοῖς Προφήταις sibi hic egregie respondere.

Vers. 15. ἐλπίδα ἔχων) Phrasi eadem utitur *Xenophon* Cyropæd. l. IV. pag. 74.

Vers. 16. Ἐν τȣ́τῳ) Vulg. & alii *in hoc*: rectius vero *interim*, *interea*, quod adstruit *Henr. Stephanus* de Stylo N. T. p. 27. & in Tomo V. Thesauri Gruteriani p. 80. Supplementi, tum vero *Boisius* p. 481. Alii vertunt: *propter*

 hoc,

hoc, i. e. propter hanc ſpem reſurrectionis. Quam phraſeos notionem exemplo *Xenophontis* Cyropæd. lib. I. p. 20. fulcit ἐν δὲ τούτῳ με ἔπαισεν ὁ διδάσκαλος, *propter hoc me verberavit magiſter*. Idem ſentit *Joſ. Mede* in Opp. p. 871. qui ſimul ad *Syrum* & *Arabem* Interpretes, ut conſentientes, provocat, atque præterea Hebraicam loquendi rationem agnoſcit, ſecundum quam τὸ ב ſæpe ponatur pro *propter*. Sed eo non opus eſſe, vel allatum Xenophontis exemplum evincit. Interim hanc interpretationem mihi præ reliquis placere non diffiteor.

ἀσκῶ) Intranſitive hoc verbum etiam uſurpatur a *Xenophonte* de Ageſilao p. 532. & de Republ. Lacedæm. p. 537. Vide *Raphelii* Notas Xenophont. pag. 184.

διαπαντὸς) Deeſt in duobus Codd. & *Millio* in Prolegom. ex margine in textum, loco non idoneo, irrepſiſſe videtur. Sed vide *Whitbii* Examen p. 55. Equidem non video, qui loco non idoneo vocem hanc ſtare crediderit *Millius*, quam vel ſequens proxime phraſis: δι' ἐτῶν δὲ πλειόνων ſatis firmat. Oſtendit enim Paulus ſe, ut alias *ſemper*, ita inprimis eo tempore, quo Hieroſolymam eleemoſynas in gentis ſuæ commodum pertulerit, conſcientiæ ſuæ rationem & cultus Deo debiti habuiſſe. Comma integrum illuſtrant *Beveregius* in Sermonibus Anglice editis T. II. p. 126. & *Tillotſonus* Tom. I. p. 444. ſqq.

Verſ. 17. Δι' ἐτῶν δὲ πλειόνων) *Poſt multos vero annos*. Τὸ διὰ idem hic eſſe, quod μετὰ ad Hebræorum exemplum, oſtendit *Boiſius* p. 481.

Verſ. 18. Ἐν οἷς) Codd. pauci legunt ἐν αἷς, qui ſcilicet referri volebant ad ἐλεημοσύνας & προσφορὰς ante commemoratas. Cl. *Schœtgenius* rectius ſubintelligi vult χρόνοις ad *Lamb. Bos*, de Ellipſi p. 238. Malim tamen ego ſubintelligere πράγμασι, cujus vocis frequentem eſſe ellipſin a *Boiſio* oſtenſum eſt l. c. p. 166. Sic comprehenditur iter Pauli Hieroſolymas ſuſceptum, & conſilium, quo ſuſceptum eſt, nempe repræſentatio eleemoſynarum.

τινὲς ἀπὸ τῆς Ἀσίας Ἰουδαῖοι) Nonnulli Codd. & editiones quoque, inter quas eſt *Milliana*, voces has ab antecedentibus εὗρόν με &c. per τελείαν στιγμὴν ſeu plenam interpunctionem ſeparant, quaſi ad ſequentia pertineant. Viciſſim alii quoque Codd. prorſus omittunt, ex quo factum eſt, ut *Millius* in Notis & in Prolegom. §. 978. explicationis gratia ex *Act.* XXI. 26. 27. huc tandem relata exiſtimaret. Enimvero ordinem, quo a nobis hic, ut & in editionibus ac verſionibus tantum non omnibus, verba iſta exhibentur, rectiſſimum eſſe, vel id oſtendit, quod alioquin nihil ſit in contextu, ad quod illa referantur. Hinc etiam factum puto, ut nonnulli librarii, corruptam interpunctionem ſequentes, ea prorſus omitterent, temere omnino, nec ſine orationis ſerie luxata & interrupta. Iis enim Apoſtolus uti debuit, ut Felici

Felici de occaſione turbarum, quæ *Act.* XXI. 26. ſq. fuſius & eodem modo enarratur, recte conſtaret. Imo uſum his verbis eſſe, manifeſtum eſt ex v. 19. ubi Apoſtolus recte contendit, eos inprimis ex Aſia Judæos adeſſe hic debere, ut ex eorum teſtimonio intelligi poſſit, quæ tunc in templo a ſe geſta ſint. Propterea enim illos diſtinguit a ceteris Judæis, qui coram Felice Apoſtolum tunc accuſabant, v. 20. Ponamus igitur, omiſiſſe Apoſtolum illos τινὰς ἀπὸ τῆς Ἀσίας Ἰȣδαίȣς, credimusne, Felicem intelligere ſatis potuiſſe, quinam eſſent, qui Paulum in templo invenerint? Nonne eos ipſos, qui præſentes erant, per Apoſtolum indicatos eſſe opinaturus erat? Itaque neceſſe eſt, ut verba illa & contextui, & conſuetæ interpunctioni vindicentur.

Verſ. 20. εἴτι εὗρον) Codd. nonnulli legunt interrogative, τί. Atque id poſt Grotium mavult *Millius* in Prolegom. §. 978. Sed Græca loquendi ratio utrumque admittit. Itaque communior lectio facile tuetur.

Verſ. 22. ἀκριβέστερον εἰδὼς τὰ περὶ τῆς ὁδȣ̃) *Beza*, *Grotius*, & Interpretes Galli Montenſes verba hæc ab antecedentibus, ἀνεβάλετο αὐτȣ̀ς, per τελείαν στιγμὴν ſeparant, eo ſenſu, quaſi Felix dicat, *poſtquam exquiſitius pernovero, quæ ad viam iſtam pertinent*, &c. Sed & *Eraſm. Schmidius* ad h. l. & *Boiſius* in Collatione p. 482. recte contra Bezam monuerunt, Interpretes Græcos omnes uno ore affirmare, Felicem ideo diſtuliſſe cauſæ illius cognitionem, non quod ſectæ ignarus eſſet, aut pleniorem ſibi notitiam ejus comparare vellet, ſed quia, cum ſatis illam jam cognitam haberet, Judæos amplius ſibi moleſtos eſſe nolebat. Adſtipulatur Boiſio *Rich. Simon* in Hiſtoria Critica de verſionibus N. T. p. 429. ſq. Atque in has partes quo minus concedam, nihil video prohibere. Noſſe omnino poterat Felix, quæ ſit Chriſtianæ doctrinæ ratio, & inprimis Pauli, eam confitentis, conditio. Noſſe, inquam, hoc poterat tum ex fama publica, tum vero ex ipſa Lyſiæ epiſtola XXIII. 26. Hæc enim & violenta Judæorum ac clandeſtina in Paulum conſilia detegebat, & Paulum a crimine omni liberum pronunciabat. Nec neceſſe eſt, ut τὴν ὁδὸν de religione Judaica ſeu doctrina legis, ut *Beza* volebat, interpretemur. Probabilius eſt, Felicem τὴν ὁδὸν eo ſignificatu hic accepiſſe, quem Paulus in apologia ſua v. 14. ei ſubjecerat, ut ſcilicet Chriſtianam doctrinam per eam non minus, atque Paulus, intelligeret.

Verſ. 23. ἔχειν τε ἄνεσιν &c.) Duplex cuſtodiæ genus apud Romanos erat, altera *aſpera*, *libera* altera. Poſteriori hic detinebatur Paulus. De utraque exponunt *Dougtæus* in Analectis N. T. Exc. LXIV. p. 94. ſq. & *Lacerda* in Adverſariis p. 191. ſqq. De poſteriore lege nos ad XXVII. 3. & XXVIII. 16. Sic Salluſtius Catilina: *Senatus decernit, uti in abdicato magiſtratu*, *Lentulus itemque ceteri in liberis cuſtodiis habeantur*. Videtur vero phraſi iſta ſimul innui, Paulum relaxandum eſſe a vinculis, ut in cu-

ſtodia teneretur, ſed ἀδέσμῳ, ut ſcite hic obſervat *Raphel.* in Notis Polybian. p. 392. Sic *Arrian.* de Expedit. II. 15. 17. dicit, ἐν φυλακῇ ἀδέσμῳ ἔχειν.

Τῶν ἰδίων αὐτοῦ ὑπηρετεῖν) Verbum hoc non ſolum de miniſterio ſervili accipitur, ut alias frequenter in N.T. ſed etiam de liberalitate illa, qua aliorum indigentiæ ſuccurritur. Atque hæc poſterior ſignificatio hic intelligi videtur *Raphelio* in Annott. Xenophonteis p. 185. quemadmodum eodem ſenſu uſurpatur *Luc.* VIII. 3. & apud profanos quoque, ut *Xenophontem* Cyropæd. lib. 1. p. 22. & Hiſtor. Gr. lib. II. p. 431. & p. 436. ὥστε ἐκεῖθεν πάντα ὑπηρετεῖσθαι, ὅσων ἂν δέησθε, *ut omnia,, quibus opus fuerit, illinc ſubminiſtrentur.* Vox ἴδιος hic de ſociis fidei accipi poteſt, ſicut a *Polybio* p. 1125. ἴδιοι Σελεύκου vocantur, qui partes ejus ſectabantur.

ἢ προσέρχεσθαι αὐτῷ) Pauci quidam Codd. omittunt, & *Millius* in Prolegom. §. 978. ex margine in contextum irrepſiſſe cenſet. Præceps nimis fuit, ut ſolet, vir doctus. Eſt enim omnino diſcrimen inter ὑπηρετεῖν & προσέρχεσθαι. Prius, inprimis ſi de erogandis in alterius uſum facultatibus accipiamus, etiam ab abſentibus fieri poteſt: poſterius non niſi a præſentibus. Utrumque ab amicis Pauli fieri per indulgentiam Felicis poterat, cum alias alterum tantum permitteretur, & permitti adhuc captivis ſoleat, ut ſcilicet recipiant, quæ ipſis ab aliis ad levandas carceris moleſtias mittantur, non vero item, ut cum iisdem præſentibus colloquantur. Similiter infra XXVII. 3. a Julio permittebatur Paulo πρὸς φίλους πορευθέντα ἐπιμελείας τυχεῖν. Vides, Paulo uti licuiſſe & *conſpectu & liberalitate amicorum.*

Verſ. 24. σὺν Δρουσίλλῃ) *Druſillam* hanc Herodis Agrippæ filiam fuiſſe tradit *Joſephus* in Antiquitt. Judaic. XX. 5. & cum eo tantum non omnes. *Jo. Harduinus* vero in Proluſione de Numis Herodiadum p. 635. Opp Select. idem illud inficiatur, quem vide. Et ſane *Tacitus* Hiſtoriar. V. 9. teſtatur, Felicem Druſillam, Cleopatræ & M. Antonii neptem, in matrimonium accepiſſe. Unde, cum iſta cum noſtra Druſilla, quæ diſerte *Judæa* vocatur, eadem eſſe non poſſit, nonnulli ſuſpicantur, Felicem duas hujus nominis pro conjugibus habuiſſe. Vide in hanc ſententententiam *Guil. Saldeni* Otia p. 773. qui & plura de Druſilla hac ex veterum monumentis congeſſit.

τῇ γυναικὶ αὐτοῦ) Conjugis igitur, non concubinæ loco habuit, quæ vocis propria & communior notio eſt; quamvis alii concubinæ loco Felici fuiſſe exiſtiment, quorum rationes ſub examen vocat *Saldenus* l. c. p. 775. Nonnulli Codd. hic legunt ἰδίᾳ γυναικὶ, alii ἰδίᾳ αὐτοῦ γυναικί. Priorem lectionem pro genuina habet *Millius* ad h. l. eamque emollitam putat ab aliis per γυναικὶ, aut γυναικὶ αὐτοῦ, tanquam quibus abſonum viſum ſit, ut dice-

diceretur propria uxor Felicis, quæ contra legem Judæa Gentili nupta esset. Subtilior hic est *Millius*, & nimis criticissat. Non video mitiorem esse sensum phraseos γυναικὶ αὐτȣ̃, quam illum alterius: γυναικὶ ἰδίᾳ. Scriptura S. nusquam ἰδίαν γυναῖκα, sed semper γυναῖκα αὐτȣ̃ dicit, ut *Matth*. V. 31. 32. ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτȣ̃ XIX. 3. 5. &c. Interim idem hoc esse, ac si dixerit, γυναῖκα ἰδίαν, manifestum est ex 1 *Cor*. VII. 2. διὰ δὲ τὰς πορνείας ἕκαστος τὴν ἑαυτȣ̃ γυναῖκα ἐχέτω, καὶ ἑκάστη τὸν ἴδιον ἄνδρα ἐχέτω. Vides ἑαυτȣ̃ γυναῖκα respectu mariti eodem sensu dici, quo respectu uxoris ἴδιος ἀνὴρ vocatur. Præterea non adeo insolens aut absonum ea ætate pro corruptis Judæorum moribus & licentia videri poterat, feminam Judæam nubere homini Gentili. Nam & alia exstabant exempla. Ita Timotheus matre Judæa, Patre vero gentili ortus erat.

Vers. 25. καιρὸν δὲ μεταλαβὼν) Simplici verbo eodem sensu utitur *Polybius* p. 484. ὅτε λάβοι καιρὸν, *quoties dabatur occasio:* & alias. Vide *Raphelii* Notas Polyb. p. 392.

Vers. 26. ἐλπίζων, ὅτι χρήματα δοθήσεται) Propudiosum hoc avaritiæ & exspectatæ largitionis vitium in Romanis passim castigant Scriptores. Vide *Picinel*. in Lum. Refl. p. 682.

ὅπως λύσῃ αὐτὸν) Desunt hæc in paucis Codd. ideoque pro explicatione marginali habentur a *Millio* in Prolegom. §. 979. Sed non video, cur hæc omisisse credi debeat S. Lucas, quæ scopum hinc dandæ, hinc exspectatæ, pecuniæ exprimunt.

Vers. 27. Πόρκιον Φῆστον) Vide *Josephi* Antt. XX. 7. Eum successorem nactus est Felix *biennio exacto*, quod inde a Pauli vinculis, non vero ab initio muneris, a Felice administrati, numerandum esse, Interpretes recte monuerunt. Conf. *Saldenum* in Otiis p. 768.

θέλων τε χάριτας καταθέσθαι τοῖς Ιȣδαίοις) i. e. *gratiam a Judæis inire volens*. Ita *Demosthenes* de falsa legat. p. 231. ἀφανῆ καὶ ἄδηλον χάριν τȣ́τοις καταθέσθαι, & *Æschines* contra Ctesiphont. p. 280. πολλὴν χάριν καταθέμενοι, aliique apud *Elsnerum* p. 475.

CAP. XXV.

VErs. 1. Φῆστος ȣ̃ν ἐπιβὰς τῇ ἐπαρχίᾳ) *Cum in provinciam pervenisset* Festus, ut loquitur *Trajanus* ad Plinium. De vocibus ἔπαρχος & ἐπαρχία lege *Barnab. Brissonium* de Regno Persarum p. 240. nec non *Valesii* notas ad Eusebium p. 239.

Vers. 2. Ἐνεφάνισαν δὲ αὐτῷ) Codices quidam hic legunt ἐνεφάνησαν i. e. *apparuerunt*, librariorum vel vitio, qui, more ipsis consueto, τὸ ι cum η

permutarunt, vel sciolo ingenio, quod verbum hoc, *comparitionem* innuens, aptius ad hunc locum putarent, quam alterum illud ellipticum, de cujus significatu ipsis non adeo constitisse videtur. Scilicet subintelligi hic debet vel vox ἑαυτὸς, ut sensus sit: *stiterunt se illi*, quæ sententia est *Erasmi Schmidii* ad *Act.* XXIV. 1. vel aliud quodcunque, quod indicet, ipsos *significationem rei cujusquam* Festo edidisse. *Boisius* in Collatione p. 476. verti vult: *indicarunt, nescio quid, Præsidi contra Paulum;* vel: *intimarunt Præsidi contra Paulum. Intimat enim,* (ita idem pergit) *alicui contra aliquem, qui, vel voce vel scripto, illi patefacit, quam juste is accusetur, qui in judicium adducitur. Sed magis credo, illos querelas suas & accusationis capita scripto commendasse. Igitur Theophylactus in hunc locum scribens disertis verbis affirmat,* ἔλλειψιν *hic esse, ac propterea explendæ sententiæ aliquid addi oportere, videlicet certificatorium libellum,* (διδασκαλικὸν χάρτην) Conf. supra ad XXIV. 1.

Vers. 3. Αἰτούμενοι χάριν κατ' αὐτοῦ) Duo tantum Codd. hic habent παρ' αὐτοῦ, mendose omnino. Sensus enim est, eos Præsidis benevolentiam sibi expetiisse adversus Paulum. Sic supra XXIV. 1. ἐνεφάνισαν - κατὰ τοῦ Παύλου. Et si vox αὐτοῦ ad Festum referenda fuisset, S. Lucas procul dubio nomen *Pauli* ex v. 2. perspicuitatis causa repetiisset.

ἐνέδραν ποιοῦντες) i. e. ἐνέδραν γὰρ ἐποίουν, *insidiose enim moliebantur eum interimere.* Non factum, sed consilium facti, seu intentio eorum heic aperitur. Conf. *Boisium* l. c. p. 484.

Vers. 4. ἀπεκρίθη τηρεῖσθαι τὸν Παῦλον) i. e. ut nonnulli volunt, *respondit* (i. e. jussit) *ut asservaretur Paulus.* Sed malim de simplici affirmatione id accipere, ita, ut Festus indicarit, non opus esse, ut Paulus Hierosolymam deportaretur: satis enim Cæsareæ vinctum servari. Neque enim opus hic erat novo mandato, cum Paulum ibi vinctum sibique a Felice traditum, reliquisset. Hoc fine Festus addit, se statim istuc reversurum, ut, si vellent, ad causam dicendam Paulum vocare possent. Conf. v. 5.

Vers. 5. Οἱ οὖν δυνατοὶ ἐν ὑμῖν) Potentiores ceteris, seu, qui auctoritate valent, indicari quidam volunt, tanquam quos libentius sit auditurus Festus. Sed alii, ut *Hombergius* p. 186. rectius interpretantur: *quibus commodum est, quibus integrum est;* Alii per: *qui volunt.* Ita τὸ θέλειν pro δύνασθαι usurpatur passim. Conf. ad Act. VI. 5. Et forte vicissim τὸ δύνασθαι pro θέλειν, quia, qui potest aliquid efficere, pro re nata idem efficere conatur. Conf. in hanc sententiam *Boisii* Collat. p. 485. Rectissime illi, qui δυνατοὺς de his accipiunt, quibus in promtu sint accusandi capita. Sic δυνατὸς Græcis idem aliquando est, quod δεινὸς, i. e. *peritus, ingeniosus, promtus & idoneus.* Vide Scholiasten *Aristophanis* ad Ranas v. 892. & *Küsterum* ad Nubes in Argumento p. 50. a.

εἴτι

ὅτι ἐςὶν ἐν ἀνδρὶ τούτῳ) Perpauci Codd. addunt hic vocem *ἄτοπον*, ex interpretamento scilicet natam, quod recte hic arbitratur *Grotius*.

Vers. 6. *ἡμέρας πλεῖους ἢ δέκα*) Codices pauci, tum vero versiones legunt hic, *ἡμέρας πλείους ὀκτὼ ἢ δέκα*. *Millius* in Prolegom. §. 979. hanc lectionem a lectore aliquo repetit, *qui, cum notasset a Festo dictum esse paulo supra, se ἐν τάχει Cæsaream profecturum esse: quo recte quadrarent omnia, curabat, ne Hierosolymis moraretur ultra octo dies, seu plurimum decem. Verum*, addit idem, *ita se potius res habebat. Constitutum Festo erat, statim descendere Cæsaream: sed intervenientibus quibusdam negotiis factum, ut præter exspectationem detineretur Hierosolymis per dies octo vel etiam decem. Cum autem vox ὀκτὼ (prout ceteri numeri) per notam literalem fere in antiquis libris fuerit expressa, proclivi incuria contigit, ut in istis ἡμέρας πλείους ἢ ἢ ἰ καταβὰς (sic enim se habebat veterum librorum scriptura) τῷ ἢ bis simul occurrente, unum prætermitteretur a scribis; maxime cum in iis, quos diximus, Codd. utrumque ἢ nudum incesserit, & absque accentu aliquo, quo a se invicem distinguerentur.* Millius confidenter hic affirmat, numeros in antiquissimis Codd. per literas expressos esse, quod tamen nondum evictum esse sæpe monuimus, quemadmodum nec ipse exemplum Codicis ejusmodi heic adferre potuit. Numquid vero, si largiamur scriptum *ἡμέρας πλείους ὀκτὼ ἢ δέκα*, hæc phrasis cum Græca loquendi ratione conciliari posset? Sane nec Græce nec Latine satis dixeris: *dies plures octo aut decem.* Vicissim forma comparativi cum *ἢ* optime quadrat in lectione: *πλείους ἢ δέκα*, eo sensu, quo Latine dixeris: *dies decem amplius.* Itaque nec particulam *οὐ* ante *πλείους* admiserim, quam cum *Vulgato* tuetur *Boisius* in Collatione p. 485. sicut eandem in ipsum contextum recipere ausus est *Erasmus Schmidius*.

Vers. 6. *ἐκέλευσε τὸν Παῦλον ἀχθῆναι*) De verbo *ἀχθῆναι* lege supra ad V. 21. 26. 27. & alibi.

Vers. 7. *αἰτιάματα φέροντες*) De voce *αἰτιάματα* lege *Jo. Conr. Dieterici* Antiquitt. Biblic. Tom. I. p. 63.

ἃ οὐκ ἴσχυον ἀποδεῖξαι) Sic *Polybius* p. 900. *Hoc vero ne vos quidem dicere audetis, neque, si ausi essetis, δύναισθ' ἂν ἀποδεῖξαι, probare unquam possetis.*

Vers. 8. *Ὅτι οὔτε εἰς τὸν νόμον τῶν Ἰουδαίων, οὔτε εἰς τὸ ἱερὸν, οὔτε εἰς Καίσαρά τι ἥμαρτον*) Per se patet, quid sibi hic voluerit Paulus, crimina hæc a se amoliens. Notandum vero est, hæc fuisse capita, quæ Judæi in eos, quibus male cupiebant consultum, conjicere consueverint. Exemplo est Servator sanctissimus, cui eandem notam triplicem impingere conabantur Judæi.

Vers. 9. *κρίνεσθαι ἐπ' ἐμοῦ*) Codices quidam legunt *ὑπ' ἐμοῦ*, mendose, minusque convenienter sensui. *Ἐπ' ἐμοῦ* est: *me præside*, ut infra *Act.* XXVI. 2.

μέλλων

μέλλων ἀπολογεῖσθαι ἐπὶ σοῦ σήμερον. Et videtur id indicare voluisse Felix, num placeat Paulo sisti Synedrio Hierosolymitano, ipso Felice procuraturo, ne quid iniquius de eo statueretur. Τὸ κρίνεσθαι a *Xenophonte* quoque de eo dicitur in Hist. Græc. lib. I. p. 351. cujus causa a Judicibus cognoscitur. Conf. *Raphelii* Notas Xenophonteas p. 186.

Vers. 11. Εἰ μὲν γὰρ ἀδικῶ) Τὸ ἀδικεῖν hic non significat: *injuria afficere*, sed *jus violare:* aut *delictum committere*, quod recte hic observat *Keuchenius* p. 203. & ex usu τῶν LXX. 2. *Paral.* XXVI. 16. probat.

οὐδείς με δύναται αὐτοῖς χαρίσασθαι) h. e. nemo (salvo jure) me, illis gratificaturus, potest iisdem tradere. Hæc enim vis est verbi χαρίσασθαι, quod patet ex v. 9. Ὁ Φῆστος δὲ τοῖς Ἰουδαίοις θέλων χάριν καταθέσθαι. Conf. infra XXVII. 24.

Καίσαρα ἐπικαλοῦμαι) De titulo Καίσαρος, Imperatoribus Romanis communi, lege *Ezech. Spanhemium* de Usu & præstantia Nnmismatum p. 674. sqq. & *Jo. Harduinum* in Opp. Selectis p. 683. De consuetis veterum appellationibus lege hic *Picinellum* in Lumin. Refl. p. 682.

Vers. 13. Ἡμερῶν δὲ διαγενομένων) Vide de hac phrasi ad *Marc.* XVI. 1.

Αγρίππας ὁ βασιλεὺς) Est ille Herodis Magni abnepos, filius autem Agrippæ, qui alias Magnus seu Primus appellari solet, de quo supra c. XII. 13. & ad discrimen ab hoc faciendum Agrippa II. seu *Junior* appellari consuevit. Vide de eo multa tradentes, qui Herodiadarum familiam exposuerunt. Inter hos inprimis appellandi sunt *Ludov. Cappellus* in Spicilegio Notarum ad h. l. *Abrah. Scultetus* in Exercitt. Evangelic. I. 2. *Christian. Noldius* in Historia Idumæa, tum vero, sed hinc inde nova consectatus, *Jo. Harduinus* in libro de *Numis Herodiadum*, cujus cogitata sub examen vocavit *Jac. Basnage* in Historia Judaica Tom. I. lib. I. c. 2. & 3. ex nostratibus vero Rev. *Deylingius* in Obss. Sacr. Part. II. num. XXVI. qui de Agrippa nostro speciatim exponit p. 261. sqq.

καὶ Βερνίκη) Ea erat Agrippæ hujus soror, teste Josepho XVIII. 7. multis de clandestinis cum fratre suo nuptiis suspecta, quam suspicionem a se callide amolitura Polemoni Ciliciæ Regi nupsit, eo vero paulo post defuncto, fratrem iterum sectari cœpit. Conf. *Josephum* XX. 5. & *Xiphilinum* in Vespasiano p. 222. Quod ipsum ab exceptionibus Harduini vindicat *Deylingius* l. c. p. 267. Adde *Bælium* in Dictionario Tom. I. p. 566. sq. ubi in varios veterum & recentiorum Scriptorum errores animadvertit. In scriptione nominis Βερνίκη Codices N. T. omnes consentiunt, quod alias a profanis per Βερονίκη vel Βερενίκη quasi Φερονίκη effertur. Lege ad hæc *Drusium*.

ἀσπα-

ἀσπασόμενοι) Pauci Codd. hic legunt *ἀσπασάμενοι*, mendose, quod ad oculum ostendit *Millius* §. 1063.

Vers. 14. *ὁ Φῆστος τῷ βασιλεῖ ἀνέθετο τὰ κατὰ τὸν Παῦλον*) *ἀνέθετο* est *exposuit*, ut *Gal.* II. 2. Sic *Artemidorus* Onirocritic. II. 64. *καὶ ἀνατιθέμενός τινι τῶν ἐπιστημόνων τὸ ὄναρ*, *cum id somnium exposuisset interpreti*. Similiter 2 *Maccab.* III. 9. *παραγενηθεὶς δὲ εἰς Ἱεροσόλυμα-ἀνέθετο περὶ τοῦ γεγόνοτος ἐμφανισμοῦ, καὶ τίνος ἕνεκεν πάρεστι, διεσάφησεν.* Conf. *Elsnerum* p. 476. & *Boisium* ad h. l.

Vers. 15. *ἐνεφάνισαν*) scilicet *τινὰ*, *indicarunt mihi quædam.* Vide supra ad v. 2.

αἰτούμενοι κατ' αὐτοῦ δίκην) Nonnulli Codd. hic legunt *καταδίκην*, quæ vox ex interpretamento nata est. *Δίκη* enim hic idem est, quod *καταδίκη* i. e. *sententia condemnatoria*, quam notionem illi locis compluribus adductis vindicat ad h. l. *Erasmus Schmidius.* *Καταδίκη* h. l. dici non debebat, cum *τὸ κατὰ* jam lateat in phrasi *κατ' αὐτοῦ*. Ceterum quemadmodum hic dicitur *αἰτεῖν δίκην*, ita vicissim ex opposito dici solet *δίκην διδόναι* & *λαβεῖν*, de quo loquendi genere lege *Gatakerum* de Stylo N. T. *Vorstium* in Philolog. Sacr. Part. I. c. 7. & *Jo. Clericum* in Silvis Philolog. c. V. p. 232.

Vers. 16. *χαρίζεσθαί τινα ἄνθρωπον εἰς ἀπώλειαν*) Postremas duas voces, quæ in Codd. nonnullis non exstant, interpretamenti loco insertas opinatur *Millius* ad h. l. & in Prolegom. §. 806. ea scilicet de causa, quod v. 11. *τὸ χαρίσασθαι* nude & simpliciter occurrit. Sed paucorum Codicum auctoritas nullius hic est momenti; nec majoris habenda ratio commemorata. Festus enim rationem hic reddere gravem & idoneam volebat, cur Judæis postulantibus gratificari nollet, tanquam qui clandestina ipsorum consilia in necem Pauli conspirantia non ignoraret. Lege infra v. 24. *Ἀπώλειαν* capitale supplicium inferre, *Erasm. Schmidius* evicit ad *Matth.* XXVI. 57. Adde *Keuchenium* ad h. l. pag. 203. ex LXX. Intt. 1. *Paralip.* XXI. 17. & *Ezech.* XXXII. 15.

πρὶν ἢ ὁ κατηγορούμενος κατὰ πρόσωπον ἔχοι τοὺς κατηγόρους) Sic *Polybius* p. 1190. *καλεῖν δ' ἐκέλευε κατὰ πρόσωπον, εἴ τις αὐτοῦ κατηγορεῖ.* Neminem scilicet inauditum condemnari volebant veteres. Vide huc *Conr. Rittershusium* in Lection. Sacris p. 532.

Vers. 17. *ἀναβολὴν μηδεμίαν ποιησάμενος*) Facilem se hic in audiendo supplice præstabat Festus, cujusmodi exempla ex Gentilibus alia affert *Picinellus* in Lum. Refl. p. 682.

Vers. 18. *οὐδεμίαν αἰτίαν ἐπέφερον*) Ita frequenter profani, v. c. *Polybius* p. 538. *τοῖς δὲ χειροποιήτους καὶ ψευδεῖς ἐπιφέρων αἰτίας* h. e. *alios per calumniam falsis criminationibus appetens.* *Herodian.* lib. III. p. 526. & alii. Conf. *Raphelii* Notas Polybian. p. 393.

Verf. 19. περὶ τῆς ἰδίας δεισιδαιμονίας) Nonnulli vocem hanc fenfu meliore accipi contendunt, ut *religionem* inferat. Vide Acta Erud. an. 1712. p. 412. In eandem fententiam *Elsnerus* p. 477. pronunciat, notari fcilicet heic *vehemens circa religionem ftudium, quandoquidem prudentiæ fuerit abftinere ab exagitanda religione Judaica, præfente ejus religionis Rege.* Supra ad XVII. 22. oftendimus, δεισιδαιμονίαν bono interdum fenfu fumi, fed fequiore, *fuperftitionis* fcilicet, frequentius. Et vix dubito, pofteriorem illum h. l. quoque obtinere. Allata in contrarium ratio nihil effecerit, fi dicamus, Judaicam religionem non generatim *fuperftitionis* nomine a Fefto appellari, fed refpectu habito ad ea capita, de quibus Paulum a Judæis in jus vocari intellexerat, & quæ ab Agrippa non recipi fufpicabatur. Conftat alioquin, & alias religionem Judaicam δεισιδαιμονίαν vocari. Vide *Elsnerum* p. 477. B. Lutherus hic reddidit per Aberglauben, de qua voce commentatur B. *Stadenius* in Expofitione vocum illius Verfionis difficiliorum p. 57.

Verf. 20. Ἀπορούμενος) i. e. *hæfitans, dubitans ego, quid agerem.* Ἀπορεῖσθαι enim eft, eo anguftiarum redigi, ut duobus, tribusve aut pluribus propofitis, quid ftatuendum fit, ignores. Ita *Boifius* ad h. l. p. 487.

περὶ τούτου) Codices nonnulli hic legunt περί τούτων, ex commate extremo: κἀκεῖ κρίνεσθαι περὶ τούτων. Sed proba eft lectio communior, & περὶ τούτου referendum videtur ad Jefum, quem Paulus dixerat ex morte refufcitatum. Verifimile enim eft, Feftum non minus, quam antea Felicem, de quo c. XXIV. v. 25. audita illa de Chrifti, atque hinc pendente mortuorum refurrectione commotum fuiffe, & ad dubitationem, quid ftatuendum fit, perductum effe.

Verf. 21. ἐπικαλεσαμένου τηρηθῆναι αὐτὸν) i. e. εἰς τὸ τηρηθῆναι, quæ ellypfis in hac loquendi forma frequens eft.

εἰς τὴν τοῦ Σεβαστοῦ διάγνωσιν) Σεβαστὸς hic idem eft, qui Καῖσαρ. Ad eum enim provocaverat Paulus v. 11. Solebant autem Romanorum Imperatores, ad exemplum & in memoriam Augufti Cæfaris, Σεβαστοὶ h. e. *Augufti & Semper Augufti* appellari. De hoc elogio exftat fingularis *Conr. Sam. Schurzfleifchii* Differtatio, cui junge Obfervationes Selectas Halenfes Tom. VII. Obff. XIV. & *Chriftoph. Cellarii* Programmata num. IV. Adde vero inprimis Illuftrem *Spanhemium* de Ufu & præftantia Numifmatum p. 677. fqq. ed. in 4. & *Becmann.* in Notitia Dignitat. Illuftr. II. 1. 5. tum vero *Zornii* Biblioth. Antiquar. Exegetic. Tom. I. p. 284. fqq.

Verf. 23. μετὰ πολλῆς φαντασίας) *Vulg.* vertit: *cum multa ambitione*; Erafmus: *cum multo apparatu*; Beza & Pifcator, item *Alex. Morus* in Notis p. 102. *cum multa oftentatione*; Camerarius in Commentariis utriusque linguæ p. 90. *fpeciofe. Polybius* frequentiffime ea voce utitur, eo quidem fenfu, ut *magnum appa-*

apparatum & ostentationem inferat, quod ostendit Rev. *Raphelius* in Notis Polybianis p. 393. sqq. *Boisius* in Collatione p. 490. omne illud hic putat significari, quod ad externum splendorem spectat, ubi in publicum prodierint, & oculis hominum se objecerint, inprimis vero catervam illam affectantium & comitantium, præsertim hoc loco, ubi per vocem πολλῆς affectantium numerus indicari videtur. Id vero tum ex *Chrysostomo*, tum ex *Laertio* in Vita Bionis, itemque *Athenæo* lib. V. probandum suscipit. Confer omnino *Suicerum* Tom. II. p. 1414. *Gatakeri* notas ad Antonin. I. 7. & *Menagii* ad Laertium IV. 53. Alii *ambitionem & arrogantem opinionem* notari hic volunt, quam in rem vide, quos citat Cl. *Fabricius* ad Sextum Empiricum p. 481.. Inspice quoque *Jo. Schulzii* Florum Sparsionem p. 118. Veterum locis, quos alii attulerunt, unum addit Cl. *Trillerus* in Notis MSS. *Hippocratis* ex libro de decenti ornatu §. VII. & ad illum videri jubet *Reinesium* Var. Lect. II. 3.

Vers. 24. περὶ ἧ πᾶν τὸ πλῆθος τῶν Ιȣδαίων ἐνέτυχόν μοι) i. e. *cujus causa tota Judæorum multitudo me convenit.* Sic *Plutarchus* in Themistocle p. 125. βȣ́λεσθαι ἐντυχεῖν βασιλεῖ περὶ μεγίςων πραγμάτων, *Regem se convenire velle de rebus maximis.* Et in Theseo p. 12. ἐκείνȣ περὶ τȣ́των ἐντυχόντος τῇ Ἀντιόπῃ. Conf. *Elsnerum* p. 478. De illis, qui Imperatorem adeant, precesque ad eum, quod scripto plerumque fieri solebat, deferant, verbum hoc adhiberi, ostendit *Valesius* ad Eusebium p. 66.

Vers. 26. τῷ Κυρίῳ) Nonnulli Codd. hic addunt μȣ, præter rem. Nam Κύριος sive Dominus hic appellatur ὁ Σεβαςὸς, sive Romanorum Imperator Nero, more illius ætatis, secundum quem Imperatores κατ᾽ ἐξοχὴν Κύριοι & Latine *Domini* appellari solebant. Vide veterum testimonia apud *Picinellum* in Luminibus Refl. p. 682. *Massonium* in Histor. Critica Reip. Literar. Tom. I. p. 56. sqq. & quos ipse ibi allegat. Adde *Becmanni* Notitiam Dignitat. Illustr. Diss. I. c. IV. §. 2. & inprimis Illustrem *Spanhemium* ad Orationes Juliani p. 221. & de Usu & præstantia Numismatum p. 729. sqq. edit. in 4. Is inter cetera elogium hoc primum in *Aureliani* numo quodam, ubi is dicitur *Deus & Dominus noster*, conspici affirmat, quod *Caracallæ* & *Getæ* potius tributum in numis esse contendit *Harduinus* in Opp. Select. p. 19. Fuerunt inter ipsos Romanorum Imperatores, qui hujus nominis dignitatem declinarent, cujusmodi affert idem *Spanhemius* l. c. *Dougtæus* in Analect. N. T. Exc. LXV. *Menagius* in Amœnitatibus Juris Civilis p. 152. sq. & *Anton. van Dalen* in Dissertatione de Actis Pilati, editioni posteriori Commentationis de Oraculis *Amstelod.* 1700. addita. De Christianis Imperatoribus, religionis causa ab hoc titulo abstinentibus, & pro eo *Domnæ* & Κύριοι appellari volentibus, lege *Borremansium* in Vesperis Gorinchemens. p. 7. Conf. etiam Cl. *Bernhardi Raupachii* Decad. I. Observatt. ex Patribus Apostolicis p. 3. sqq.

ὐκ ἔχω) Ita *Xenophon* Oeconom. p. 651. ὅσα ἔχω, καὶ πάνυ προθύμως ἐξηγήσομαί σοι.

σχῶ τι γράψαι) Pauci quidam Codd. MSS. habent, σχῶ τί γράψω, quod & *Erasmus Schmidius* in sua editione exhibet. Utrumque ratione sensus idem est: retineo tamen communissimam lectionem, vel ideo, quod eadem antecedit ἀσφαλές τι γράψαι ὐκ ἔχω.

Vers. 27. αἰτίας) *crimina*, quorum reus agatur. Ita *Xenophon* hac voce utitur Cyropæd. lib. V. p. 115. εἰ τῦτο αἰτίας ἄξιον νομίζεις.

CAP. XXVI.

Vers. 1. ἐκτείνας τὴν χεῖρα) Dicturi enim oratores manus extendere solebant, teste *Apulejo* lib. II. Metamorph. p. 54. Antiquissimis vero temporibus iidem manus intra pallium continebant, auctore *Æschine* in Timarchum p. 174. De utroque ritu lege *Elsnerum* p. 487. de posteriore vero *Jac. Dan. Casellum* lib. II. c. 5. Variar. Lect. Adde *Ferrarium* de ritu Sacrarum Concionum. I. 13.

Vers. 3. μάλιστα γνώστην ὄντα σε) Hæc σολοικοφανῆ visa sunt nonnullis post *Camerarium*, cum non respondeant phrasi antecedenti ἐπὶ σῦ. Atque hinc procul dubio factum est, ut nonnulli vel ex ingenio, vel ex *Actor.* XXIV. 10. vocem εἰδὼς, vel ἐπιστάμενος adjicerent: quod miror, tot aliis Codicibus & versionibus adversantibus, acceptare potuisse *Erasmum Schmidium* in Notis ad h. l. qui tamen & ipse exemplum simile hujus praseos ex *Sophoclis* Ajace attulisse recte sibi videbatur. Rectissime enim ab aliis admonitum est, pro Genitivo absoluto Accusativum itidem absolutum ab Atticis inprimis poni, nullo repectu habito ad sequentia. Vide *Caninii* Hellenismum p. 377. Exempla autem veterum cumulate attulerunt *Stollbergius* in notis ad Sophoclis Ajacem, p. 136. item in Exercitatt. Gr. Lingu. p. 55. *Jac. Gronovius* ad Arriani Expedit. Alexandri M. p. 222. novissime autem Rev. *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 187. & Polybianis p. 395. itemque *Jo. Alberti* in Observatt. Sacris p. 268. sqq. Uterque horum recte quoque monuerunt, nonnulla, quæ in hanc rem afferri solent, exempla huc non admodum pertinere. Appositissimus videtur locus *Æliani* Var. Histor. II. 13. p. 85. Εἶτα δὲ καὶ φύσει φθονερὺς ὄντας, καὶ τοῖς ἀρίστοις βασκαίνειν προῃρημένυς. *Deinde, quoniam natura invidi erant Athenienses, & optimis quibusque obtrectare.* Lege ibi *Perizonii* notas & Cl. *Boivinium* ad Luciani *Tragopodagr.* p. 804. Ceterum ex his Pauli verbis, inprimis si cum v. 27. comparentur, apparet, præcipitasse sententiam *Jo. Harduinum*, quando, Agrippam paganum fuisse, opinatur. Lege huc Rev. *Deylingium* in Obss. Sacr. Part. II. pag. 264.

Vers.

Verſ. 5. προγινώσκοντές με ἄνωθεν) ἄνωθεν illud referunt alii ad Paulum per pronomen μὲ indicatum, ut reſpiciantur majores ejus, quorum exemplo Phariſæorum caſtra ſectatus ſit. Ita Interpretes Genevenſes ac Montenſes, ex noſtratibus vero *Eraſmus Schmidius*. Alii malunt referre ad verbum ἔζησα, eo ſenſu, ut idem ſit, quod *ab initio*, ut Vulg. vertit, & non multum diſcrepat a vocibus ἐκ νεότητος & ἀπ' ἀρχῆς. Ita ſtatuit *Boiſius* in Collat. ad h. l. p. 493. quem probat *Rich. Simon* in Hiſtor. Critica N. T. lib. II. p. 430. Atque hi rectiorem, credo, ſententiam tuentur, niſi malis per pleonaſmum τὸ ἄνωθεν hic cum προγινώσκοντες conjungere, ne idem dicere videatur Paulus, quod v. 4. jam affirmaverat, ſe ſcilicet jam initio eam in Judaiſmo vivendi rationem iniiſſe. Ita ἄνωθεν pleonaſticum eſt Gal. V. 9. πάλιν ἄνωθεν.

κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν τῆς ἡμετέρας θρησκείας ἔζησα Φαρισαῖος) Ita *Joſephus* de Bello Judaico I. 4. τάγμα τῶν Ἰουδαίων δοκοῦν εὐσεβέστερον εἶναι τῶν ἄλλων, καὶ τοὺς νόμους ἀκριβέστερον ἀφηγεῖσθαι. *Accurationis* hujus vel *rigoris* potius capita ex Antiquitatibus Judæorum exponunt *Serarius* in Trihæreſio p. 3. 55. & 184. *Scaliger* in Elencho Trihæreſii p. 485. ſq. & *Witſius* in Meletematibus p. 14. De voce θρησκεία lege hic *Suicerum* Tom. I. p. 1405.

Verſ. 7. Εἰς ἣν τὸ δωδεκάφυλον ὑμῶν ἐλπίζει) Cur δωδεκάφυλον hic appellet Paulus, cum decem tribus eo reverſæ non videantur, diſquirit hic *Ludov. Capellus* in Spicilegio p. 78. Conf. *Herman. VVitſii* ſingularem de hoc argumento Diſſertationem. In totidem tribus Perſarum quoque nationem diſtributam fuiſſe, auctor eſt *Xenophon* Cyropæd. lib. I. p. 3.

ἐν ἐκτενείᾳ) Deſunt hæc in *Vulg.* tantum & *Æthiop.* verſione, & propterea temere pro ſcholio habentur a *Millio*. Continuum cultus divini ſtudium emphatice hic memorare voluiſſe Paulum, vel ex phraſi νύκτα καὶ ἡμέραν patet. Sic *Luc.* Evangel. II. 37. de Anna, ἣ οὐκ ἀφίστατο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ νηστείαις καὶ δεήσεσι λατρεύουσα νύκτα καὶ ἡμέραν.

Verſ. 8. Τί; ἄπιστον κρίνεται) Ita editiones pleræque: quas malim ſequi, præ illis, quæ notam interrogandi poſt τί tollunt, eamque tantum in fine commatis hujus collocant. Sic enim efficacior eſt oratio, qua etiam alias utitur Paulus: v. c. Rom. III. 9. τί οὖν; προεχόμεθα &c. & VI. 15. τί οὖν; ἁμαρτήσομεν. Sic Lucas ſupra X. 4. Τί ἐστι Κύριε; Ita nec neceſſe eſt, ut cum *Eraſmo Schmidio* heic ſubintelligamus διά. Totum hoc comma illuſtrat *Tillotſonus* Tom. III. Concionum Anglicanarum Serm. CXL.

παρ' ἡμῖν) Ita jungi ſolet præpoſitio παρὰ verbis exiſtimandi, νομίζεσθαι, δοκεῖν, & ceteris. Lege *Jo. Vorſtii* Philolog. Sacr. Part. II. p. 187.

εἰ ὁ Θεὸς νεκροὺς ἐγείρει;) εἰ ponitur h. l. pro ὅτι, ut apud *Polyb.* lib. VIII. c. 9. p. 722. p. 984. & 432. quæ loca affert *Raphelius* in Notis Polybian. p. 396. Conf. *Devarium* de Particulis. Add. infra v. 23.

Verſ. 10. ἐξουσίαν λαβὼν) Eadem phraſi utitur *Polybius* p. 738. ὧν γινομένων ἔλαβον ἐξουσίαν. De poteſtate hac a Synedrio impetrata confer *Vitringam* in Archiſynagogo p. 421.

ἀναιρουμένων τε αὐτῶν κατήνεγκα ψῆφον) *Beza* κατήνεγκα ψῆφον, *tuli ſuffragium*, idem eſſe putat, quod συνευδόκησα, quod ſupra XXII. 20. adhibetur. Idem exiſtimat *Grotius* & *Witſius* in Meletematibus p. 16. ideo inprimis, quod Paulus nunquam pars Senatus Judaici fuerit. Cl. *Elsnerus* p. 480. idem non improbat, accuratius tamen verti poſſe cenſet: *tuli adverſus eos ſuffragium*, hoc ſenſu: quoties, an morte afficiendi eſſent, conſultabatur, *calculo meo eos damnavi*. Sic καταφέρειν ψῆφον idem eſſet, quod καταψηφίζειν, quo verbo utitur *Arrianus* lib. 1. Expedit. c. 10. & *Diogenes Laertius* II. 13. Vide etiam Miſcellanea Lipſienſia Tom. IX. p. 145.

Verſ. 11. ἠνάγκαζον βλασφημεῖν) *coegi exſecrari*, ſcilicet Chriſtum. Lege *Suicerum* Tom. I. p. 697.

ἐδίωκον ἕως καὶ εἰς τὰς ἔξω πόλεις) Per has intelliguntur *Damaſcus* & aliæ ejusmodi urbes, extra terram Sanctam ſitæ, quas Judæi appellant חוצה לארץ *extra terram*. Vide de hac phraſi *Relandi* Palæſtinam p. 14.

Verſ. 13. περιλάμψαν με φῶς) Primam vocem per *circumfulgere* reddidit *Vulgatus*, pro quo, tanquam barbaro ſibi viſo *Beza* mavult: *circumfundere* Sed barbariſmi ſuſpicionem amolitus eſt *Jac. Haſæus* in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. IV. p. 344. *Plinii* auctoritate II. 37. tum aliis exemplis præpoſitionum ſimilium, verbo *fulgeo* junctarum, v. c. *præfulgeo*, *adfulgeo*, *refulgeo*, *interfulgeo*. Idem obſervat, τὸ λάμπειν & περιλάμπειν de *fulminibus* & *fulguribus* inprimis a Græcis adhiberi.

Verſ. 14. σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτίζειν) Vide ſupra ad IX. 5. Adde hic *Alex. Mori* Notas p. 103.

Verſ. 16. ὧν τε ὀφθήσομαί σοι) Hic alii ſubintelligi volunt ἕνεκα, i. e. *quorum cauſa apparebo tibi*; alii vero vertunt *in quibus*, iique conjungi ſic volunt ſequens verbum ἐξαιρούμενος. Ita *Hombergius* p. 187. Malim equidem prius.

Verſ. 17. 18. Inſpice *B. Jo. Georg. Neumanni* Diſputat. accuratam de nexu & diſcrimine donorum gratiæ ex tabulis vocationis Paulinæ, *Witteb.* 1699.

Verſ. 18. Ἀνοῖξαι ὀφθαλμοὺς αὐτῶν) Phraſeos hujus vim ediſſerit *Jo. Clericus* in Arte Critica Part. II. Sect. I. c. 4. §. 12.

τοῦ ἐπιστρέψαι ἀπὸ σκότους εἰς φῶς &c.) Lege *Campeg. Vitringa* Commentar. ad Jeſ. XLII. 6. Tom. II. p. 428.

Verſ.

Verſ. 20. ἀπήγγελλον) ita *Curcellæus*, & aliæ nonnullæ editiones. Sed plurimi Codices, & editiones quoque legunt ἀπαγγέλλων. Senſus utrinque idem eſt. Malim tamen poſterius. Pendet enim hoc participium a v. 19. οὐκ ἐγενόμην ἀπειθὴς-ἀλλ' ἀπαγγέλλων, id quod contra *Bezam*, participium hic pro imperfecto verbi finiti poſitum eſſe exiſtimantem, oſtendit *Jo. Ericus Oſtermannus* in Poſitionibus ad textum Græc. N. T. Diſp. III. §. 3. ubi & hujus phraſeos exempla ex profanis affert.

Verſ. 21. διαχειρίσασθαι) *Beza* verti volebat: *manibus ſuis interficere. Sed qui in Græcis Auctoribus diligenter verſati ſunt*, inquit, *Boiſius* in Collat. p. 494. *ſatis norunt*, τὸ διαχειρίζεσθαι *æque late patere*, *atque* ἀποκτείνειν & φονεύειν. Confer ſupra V. 30. ὃν ὑμεῖς διαχειρίσασθε, i. e. *quem vos interfeciſtis*, ex ipſius *Bezæ* interpretatione.

Verſ. 22. Ἐπικουρίας οὖν τυχὼν) Phraſis hæc frequens eſt *Polybio*, ut lib. I. c. 83. & p. 281. alibique. Vide *Raphelii* Annotatt. Polybianas p. 397.

ἄχρι τῆς ἡμέρας ταύτης ἕστηκα) Τὸ ἕστηκα plerique Interpretes reddunt: *ſto*: pauci: *perſtiti*. Prius recte præfert *Boiſius* in Collat. p. 495. quia & ἐμφατικώτερον eſt, & aliis in locis pleriſque omnibus ſic ſolet reddi, ac ſi præſentis eſſet temporis, ut *Matth.* XX. 6. *Act.* I. 11. *Joh.* I. 26.

οὐδὲν ἐκτὸς λέγων, ὧν τε οἱ προφῆται ἐλάλησαν) Id ſcilicet & Chriſtus, & Apoſtoli ſolicite caverunt, ne quid præter morem & mentem veterum Prophetarum viderentur dixiſſe. Lege *Luc.* XXIV. 27. & infra XXVIII. 23. Confer *Vitringæ* Archiſynagogum p. 227.

Verſ. 23. Εἰ παθητὸς ὁ χριστὸς) εἰ pro ὅτι, *quod*: vide ad v. 8.

τῷ λαῷ καὶ τοῖς ἔθνεσι) i. e. *huic populo*, ut articulus emphatice ponatur, ſicut apud *Xenophontem* Cyropæd. lib. VIII. p. 159. & alias apud *Raphelium* p. 187.

Verſ. 24. Μαίνῃ Παῦλε) Vim verbi μαίνεσθαι ex profanis Scriptoribus cum cura ediſſerit *Joach. Kuhnius* in Quæſtionibus Philolog. Pentad. V. Qu. III. p. 9. ſq. *Cum quis*, inquit, ἔνθους, *Deo ſanctoque Spiritu plenus*, *omiſſis rebus aliis*, *fertur ad ſingularia vigore indefeſſo*, *tum ab aliis, qui enthei non ſunt*, *ille ſalutatur* μαινόμενος. *Et hæc* μανία ἡ παρὰ Θεοῦ τῆς παρ' ἀνθρώπου σωφροσύνης καλλίων, *inſania, quæ eſt a Deo, pulchrior eſt ſana mente, quæ ab hominibus proficiſcitur:* Plato *in Phædro*. *Præterea, qui aliquid dicit aut facit*, *quod hominum vel ſui ipſius transgreditur captum*, μαίνεται. *Ita in Actis ancilla*, *quæ vinctum Apoſtolum arctaque cuſtodia ſeptum præ foribus eſſe dixerat*, τὸ μαίνῃ *audit c.* 12. *Apud* Homerum *Hector* μαίνεται *Græcis*, *cum*, *favente Jove*, *in fugam ipſos avertit*, *impetu acerrimo*. *Philo Judæus* μαίνεται, *quando Flaccum*, *quem notare atro carbone volebat*, *initio libri in eum ſcripti laudibus extollit*. *Apoſtolus Feſto inau-*

ditа

dita & incredibilia de resurrectione mortuorum prædicans μαίνεται. Solone *singulare fortitudinis & prudentiæ specimen edente in arguenda & oppugnanda Pisistrati tyrannide,* ἡ βουλὴ μαίνεσθαι ἔλεγεν αὐτὸν, *Senatus Atheniensium insanire dicebat illum. Apollodorus quidam Socratis discipulus, quod se ipsum & omnes una Athenienses ignorantiæ miseriæque quotidie condemnaret, solumque Magistrum censeret sapientem,* μανικὸς insanus *cognominatus est. Ipse in Symposio Platonis:* οὕτω, inquit, διανοούμενος καὶ περὶ ἐμαυτοῦ καὶ περὶ ὑμῶν μαίνομαι καὶ παραπαίω, cum ita de me & vobis sentiam, insanio & deliro. Hæc, etiam pluscula, ex commentatione rarius obvia in medium afferenda putavi. Confer in eandem sententiam Cl. *Jo. Henr. Maji* ad Kühnium itidem provocantis Observatt. Sacr. lic. IV. p. 11. sqq. Is enim, cum observasset, *eos, qui excellenti pollebant eruditione, & ultra captum vulgi cum insigni quadam* δυνάμει *verba faciebant, ad commovendum idonea, veteri stylo dictos esse* μαίνεσθαι, ad comprobandam sententiam suam affert *Porphyrium* in Vita Plotini c. XV. *Lucianum* in Nigrino p. 23. & *Isocratem* in ep. ad Dionysium p. 427. ubi σώφρονα quandam μανίαν memorat. Hunc locum ad Lucæ verba illustranda attulit quoque *Casaubonus* in Casaubonianis a me editis p. 90.

τὰ πολλά σε γράμματα εἰς μανίαν περιτρέπει) Ita Poeta quidam apud *Athenæum* III. 24. ἀντέστρεψεν σου τὸν βίον τὰ βιβλία i. e. *vitam tuam libri everterunt.* Vide ibi eundem Casaubonum.

Vers. 25. κράτιστε Φῆστε) de voce κράτιστος lege ad *Luc.* I. 3.

σωφροσύνης ῥήματα ἀποφθέγγομαι) Sic *Plato* Alcibiad. II. p. 38. τὸ μαίνεσθαι ἆρά γε ὑπεναντίον σοι δοκεῖ τῷ σωφρονεῖν; *insanire nonne contrarium tibi videtur ei, quod est, sanæ mentis esse?* Confer similia alia apud *Elsnerum* p. 144. Eodem modo *Xenophon* Memorabil. lib. I. 561. σωφροσύνην & μανίαν opponit & Celsus apud Senecam lib. II. Controv. 12. *dementia*, inquit, *res est sanitatis contraria.* Confer *Raphelii* Notas Xenophonteas p. 188. & *Suiceri* Thes. Tom. II. p. 1226.

Vers. 27. Πιστεύεις βασιλεῦ Ἀγρίππα τοῖς Προφήταις;) Vide ad v. 3. & *Ezech. Spanhemium* de Usu & præstantia Numismatum p. 531.

Vers. 28. ἐν ὀλίγῳ με πείθεις) Voces ἐν ὀλίγῳ elliptice positas alii ad *tempus* referri volunt, ut subintelligatur χρόνῳ, alii ad argumentum ipsum seu momentum, de quo agebatur, ut idem sit, quod *propemodum, fere.* Græce, παρὰ μικρὸν, ut hic interpretatur Chrysostomus. Qui propterea Paulum, tanquam qui Agrippam de *tempore* hic loqui existimarit, ignorantiæ Græci sermonis arguere non veretur. Sed rectissime hic observat diligentissimus *Raphelius* in Notis Polybianis p. 398. phrasi ἐν ὀλίγῳ pro *brevi tempore* uti Polybium lib. XI. c. 6. p. 874. τοῦτο δ᾽ ἐστιν ἐν ὀλίγῳ h. e. *hoc autem brevi futurum est.* Idem recte subjungit. *Nolim propterea Paulum ignorantiæ Græci*

Graci sermonis arguere. Crediderim potius ἐν ὀλίγῳ respondere nostro bald, *quod & propemodum declarat, & brevi tempore, Paulumque non errore lapsum, sed de industria ita locutum, & quidem, ut mihi videtur, valde venuste atque argute. Nam cui quid ut persuadeatur parum abest, ei fieri potest, ut id paulo post persuadeatur. Precatur igitur Paulus, ut Agrippas ceterique omnes, vel non ita longe post, vel certe tandem aliquando ad fidem adducantur. Posset non incommode in nostra lingua retineri eadem ambiguitas, hoc modo:* Du überredest mich bald, daß ich ein Christ würde. Paulus aber sprach: ich wünsche von Gott, es geschehe bald oder langsam, daß nicht allein du &c. Ingeniosa, fateor, *Heinsii* est interpretatio, cui Agrippa id dicere videtur: *tu mihi suades, ut tantillo tempore Christianus fiam.* Eadem approbatorem habet *le Cene* in conatu novæ versionis p. 596. Sed eadem & responsioni Pauli adversatur, & ipsius sermoni. In eo enim nihil exstat, quod Agrippæ aut ceteris ad amplectendum Christianismum diceretur, sed refertur tantum, quid causæ sit, cur a Judæis in crimen vocaretur, quidque sibi persuaserit, ut ad Christum se conferret, sectamque Pharisæorum desereret. Hæc erant, quæ Agrippæ animam afficiebant. De phrasi ἐν ὀλίγῳ vide *Erasm. Schmidium* ad Matth. XV. 34. & *Henr. Stephanum* in Dissertat. de Stylo N. T. 24. Syntagmatis Honertiani, qui itidem eam de *brevi tempore* interpretandam censet.

Vers. 29. Εὐξαίμην ἂν τῷ Θεῷ) Sic *Xenophon* Cyropæd. lib. II. p. 41. εὐξάμενοι τοῖς θεοῖς τὰ ἀγαθὰ, *a Diis fausta feliciaque precati.*

Vers. 30. καὶ ταῦτα εἰπόντος αὐτοῦ) Hæc excepto unico καὶ omittunt Codd. quidam & versiones, recte si quidem *Millium* audiamus in Prolegom. §. 980. At certissime illa a Luca profecta sunt. Hæc enim loquendi ratio in eodem capite v. 24. recepta est, ταῦτα δὲ αὐτοῦ ἀπολογουμένου ὁ Φῆστος μεγάλῃ τῇ φωνῇ ἔφη.

CAP. XXVII.

Vers. 1. sqq. In hoc Capite varia observat *Car. le Cene* in Conatu novæ versionis p. 599. sqq. quæ in versione Genevensi minus recte sint expressa.

τοῦ ἀποπλεῖν ἡμᾶς) Lucas loquitur de se & Aristarcho v. 3. in hoc itinere Pauli comitibus, unde & pauci Codices ex interpretamento habent τοὺς περὶ τὸν Παῦλον. *Millius* in Prolegom. §. 440. τὸ ἡμᾶς, quod nonnulli omittunt, aut pro eo habent αὐτὸν i. e. *Paulum*, ex *Act.* XXI. 1. huc putat desumtum, non recogitans, convenientissime id a Luca de se & aliis comitibus dici, ut scilicet haberet occasionem narrandi, quid Paulo præ reliquis evenerit, ut scilicet traderetur centurioni custodiendus. Sic v. 3. eadem ratione dicitur: κατήχθημεν εἰς Σιδῶνα..

παρεδίδυν) Pauci Codd. habent παρεδίδυ, ut de Festo sermo sit. Sed cum id æque bene de illis accipi queat, qui auspiciis Festi rem egerunt, caussam habemus, ut in communiore lectione persistamus.

καί τινας ἑτέρυς δεσμώτας) i. e. & *reliquos captivos*; Vulg. vertit: *cum reliquis custodiis*, eo scilicet sensu, ut custodia pro re custodita ad exemplum aliorum Scriptorum dicatur, quod hic observat *Laur. Ramiresius de Prado* in Pentecontarcho p. 34. qui ibidem de custodia captivorum, militibus committi solita, differit. Adde *Picinelli* L. R. p. 683. Conf. infra ad v. 42.

σπείρης Σεβαςῆς) *cohortis Augustæ*, ut *Vulg.* Hoc nomine vero appellata est vel ab urbe Samaritana, quæ ab Herode in honorem Augusti Σεβαςὴ vocata est, ut proprie diceretur cohors Sebasta vel Sebastena, aut Sebastiensis, vel ab Augusto, quasi Cæsarea dicatur generali sensu, quæ non esset regia aut auxiliaris. Vide huc omnino Cl. *Christiani Gottlieb Schwarzii* Dissertat. de cohorte Italica & Augusta §. 18. qui & §. 8. ostendit, non paucas legiones Augustas dictas olim fuisse, sed veterum testimoniis non constare, legionem aliquam, quæ Augustæ cognomen habuerit, eo tempore, quo hæc scribebantur, in Syria & Palæstina consedisse.

Vers. 2. Ἐπιβάντες δὲ πλοίῳ) Elliptice effert *Lucianus* in Catapl. p. 420. ἐπίβαινε σύ, ubi Schol. p. 21. τυτέςιν ἀνελθὲ εἰς τὸ πλοῖον Idem ibi sæpius ἐμβαίνειν dicit. Lege Cl. *Jo. Alberti* Obss. Sacr. p. 271.

πλοίῳ Ἀδραμυτίηνῷ) In scriptione nominis variant, ut in his fieri solet, Codices. Sed vulgatam illam tuetur recte *Millius* ad h. l. auctoritate *Stephani* de Urbibus, incolam civitatis hujus Ἀδραμυτίηνὸν appellantis. Ita Caracallæ quidam numus nomen Ἀδραμυτίηνῶν exhibet apud *Ezech. Spanhemium* de Usu & præstantia Numism. p. 908. ed. in 4. Conf. notas Holsten. ad Stephan. & *Jo. Harduinum* de numis Populorum & urbium. *Adrumetam*, urbem Africæ maritimam, hic indicari, præeunte Vulgato, existimat *Rich. Simon* in Notis ad Vers. Gall. Sed minus recte de ea h. l. cogitari pridem ostendit *Erasmus Schmidius*. Rectius *Adramyttium*, Asiæ minoris oppidum, hic indicari, contendit Rev. *Raphelius* cum Interpretibus plerisque, in Annott. Xenophonteis p. 189. qui ibidem de vero ejus situ ex Xenophonte in Expedit. Cyri lib. VII. p. 331. commentatur. Adde Cl. *Jac. Hasai* Differt. de Navibus Alexandrinis Apostolum in Italiam deferentibus c. I. §. 2. & *Cellarii* Antiq. Geograph. lib. III. p. 42.

μέλλοντες πλεῖν τὺς κατὰ τὴν Ἀσίαν τόπυς) *navigaturi per loca Asiæ*, i. e. sive *in Asia*, sive ipsam *Asiam*. Κατὰ cum nominibus locorum notat *in*, ut *Luc.* XV. 14. *Act.* XI. 1. XV. 23. &c. Sic *Polybius* p. 4. περαιῦσθαι μετὰ δυνάμεως εἰς τὲ τὴν Ἑλλάδα, καὶ τὺς κατὰ τὴν Ἀσίαν τόπυς. *Cum in Græciam tum in Asiaticas regiones trajicere cum exercitu.* Conf. *Raphelii* Annott. Polybian. p. 399.

ἀνήχθη-

ἀνήχθημεν) ἀνάγεσθαι & κατάγεσθαι verba sunt nautica. Ἀνάγεσθαι dicuntur nautæ, ubi *oram solvunt*, κατάγεσθαι, quando appellunt, & portum subeunt. Vid. inprimis Schol. Aristoph. ad Lysistrat. p. 875. Conf. *Lamb. Bos* Exercitt. ad h. l. p. 87. Cl. *Jo. Alberti* in O. S. p. 271. Sic *Lucian.* Var. Histor. p. 565. ἐμβάντες ἀνήχθημεν. Adde *Boisii* Collationem p. 496.

Vers. 3. Τῇ τε ἑτέρᾳ κατήχθημεν) Vide ad v. 2.

φιλανθρώπως τῷ Παύλῳ χρησάμενος) *humaniter Paulo usus*, i. e. *cum humaniter & liberaliter eum tractasset.* Phrasin bene Græcam & elegantem esse, patet ex *Xenophonte* Cyropæd. lib. VIII. p. 166. & lib. VII. p. 152. item ex *Polybio* p. 102. Vide *Raphelium.*

ἐπέτρεψε πρὸς φίλους πορευθέντα &c.) De mitiore ejusmodi captivorum conditione lege supra ad XXIV. 23.

Vers. 5. κατήλθομεν εἰς Μύρα τῆς Λυκίας) Nonnulli Codd. & versiones legunt hic Λύστρα vel Λύστραν. Sed Lystra Lycaoniæ urbs est, Myra autem hic Lyciæ dicitur, cui eam quoque vindicant *Strabo*, *Ptolem.* & *Plinius.* Itaque nihil est mutandum. Conf. *Sansonii* Indic. Geographic. p. 80. & *Jo. Clerici* ad eum notas p. 8.

Vers. 6. πλοῖον Ἀλεξανδρινὸν) Navis hæc Alexandrina vocari visa est, vel, quod ad speciem & formam navium Alexandrinarum fabricata fuit, vel, quod Alexandria venerit. Prius placet *Ariæ Montano* ad h. l. Posterius plerisque aliis Interpretibus, quorum sententiam usus loquendi confirmat, secundum quem scilicet navibus cognomina imponi solebant a provinciis, ubi exstructæ erant, aut a locis, unde venerant: quo sensu naves *Carpasiæ, Rhodiæ, Smyrnææ* appellantur. Vide *Alex. ab Alexandro* lib. IV. c. 2. Dierum Genial. Cumque plures urbes Alexandriæ nomen habuerint, credibile est, nostram hanc ab Alexandria, Ægypti urbe, appellatam esse. Ex commate enim 39. hujus capitis apparet, navim illam frumento onustam fuisse. Jam vero Alexandria frumentum in Italiam, Augusto auctore, devehi consuevisse ex veterum monimentis constat: idque non solum classibus navium, sed interdum etiam navi Alexandrina una & altera sigillatim factum esse, ostendit idem *Jac. Hasæus* in Dissert. quam citavimus, de Navibus Paulum in Italiam deferentibus cap. I. §. 5. sqq. Ejusmodi navis Alexandrinæ frumentariæ meminit *Lucianus* in Navig. Tom. II. p. 491. *Sueton.* in August. c. 98. & in Nerone c. 45.

Vers. 7. ἀνεβίβασεν ἡμᾶς εἰς αὐτὸ) Sic *Lucian.* Var. Histor. p. 680. ἐμβιβάσας πεντήκοντα τῶν ἡρώων εἰς ναῦν & in Catapl. p. 426.

βραδυπλοοῦντες) Sic Cicero ep. 5. ad Terentiam: *Pridie Idus Octobris Athenas venimus, cum sane adversis ventis usi essemus, tardeque & incommode navigassemus.* Vide Boisii Collat. p. 437.

μὴ προσεῶντος ἡμᾶς τȣ̃ ἀνέμȣ) *non permittente nobis vento, ut Beza*: vel ut Cl. *Jo. Alberti* in O. S. p. 172. mavult: *non permittente nos vento, non dimittente, non impellente*, i. e. *retinente*, seu ut vulg. *prohibente*. Pro προσεῶν Lucian. Var. Hist. 668. αὔρας παραπεμπȣ́σης & p. 689. τȣ̃ ἀνέμȣ προσωθȣ̃ντος. *Heinsius* hic legi volebat προσελῶντος, ficut *Lucianus* l. c. p. 689. fcribit προσελάσαντες ταῖς κώπαις. Sed Codd. MSS. omnes refragantur, & fenfus optimus ex recepta lectione nafcitur. Sic enim & *Lucianus* p. 657. ȣ̓ γὰρ εἴα τὸ πνεῦμα, *neque enim permittebat ventus*. Itaque compofitum προσεῶν pofitum eft pro ἐῶν, τὸ μὴ ἐῶν vero idem eft, qnod κωλύειν ut recte hic *Boifius* p. 498.

ὑπεπλεύσαμεν τὴν Κρήτην κατὰ Σαλμώνην) Σαλμώνην alii Codd. appellant Σαλμόνην, alii Σαλαμώνην. Geographi Græci Σαμώνιον ἄκρον appellant, qui latus Cretæ orientale duobus promontoriis includunt *Samnio* nempe & *Zephyrino*, ut *Ptolemaus*. Sic Strabo ἑῶον Σαμώνιον vocat lib. X. p. 327. *Mela* quoque *Samonium*, & *Plinius* duplicata litera *Sammonium* dicunt. Duplicatio τȣ̃ μ nata recte videtur, euphoniæ caufa, ex *Salmonium*, *Cellario* in Geographia Antiqua lib. II. c. 14. p. 1266. Ita enim *Dionyfius* in Periegefi v. 110.

Μακρὸν ἐπ' ἀντολίην, Σαλμωνίδος ἄχρι καρήνȣ
Ἥν Κρήτης ἐνέπȣσιν ἑώιον ἔμμεναι ἄκρην.

Longe in ortum usque ad Salmonidem promontorium, quod dicunt Creta effe promontorium orientale. Corrupte hodie *Capo Salomon* appellari obfervat *Cellarius* l. c.

Verf. 8. Μόλις τε παραλεγόμενοι) Vide ad v. 13.

πόλις Λασαία) Diverfa in Codd. fcriptio eft, v. c. Λασία, Λασέα, Θάλασσα, Ἄλασσα, quod mavult *Grotius*. Ἐλαίαν, inter primarias maritimas Cretæ urbes a Plinio memoratam, licentius poni vult *Beza*. Meurfio hoc nomen itidem fufpectum eft; fed cum nihil apud veteres de Lafæa occurrat, quod diligentiffimus antiquitatis Geographicæ ruspator *Cellarius* l. c. p. 1266. monuit, præftat rem in medio relinquere, & in recepta lectione acquiefcere.

Verf. 9. καλȣ́μενον Καλȣ̀ς λιμένας) *Stephanus* de Urbibus καλὴν ἀκτὴν vocat, locusque hic idem, quod hic exftat, nomen adhuc in Creta retinet, obfervante *Beza*.

Ἱκανȣ̃ χρόνȣ διαγενομένȣ) Vide ad *Marc.* XVI. 1.

καὶ ὄντος ἤδη ἐπισφαλȣ̃ς τȣ̃ πλοός) *Vegetius* de Re militari c. IX. p. 161. ed. Scriver. *Poft hoc tempus* (nempe XVIII. Kal. Octobr.) *usque in III. Idus Novemb. incerta navigatio eft, & difcrimini propior*, quem locum huc commode advocat Cl. *Jo. Alberti* p. 273. O. S.

διὰ τὸ καὶ τὴν νηστείαν ἤδη παρεληλυθέναι) *Caftellio* legi vult νηνεμίαν i. e. *a ventis*

a ventis tranquillitatem; *hanc enim vocem & cum narratione convenire, & facile depravari potuisse a mediocriter docto, qui verbi νηνεμίας vim ignoraverit.* Addit idem, per νηστείαν nec inediam hic intelligi posse, cum essent in portu, & frumenti satis habuerint; nec *jejunandi tempus*, cum id rei nauticæ non conveniat, neque quidquam ad rem faciat. Enimvero non erat immutanda vox Codicibus omnibus, & versionibus quoque, inter quas & antiquissima Syrorum est, firmata. Et quid ad rem facit *tranquillitas a ventis*? Ex tota narratione apparet, navigationem illam omnem a ventis adeo non fuisse liberam, ut illorum potius impetus & contra nitens vis eam difficiliorem & periculosiorem effecerit. Quod si Castalio illam a ventis tranquillitatem ad tempus anni referre velit, quod jam fuerit præterlapsum, neque ideo exspectandum amplius; recte obvertetur, nec certum anni tempus esse, in quod ejusmodi νηνεμία incidere soleat, nec apparere, cur, si quidem tale daretur, hoc loco commemorata sit a Luca, cui de periculoso itinere sermo est. Non magis audiendus est vir Magnus, qui, indice *Steph. le Moyne* p. 657. ad Varia Sacra legi hic voluit ὑετίαν, quasi dixisset Paulus, tempestatem pluviosam jam præteriisse, atque adeo periculosum fuisse, rates mari committere. Sed frigidiuscula merito hæc emendatio visa est Cl. *Trillero* in Notis MSS. Quis enim ex tempestate pluviosa jam præterlapsa navigationem periculosam fore conjecerit?

Proximum est, ut videamus, quid per νηστείαν hic intelligendum veniat? Alii de jejunio seu inedia nautarum privata accipiunt, ad quam continuo remos impellendi aliosque labores exantlandi studio adactos se senserint. Ita *Erasmus Schmidius* inprimis statuit, ante eum vero *Lyranus* & *Vatablus.* Sed illos omnino deserendos putabit, qui nullam inediæ causam nautis his datam esse recogitabit, in portu scilicet existentibus, & ab omni apparatu satis instructis. Alia erat horum nautarum conditio, cum mari se iterum permitterent, &, laboribus continuis avocati, a cibo per plures dies abstinerent, quod v. 33. narratur verbis longe aliis, quam quæ hic occurrunt: ἄσιτοι διατελεῖτε, μηδὲν προσλαβόμενοι. Obvertit *Schmidius*, nautas Alexandrinos jejunium ejusmodi Judaicum parum fuisse curaturos. Scilicet, nec id D. Lucas sibi vult, qui potius, more Judaico, certum anni tempus a festo celebriori, quale erat Jejunium illud, describendum putavit.

Itaque restat, ut in eorum sententiam concedamus, qui Jejunium aliquod solemne, stato tempore celebrari solitum, hic indicari autumant. Sed & hic videas dissentientes. Alii enim de Judæorum quodam Jejunio stato, alii de Græcorum potius cogitant. Inter priores nonnulli illud Jejunium hic indicari censent, quod in mensem *Tebeth* inciderit, quem ex parte *Decembri* nostro, ex parte vero eaque maxima *Januario* respondere constat. Ita senserunt post *Scaligerum* de Emendat. Temporum eruditi alii complures, auctoritate potius ejus, quam rationibus adducti. Eam vero sententiam recentiores potissimum Interpretes profligarunt, nominatim

Cl. *Jac. Hasæus* in *Computatione Mensium Paulini itineris, quod Hierosolymis Romam suscepit*, in Bibliot. Bremens. Class. I. p. 17. sqq. excusa. Erudite is observat, eo tempore, nempe *Decembri* & *Januario*, dudum & supra mensis integri spatium, mare ex Romanorum & Græcorum ritu clausum fuisse, id quod §. 5-8. idoneis testimoniis comprobatur. Romani enim claudebant mare a III. Id. Novembr. usque ad VI. Id. Mart. a quo die usque ad III. Id Novembr. iterum aperiebatur. Lege *Vegetium* de re militari lib. V. c. IX. aut secundum alias editiones lib. IV. c. 39. & *Plinium* Hist. Nat. II. 37. Apud Græcos autem post *Bacchanalia* seu *Dionysia* h. e. mense *Martio* mare apertum fuisse, ex Theophrasti Characteribus p. 11. discimus. Jam Paulus cum suis eo tempore, quod diximus, mare permeare non poterat, quod tamen eum fecisse ex v. 6. & sqq. apparet. Accedit, inter jejunium *Thebet* & VI. Idus Martias, quo mare aperiebatur, duos tantum menses interjectos fuisse. Nostri vero, cum jejunium illud esset, adhuc in Cretæ portu commorabantur, v. 8. inde vero, multo adhuc temporis spatio exacto, Maltham delati sunt, ibique per tres menses substiterunt; secundum XXVIII. 11. Quæ itaque ratio diutinæ hujus moræ reddi potest, si tunc binis mensibus ante mare apertum fuisset? Denique necesse est, ut jejunium solenne, hic indicatum, tale sit, quod, cum plura fuerint, inter Judæos, & in ipso *Thebet* tria jejunia, κατ' ἐξοχὴν & præ ceteris simpliciter *Jejunii* nomine veniret. Hoc autem de Jejuniis *Thebet* probari non potest, bene autem de alio, de quo nunc dicemus.

Scilicet dies decimus mensis *Tisri*, sive *dies Expiationis*, jejunio inprimis celebrabatur apud Judæos, atque ideo nomen ferebat צומא רבא seu *Jejunii Magni*, quod patet ex *Medrasch Ruth* 46. 4. & *Echa Rabbati*, 80. 1. & *Bereschith Rabba* fol. 11. Hinc Græci & Judæi Scriptores, nominatim *Josephus* & *Philo*, idem νηστείας nomine eminente notione appellant, quemadmodum & *Tertullianus libro adversus Judæos* eodem sensu *duorum hircorum* meminit, qui *jejunio* (i. e. die illo expiationis festo) *offerebantur*. Observata hæc diligenter sunt a Cl. *Relando* Antiquitt. Hebr. Part. IV. c. VI. p. 457. & confirmata ab *Hasæo* l. c. p. 24. Hoc itaque Jejunium fas est, ut h. l. indicatum putemus. Illius autem tempus in X. *Tisri* diem incidit, qui mensi *Octobri* & *Novembri* nostrati respondet. Atque hoc tempus navigationi hic commemoratæ, ejusque circumstantiis edisserendis apprime est accommodatum. Tunc enim mare nondum clausum erat, sed per mensis circiter spatium navigaturis patebat. Hinc navis ista Alexandrina cum suis in Italiam tendere, felicemque itineris emensionem sperare poterat, secundum v. 9. Porro difficultas navigationis, de qua v. 7. mira non videbitur cogitanti, mensem *Octobrem*, qui tum labebatur, navigantibus vi ventorum infestum esse solere: unde & factum est, ut v. 12. de hibernatione cogitasse dicantur. Denique ex his tota conditio & mora itineris Paulini delineari potest. Mense Octobri hæsit in insula Creta, quo, antequam pervenirent, duo

duo fere menses longis & sinuosis viis exacti videntur, ut sic medio Sextili discessio suscepta dici debeat. Creta, ubi per ἱκανὸν χρόνον detentus fuit v. 9. in fine Octobris aut initio Novembris solvit, variisque maris periculis jactatus non ante mensem unum alterumve elapsum atque adeo mense demum Decembri in insula Malta portum invenisse, non sine veri specie existimabitur. Ibi deinde per tres menses c. XXVIII. 11. ob mare clausum detentus medio *Martio* Malta discessit & mense *Aprili* proximo Romam salutavit. Non dubito, quæ hactenus allata sunt, magna veri specie se commendatura esse iis, quos laudatam Hasæi observationem diligentius inspicere juvabit. Hinc nec mirum est, plerisque recentiorum Jejunium illud ad mensem *Tisri* sive Septembrem visum esse referendum. Vide inter hos *Steph. Morini* Disserttt. Sacras p. 94. *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra p. 657. sqq. ex nostratibus vero Rev. *Wolfburgium* in Observationibus Sacris p. 415. Cl. *Jo. Henr. Lederlini* Differt. de νηστεία ad h. l. *Argentor.* 1714. & M. *Pet. Adolphi Boysen* Eclogas Archæologicas ad difficile hoc Pauli iter Hal. 1713. qui omnes toti huic argumento ex Judaica & Græca antiquitate lucem affundunt.

Hinc vero simul intelligitur, subtilem esse *Bellarminum*, qui jejunium quatuor temporum, quod in mensem Decembris olim incidit, & quo ordines conferre consueverint, hic indicatum voluit, quamvis tale jejunium in usu unquam Ecclesiæ Judaicæ fuisse, nullo testimonio comprobare potuerit. *Tam futilis*, inquit *Steph. le Moyne* ad Varia Sacr. p. 658. *& absurda Bellarmini visa est sententia, ut nec in doctrina Bellarmini ipsius, nec in dignitate sua potuerit patrocinium invenire. Unde rejicitur ab Estio.*

De ceteris, qui ad Jejunium quoddam Græcorum solenne hic respici volunt, dicere multis nihil attinet. Inter hos numerandus est *Paulus Colomesius* in Obss. Sacris p. 13. Νηστεία, inquit, *est Jejunium celebratum medio die* θεσμοφορίας, *h. e Pyanepsionis, vel Novembris nostri decimo sexto, quod peculiari quodam modo* νηστεία *dicebatur. De eo legendi Plutarchus in Demosthene, & Athenæus lib.* 7. Non jam dicam, Festum illud θεσμοφορίων secundum alios potius in mensem Septembrem, alios in Octobrem referri, quam in rem confer Cl. *Boysenii* Dissertat. citatam p. 23. Sed id tantum urgebo, prorsus veri non esse simile, quod Lucas, Judæus, phrasi a Festo Græcorum petita uti voluerit, in designando tempore navigationis, quæ a centurione non Græco, sed Romano instituebatur.

Vers. 10. θεωρῶ, ὅτι- μέλλειν ἔσεσθαι τὸν πλοῦν) Videtur hic nonnullis infinitivus μέλλειν per enallagen modorum cum ὅτι conjunctus, pro indicativo, ὅτι μέλλει. Sed alii rectius τὸ ὅτι pro pleonastico habent cum *Erasmo Schmidio* ad h. l. & *Ostermanno* in Positionibus Philolog. ad textum N. T. Disp. I. §. 24. ut hoc modo τὸ μέλλειν pendeat a verbo θεωρῶ consueta Græcorum structura. Id certum est, optimos quosque Græciæ Scriptores eandem loquendi rationem adhibuisse, nominatim *Polybium* lib. I. c. 39. p. 56.

οἱ γὰρ

οἱ γὰρ Ῥωμαῖοι διαδοθείσης φήμης περὶ τῆς ἐν τῇ Λιβύῃ μάχης, ὅτι τὰ θηρία τάς τε τάξεις αὐτῶν διασπᾶσαι, καὶ τοὺς πλείστους διαφθεῖραι τῶν ἀνδρῶν, nec minus *Arrianum* Differt. Epictet. lib. I. c. 10. & Expedit. Alexandri VI. 26. 10. itemque alibi, quæ loca diligenter annotavit *Raphelius* in Notis Polyb. p. 400. Atque his exemplis pleonasmum τοῦ ὅτι, qui alias in initio orationis frequentiffimus eft, tueri malim, quam cum Cl. *Herzogio* de certitudine Hermenevtices in N. T. §. 27. ellipfin ftatuere verbi, ad particulam ὅτι pertinentis, v. c. πάρεστι, vel γίνεται, a quo deinceps infinitivus μέλλειν regatur, hoc fenfu: *video, quod adfit futurus cafus navigationis cum multa jactura.* Neque enim puto, Græce dici poffe: θεωρῶ ὅτι γίνεται μέλλειν ἔσεσθαι τὸν πλοῦν.

μετὰ ὕβρεως) De naufragio & hinc orto damno vocem hanc a *Pindaro* ufurpari, recte monuit *Er. Schmidius.* Conf. etiam *Knachtbullum* ad h. l. Adde infra ad v. 21.

οὐ μόνον τοῦ φόρτου) Nomine φόρτου denotatur, quodcunque navi ad transportandum committitur, five frumentum fit, aut aliud mercium genus, five res minutiores, quæ interdum oneris tantum caufa (Ballaft) navi injiciuntur. Græci alias ἐμβολὴν & ὀψώνιον vocant. Conf. *Salmafium* ad Vopisci Aurelianum c. 45. & *Hafaeum* in Differtat. citata de Navibus Alexandrinis c. II. §. 6.

Verf. 12. πρὸς παραχειμασίαν) *ad hiemandum.* Sic Gloffe παραχειμάζω, *hiberno,* & παραχειμασία, *hiematio.* De hibernaculis exercitus his vocibus paffim utitur *Polybius,* ut lib. III. p. 168. 170. & 189. Hinc nec audiendus eft *Heinfius,* qui vertit: *ad tempeftatem vitandam,* quamvis alioquin hiematio, quam hic anni tempus, ut ex fuperioribus patet, fuadebat, ad cavendam tempeftatis injuriam inftituatur.

εἴπως δύναιντο) *Si quo modo,* vel *ecquid poffent?* Vide huc *Boifii* Collationem p. 498. & ad *Marc.* XI. 13. Adde *Raphelii* Notas Polybian. p. 401. ex Polyb. p. 440.

εἰς Φοίνικα) Ptolemæo Φοινικοῦς λιμὴν i. e. *Phœnicus portus,* Stephano autem Φοινικοῦς πόλις Κρήτης, *Phœnicus, oppidum Cretæ,* memoratur. *Ptolemæus* idem oppidum portui ab ortu adjungit, quod φοῖνιξ vocetur. Hinc recte *Cellarius* in Geographia Antiqua lib. II. c. XII. p. 1264. conficit, utroque nomine & oppidum & portum nempe φοινικοῦς & φοῖνιξ appellatum fuiffe.

βλέποντα κατὰ λίβα καὶ κατὰ χῶρον) Ita *Herodianus* lib. VI. p. 236. *unam partem militum* πρὸς τὰ ἀρκτῷα μέρη ἀφορῶσαν *ad Septentrionales partes fpectantem* appellat: & paulo poft πρὸς τὰ ἀρκτῷα μέρη βλέπουσαν. Similiter *Eunapius* in Porphyr. p. 18. quæ loca obfervat Cl. *Jo. Alberti* in O. S. p. 274. qui de ventis λὶψ i. e. *Africus* & χῶρος i. e. *Corus* vel *Caurus,* videri jubet *Vegetium* V. 8. *Gellium* II. 22. *Senecam* Nat. Qu. V. 16. & alios, ex recentioribus autem *Gravium* ad Hefiodi Theogon. v. 379.

Verf.

Verſ: 13. Ὑποπνεύσαντος δὲ νότου) *Eunapius* Ædeſ. p. 37. ἂν μὴ καταπνεύσῃ νότος, *Lucian.* Ver. Hiſtor. lib. I. p. 657. μαλακῶς ἐνδιδόντος τοῦ πνεύματος de vento leniter ſpirante. Vid. *Alberti* p. 275.

τῆς προθέσεως κεκρατηκέναι) Eadem phraſi utitur *Polybius* p. 535. pag. 1245. & 1284.

ἄραντες) ſcilicet ἀγκύρας, *ſolutis* vel *ſublatis ancboris.* Ita enim Græci nunc per ellipſin, nunc plene phraſin hanc exprimunt. *Lucian.* in Vera Hiſtoria I. p. 607. τῇ ἐπιούσῃ ἄραντες ἐπλέομεν. Plene vero *Polybius* Excerpt. Legat. p. 1313. ὁ δὲ κυβερνήτης ἄρτι διαφώσκοντος ἄρας τὰς ἀγκύρας, ἐτέλει τὸν πλοῦν ἁπλῶς. Conf. *Lamb. Bos* in Exercitatt. ad N. T. p. 88. & de Ellipſi Græc. L. p. 9. tum *Jo. Alberti* in O. S. p. 275. & *Jac. Elsnerum* p. 481. qui inprimis obſervat, Scholiaſten Thucydidis ad lib. II. p. 116. ad hoc verbum ſubintelligere τὰς ναῦς, *naves*, ſicut Latini dicunt *ſolvere navim.* Quod ad ſenſum nihil refert, qua tandem voce defectum ſuppleas. Adde præterea Cl. *Jo. Jac. Quandtii*, Profeſſoris Theologi Regiomontani, Exercit. Philolog. ad h. l. *Regiomonte* 1710. habitam §. 3. ſqq. ubi in exponenda hac phraſi ex re nautica & aliis Græciæ opibus diligenter verſatur. *Dan. Heinſius*, Vir alioquin doctiſſimus, nemini unquam perſuaſerit, τὸ ἄραντες hic idem eſſe, quod ἀναφανέντες vel ἀναφήναντες ex *Act.* XXI. 3. eo ſenſu: *cum Aſon aperuiſſent*, vel *poſtquam Aſos attollere ſe viſa eſt.* Vide eum in Exercitt. Sacris p. 326. Neque enim exſtat Scriptoris Græci exemplum, quo verbo αἴρειν, quod hic omnino ellipticum eſt ex uſu veterum, iſta notio vindicari poſſit.

ἆσσον παρελέγοντο τὴν Κρήτην) Scopulus hic eſt, quem minus feliciter prætervecti Interpretes nonnulli naufragium fecerunt. Quidam enim ἄσσον pro nomine proprio habuerunt urbis alicujus, qualis eſt *Troadis*, de qua ſupra XX. 13. 14. Ἡμεῖς δὲ προελθόντες ἐπὶ τὸ πλοῖον ἀνήχθημεν εἰς τὴν Ἄσσον. Ita Vulg. accepit: *cum ſuſtuliſſent de Aſſon*, & plures poſt ipſum. Sed nec illam Troadis urbem, quippe maritimam, nec quoddam Cretæ oppidulum (πολίχνιον,) quod poſt *Stephanum* de Urbibus alii appellant, hic intelligi poſſe, tum circumſtantiæ itineris, tum vero ipſa loquendi ratio, a Luca adhibita, evincunt, Si enim tale quid indicare voluiſſet divinus Scriptor, vox ἄσσον præpoſitione aliqua, ad hoc argumentum accommodata, ceu fit Act. XX. 13. munienda fuiſſet. Alia in hanc rem lege inprimis apud *Quandtium* in Exercit. citata §. IX. ſqq. Conjecturis nimium tribuunt, qui ut urbem quandam hinc exſculpant, talem olim prope Phœnicem in Creta exſtitiſſe ſuſpicantur, quæ poſtea intercideri. Alii, his confidentiores, præcipites manus ipſi contextui Græco inferunt pro ἄσσον, legentes Θάλασσαν vel Λασαίαν, de qua v. 8. Ita *Nic. Sanſonius* in Vita Pauli §. XLV. Nec magis probanda *Jo. Boiſii* eſt ſententia pro ἆσσον, ſcribendum eſſe θᾶσσον ſuſpicantis in Collatione p. 499. *Malo igitur*, inquit is, ἆσσον, *cum α minuſcula; ſed ita, ut diſtinctio illa vulgatior magisque recepta obtineat; neque*

enim placet, ut ἆσσον ab ἄραντες separetur. Quid ergo? Propono conjecturam meam, expendendam a doctis; ea vero ejusmodi est. Nescio an θᾶσσον indiligentius scriptum (quemadmodum supra c. XX. 13. nonnulla exemplaria teste Beza pro ἆσσον, quæ vera est lectio, corrupte habent θᾶσσον) ἆσσον nobis pepererit, ut vera lectio sit, ἄραντες θᾶσσον cum *solvissent citius*, vel *solventes cito. Solvere cito necesse habebant propter venti inconstantiam, cum ventus momento sæpe in diversam aut contrariam partem vertatur: at non similis illis fuit necessitas propius litora Cretæ navigandi. Præterea nemo non novit ἆσσον* pro *πλησίον & ἔγγιον Poetis potius quam λογογράφοις convenire. Hanc ob causam, fateor, Bezæ hujus loci interpretatio & interpunctio nunquam mihi valde arrisit.* Hæc ille. Eum sequitur *Hammondus* ad h. l. Tria autem in hac conjectura non sunt ferenda, primum, quod θᾶσσον, refragantibus Codd. omnibus & versionibus quoque invitis, legatur. Deinde, quod vox θᾶσσον jungitur participio ἄραντες, quæ rectius, ut paulo post patebit, refertur ad παρελέγοντο. Postremum, quod vocem ἆσσον pro Poetica, atque adeo hic procul habendam esse censet. Poetis, fateor, recepta est, sed non minus λογογράφοις seu prosariis Scriptoribus, v. c. apud *Herodotum* passim puta, IV. 3. p. 216. & III. 52. p. 182. *Josephum* Antiqu. Jud. lib. I. capite ult. ἆσσον ἐκέλευεν ἀκολουθεῖν, *propius jubebat sequi. Anton. Liberalis* fab. XLI. p. 328. βῆναι εἰς ἆσσον τῷ κυνί, quæ loca huc affert Cl. *Jo. Alberti* in O.S. p. 276. *Hippocratis* alium addit Cl. *Elsnerus* p. 481. περὶ ἀφόρων p. 680. μήτε ἡ γυνὴ ἴτω ἆσσον τοῦ ἀνδρὸς, μήδ' ὁ ἀνὴρ παρὰ τὴν γυναῖκα. Pro sententia *Boisii* nihil facit, quod tanta non fuerit illis imposita necessitas, *prope* Cretæ litora navigandi, quanta erat *cito* solvendi anchoras. Etenim non minorem ibi, quam hic necessitatem videbit, qui consideraverit, ventum ipsum, Austrum scilicet, navim huc impulisse, providendumque præterea fuisse, ne longius in altum provecti, non haberent deinde, quo se reciperent.

Itaque præstat omnino, vocem ἆσσον per *propius* interpretari, & eandem jungere verbo παρελέγοντο. Id suadet tum vocis ipsius forma comparativa, ab ἐγγὺς, ἐγγίων, vel ἔσσων, & neutrum ἔσσον καὶ ἆσσον, sicut μέγας, μεγάτερος, μεγίων, μέσσων καὶ μᾶσσον, quod recte hic tradit Etymologicon Magnum, ad Scholiasten Apollonii: quemadmodum & *Erasm. Schmidius* ad h. l. formam istam compluribus aliarum vocum exemplis firmat. Suadent *contextus* & circumstantia modo commemorata, quandoquidem ratio in promtu est, cur litoribus Cretæ navigantes se propius junxerint. Suadet phrasis ipsa, ut τὸ ἆσσον non referatur ad ἄραντες, sed ad παρελέγοντο. Nam significatio τοῦ ἆσσον, i. e. *propius* ad ἄραντες omnino non quadrat. Itaque nec fraudi nobis esse debet interpunctio alienior, quæ non tam a Codicibus, in quibus interpunctionis notæ rarius occurrunt, quam ab Interpretibus, in alia abeuntibus, profecta est. Suadet similis loquendi ratio apud Lucian. in Vera Histor. lib. I. p. 657. τῇ ἐπιούσῃ δὲ ἄραντες ἐπλέομεν πλησίον τῶν νεφῶν, *sequenti vero die, sublatis anchoris, navigavimus prope nubes.*

Hinc

Hinc nec mirum est, interpretes recentiores plerosque in hanc sententiam pedibus ivisse. Vide præter laudatos ex nostratibus *Ostermannum* in Positionibus Philolog. ad textum N.T. Disp. I. §. 17. 18. *Stolbergium* in Exercitt. G. L. p. 90. *Alethæum* **in der Erläuterung** Part. I. p. 53. *Starkium* in Notis Selectis p. 122. & *Christoph. Immigium* in Schediasmate de communibus Erratis Bibliorum Germanic. Lutheri p. 8. Imo in editione hujus versionis B. Lutheri *Luneburg.* an. 1704. adverbii loco habetur. Interpretes quoque Vinarienses in Glossa ita verba explicant: **Sie machten das Schiff loß, und fuhren an der Jnsul** Creta **hin.** Conf. B. *Raithii* Vindicias Vers. Lutheri p. 640. Omitto versiones alias ὁμοψήφους, v. c. *Hispanicam*, *Anglicam*, *Belgicam*, *Italicam* Diodati, & *Gallicam* Jo. Clerici & Beausobrii.

παρελέγοντο τὴν Κρήτην) *præterlegerunt Cretam.* Ita *Diodorus Siculus* lib. XIV. p. 279. παρελέγοντο τὴν γῆν. παρελέγοντο, παρὰ τὸν αἰγιαλὸν ἔπλεον. Latini dicunt *legere.* Vide *Servium* ad Æneid. III. 21. qui ait: *tractus sermo a nautis, quod funem legendo i. e. colligendo aspera loca prætereant.* Græci alias dicunt παραπλέειν, ut *Diod. Siculus* lib. XX. *Herodotus* IV. 43. & VII. 123. Conf. supra v. 8.

Vers. 14. Μετ' ὀ πολὺ δὲ ἔβαλε κατ' αὐτῆς) Τὸ βαλεῖν hic verbum Neutrum videtur nonnullis, ut Rev. *Raphelio* in Notis Polybian. p. 401. & apud *Arrianum* Epictet. p. 504. τί ὀν ὀ ῥέγκω βαλών; *cur igitur non flexo procumbens?* item apud *Julian.* in Cæsar. p. 850. βάλλ' εἰς μακαρίαν, *abi in malam rem.* Conf. *Erasm. Schmid.* ad Matth. XXVII. 35. Quod ut satis expeditum videtur, ita non æque apparet, quo τὸ κατ' αὐτῆς sit referendum. Alii enim referunt ad insulam Cretam, alii ad πρόθεσιν ante commemoratam. Utrumque videtur *Boisio* in Collatione p. 500. duriusculum. *Nam quis*, inquit, *vento proponet pro scopo totam insulam? Loquitur hic Lucas de vento isto, Typhonico, tanquam de funditore quodam aut jaculatore, qui lapidem aut telum ad certum scopum dirigat. Ait igitur:* ἔβαλε κατ' αὐτῆς *i. e. velut funditor aut jaculator recta illam petiit. Quam illam? Quam, nisi proram navis?* κατ' αὐτῆς, *scilicet* πρώρας. *Veluti frontem petiit navis, ut cum hostis sui frontem & faciem lapide petit, puta, David frontem Goliathi. -- Adjuvat hanc interpretationem verbum* ἀντοφθαλμεῖν, *quod paulo post sequitur. Nam inde liquet; ventum istum frontem ipsam, sive proram navis furioso impetu petiisse: quod cum ferre ultra non possent, cedebant vento, dabantque manus.* Ita recte puto judicasse interpretem non unum ex multis.

ἄνεμος τυφωνικὸς) *ventus turbulentus* seu *procellosus*, B. *Luther.* **eine Windsbraut**, de qua voce vide B. *Stadenii* Expositionem vocum difficiliorum hujus versionis pag. 730. Non assecutus nominis rationem est *Erasmus Schmidius* ad h. l. ventum hunc ita a Luthero dictum putans, quod ille quasi circa Helenam quandam choros seu gyros potius egerit. Rectius Stadenius l. c. derivat ex **Wind**, & *brut*, **ein Bruch**, quia veteribus Germanis **brutten** & **bruzzen** idem est, atque **brechen.** Fortasse tamen B. *Lutherus*

LIII IIII 2 poste-

posteriorem vocis partem ex Germanico brausen desumsit. Latini turbinem dicunt, Germani alias Kreuselwind, Küselwind. Appositus *Gellii* locus ex Noct. Attic. XIX. 1. affertur hic a Cl. *Trillero* in Notis MSS. *Quin turbines etiam crebriores & cælum atrum, & fumigantes globi, & figuræ quædam metuendæ, quas τυφῶνας vocabant, impendere imminereque ac depressuræ navem videbantur.* Conf. *Gyraldum* de Navigat. c. IX. p. 619.

ὁ καλούμενος Εὐροκλύδων) MS. Alex. legit Ἐυρακύλων, quem secutus est *Vulg.* & *Æthiops.* Eam lectionem probam habet *Grotius* & *Colomesius* p. 117. O.S. qui tamen minus recte Ἐυρσακύλων ibi legi testatur. Novissime τὸ Ἐυρακύλων πυξ και λαξ defendit doctissimus *Rich. Bentlejus* in Animadversionibus suis ad commentationem de libertate cogitandi Anglice editis p. 69. his usus rationibus: Venti Ἐυροκλύδων nuspiam alibi fit mentio. Vox ipsa composita est ex εὖρος *ventus,* & κλύδων *fluctus*, quæ ideæ adeo videntur dispares, ut talis compositio vix locum tueri possit. Ἐυρακύλων contextui & circumstantiis rei optime respondet. Addit, secundum *Vitruvium, Senecam* & *Plinium*, Eurum ab oriente brumali, & Aquilonem inter exortum solstitialem & Septentrionalem flare, talem autem ventum, *Euroaquilonis* nomine hic intelligi non posse; sed Eurum hic accipi debere pro vento, qui ab oriente verno i. e. æquinoctiali veniat, & pro eodem cum Solano. Sic in tabula duodecim ventorum secundum antiquos, inter Cardinales Septentrionem & Eurum duos speciales esse ventos, *Aquilo* & Καικίας dictos. Posteriorem, teste Seneca Nat. Qu. V. 16. apud Latinos nomen non invenisse. Nautas tamen Romanos illum, cum inter Aquilonem & Eurum fuerit, nomine composito Euroaquilo exprimere potuisse, eadem analogia, qua Græci ventum inter Eurum & Notum medium Ἐυρονότον vocaverint, & qua Angli hodie dicant *South East*, *North East.* Inde vero rationem patere, cur Lucas illum ἄνεμον Τυφωνικόν ventum *tempestuosum* aut *vorticosum* appellaverit. Eam enim esse *Cæciæ* conditionem in illis climatibus, quod vel ex versu Proverbiali appareat: Ελκων ἐφ' ἑαυτὸν ὁ Καικίας νέφη. Conf. Acta Erudit. an. 1714. p. 318. Erudite, fateor, hæc ita disputantur. Nolim tamen receptam lectionem deserere. Unus est Codex, qui alteram illam Ἐυρακύλων habet, & duæ ex antiquis versiones. Non allatum est ullum Græci Scriptoris exemplum, nec forte afferri unquam potest, quo hoc venti nomen comprobetur. Videtur præterea linguæ Græcæ rationibus adversum, vocem hybridam, i. e. partim ex Græca, partim ex Latina Lingua compositam, admittere. Significatum nominis, si id admittamus, locum hic non habere Vir doctus ipse fatetur. Romanos nautas hanc appellationem invexisse ad exemplum Græcorum, qui Ἐυρονότον ventum quendam appellant, tuto credi vix potest, antequam id aliis exemplis comprobetur. Itaque tantisper Eurum ventum hic intelligemus per additam vocem κλύδων ideo hic determinatum, ut *fluctus* & *procellæ* vehementis causa exstitisse innuatur. Hoc enim nomine paulo ante vocatus est ἄνεμος τυφωνικός. Conf. *Bochar-*

Bochartum Geograph. lib. I. c. 26. Tom. II. Opp. p. 502. qui quamvis lectionem *Euroaquilo* difficultati alicui tollendæ idoneam statuat, alteram tamen illam itidem retineri posse censet. Ceterum ad integrum hunc locum graphicam naufragii descriptionem, quæ apud *Virgil.* Æneid. I. 48. sqq. & *Homerum* Odyss. ε. 295. sqq. exstat, conferri vult Cl. *Trillerus* in Notis ad h. l.

Vers. 15. Συναρπασθέντος δὲ τοῦ πλοίου) i. e. *correpta* aut *abrepta nave.* Ita supra VI. 12. & XIX. 29. Sic & profani, ut *Demosthenes* pro Corona p. 334. τινὰς δὲ καὶ συνήρπασαν τῶν ἱερομνημόνων h. e. *quosdam etiam prebenderunt Amphictyonum*, & alii apud *Elsnerum* p. 482. *Lucianum* Ver. Hist. I. p. 660. ἐκεῖθεν δὲ ἁρπασθέντες ἀνέμῳ σφοδρῷ addit *Jo. Alberti* p. 277. *Pricæus* vertit *circumacta*, vel *contorta nave*, non vi vocis, ut existimat, nec tamen aliena a re ipsa. Ita enim *Lucianus* l. c. p. 645. ἄφνω τυφὼν ἐπιγενόμενος, καὶ περιδινήσας τὴν ναῦν. Conf. *Plinium* II. 48. & *Gell.* XIX. 1.

καὶ μὴ δυναμένου ἀντοφθαλμεῖν) ἀντοφθαλμεῖν *Polybius* frequenter adhibet de hostibus, quibus *resistitur:* ut p. 22. 97. 156. & alias. Conf. *Raphelii* Notas Polybian. p. 402. Diligentissime hujus vocis notionem edisseruit *Boisius* in Collatione p. 501. ostenditque idem esse, quod *obniti*, *obsistere*, *resistere*, ut *Sap.* XII. 14. *Siracid.* XIX. 5. &c. Item Græci, ut *Chrysostomus*, alias dicunt ἀντιβλέπειν, Homilia III. in Genes. p. 13. Germani dicunt: **unter die die Augen gehen.** *Beza* scite hic observat, partem proræ apud Pollucem I. 11. dici ὀφθαλμὸν, adeoque τὸ ἀντοφθαλμεῖν idem hic esse, quod *obversa prora reluctari.* Conf. *Starckii* Notas Select. p. 122.

ἐπιδόντες) sc. τὸ πλοῖον τῷ ἀνέμῳ *permittentes navem.* Ita *Lucianus* Ver. Hist. I. p. 643. dixit ἐπιτρέπειν τῷ πνεύματι, quem locum huc affert *Lamb. Bos* in Exercitt. ad N. T. p. 89. Addit *Elsnerus* ὁμόψηφος p. 482. alium *Plutarchi* de Fortuna Roman. p. 319. ubi Cæsar ad gubernatorem navis: τόλμα καὶ δέδιθι μηδὲν, ἀλλὰ ἐπιδίδου τῇ τύχῃ τὰ ἱστία, καὶ δέχου τὸ πνεῦμα, nec non *Pollucis* lib. I. c. 9. §. 107. ἀφέντες τὰ ἱστία τῷ πνεύματι. Cl. *Raphelius* in Notis Polybian. p. 403. simpliciter subintelligi vult ἑαυτοὺς, *permittentes* se, quod & *Lamb. Bos*, de quo modo diximus, suadet de Ellipsi Gr. L. p. 58. Ita *Arrianus* Epictet. IV. 9. οἱ ἅπαξ ἐνδόντες εἰσάπαν ἐπέδωκαν ἑαυτοὺς & *Polyb.* p. 787. ἐν οἷς καιροῖς Φίλιππος ἐθελοντὴν αὑτὸν ἐπιδούς. Atque hoc mihi videtur huic loco accommodatius. In simili argumento *Lucian.* Ver. Hist. p. 743. καὶ ἐπιτρέψαντες οὖν τῷ πνεύματι, παραδόντες ἑαυτοὺς ἐχειμαζόμεθα. Viden, hic τὸ ἐπιτρέπειν ad navem, τὸ παραδόντες vero ad navigantes referri? Interim sensus utrinque idem est. Sic *Achilles Tatius* παραδόντες ἑαυτούς.

ἐφερόμεθα) *ferebamur*, i. e. nihil amplius præsidii nobis' erat, sed eo ferebamur, quo impellebat ventus. Sic *Theognis*, ubi tempestatem formidandam describit, v. 671. οὕνεκα νῦν φερόμεθα, καθ' ἱστία λευκὰ βαλόντες.

Conf. *Boisium* p. 502. *Achilles Tatius* lib. III. p. 163. *κατὰ ῥοῦν ἐφερόμεθα τῆς θαλάσσης.*

Verf. 16. *καλούμενον Κλαύδην*) Codd. alii hic legunt Κλαύδαν, vel Κλαυδῖν, vel Κλαύδα, item Καῦδα, vel Καύδην, & *Suidas* Καυδώ. *Gaudon* a Plinio, Solino, Stephano & Procopio vocari hanc insulam observat *Grotius*. Cum vero eadem a Ptolemæo Κλαυδὶς, ab Athenæo Κλαύδιον vocetur, receptam lectionem non deferendam esse recte putat *Millius*. Sic *Salmasius* in Exercitt. Plinianis c. 29. p. 272. *Ptolemæus* Κλαῦδον *vocat, quæ* Γαῦλος & Γαῦδος *ceteris. Apud Lucam dicitur* Κλαύδη. *Athenæo* Κλαύδιο. *Noster* (Solinus) *Gauloen*. De diversa hac appellatione confer omnino *Bochartum* in Geographia S. lib. I. c. 26. p. 504. & *Cellarium* Geograph. Antiqu. lib. II. c. 14. p. 1278.

Verf. 17. *ὑποζωννύντες τὸ πλοῖον*) Succingendarum navium rationem cum *Beza* & *Grotio* factam fuisse, existimat *Raphelius* in Notis Polybian. p. 403. *funibus utrinque sub fundum navis adductis, & ita utraque navis latera adstringentibus, ne vi ventorum & fluctuum dissiliret*. Vincula ejusmodi *Plato* de Republ. lib. X. *ὑποζώματα* appellat, ut observavit *Camerarius* in Commentariis utriusque linguæ p. 1229. *καὶ μὲ ναῦς συμβουλεύσας τοῖς Ῥοδίοις ὑποζωννύειν*. *Scaliger* in Actis Literariis *Schurtzfleischii* p. 28. interpretari mavult: *sublato malo:* sed id quidem sequente phrasi potius exprimi videtur.

χαλάσαντες τὸ σκεῦος) *Vulg. reddidit : demisso vase. Sed potuisset reddere* arma navis. *Nam malus navis etiam inter arma navis recensetur. Glossæ veteres*. Arma navis, ἱστὸς πλοίου. *Sic ibidem :* Armamenta ὅπλα πλοίου. *Et alibi :* ἄρμενον, velum, velum nauticum, *Funes, instrumenta navis. Quæ omnia arma vocantur apud Plautum, Ciceronem, Tacitum, Plinium, Columellam, Petronium, quorum loca hic congerere, nec est animus, nec otium. Tantum observo, vocem σκευὸς occurrere non tantum apud Lucam pro instrumentis & armis nauticis, sed & apud* Hieroclem *Facet*. XXI. Hæc *Steph. le Moyne* ad *Varia Sacra* p. 352. Antenna itaque cum velis hic intelligitur, quod *Grotius, Heinsius* & *Pricæus* recte monuerunt, ex nostratibus autem *Starckius* in Notis Selectis p. 122. De velis tantum accipit *Beza* & *Erasmus Schmidius*, non refragante *Elsnero* p. 484. qui tamen etiam de *malo* navis intelligi posse putat, quia v. 40. dicitur; *ἐπάραντες τὴν ἀρτέμονα*, *erecto malo*, quemadmodum *Suidas* alicubi : *χαλᾶν ἀρτέμονα*. De carina seu ipso navis ventre accipit *C. Trillerus* in Notis MSS. Cl. *Perizonius* ad Ælianum V. H. I. 16. p. 21. vertit : *postquam collegerunt armamenta*.

μὴ εἰς τὴν Σύρτιν ἐκπέσωσι) Ἐκπίπτειν navis dicitur, cum vel scopulis allilditur, aut in brevia & littus impingit. Sic *Polybius* p. 74. *τῶν μὲν καθιζόντων ἐν τοῖς βραχέσι, τῶν δ' ἐκπιπτόντων σκαφῶν.* Conf. *Ælian.* Hist. Animal. II. 8. & Elsnerum p. 484.

οὕτως ἐφέροντο) Vide supra ad v. 15. ubi de verbo φέρεσθαι, & infra ad XX. 10. ubi de particula οὕτως.

Vers.

Verſ. 18. Σφοδρῶς δὲ χειμαζομένων ἡμῶν) *cum vehementi tempeſtate jactaremur.* Sic v. 20. χειμὼν de tempeſtate. Inde per translationem χειμάζεσθαι pro *vexari & perturbari* alias adhibetur, ut ab *Ariſtoph.* in Ranis v. 364. πόλεως χειμαζομένης. Lege ibi plura apud *Spanhemium* in Notis.

ἐκβολὴν ἐποιοῦντο) *jacturam fecerunt.* Vide huc *Eraſm. Schmidium.*

Verſ. 19. αὐτόχειρες) *noſtris manibus. Heſychius:* αὐτοχειρία, τὸ τῇ ἑαυτοῦ χειρὶ ποιῆσαί τι.

τὴν σκευὴν τοῦ πλοίου) Nonnulli recte per *armamenta navis* explicant, & hoc ſenſu vox σκευὴ uſurpatur a *Demoſthene* de falſa legat. p. 212. τί δὲ, οὐ τριήρεις τριακόσιαι καὶ σκευὴ ταύταις καὶ χρήματ' ὑμῖν περίεστι; & *Æliano* Var. Hiſt. VI. 12. Homerus ὅπλα & Virgil. *Arma;* alii vero *Armamenta* vocant. Vide *Elsnerum* p. 485.

ἐρρίψαμεν) Sic *Achilles Tatius* lib. I. p. 159. ὁ κυβερνήτης ἐκέλευε ῥίπτειν τὸν φόρτον. Conf. *Jo. Alberti* p. 277.

Verſ. 20. Μήτε δὲ ἡλίου μήτε ἄστρων ἐπιφαινόντων) Sic *Achilles Tatius* tempeſtatem ſimilem deſcripturus p. 155. ita orditur: ὁ μὲν ἥλιος τέλεον ἁρπάζεται, ἑωρῶμεν δὲ ἑαυτοὺς ὡς ἐν σελήνῃ &c. *Sol nobis omnino ereptus fuit, neque alter alterum cernebamus, niſi ut ſit Luna lucente.* Conf. *Alberti* p. 278. Similes periculoſæ & difficilis navigationis circumſtantias affert *Virgilius* Æneid. I. 92. ſq. & III. 194. ſqq. quem poſt alios hic affert Picinellus in Lum. Refl. p. 683.

ἐπὶ πλείονας ἡμέρας) Sic *Polybius* p. 597. διατρίψας ἐπὶ τρεῖς μῆνας.

χειμῶνός τε οὐκ ὀλίγου ἐπικειμένου) Dicitur id de tempeſtate. Admodum erudite. Nam ἐπικεῖσθαι eſt vox maximæ violentiæ, *Thucydid.* lib. IV. ἐπικεῖσθαι dixit de victoribus hoſtes perſequentibus. Homerus Iliad. β. κρατερὴ ἐπικείσετ' ἀνάγκη. Virgil. lib. I. *Ponto nox incubat atra.* Ibi incubare eſt ἐπικεῖσθαι. Servio incubare eſt per vim rem retinere. Incubare imperio dicuntur tyranni Macrob. c. X. Somn. Scipion. Luc. V. 1. dicitur turba ἐπικεῖσθαι Chriſto, eleganter. Jobi XIX. ἐπικεῖσθέ μοι. Incubatis perpetuis nugis. Marc. III. dicitur ἐπιπίπτειν. Eſther. IX. φόβος ἐπέκειτο. Horatius: *terris incubuit cohors febrium.* Virgil. Georg. I. *tempeſtas incubuit ſilvis.* Habes elegantiam nitidiſſimam in mediis ſacris. Ita *Jo. Arndius* in Miſcell. Sacris p. 70. *Jo. Alberti* p. 279. eximium Plutarchi locum ex Timol. p. 250. affert: τέλος δὲ τοῦ χειμῶνος ἐπικειμένου, *tandem vero tempeſtate premente,* vel, *incubante.* Alium affert Cl. *Trillerus* in Notis MSS. ex *Hippocrate* de vet. Medicina §. 17. ὅταν δὲ αὐτοὺς κυβερνήτας κατάσχῃ ἄνεμός τε καὶ χειμὼν, *cum gubernatores illos ventus magnus & tempeſtas oppreſſerit, &c.*

λοιπὸν) *in reliquum, deinceps.* Sic *Polybius* p. 15. λύσας τὴν πολιορκίαν, λοιπὸν ἐπιπορευόμενος ἀδεῶς ἐπόρθει τὴν χώραν. *Zoſimus* item p. 643. & alibi, apud *Raphelium* in Notis Polyb. p. 405.

περιῃ-

περιῃρεῖτο πᾶσα ἐλπὶς) Similes phrases sunt apud *Polybium* p. 441. & p. 869. πάσας ἀφελόμενος τὰς εἰς τὸ μέλλον ἐλπίδας ἡ τύχη.

Vers. 21. Πολλῆς δὲ ἀσιτίας ὑπαρχούσης) *cum longa esset inedia.* Ita Interpretes plerique omnes, recte, ut opinor. Continui enim labores cum metu a periculis effecerunt, ut de cibo capiendo nec cogitarent. *Saubertus* tamen in Opp. Posthumis p. 28. de ἀνορεξίᾳ sive stomachi fastidio, quod Germani **See-Kranckheit** dicunt, accipere maluit.

κερδῆσαί τε τὴν ὕβριν ταύτην) Ὕβρις proprie est injuria corpori illata.. Inde in Justinian. Novell. LXXXI. in præfat. μεθ' ὕβρεων καὶ ῥαπισμάτων *cum injuriis & alapis.* Translate *Aphthon.* Fab. 37. caprum, qui vitem ambederat, dicit ὕβρει χρώμενον, & *Pindarus* Od. I. v. 140. ναυσίστονον ὕβριν, *cladem navibus lacrymabilem* appellat. Conf. supra ad v. 10. Τὸ κερδῆσαι *Vulg.* per *lucrifacere*, Beza & alii per *vitare* vertunt: utrique recte, judice *Boisio*, in Collatione p. 503. cum Latini *lucrifacere* pro *vitare* dicant, quod *Donatus* in Scenam IV. Act. III. Andriæ observarit. Sic *Philemon* p. 352. ed. Clerici, πᾶς γὰρ πένης ὢν μεγάλα κερδαίνει κακά, *quicunque enim pauper est, magna vitat mala.*

Vers. 22. Καὶ τανῦν παραινῶ ὑμᾶς εὐθυμεῖν) Securius & rectius id facere poterat Paulus, quam Cæsar olim, teste *Lucano* in Pharsalic. lib. V. & *Appianus* lib. II. de Bello Civ. nauclero timido acclamabat: *ne time, Cæsarem vehis.* Conf. *Picinelli* Lum. Refl. p. 683.

ἀποβολὴ γὰρ ψυχῆς) Alludere hic videtur Lucas ad ἐκβολὴν, de qua v. 18. *Amissionem* vitæ voce hac eleganter exprimi observat ad h. l. *Hombergius* in Parergis.

Vers. 23. παρέστη γάρ μοι—ἄγγελος) Sic *Polybius* p. 814. τὸν Ποσειδῶνα memorat παραστάντα κατὰ τὸν ὕπνον. Alia ejusmodi loca ex *Athenæo* IX. 17. p. 406. *Strabone* lib. IV. p. 271. & *Plutarcho* Lucullo p. 498. affert *Elsnerus* p. 487.

Οὗ εἰμι, ᾧ καὶ λατρεύω) Duo hic innuere Paulum, nempe quod & Dei peculium sit, & ejus cultui addictus, observat *Keuchenius* p. 204.

Vers. 24. κεχάρισταί σοι ὁ Θεὸς πάντας τοὺς πλέοντας μετὰ σοῦ) Quomodo hoc cum v. 31. conciliari possit, ubi Paulus ordinariis mediis uti jubet, ad servandos homines, quos a Deo sibi donatos esse hic profitetur, ostendit Rev. *Zieroldus* **in der deutlichen Erklärung** p. 518. Scilicet consilia divina eorumque impletio ordinem non aversantur, sed complectuntur.

Vers. 26. εἰς νῆσον δέ τινα δεῖ ἡμᾶς ἐκπεσεῖν) *in insulam vero quandam nos debemus ejici.* Ἐκπίπτειν navigantes dicuntur, cum vel in syrtes navis incidit, ut supra v. 17. vel in litus ejicitur, ut h.l. & apud *Xenophontem* de Exped. Cyri lib. VI. p. 297. Θρᾶκες καὶ Βιθυνοί, οὓς ἂν λάβωσι τῶν Ἑλλήνων ἢ ἐκπίπτοντας, ἢ ἄλλως πως δεινὰ ὑβρίζειν λέγονται τοὺς Ἕλληνας. Vide *Raphelii* Annott. Xenoph. p. 190.

Vers.

Verf. 27. *διαφερομένων ἡμῶν ἐν τῇ Ἀδρίᾳ*) De verbo *διαφέρεσθαι* lege *Gatakerum* ad M. Antonin. IX. 27. Fuit qui, cum Paulum legeret deinde expofitum effe in infula Melita, quæ non fit in Adriatico mari, fed in Siculo, hinc conficeret, per *Μελίτην* intelligi debere *Maledam*, non autem *Maltam*. *Scaliger* huic ifta reponit de Emendat. Temporum p. 500. *Hac ridicula opinio fi non fectatores nacta effet, indigna erat, qua vel confutaretur. Adriaticum mare navigantibus ex Gracia incipit a Corcyra, tefte Plinio. Ubi enim definit Jonium, ibi excipit Adriaticum. Quare Ovidius Faftorum IV. Adriaticum inter Corinthiacum & Siculum mare ponit: in primo autem Triftium Jonium ipfum Adriam vocat. -- Ergo Melite Pauli eft in Siculo freto, in mari Adriatico, non in finu Japygio. Quis non ridet abfurditatem, fi concedamus, ex Syria in Italiam navigantes ulla tempeftate poffe in intimum Japygium finum detrudi, & inde adverfo vento iterum in Tyrrhenum, & oram Neapolitanam abripi? Qua hac eft περιήγησις?* Hæc ille. Conf. *Bocharti* Geograph. lib. I. c. 26. p. 503. qui iisdem & aliis nonnullis locis in eandem fententiam utitur. Inter cetera inquit: *In Adria quidem jactari dicitur navis appulfura Melitam: non tamen in Adriatico finu, quo multo latius patet Adria, feu, quod idem eft, Adriaticum mare. Sinus enim Adriaticus cum Illyrico definit. At mare Adriaticum idem eft cum Jonio. Hefychius: Ἰόνιον, πέλαγος, ὁ νῦν Ἀδρίας.* Lege ibidem plura, nec omitte *Er. Schmidium* ad h. l. & *Jo. Fr. VVandalini* Difput. de Melite Pauli cap. II. §. 1. fqq.

προσάγειν τινὰ αὐτοῖς χώραν) i. e. *appropinquare*, ut *Virgil.* Æn. VI. 410. V. 185.

Verf. 29. *εἰς τραχεῖς τόπους ἐκπέσωσιν*) Vid. ad v. 26. *Pifcator* vertit: *exciderent*. Boifius mavult: *inciderent*. Præpofitio enim *ἐκ* in compofitione melius per *in*, quam per *ex*, exprimitur. Ita Græci: *ποταμοὶ ἐπὶ τὸν ὠκεανὸν ἐκβάλλουσι*, *flumina in Oceanum influunt*.

ἐκ πρύμνης ῥίψαντες) Afferam hic, quæ ex *Jamefii* Epiftolis MSS. in Biblioth. Bodlej. exftantibus, defcribere me memini. *Verfio*, inquit, *Sclavonica habet*: ex nafo, ex roftro, five prora navis: *unde non ex puppi. Jam folent nauta in ejusmodi periculis tres aut quatuor anchoras folvere, quamvis & in mari mediterraneo hodie ufui fint magno Sultano navigia quædam lunata, dicunt* Carmifales, *ad vehendas res inter Alexandriam Ægypti, & CPolin, qua anchoras gerant in puppi & quod illis navigiis antiquum effe videatur ex variis Heliodori locis in Æthiopica hiftoria, ut p. 1. ὁλκὰς ἀπὸ πρυμνησίων ὥρμει, qua doctiffimus Interpres non tamen recte transtulit*: navis rudentibus ad continentem religata quiefcebat: *cum effe potius debeat*: navis anchoris puppi jactis ftetit ad rudentes.

Verf. 30. *Τῶν δὲ ναυτῶν ζητούντων φυγεῖν ἐκ τοῦ πλοίου* &c.) Simile quid narrat *Achilles Tatius* lib. III. p. 159. *Ἀφίησι δὲ τὸ σκάφος τῇ θαλάσσῃ, καὶ εὐτρεπίζει ἤδη τὴν ἐφολκίδα, καὶ τοῖς ναύταις ἐμβαίνειν κελεύσας. Gubernator maris arbitrio navem permifit, fcaphamque inftruxit, ac nautis defcendere juffis* &c. Lege ibi plura, & confer Cl. *Jo. Alberti* p. 280.

χαλασάντων) i. e. χαλώντων, & μελλόντων, idem quod θελόντων, obſervante hic *Boiſio*.

προφάσει) i. e. *obtentu*, vel *prætextu*, ut ad Philipp. I. 18. Sic *Ariſtoph.* in Veſpis οἵαν πρόφασιν καθῆκεν, *qualem prætextum dedit*. Conf. *Alberti* l. c. & *Raphelium* in Notis Polyb. ad Philipp. l. c.

Verſ. 33. Τεσσαρεσκαιδεκάτην σήμερον ἡμέραν προσδοκῶντες ἄσιτοι διατελεῖτε, μηδὲν προσλαβόμενοι) Hyperbolice hæc dicta eſſe, plerique ſibi perſuadent, cum fieri non poſſit, ut per quatuordecim dies continuos homines laboribus fracti, & ſomno quoque ut plurimum deſtituti, a cibo omni abſtineant, & vel ſic vitam tueantur. Alii verba Pauli non ſimpliciter & ſtricte hic accipi volunt, ſed cum temperamento. Inter hos eſt *Jo. Henr. Urſinus* in Analectis Vol. II. p. 147. *Negat*, inquit, σῖτον i. e. *annonam aut commeatum, quotidianum dimenſum, quod in navi a Sitarcho ſolebat diſtribui, accepiſſe: in quo certe Sitarchiæ ille præfectus, quisquis fuit*, ἠγνόησεν ἄγνοιαν μεγάλην, *& ex deſperatione grande peccavit peccatum, qui impranſos imparatosque nautas & milites tantis laboribus objecerit. Hoc reprehendit Apoſtolus, ac ſalutarem fuiſſe eam reprehenſionem docuit conatus v. 38. ac mox eventus. De Sitarchia iſta Apulejus: hac Sitarchia navigium Veneris indiget ſola: ut in nocte pervigili & oleo lucerna & vino calix abundet lib. II. Metamorph.* Cenſet itaque inediam hanc culpa Sitarchi nautis eveniſſe. Hoc vero nemo ſibi perſuaſerit. Imo huc tantum reſpectum fuiſſe a Paulo vox ἄσιτος, ad quam provocat, non efficit, ut credamus. Ἄσιτος enim & ἀσιτία de *non paſto* quocunque & inedia quacunque dicitur, non vero tantum de illa, quæ a diſtributore dimenſi ſeu Sitarcha pendet. Itaque malim cum aliis dicere, negari hic tantum ordinariam & ſtatam cibi ſumtionem, qualis eſt in prandio vel cœna, quo ſenſu vox λαμβάνειν & προσλαμβάνειν adhibetur v. 33. 34. 35. Hinc & v. 35. gratiarum actionis fit mentio. Conf. Celeb. V. E. *Læſcheri* Στρωματεία p. 37. id igitur tantum innuitur, quod raro, & pauca, & raptim, & ſinguli, & inordinate cibum ceperint. Itaque vel ſic hyperbolen omnem non abeſſe exiſtimo, quia Paulus diſerte ait: μηδὲν προσλαβόμενοι. Eſt etiam, qui exiſtimet, Paulum hic non ex inſpiratione locutum, atque adeo ultra id, quod æquum erat, in magna conſternatione loqui potuiſſe. Equidem hyperbolen aliquam admittere malim, quam id affirmare, cum Paulum ſatis tranquillo & pacato animo fuiſſe & oblata antea Angeli apparitio, & oratio ad præſentes habita credere jubeat.

Recte quoque *Boiſius* in Collat. p. 506. ἀσίτυς hic dici ait, eo quod toto illo tempore juſtum prandium ſumere, aut tantum cibi comedere non potuerint, quantum neceſſitas naturæ poſceret. Opponi itaque phraſin μηδὲν προσλαβόμενοι illi, quæ v. 38. exſtat κορεσθέντες δὲ τροφῆς. Eodem modo *Tzetzes* ad Heſiod. f. 28. ὁ δέ τι σῖτον ἤσθιον, obſervat, quia conſueto prandii tempore cibum non ſumſe-

sumserint, ideo nihil edisse dici. *Τραπέζης γὰρ καὶ σίτων καιρὸς ὁ εἰρηναῖός τε καὶ τερψίθυμος.*

οὐδενὸς γὰρ ὑμῶν θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς πεσεῖται) Ad Gentilium morem videtur alludere Paulus, qui, urgente tempestate, ac nulla spe certa salutis affulgente, capillos soliti erant tondere. -- Paulus itaque dubios salutis vectores adhortatur, ut cibum sumant: non eam fore jactationem, ut deponendi sint capilli, pollicetur, Ita *Jac. Durant. Casellius* Var. Lect. II. 9. in Gruteri Lampade Critica Tom. III. Part. II. p. 238. Idem volunt *la Cerda* in Adversar. p. 449. qui simul provocat ad *Balthas. Devias*, *Dougtæus* in Analectis N. T. p. 97. ex nostratibus vero *Jos. Arndius* in Miscellan. Sacris p. 112. *Jo. Mich. Dilherrus* in Electis lib. II. c. 11. & *Amelius* Part. II. p. 66. Ritum quidem hunc vel oborto naufragii periculo, vel eodem exantlato, receptum tot veterum locis iidem, quos dixi, firmarunt, ut negari non possit. Sed malim tamen cum *Jo. Henr. Ursino* in Analectis Sacr. Tom. II. p. 148. statuere, illum nihil facere ad proverbium, quo S. Paulus hic usus sit. Convenienter in hanc sententiam ita disputat *Vorstius* in Adagiis N. T. c. VI. p. 34. *Ipsi illi homines, ex quorum capitibus Apostolus nullum pilum casurum dixit, etsi evaserunt in terram, naufragium tamen fecerunt & reculas suas amiserunt. Quare, si priscum illum radendi capillos morem servare vellent, debuerunt utique radi: & Apostolus, cum dixit, nullum pilum ex cujusquam capite casurum, si voluisset, non facturos eos esse naufragium, omnino falsum dixisset.* Itaque præstat, phrasin hanc habere pro proverbiali, quæ nihil aliud inferat, quam homines omnes incolumes mansuros, nec in undis perituros. Ita Hebræi 2 *Sam.* XIV. 11. 1 *Regg.* I. 51. Ita Dominus noster *Luc.* XXI. 18. & *Matth.* X. 30. Imo ita Germani: **es soll ihm kein Haar gekrümmet werden.**

Vers. 36. *καὶ αὐτοὶ προσελάβοντο τροφῆς*) i. e. *τροφῆς τι, partem*, vel *aliquid cibi.* Alioquin enim accusativus requireretur, ut patet ex v. 33. *μηδὲν προσλαβόμενοι.* Non insolens vero est ellipsis voculæ hujus, ut ex variis Scripturæ & aliis locis patet. Vide *Lamb. Bos* de ellipsi Gr. L. p. 195. & quæ olim notavi ad Centuriam epistolarum Libanii p. 20.

Vers. 37. *ψυχαὶ διακόσιαι ἑβδομήκοντα ἕξ*) Hinc conjicere licet navis hujus magnitudinem. Magnæ vero ut plurimum erant naves Alexandrinæ, quam in rem lege omnino *Jac. Hasæi* Disput. de Navibus Alexandrinis, Apostolum in Italiam deferentibus cap. I. §. 7. Tales obeliscos Romam ferebant, quibus nihil admirabilius in mari visum esse, *Plinius* auctor est Hist. Natur. XVI. 40.

Vers. 38. *ἐκούφιζον τὸ πλοῖον*) Sic *Polybius* p. 56. *ἐκούφισαν τὰς ναῦς.* Vulg. *alleviabant.* Et sic Glossæ: *κουφίζουσιν, alleviant. Achilles Tatius* lib. III. p. 153. *ὅπως τὸ μὲν βαπτιζόμενον τῆς νηὸς ἀνακουφίσαιμεν.* Conf. *Jo. Alberti* p. 281. O. S.

ἐκβαλλόμενοι τὸν σῖτον) *Demosthenes* adv. Lacrit. p. 593. simpliciter dicit *ἐκβάλλεσθαι*, quod idem observat l. c.

Verſ. 39. ἐβουλεύσαντο) Quidam Codd. hic legunt ἐβούλοντο, ex librariorum ingenio, qui ſcilicet non pervidebant, quid ſibi hæc vox vellet. Genuinam vero lectionem eſſe, patet ex v. 42. ubi in ſimili negotio dicitur: τῶν δὲ στρατιωτῶν βουλὴ ἐγένετο.

ἐξῶσαι τὸ πλοῖον) *expellere navem*, h. e. facere, ut in littus impingat. Ita *Thucydides* lib. II. p. 163. τὰς δὲ ἄλλας (ναῦς) ἐπικαταλαβόντες ἐξέωσάν τε πρὸς τὴν γῆν ὑποφευγούσας, καὶ διέφθειραν, *alias vero*, (naves) *aſſecuti expulerunt terram petentes & deleverunt*: ubi ſcholia τὸ ἐξέωσαν exponunt: πρὸς τὴν γῆν ὀκοῖλαι ἐποίησαν. Ita & alii. *Petronius* Satyr. c. 114. idem dicit *expellere*. Conf. Cl. *Elsnerum* p. 487. *Polybius* p. 963. eandem rem appellat ἐκβάλλειν & ἐξώθειν, quod obſervavit *Raphelius* in Notis Polyb. p. 406.

Verſ. 40. εἴων εἰς τὴν θάλασσαν) εἴων ſc. τὸ πλοῖον, quam ellipſin obſervavit *Er. Schmidius* ad h. l. & Cl. *Schœtgenius* ad Lamb. Bos de Ellipſi Gr. L. p. 130.

ἀνέντες τὰς ζευκτηρίας τῶν πηδαλίων) Vulg. *laxantes juncturas gubernaculorum*. Ita *Euripides* Helen. v. 1552. πηδάλιά τε ζευγλαῖσι παρακαθίεντο, *& gubernacula vinculis*, vel *juncturis immittebantur*. Πηδάλια in plurium numero hic memorantur, non per enallagen numeri, ceu viſum eſt *Bezæ*, hæſitantibus nihilque definientibus *Er. Schmidio* & *Lud de Dieu*, ſed ideo, quod veterum naves duobus gubernaculis, ab utroque ſcilicet latere, erant inſtructæ. Sic *Ælianus* Var. Hiſt. IX. 40. Carthaginenſes teſtatur cenſuiſſe, ἄτοπον εἶναι, δύο μὲν πηδάλια ἔχειν, τὸν δὲ λυσιτελέστατον τοῖς ἐμπλέουσι καὶ τὴν ἀρχὴν ἔχοντα τῆς νεὼς ἔρημον εἶναι, *abſurdum eſſe, bina gubernacula navem habere, eum vero, qui navigantibus nobiliſſimus eſſet, imperiumve navis haberet, ſolum eſſe.* Lege ibi plura in notis *Perizonii*. Sic *Petronius* c. 114. *Non arbor erat relicta, non gubernacula, non funis aut remus.* Nubem teſtium hanc in rem afferunt *Grotius* ad h. l. & in Arateis, *Bochartus* Hieroz. Part. II. p. 452. *Grævius* ad Heſiod. Εργ. v. 45. *Perizon.* l. c. *Lipſius* ad Tacitum lib. II. p. 82. *Schefferus* de militia navali, *Elsnerus* p. 488. & *Jo. Alberti* p. 282. Conf. ex noſtratibus *Starckium* in Notis Selectis p. 122.

καὶ ἐπάραντες τὸν ἀρτέμονα) Sic *Plutarchus* in Theſeo p. 9. ἐπάρασθαι τὸ ἱστίον & *Lucianus* Vera Hiſt. lib. II. p. 686. ἐπάραντες τὴν ὀθόνην dixit. Eſt autem ἀρτέμων non, ut *Eraſmus* putavit, *antenna*, ſed *velum*; nec tamen omne velum, ſed in ſpecie majus illud, quod hodienum Venetis *artimon* dicitur, Belegis *het ſchoverzeil*, ut notarunt *Hadr. Junius*, & *Bayſius* de re Navali. Ita Cl. *Alberti* p. 282. Alii pro additamento potius ſeu appendice veli majoris haberi volunt, in quam ſententiam lege *Alex. ab Alexandro* in Diebus Genial. lib. I. c. 25. & B. *Raithium* in Vindiciis verſionis Lutheri p. 480.

τῇ πνεούσῃ) ſc. αὔρᾳ *ſecundum auræ flatum.* Ellipſin hanc poſt *Bezam* & *Er. Schmidium* obſervavit *Lamb. Bos* de Ellipſi p. 25.

κατεῖ-

κατεῖχον εἰς τὸν αἰγιαλόν) *tendebant, cursum dirigebant*, ut *Xenophon* Hist. Græc. lib. II. p. 356. *κατασχὼν τὴν Λαβαρνίδα*. Conf. *Raphelii* Notas Polybian. p. 406. & Xenophonteas p. 190. *Arrianus* Hist. Indic. c. 32. p. 347. & p. 348. idem exprimit per *ἐπέχειν*, quod recte monuit *Alberti* p. 283.

Verf. 41. *εἰς τόπον διθάλασσον in locum bimarem* h. e. *brevia*, ipsi Sinus aditui objecta, ad quæ naufragium fecerunt. Ita interpretatur *Beza*, & recte quidem, judice *Casaubono* in Casaubonianis, a me olim editis, p. 79. qui & *Dionis* Chrysost. locum ex p. 83. affert huc pertinentem: *τοῖς δὲ κατενεχθεῖσιν οὐκ εἶναι τὸν ἔκπλουν δυνατόν. τραχέα γὰρ καὶ διθάλαττα καὶ ταινίας μακραὶ μέχρι πολλοῦ διήκουσαι παντάπασιν ἄπορον καὶ δύσκολον παρέχουσι τὸ πέλαγος.*

ἐπώκειλαν τὴν ναῦν) i. e. *cum impetu navem appulerunt*. Verbum in hoc argumento frequentissimum est *Polybio* & *Arriano*. Ille p. 19. & p. 74. *ἢ τοῖς βραχέσι περιπίπτον ἐκάθιζε κατὰ πρύμναν, ἢ πρὸς τὴν γῆν φερόμενον ἐπώκελλε. Aut a puppe sedebat, si in brevia incideret: aut, si in terram ferretur, solo illidebatur. Arrianum* inspice de Expedit. Alex. II. 23. 5. & alibi. Conf. *Raphelii* Notas Polybian. p. 407. & Xenophont. p. 190. & *Alberti* p. 283. Alii dicunt *προσοκέλλει* & *ἐξοκέλλειν*.

ἡ δὲ πρύμνα ἐλύετο) Ita *Achilles Tatius* p. 163. *ῥήγνυται καὶ διελύθη* & alii apud *Alberti* p. 284.

Verf. 42. *ἵνα τοὺς δεσμώτας ἀποκτείνωσι*) Vulg. vertit: *ut custodias occiderent.* Recte quidem, & ex usu veterum, qui *custodias* de vinctis & captivis dicunt, quod recte observavit *Philipp. Caroli*, contra quem tamen lege *Dillherrum* in Disp. Philolog. Tom. I. p. 48. recte monentem, clarius tamen nostra inprimis ætate, qua illa vocabuli notio non adeo cognita est, verti posse. Conf. supra ad v. 1.

Verf. 43. *ἐκέλευσε τοὺς δυναμένους κολυμβᾶν ἀποῤῥίψαντας πρώτους ἐπὶ τὴν γῆν ἐξιέναι*) Spectat huc egregie *Arriani* locus Hist. Ind. c. XXIV. p. 339. *Αὐτὸς δὲ τῶν στρατιωτῶν ὅσοι αὐτοί τε κουφότατοι καὶ κουφότατα ὡπλισμένοι, τοῦ τε νεῖν δαημονέστατοι, τούτους δὲ ἐκνήξασθαι κελεύει – Ἅμα δὲ ἐῤῥίπτουν ἑαυτοὺς οἱ ἐπὶ τῷδε τεταγμένοι ἐκ τῶν νεῶν εἰς τὸν πόντον, καὶ ἐνήχοντο ἐξέως. Ipse vero* (Nearchus) *ex militibus, qui expeditissimi levissimeque armati essent, & nandi peritissimi, enatare jubet. – Confestim itaque, qui ad hoc designati erant, sese ex navibus in mare conjiciunt, celeriterque enatant.* Attulit eum commode *Alberti* p. 285. Hinc simul apparet, *τὸ ἀποῤῥίψαντας* hic poni *ἐλλειπτικῶς*, & subintelligi debere *ἑαυτοὺς*, quod recte observavit *Lamb. Bos* de Ellipsi Gr. L. p. 58.

Verf. 44. *οὓς μὲν ἐπὶ σανίσιν, οὓς δὲ ἐπί τινων τῶν ἀπὸ τοῦ πλοίου*) scilicet *ἐξιέναι, evadere*. Sic *Achilles Tatius* lib. III. p. 163. *πολλοὶ δὲ καὶ ξύλοις ἀπεῤῥωγόσι συμπεσόντες ἐπείροντο δίκην ἰχθύων, multi disjectas navis tabulas nacti piscium more natabant.*

πάντας διασωθῆναι ἐπὶ τὴν γῆν) Sic *Arrianus* de Expedit. I. 5. 19. *ἐπὶ τὸ στρατόπεδον διεσώθησαν, in castra salvi pervenerunt.*

CAP. XXVIII.

VErs. 1. καὶ διασωθέντες) Unus omittit *Syrus*: & tamen hæc causa idonea visa est *Millio* ad h. l. cur eas ex lectionariis Græcis huc relatas existimaret, refragante recte *VVhitbio* in Examine p. 56.

ὅτι Μελίτη ἡ νῆσος καλεῖται) Vide huc omnino Cl. *Jo. Frid. VVandalini* Dissertat. de Melita Pauli, *Hafn.* 1707. editam, qua nihil temere omittitur, quod ad hujus insulæ nomen, situm, reliquamque conditionem perspiciendam pertinet. Inprimis hic disputatum fuit, quæ *Melita* hic intelligenda sit, utrum *Dalmatica* seu *Illyrica*, an *Africana* illa, seu *Sicula*? Pro priore pugnatum est a nonnullis, contra quos vidimus supra disputantem magnum *Scaligerum* ad XXVII. 27. Posteriorem recte plerique omnes hic agnoscendam arbitrantur, inter quos lege inprimis *Sam. Bochartum* in Geographia lib. I. c. 26. Tom. II. Opp. p. 502. qui & potioribus dissentientium argumentis satisfacit, qua opera diligenter quoque perfunctus est *VVandal.* l. c. cap. II. Adde *Fazellum* de rebus Siculis Decad. I. lib. I. c. 1. & *Burchardt Niederstedt* in Melita vetere & nova c. 4. (vide Tom. VI. Antt. Græc. p. 3032. sqq.) Ipse quoque *Erasmus* in prioribus commentariorum N. T. editionibus pro priore steterat sententia, notatus ideo a *Jo. Clerico* in Arte Critica Part. I. p. 35. & in Obss. Selectis Halens. Tom. IV. p. 331. qui tamen non recogitasse videntur, errorem hunc in posterioribus editionibus ab ipsomet Erasmo emendatum esse. *Niederstedtius* l. c. de tempore commentatur, quo hoc naufragium contigerit, idque in mensem Majum cum Hieronymo refert, qua de re vide quæ ad caput superius observata sunt. Nonnulla quoque de specu tradit, quæ Paulo sacra extra urbem exstet.

Vers. 2. Οἱ δὲ βάρβαροι οὐ τυχοῦσαν &c.) Lege huc *Niederstedtium* l. c. p. 3046. Barbari hic appellantur Carthaginenses sive Pœni, qui Melitam eo tempore, quamvis Romanis legibus subjecti, habitabant. Illi vero dici poterant βάρβαροι, ea notione, qua Græci primum & deinde Romani omnes eas gentes barbaras appellare solebant, quæ non essent Græcæ vel Romanæ. Quod utut tralatitium sit, hic tamen vel ideo repetendum erat, quod nonnulli ea appellatione abusi sunt ad Meliten Dalmaticam hinc exsculpendam. Vide quos citat de hac voce agentes *Dilberrus* in Disp. Philol. p. 242. & *VVandalin.* l. c.

οὐ τὴν τυχοῦσαν) Sic *Polybius* in Excerptis p. 1558. Ρωμαῖοι πρόνοιαν οὐ τὴν τυχοῦσαν ἐποιοῦντο. Vide quoque Bibliothecam Bremens. Class. I. p. 253.

φιλανθρωπίαν) Humanitatis hoc esse in naufragos officium graviter tradit Constantinus Imp. lib. I. C. de Naufrag. l. XI. quale Alcinous Ulyssi præstitit apud *Homerum* Odyss. ε v. 191. sqq. & Dido Æneæ, apud *Virgil.* Æneid. I. 627. sqq. quæ cum ejusmodi aliis affert hic Cl. *Trillerus* in Notis MSS.

τὸν

τὸν ὑετὸν τὸν ἐφεςῶτα) *imbrem, qui nos invaserat.* Sermo enim est de procella jam exantlata. *Polybius* p. 1053. observante hic *Raphelio*, dixit τὸν ἐφεςῶτα ζόφον.

Vers. 3. Συςρέψαντος) i. e. συλλέξαντος, ut *Chrysostomus* interpretatur, approbante *Boisio* p. 507. Collationis. Sic *Xenophon* de Expedit. IV. p. 254. φρύγανα συλλέγειν ὡς ἐπὶ πῦρ dixit.

ἐκ τῆς θέρμης) i. e. ἐκ τοῦ πυρός. Adjunctum pro subjecto. Alioquin si *caloris* nomen retinendum sit, malim dicere *ob calorem*, quam *e calore*, quia calor causa potius fuit, cur egrederetur vipera, quam id ipsum, unde egrederetur. Ita *Boisius*.

ἔχιδνα-καθῆψε τῆς χειρὸς αὐτοῦ) Pro καθῆψε olim vel καθήψατο legisse veteres, vel pro καθήψατο saltem accepisse, non dubium esse ait idem *Boisius* p. 518. ad *Chrysostomum* inprimis & *Theodoretum* provocans, ita legentes, quamvis nullus exstet Codex MS. ejusdem lectionis promachus. Enimvero dari paucos quosdam, τὸ καθήψατο exhibentes, ostendit *Millius*. Sed nec illi, nec *Boisius*, recogitarunt, verbum καθάπτειν in forma activa probum esse, & apud Scriptores obvium. Sic *Sophocles* in Trachiniis:

ἡ δολῶπις Οἰνέως κόρη
Καθῆψεν ὤμοις τοῖς ἐμοῖς ἐριννύων
Υφαντὸν ἀμφίβληςρον.

Afferemus Bocharti verba ex Hierozoico Part. II. lib. III. p. 369. *Vulgatus*, inquit, *Erasmus, Castalio, Beza*, reddunt *invasit manum ejus.* Æthiops: *pependit e manu ejus.* Syrus & uterque Arabs *momordit manum ejus. In qua ipsa sententia videntur fuisse nonnulli Patrum.* Hanc sententiam cum idem confutasset, vel ex eo, quod Lucas dixit: ἔπαθεν οὐδὲν κακὸν, subjungit: *Neque vero* καθάπτειν mordere *significat, quod quidem sciam, neque* pendere, *aut* invadere, *sed* illigare, *ut simplex* ἅπτειν. *Xenophon* in Cynegetico: Ἐκ τῶν τριμμῶν εἰς τὰ συμφέροντα καθάπτειν τὰς περιδρόμους ἐπὶ τὴν γῆν. *Ex tramitibus ad loca commoda humi plagas alligans. - Itaque in Lucæ verbis* καθῆψε τῆς χειρὸς αὐτοῦ Stephanus *supplet* ἑαυτὴν, *& reddit*: *alligavit se ejus manui. Quomodo dixit Basilius, eandem historiam referens Homilia IX. in Hexaëmeron:* φρυγανιζομένῳ τῷ Παύλῳ ἐνάψας ὁ ἔχις, supple ἑαυτόν. *- A multis* καθῆψε τῆς χειρὸς *redditur*: invasit manum; *quasi* καθῆψε *vel* καθήψατο *idem sit, quod* ἥψατο. *Sed nihil opus quidquam mutare, nec usitato verbo inusitatas notiones affingere, cum apprime id conveniat, ut dicatur vipera Pauli manui se alligasse. Nam id ligare dicitur serpens, quod spinis suis complectitur.* Conf. idem Part. I. p. 34. Tom. I. Opp. & hinc *Suicerus* Tom. II. p. 5. Hæc fusius h. l. repetenda putavi, ut omnis corruptelæ suspicio a *Boisio* tantopere ornata, inposterum absit.

Vers. 4. κρεμάμενον τὸ θηρίον) θηρίον hic *serpentem* denotat, ut apud *Athenæum* lib. III. p. 84. & apud Galenum de theriaca, quos locos observavit *Boisius* in Collatione p. 518. Sic & *Lamb. Bos* in Exercitationibus p. 90. monet,

monet, Lucam ex arte Medica eleganter θηρίον appellare viperam, quam ante vocaverat ἔχιδναν, similiter ut *Artemidorus* IV. 50. Oneirocritic. & *Lucianus* in Philopseude p. 333. utramque vocem eodem in loco permutant. Posterior ita: Μίδαν τὸν ἀμπελουργὸν ὑπὸ ἐχίδνης δηχθέντα κεῖσθαι ἤδη σεσηπότα τὸ σκέλος· ἀναβάντι γὰρ αὐτῷ τὰ κλήματα καὶ ταῖς χάραξι περιπλέκοντι προσερπύσαν τὸ θηρίον. Conf. omnino *Bochartum* Hierozoici Part. II. lib. III. c. 2. Adscribam hic Cl. *Trilleri*, qui eximio exemplo Medicam artem cum literis elegantioribus feliciter conjungit, observata ex notis ejus MSS. *Vipera hic*, inquit, θηρίον, *bestiola vocatur*: ut *Hippocrati*, *Dioscoridi*, *Æliano*, *Aristoteli*, *Plutarcho*, & *Nicandro*, *in Theriacis*: *unde & illi*, *qui a viperis admordentur*, θηριόδηκτοι *Dioscoridi lib. I. & Hippocrati* θηριώδεις *in libb. Epidemic. & alibi audiunt*, & περιβόητον *illud adversus viperinos morsus remedium* θηριακὸν *seu* θηριακὴ ἀντίδοτος *nomen suum est sortitum.* Θηριακὰ *nempe illa vocantur medicamenta*, ὅσα τὰς τῶν θηρίων ἰᾶται δήξεις, *quæ viperarum morsus sanant*, *ut bene* Galenus *Comm. VI. in lib. VI. Epidem. Hippocrat. p. 523. Opp. Tom. III. Conf. inprimis ejusdem binos libros de Theriaca ad Pisonem & Pamphilianum*, *ut & supra laudata Nicandri & Dioscoridis Theriaca. Sunt autem viperæ istæ natura frigidæ, hincque caloris impatientes*: *unde de nostra hic dicitur* ἐκ τῆς θέρμης ἐξελθοῦσα, *eam nempe ex accensa sarmentorum strue*, *in qua*, *ut ista animalia solent*, (*uti vel meo id testari possum exemplo*) *hucusque delituerat*, *præ nimio calore cito sese proripuisse & prorepsisse.* Ceterum de insula Melita venenatis animantibus nunc vacua, & variis remediis contra eorum morsus instructa, vide, quæ commentatur *Burchard. Niederstedt* l. c. ad. v. 1. p. 3042.

Πάντως φονεύς ἐστιν ὁ ἄνθρωπος οὗτος &c.) De hoc Melitensium judicio inconsulto lege omnino præter *Bochartum* l. c. B. *Adami Rechenbergii* Dissert. singularem de Melitensium judicio περὶ τῆς δίκης seu Nemesi, *Lips.* 1692. quæ tum in Exercitatt. ejus p. 124. sq. tum in Thesauro Dispp. Tom. II. p. 497. sq. recusa est. Sunt, qui Paulum pro homicida speciatim habitum fuisse censent, vel eo sensu, quod gravioris sceleris reus ipsis visus sit, vel quod quibusdam in locis pœna homicidii morsus serpentis fuerit. Sed non parum placet mihi Cl. *Elsneri* conjectura, homines de homicidio hic cogitasse, ideo, quod viperam ex manu Pauli hic pendere viderent, tanquam qui ex communi opinione existimarent, hominas per eadem puniri, per quæ deliquissent, atque adeo Paulum hic pœnam luere ex morsu serpentis manu, qua idem antea peccasset. Sic Erysichthoni, qui se epulas assidue cum sociis celebraturum jactasset contra Cererem, fames immissa est, teste *Callimacho* in Cererem v. 64. ubi plura ejusmodi exempla affert *Ezech. Spanhemius* in Notis, quibus addit alia *Elsnerus* l. c. Homicidas autem οὐ καθαροὺς τὰς χεῖρας appellari a profanis solitos, idem ostendit ad Matth. XXVII. 24.

ὄν

ὃν ἡ δίκη ἐκ εἴασεν) *quem ultio vivere non sivit.* Dice judice *Dillberro* Tom. I. Disput. p. 242. est *Nemesis*, quam ut ultricem Deam Jovis solio assidere credebant veteres. Vide *Sophocl.* Oedip. Col. v. 1377. & *Hesiod.* Ἐργ. v. 256. ibique *Grævium*, tum vero *Perizon.* ad Ælian. V. H. XIII. 2. & *Jo. Alberti* p. 286. O. S. Hinc *Pollux* Onomastic. VIII. 1. *Δίκη, ἥτε θεὸς, και τὸ πρᾶγμα, ἐ προέστηκεν ὁ δικάζων. Δίκη & Deam significat, & opus, cui judicans præest.* Iidem ultioni divinæ homicidas inprimis subjectos esse censebant. Ita *Lucianus* de morte Peregr. Tom. II. Opp. p. 753. *χρὴ καὶ τὺς πατραλοίας, καὶ τὺς ἀθέυς, δίκας διδόναι τῶν τολμημάτων.* Conf. *Cornel. Adami* Observatt. p. 194.

Vers. 5. *ἔπαθεν ὐδὲν κακὸν*) Phrasis hæc duplicem admittit interpretationem, vel, quod vipera nihil noxæ Paulo intulerit, vel quod morsus, vere factus, non fuerit ipsi noxius. Prius mavult *Bochartus*, de quo diximus ad v. 3. posterius plerique omnes Interpretes, quam in rem lege quoque B. *Wedelium* in Exercitatt. Medico-Philolog. Centur. II. Dec. III. p. 59. sq. ubi de morsu viperarum periculoso ejusque remediis erudite commentatur. Utrinque eadem est miraculi vis; sed prius tamen præferendum mihi videtur ex promisso Domini nostri *Marc.* XVI. 18. *ὄφεις ἀρῦσι καὶ ὐ μὴ βλάψυσιν αὐτὺς.* Hic enim læsio ipsa averruncanda per Deum promitti videtur. Simile quid de *Macario* refert *Palladius* in Lausiac. Sect. XVII. de *Azzone* autem Vice-Comite *Jovius* in Vita ejus. Utrumque exemplum recitat *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 684.

Vers. 6. *Οἱ δὲ προσεδόκων αὐτὸν μέλλειν πίμπρασθαι*) *πίμπρασθαι* est *intumescere.* Ita *Lucian.* in Dipsad. p. 482. *ὄφις ὐ πάνυ μέγας, ἐχίδνῃ ὅμοιος-ὀδύνας μὲν ἀλήκτυς ἐπάγει ἐυθύς· ἐκκαίει τε γὰρ, καὶ σήπει καὶ πίμπρασθαι ποιεῖ. Serpens non admodum magnus, viperæ similis dolores statim adferens indesinentes: nam & inflammat, & putrefacit, & intumescere facit.* Nec minus *Ælian.* Hist. Animal. III. 18. quos locos afferunt *Lamb. Bos* in Exercitt. p. 90. & *Elsnerus* p. 492. Ita *Dioscorides* in Theriacis c. IX. p. 428. *τοῖς ὑπὸ ἐχίδνης δηχθεῖσιν οἰδεῖ καὶ ἐφ' ἱκανὸν τὸ σῶμα ξηραίνεται, τὴν χροιὰν δὲ ὑπόλευκον ἴσχει. Si quem momordit vipera, corpus illius intumescit, ac vehementer inarescit, subalbidumque colorem concipit.* Debeo h. l. Cl. *Trilleri* notis, qui & exemplum Nasidii a prestere admorsi ex *Lucano* IX. 791. sqq. in hanc rem affert. Lege quoque *Suicerum* Tom. II. p. 715. Itaque nolim accipere pro *λακᾷν* i. e. *disrumpi*, cum *Theophylacto*, quem hic sequitur *Boisius.*

μηδὲν ἄτοπον) Sic *Herodianus* IV. 11. *ὐδὲν ἄτοπον προσδοκῶντες nihil suspectantes mali,* & *Ælian.* V. H. II. 8. ubi conferatur *Perizonius.*

μεταβαλλόμενοι) scilicet *γνώμην*, *mutata sententia.* Ita *Arrianus* Exped. Alex. V. p. 233. *ὐ μὴν μεταβαλλόμενοι*, & *Aristoph.* Plut. Act. I. Sc. I. & Ran. Act. II. Sc. 6. fin. *μεταβαλέσθαι τὺς τρόπυς.* Conf. *Alberti* p. 288.

ἔλεγον, Θεὸν αὐτὸν εἶναι) Eam vulgi in judicando mutabilitatem expressurus M. *Antoninus* IV. 16. inquit: ἐντὸς δέκα ἡμερῶν θεὸς αὐτοῖς δόξεις, *intra decendium Deus ipsis babeberis.* Ad h. l. similia veterum loca, & ipsum hoc, quod Paulo accidit, convenienter affert *Gatakerus* in Notis ad l. c. Similiter *Diog. Laertius* lib. II. Aristippum refert, primo ἄθεον, deinde θεὸν appellatum esse. In hanc vero opinionem illi quidem hic descendisse videntur, ideo, quod Paulo serpentem hærere conspicerent, quæ elegans conjectura est *Elsneri* p. 492. Serpentibus enim divini quid tribuebant veteres, teste *Philone Biblio* apud Euseb. Præpar. Evang. lib. I. p. 40. θεοὺς τοὺς μεγίστους νομίζοντες, *Deorum maximos esse opinati.* Hinc eos frequenter apud Deos conspectos memorant. Lege præter *Spanhemium* ad *Aristoph.* Plutum v. 732. & 734. *Elsnerum* l. c. & *Jo. Alberti* p. 287. Ad genios designandos Ægyptii serpentes adhibere solebant, quos appellabant ἀγαθοὺς δαίμονας. Vide *Spanhemium* de Usu & præstantia Numismatum p. 188. ed. in 4. & *Th. Crenium* in Exercitt. Sacr. c. I. §. 7. Nec ullum fere olim numen fuisse, quod non anguis auspicio, necessitudine & consortio se consepserit, fulciverit, muniverit, sigillatim demonstravit M. *Anton. Severinus* in lib. de vipera Pythia, & *Jo. Chifletius* Comment. ad *Gemmas Abraxeas* c. 10. Adde *Borremansii* Var. Lect. p. 57. & *Vossium* de Idololatria IV. 63. & IX. 11. Exstant etiam exempla illustrium virorum, quos vel ideo serpentibus satos Gentiles credebant. Eorum aliquos affert *Balius* in Dictionario Histor. Crit. Tom. III. p. 2250. in *Olympia*. Hinc factum est, ut Cleomenes, cum ei, in crucem sublato, συμμιγέθη δράκοντα περιπεπλεγμένον *draconem ingentem circumvolutum* viderent, ἀνὴρ θεοφιλὴς καὶ κρείττων τὴν φύσιν i. e. *Diis charus & humana natura præstantior* haberetur. Vide *Plutarchum* Agid. & Cleomen. p. 823. Ceterum, quæ Judæus in *Chissuk Emuna* Part. II. cap. 76. cavillatur, Melitenses hic Paulum pro Deo habentes non minus errasse, quam Christianos hodie omnes, qui Christum ut Deum venerentur, ea graviter depulsa vide a *Gusseto* in Confutat. p. 430.

Vers. 7. ὑπῆρχε χωρία τῷ πρώτῳ τῆς νήσου, ὀνόματι Ποπλίῳ) Quatuor circiter Codd. hic legunt Πουπλίῳ, & videtur omnino respondere Latino *Publio*, quod facile a Melitensibus in hanc formam Ποπλίου refingi potuit. Vocatur is πρῶτος τῆς νήσου, quod cum *Bocharto* nonnulli de dignitate accipiunt, qua a Romanis ibi publica auctoritate fuerit auctus, sicut *L. Ca. fil. Cyr. Eques Romanus* in epitaphio, Melitæ invento, πρῶτος Μελιταίων, *primarius Melitensium* vocatur. Alii vero πρώτου nomen ad opes tantum referunt, quibus inter reliquos cives eminuerit, quæ sententia est *Cajetani* in Historia Sacra Sicula c. XIX. Atque hæc mihi veri videtur similior. Sic infra v. 17. οἱ πρῶτοι τῶν Ἰουδαίων, *præcipui Judæorum* memorantur. Et videtur hic Publius in prædio quodam res sibi suas habuisse, in quo cum familia & domesticis vixerit, quod vel ex Patre ejus, quem secum habebat, colligas. Confer nos infra ad v. 17. Quæ alia de Publio ad

ad Chriſtum converſo, imo ad Præſulatum Melitenſem evecto, traduntur, ea incerta ſunt, & idoneis documentis deſtituta. Vide *Cavei* Antiquitates Apoſtol. in vita Pauli Sect. 6. & *Wandalini* Diſſert. laudatam p. 44. ſqq.

Verſ. 8. *πυρετοῖς καὶ δυσεντερίᾳ συνεχόμενον*) Ita in Evangelio IV. 38. *συνεχομένη πυρετῷ*, ubi nos vide. Exemplum filii Eratolai, ex utroque hoc morbo itidem decumbentis, Cl. *Trillerus* hic affert ex *Hippocrat.* Epidem. lib. VII. §. 3.

κατακεῖσθαι) Vide ad *Marc.* I. 30. Audiamus iterum Cl. *Trillerum* hæc annotantem: Verbum *τεχνικὸν καὶ κλινικὸν* ex media Medicorum ſchola petitum. Vide *Hippocrat.* de morbis Epidemic. lib. I. Sect. II. 144. & 199. & Sect. III. 5. item 6. Idem alias eodem ſenſu adhibet verbum *κατακλίνεσθαι*, ut lib. I. Sect. 3. 1. & III. Sect. 3. 4. & 13. Sed & ita Latini, ut *Horat.* Epiſt. II. 68. *cubat hic in colle Quirini* & lib. I. Sat. IX. 17. item Plautus in prologo Caſinæ v. 37. ubi confer notas *Taubmanni.*

Verſ. 10. *πολλαῖς τιμαῖς ἐτίμησαν ἡμᾶς*) Similiter *Polybius* p. 1016. *τοιαύταις ἐτίμησαν τιμαῖς.* Recte hic *Boiſius* laudat exemplum hominis minime ſordidi, qui in dandis & collocandis beneficiis nihil minus, quam utilitatem ſuam ſpectarit; cujusmodi liberalitas laudetur a *Seneca* lib. IV. de Beneficiis c. 11.

ἐπέθεντο τὰ πρὸς τὴν χρείαν) *inſtruxerunt rebus neceſſariis.*

Verſ. 11. *Μετὰ δὲ τρεῖς μῆνας*) Diuturnioris hujus moræ ratio redditur in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. I. p. 30. Scilicet menſe *Octobri* in Creta adhuc hærebant, de quo ad c. XXVII. diximus, inde vero non niſi poſt unum alterumve, vel ſaltem dimidium menſem Meliten, naufragi, atque adeo ineunte circiter *Decembri*, perlati ſunt. Eo vero tempore mare clauſum erat, nec ante VI. Id. Martias aperiri conſueverat. Neceſſe itaque erat, ut vel ideo moram necterent, quæ tribus circiter menſibus conſtaret. Dubium vero hic eſt, utrum Paulum menſe tertio, an quarto potius, tribus menſibus penitus exactis, hinc diſceſſerit. Utramque interpretationem admittit phraſis *μετὰ τρεῖς μῆνας.* Malim tamen prius. Sic Dominus noſter reſurrexiſſe dicitur *μετὰ τρεῖς ἡμέρας*, i. e. *τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ*, *tertio die*, ut expreſſe dicitur *Matth.* XX. 19. & alibi.

παρακεχειμακότι) Vide ſupra ad XXVII. 12.

Ἀλεξανδρίνῳ) Vide ad XXVII. 6.

παρασήμῳ Διοσκούροις) Vulg. vertit: *inſigni Caſtorum*, quem defenſum adverſus *Bezam* vide in Biblioth. Bremenſi Claſſ. IV. p. 338. ſq. Dicebantur ſcilicet olim *Caſtor* & *Pollux*, ut Græcis uno nomine *Διόσκουροι*, ita Latinis æque ambo ſimul plurali numero uniuscujusque privæ vocis vel *Polluces*,

ces, vel *Castores*, docente *Servio* ad Georg. III. *Ambo Castores & Polluces vocantur.* Sic utrisque dedicatam ædem *Castorum* dictam esse, auctor est *Ammianus Marcell.* XIX. 10. quemadmodum & *Plinius* H. N. X. 43. *ædem Castorum* appellat. Vide plura l. c..& in Actis Literariis a B. *Schurzfleischio* editis, p. 28. ubi Vulgata versio itidem defenditur. Nonnulli Codd. MSS. hic legunt *Διοσκόρο ς*, quod ita rectum censet *Phrynichus* Eclog. p. 38. ut ridendos illos censeat, qui per *ε* scribant. Sed quam origo vocis *κόρος* non affert literam *υ*, eam satis voci vindicavit usus frequentissimus, quemadmodum sæpe *κῦραι* pro *κόραι*. Vide hanc in rem, qui de Dioscuris diligentius sunt commentati v. c. *Ezech. Spanhemium* ad Callimachum p. 556. sqq. ubi p. 559. numus exhibetur inscriptus *Διοσκῦρια Λακεδαιμονίων* i. e. festum Dioscuris a Lacedæmoniis celebratum. Adde eundem de usu & præstantia Numismatum p. 475. item *Jo. Alberti* O. S. p. 288. & alios mox appellandos.

Παράσημον alii per *insigne*, per *tutelam* alii verti volunt. Philoxenus in Glossis: *παράσημον tutela.* At *Heinsius* ad Silium Italicum lib. XIV. p. 484. pugnat pro priore, ibique multis contendit, naves veterum non a *tutela* sed a *signo* nomen accepisse, Deorumque imagines in *puppe* collocatas, *tutelam*, in *prora* vero positas *signorum* sive *παρασήμων* indices fuisse. Idem sentiunt *Scaliger* ad Euseb. p. 39. *Bochartus* Tom. II. Opp. p. 712. *Turnebus* Adversar. XIX. 2. & alii. Sed sunt tamen veterum loca, quibus constat, tam proram quam puppim habuisse *παράσημον*, Deosque *tutelares* in proris etiam collocatos fuisse. Vide huc *Jo. Alberti* p. 290. sq. Imo magnus *Salmasius* in Exercitt. Plinianis Tom. I. p. 403. observat, eandem rem sæpe & *tutelæ* & *παρασήμυ* seu *insignis* loco in nave fuisse, *quoties scilicet Numinis ipsius effigies, in cujus erat tutela navigium, pro insigni locaretur in prora, quod sæpe factum est.* Affert in hanc rem *Luciani* locum ex dialogo: *πλοῖον ἢ εὐχαι* pergitque ita: *In ea navi Isis dea & tutela fuit, & parasemon. Et quia parasemon etiam erat, in prora posita est, qui locus parasemi, & navi nomen posuit, ut mos postulabat. Navis Pauli Apostoli τὺς Διοσκύρυς παράσημον habuit, simulque tutelam. Unde & Διόσκυροι quoque vocata est, ut illa Luciani Ισις. Inde est quod Grammatici veteres tutelam a parasemo non discernant, quia sæpe tutela eadem cum parasemo, cum idem Deus & parasemon, nomenque suum simulque tutelam navigio præstat. Glossæ:* tutela, *παράσημον, ἐπιτηρητὴ, ἀσφάλεια καὶ παράσημον τῦ πλόιυ.* Hæc ille. De omni illa *τῶν παρασήμων* apud veteres conditione lege omnino *Scaligerum* l. c. & ad Festum p. 59. *Bourdelotium* ad Heliodor. p. 88. *Bochartum* Geograph. lib. II. c. 3. *Pithœum* p. 768. *Is. Vossium* ad Catullum p. 14. *Seldenum* de Diis Syris lib. II. c. 16. p. 357. *Dougtæum* in Analectis N. T. Exc. LXVII. *Dillherrum* in Dispp. Philolog. Tom. I. pag. 238. *Jos. Arndium* in Miscell. Sacr. pag. 110. sq. *Picinellum* in Luminibus Reflex. pag. 684. *Meursium* ad Lycophron, v. 110. *Schefferum* de militia Navali lib. III. cap. 1. & novissime *Jac. Hasæum*, longiore dignum

gnum vita, in Disput. de Navibus Alexandr. Paulum Romam deferentibus cap. III. toto. Nec omittendus fuerit laudatissimus *Trillerus* in Notis ad h. l. ubi lucem illæ aliquando, ut ominor & opto, adspexerint.

Vers. 13. Ὅθεν περιελθόντες κατηντήσαμεν εἰς Ῥήγιον &c.) Eodem prorsus itinere Titum Vespasianum Romam quondam delatum esse, testatur *Suetonius* in Vita Vespas. c. 5. *Alexandriam venit* (ex Judæa) *hinc festinans in Italiam, cum Rhegium, deinde Puteolos oneraria nave appulisset, Romam inde contendit expeditissimus.*

δευτεραῖοι ἤλθομεν) i. e. τῇ δευτέρᾳ, *altero post die.* Sic Joh. XI. 39. ubi vide nos. Multa ejusmodi ex veteribus utriusque linguæ Scriptoribus loca affert *Jo. Alberti* in O. S. p. 292. De Latinis lege *Vechneri* Hellenolexiam p. 133.

ἤλθομεν εἰς Ποτιόλους) Scilicet Puteolis, ubi ad exemplum Alexandrinæ, pharus conspiciebatur, portus erat commodissimus, in quem naves se reciperent. *Seneca* ep. LXVII. *omnis in pilis Puteolorum Alexandrinarum navium turba consistit.* *Strabo* lib. XVII. ταῦτα τὰ ἐκκομιζόμενα ἐξ Ἀλεξανδρείας πλείω τῶν εἰσκομιζομένων ἐστί. Γνοίη δ᾽ ἄν τις ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ καὶ τῇ Δικαιαρχείᾳ. (i.e. Ποτιόλοις) γενόμενος ὁρῶν τὰς ὁλκάδας ἔν τε τῷ κατάπλῳ καὶ ταῖς ἀναγωγαῖς. Omitto loca alia, quæ afferunt *Cellarius* in Geographia Antiqua p. 839. sq. & *Jac. Hasæus* in Dissertat. de Navibus Alexandrinis cap. IV. p. 27. sq. qui naves Alexandrinas Puteolos, atque hinc vicissim Alexandriam frequentissime etiam ante Augusti tempora venisse ostendit. Ceterum non opus est, ut moneam Puteolos Italis hodie appellari *Pozzuolo.*

Vers. 15. ἄχρις Ἀππίου Φόρου) Romanis Scriptoribus alias *Via Appia* vocatur. In hac Via multa cœmeteria & monumenta veterum Christianorum hodie exstare, ostendit *Aringhus* in Roma Subterranea lib. III. c. XX. usque ad XXII. p. 288 - 350. Conf. idem p. 263. sqq. ubi ex Antiquitatibus Romanis varia de illa commentatur.

καὶ τριῶν Ταβερνῶν) Lege huc *Scaligerum* ad Euseb. Chron. an. 2323. ubi & alias *Tres Tabernas* in agro Ravennate fuisse ostendit.

ἔλαβε θάρσος) ex fidelium scilicet conspectu robur viresque sibi adjecit, qui jam antea fiducia valuerat. Vide *Keuchenium* ad h. l. p. 205.

Vers. 16. ὁ ἑκατόνταρχος παρέδωκε τοὺς δεσμίους τῷ στρατοπεδάρχῃ) Desunt hæc in tribus Codd. MSS. tum in versionibus *Vulg. Syr.* & *Coptica.* Itaque *Zegerus* pro supposititiis habet. & *Millius* Prolegom. §. 881. a Scholiaste repetit, qui historiam hanc auctiorem reddere voluerit. Mira conjectura! Necesse omnino erat, istam commemorare rei circumstantiam, ut vel sic constaret, Paulo præ ceteris hanc factam esse gratiam, ut a reliquis, qui sub præfecto prætorio detinebantur, captivis sejunctus, res sibi proprias in privata domo, milite stipatus haberet. Conf. *Whitbium* in Examine p. 56.

τῷ στρατοπεδάρχῃ) Alii legunt στρατοπεδάρχῳ. Sed nil refert: utraque

enim forma dictioni huic constat. Sic ἑκατόνταρχος & ἑκατοντάρχης dicitur. *Curopalates*, observante *Boisio* ad h. l. p. 511. una pagina quinquies hac voce utitur de *præfecto copiis*, quomodo etiam hic exponi posse idem censet. Alii *præfectum exercituum*, aut *castrorum* reddunt. Vide *Meursii* Glossarium. Grotius de *præfecto prætorio* accipit.

μένειν καθ᾽ ἑαυτὸν) τὸ καθ᾽ ἑαυτὸν duo infert, nempe primo; *seorsim*, *solus*: deinde: *suo arbitrio*. Utramque significationem ex *Xenophonte* & *Zosimo* comprobat Rev. *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 191. Is de Expedit. Cyri lib. VI. p. 293. ait, καθ᾽ ἑαυτὰς τὴν πορείαν ποιεῖν, *seorsum iter facere*, & ibidem καθ᾽ ἑαυτὸν πορεύεσθαι. *Zosimus* vero lib VI. p. 827. τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς ἀποστῆναι καὶ καθ᾽ ἑαυτὸν βιοτεύειν, *ab imperio Romano deficere*, *& arbitratu suo vivere*. Utraque notio hoc loco obtinere potest, quemadmodum & altera ab altera pendet. Paulus enim in suo conducto habitavit, adeoque in tantum pro lubitu suo. Plura ejusmodi loca lege apud *Lamb. Bos* in Exercitt. ad h. l. p. 91. & in *Animadvers.* p. 19. *Gronovium* ad Arrian. p. 135. & *Jo. Alberti* p. 293. Atque hic quidem speciatim in Cl. *Perizonium* animadvertit, qui ad *Æliani* Var. Hist. p. 228. τὸ καθ᾽ ἑαυτὸν *ad sua*, *ad suas ipsius ædes* interpretetur. Sed non video, cur ille significatus vel isto Æliani loco, vel nostro hoc se tueri non possit, quia non incommode habitaculum, quod sibi quisquam arbitratu suo conducit, domus ejus vocari potest. Sic *Lucianus* Prometh. in verb. p. 17. οἶκοι καὶ καθ᾽ ἑαυτὸν utrumque conjungit. Interim non inficior, si per *seorsim* vertas, clarius inferri respectum ad certos captivos, a quorum quippe consortio sejunctus fuisse Paulus innuitur.

σὺν τῷ φυλάσσοντι αὐτὸν στρατιώτῃ) Militem hunc, qui custos Paulo datus est, ex Judæa & Julii centuria fuisse, *Ulricus Huberus* existimavit, *Jac. Perizonio* prætorianum fuisse vel ideo contendente, quod ex historia Roman. ceu *Grotius* ad h. l. monuit, constet, reorum custodias sub prætoriani militis, in castris habiti, cura fuisse, nec ullo præterea exemplo probari queat, militem legionarium ex loginqua adeo provincia a sua legione & signis abductum, Romæque sine ulla necessitate retentum fuisse, solum modo ut vinctum aliquem asservaret. Vide *Jac. Perizonii* Disquisit. de Prætorio in Responsf. ad cap. V. & VI. p. 372. sq. Miles autem ejusmodi eadem catena captivo junctus erat, captivi scilicet dextro & militis sinistro brachio alligata. Sic *Seneca* ep. V. *Eadem catena & custodiam & militem copulat*. Vide *Scaligerum* ad Sphæram Manilii p. 462. plura autem apud *Lipsium* in Tacitum lib. III. c. 22. *Modium* in Lectionibus Novantiquis ep. 2. & *Franckensteinium* super epist. ad Philemonem p. 27.

Vers. 17. Ἐγένετο δὲ μετὰ ἡμέρας τρεῖς) h. e. *tertio vero die factum est*. Sic *Deuter*. XIV. 28. μετὰ τρία ἔτη ἐξοίσεις, i. e. *tertio anno efferes*, quod XXVI. 12. dicitur: ἐν τῷ ἔτει τῷ τρίτῳ. Conf. supra ad v. 11.

τοὺς

τὺς ὄντας τῶν Ἰυδαίων πρώτυς) i. e. *Judæorum primos*, ut *Vulg. Beza* & alii vertunt, cum quibus facit *Grotius* ad h. l. At *Campeg. Vitringa* de vetere Synagoga p. 611. innui hic eos vult, qui magistratus auctoritate inter Judæos valuerint. Accipe verba ejus: *Probe observandum esse autumem, non dici simpliciter in textu: τὺς πρώτυς τῶν Ἰυδαίων* primos Judæorum (*quod in genere accipi posset dictum pro Judæis insignioris notæ, præcipuis, inquam, & primoribus Judæis, qui se Romæ detinebant, quomodo vocabulum Græcum πρῶτος & Latinum* Primus *non raro sumitur*) *sed τὺς ὄντας Ἰυδαίων πρώτυς,* qui erant Judæorum primi. *Per quod, quantum sapio, manifeste innuitur, Judæos a Paulo convocatos, vere tum in dignitate aliqua eminentiore fuisse constitutos, & eo nomine notos & agnitos fuisse. Non convocavit Paulus præcipuos tantum Judæorum, qui sua aut aliorum opinione tales erant, sed qui, quod Magistratum gererent, vere ab omnibus Judæis pro Primoribus habebantur & colebantur. Certe οἱ πρῶτοι iidem sæpe Græcis sunt, qui ἄρχοντες,* Principes, *Magistratus populi. Sic Lucas hanc vocem alibi usurpavit:* Primarii vero Sacerdotes & Scribæ studebant eum perdere *καὶ οἱ πρῶτοι τῦ λαῦ* c. XIX. 47. Hæc ille, qui & in sequentibus contra *Grotium* disputat, hic aliter sentientem. Bene est, quod vir doctus largitur, ex voce ipsa *πρῶτος*, quippe amplioris significationis notionem, quam ipsi tribuit, colligi non posse. Ita Lucas *Act.* XIII. 50. *τὺς πρώτυς τῆς πόλεως* (*Ἀντιοχείας*) conjungit cum *ταῖς σεβομέναις γυναιξὶ καὶ ταῖς εὐσχήμοσι*, ubi *τὺς πρώτυς* non nisi de *primariis* urbis viris interpretari licet, sicut & feminæ illæ *honestiores* seu *honoratiores* non certe a magistratu, sed ab aliis quibusdam prærogativis appellantur. Eodem sensu XVII. 4. *πρῶται γυναῖκες* vocantur. Subtiliora sunt, quæ pro interpretatione sua ex addita voce *ὄντας* affert Vir doctus, nec ei quicquam præsidii afferunt. Certe nullam talem emphasin in eadem phrasi, Lucæ alias familiari, invenire me posse fateor. Sic enim V. 17. *ἡ ὖσα αἵρεσις τῶν Σαδδυκαίων* nihil infert aliud, quam si simpliciter scripsisset *ἡ αἵρεσις τῶν Σαδδυκαίων*. Idem judicandum puto de phrasi Act. XIII. 1. *κατὰ τὴν ὖσαν Ἐκκλησίαν* & XV. 32. *καὶ αὐτοὶ προφῆται ὄντες*, it. XIX. 35. *τὴν Ἐφεσίων πόλιν νεωκόρον ὖσαν τῆς μεγάλης θεᾶς* &c. Manifestum est, in omnibus illis & aliis ejusmodi vocem *ὖσα* vel *ὄντες* sine sensus detrimento ullo abesse posse, tantum abest, ut contextui quidquam momenti addant. Accedit his, quod vix verisimile sit, Judæos, magistratu inter suos fungentes, ad se vocare ausum fuisse Paulum, aut vocatos ad eum venisse. Sed id potius consilium Paulo tribuendum est, quod præcipuis inter eos Viris uti voluerit interpretibus ad eos, qui deinde ex officio caussam hanc cognoscere debebant, quod & v. 23. factum esse narratur. Confer, quæ de voce *πρῶτος* diximus supra ad v. 7.

δέσμιος ἐξ Ἱεροσολύμων παρεδόθην) *δέσμιος* sc. *ἀπαχθείς*. Hanc enim aut similem vocem subintelligi jubet præpositio *ἐκ*. Confer *Lamb. Bos* de Ellipsi p. 254.

Vers.

Verſ. 20. ἕνεκεν γὰρ τῆς ἐλπίδος τῦ Ισραὴλ) *Spei* nomine hic venit fides Patrum V. T. in venturum aliquando Meſſiam, ideo, quod pro objecto habebat rem futuram. Et Paulus fidem illam ſæpe ἐλπίδος nomine appellat. Vide *Act.* XXVI. 6. 7. Conf. B. *Olearii* Obſervationes ad Matthæum p. 347. *Rich. Simon* in Notis ad h. l. interpretatur ſimpliciter: *ob Meſſiam.*

τὴν ἅλυσιν ταύτην περίκειμαι) Sic *Xenophon* in Oeconomic. p. 649. ſimili vocum ſtructura uſus, ait: τὸ σὸν σχῆμα, ὃ σὺ περιβέβλησαι, *ſpecies, qua tu indutus es.*

Verſ. 21. ἢ ἐλάλησέ τι περὶ σῦ πονηρὸν) Pſeudo-Abdias in Hiſt. Apoſtol. lib. II. §. 6. hæc verba reſpiciens, ſcribit: *neque adveniens aliquis fratrum adnunciavit nomen & conditionem tuam.* Unde ſuſpicari poſſis, eum hæc Judæorum verba ita accepiſſe, quaſi dicerent, ſibi non nunciatum eſſe, *mali aliquid Paulo vel accidiſſe, vel impendere.* Verum τὸ πονηρὸν non ad *infortunium* aliquod, ſed ad *mores, doctrinam* aut *conditionem vitæ* Pauli referendum eſſe, orationis ſeries evincit. Paulus v. 18. profeſſus erat, ſe a Romanis ab omni noxa & crimine capitali immunem eſſe judicatum. Jam reſpondent Judæorum primarii, nec ſibi *ſiniſtri* quidquam vel *pravi* de ipſo cognitum eſſe, vel per literas, vel per nuncios.

Verſ. 22. Ἀξιῦμεν δὲ παρὰ σῦ ἀκῦσαι) Τὸ ἀξιῦμεν alii hic vertunt: *avemus*, aut *velimus*, aut *æquum cenſemus.* Non inconvenienter reddi poteſt: *petimus*, ut ſupra *Act.* XV. 38. ubi vide, quæ diximus. Confer Biblioth. Bremenſ. Claſſ. IV. p. 358.

Verſ. 23. Ταξάμενοι δὲ αὐτῷ ἡμέραν) Ita *Polybius* p. 1097. ὁ δὲ Τῖτος ταξάμενος ἡμέραν πρὸς τὸν Φίλιππον & p. 607. ταχθείσης ἡμέρας. Adde *Raphelii* Annott. Xenophonteas p. 408.

οἷς ἐξετίθετο διαμαρτυρόμενος &c.) Ordinem verborum in verſione ita inſtrui vult *Boiſius* in Collat. p. 513. *quibus exponebat Regnum Dei a mane usque ad veſperam, teſtificans docensque eos de Jeſu ex lege Moſis & Prophetis.* Itaque τὸ διαμαρτυρόμενος conjungi proxime vult cum πείθων, non inconvenienter quidem, ſed præter neceſſitatem, quia efficaciter participium διαμαρτυρόμενος cum ἐξετίθετο conjungi videtur, ut appareat, qua ratione *expoſitionem regni divini* ſuſceperit, muniens ſcilicet eam teſtimoniis Scriptorum V. T. cui deinceps tanquam fundamento ſuperſtruxit *adhortationem* ſuam ad fidem in Chriſtum amplectendam. Ita ſupra XVII. 3. διανοίγων καὶ παρατιθέμενος, ex quo loco natam puto lectionem Cod. Alex. qui hic pro διαμαρτυρόμενος legit παρατιθέμενος.

Verſ. 25. ἀπελύοντο) *diſcedebant*, ut ſupra XV. 30. 33. Polybianam eſſe locutionem, recte monuit *Grotius*, idque exemplis confirmat *Raphelius* in Annott. Polybian. p. 408. Vide eum p. 170. ἀπολυομένε δ' αὐτῦ πάλιν εἰς τὰς Αχέρας *ſed illo Acerras redeunte:* Conf. p. 770. & 992. Adde *Gatakeri* notas ad M. Anton. XI. 3.

εἰπόντος τῦ Παύλυ ῥῆμα ἓν) Unum verbum, cum plura ſint, eodem modo

do

do vocat *Xenophon* Hist. Gr. lib. II. p. 367. λέγεται δ' ἐν ῥῆμα καὶ τῦτο αὐτῦ. Putem ſpeciatim illud ῥῆμα ad oraculum Jeſaiæ a Paulo allatum pertinere. Sic ſupra XI. 16. Ἐμνήσθην δὲ τῦ ῥήματος Κυρίυ, ὡς ἔλεγεν.

πρὸς τὺς πατέρας ἡμῶν) Sex Codd. MSS. habent ὑμῶν, quam lectionem *Syrus* quoque exprimit. Atque eam genuinam hic eſſe putat *Sam. Battierius* in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. VI. p. 96. ideo, quod non veriſimile ſit, D. Paulum in hac graviſſima increpatione, qua in Judæos incredulos invehatur, dicturum fuiſſe πρὸς τὺς πατέρας ἡμῶν. *Cum enim*, inquit, *D. Apoſtolus incredulitatem ipſis acerbe admodum objiceret, veri non eſt ſimile, quod voluerit infideles, ad quos Propheta loquebatur, ita honorare, ut eos fidelium Patres appellaret. Salvator noſter Abrahamum infidelium illorum Judæorum Patrem eſſe negat Joh. VIII.* 39. εἰ τέκνα τῦ Ἀβραὰμ ἦτε &c. *Idem quoque dixit:* καὶ ὑμεῖς πληρώσατε τὸ μέτρον τῶν πατέρων ὑμῶν *Matth.* XXIII. 32. Enimvero ſalva omnino eſt lectio ἡμῶν, tot Codicum & verſionum omnium, ſi unam exceperis, conſenſu confirmata. Neque D. Paulus heic Patres V. T. incredulos & immorigeros πατέρας ἡμῶν adeoque & ſuos & fidelium Judæorum appellat, reſpectu habito vel ad incredulitatem illorum, vel ad fidem tunc credentium, ſed eo ſenſu, quod ipſi ſint Patres utriusque cœtus, quod *ad carnem*, quemadmodum Chriſtus dicitur ἐκ τῶν πατέρων τὸ κατὰ σάρκα *Act.* IX. 5. Itaque nec Sanctiſſimi Salvatoris noſtri exemplum huc pertinet, Abrahamum Patrem Judæorum non credentium eſſe negantis. Ipſe enim diſerte ſtatim innuit, ſe non loqui de *ortu* ipſorum, ſecundum quem omnino ab Abrahamo genus ſuum repetere poterant, ſed de *operibus*, ſecundum quæ digni non erant, ut Abrahami filii, tanquam ipſi longe diſſimiles, appellarentur. Imo Dominus noſter eodem capite v. 56. Abrahamum *Patrem ipſorum* appellat, cum *exſultationem* ejus *de die* ſuo, quem viderat, fide pleniſſimam incredulis Judæis opponeret. Itaque nihil effecerit his vir doctus, niſi id unum, quod Paulus dicere potuerit πρὸς τὺς πατέρας ὑμῶν, non vero, quod ita re vera vel dixerit, vel dicere debuerit. Quid multis opus eſt? *Stephanus Actor.* VII. 39. de Patribus incredulis loquens πατέρας ἡμῶν, non ὑμῶν ait, loquens ad incredulos: ὧ ὐκ ἠθέλησαν ὑπήκοοι γενέσθαι οἱ πατέρες ἡμῶν, ἀλλ' ἀπώσαντο &c.

Verſ. 26. πορεύθητι πρὸς τὸν λαὸν τῦτον &c.) Vide ad *Matth.* XIII. 14.

Verſ. 27. ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία τῦ λαῦ τύτυ) i. e. *non ſenſit, non intellexit.* Vide Cl. *Lederlini* Obſervatt. Miſcellan. ad nonnulla loca Actuum Apoſtolic. §. V.

καὶ τὺς ὀφθαλμὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν) Verbum καμμύειν barbarum vocat *Phrynichus*, pro καταμύειν. *Æolicum* aut *Doricum* rectius dixiſſe obſervat *Salmaſius* de Lingua Helleniſtica p. 106. Sic enim καππεσεῖν & καχχεῖν dixiſſe pro καταχεῖν & καταπεσεῖν. Ceterum Græcis Scriptoribus τὸ καταμύειν idem interdum eſt, quod *mori:* quod patet ex M. *Antonini* X. 4. μικρὸν καὶ καταμύσεις, *paulo poſt morieris.* Vide ibi *Gatackeri* notas p. 380. & *Amelium* Part. I. p. 40. Patet hinc extremus Judæorum ſtupor, cui ſe pertinaces dederant.

Verſ. 28. ἀπεςάλη τὸ σωτήριον τȣ̃ Θεȣ̃) Phraſis hæc in N. T. propria fere S. Lucæ eſt in hoc argumento. Vid. Evangelium II. 36. & III. 6. Cumque utroque in loco Meſſias, qui vere τὸ σωτήριον ſeu σωτηρία (ישועה) appellari poteſt, intelligatur, nec hoc loco aliter accipi oportet. Itaque, quæ *Grotii* & *Rich. Simonii* ſententia eſt, per *Evangelium* interpretari nolim, quamvis non negem, Evangelium dici poſſe mitti, ſicut ſupra X. 36. & XIII. 26. ὁ λόγος ἀπεςαλμένος dicitur.

Verſ. 29. Καὶ ταῦτα αὐτȣ̃ εἰπόντος, ἀπῆλθον οἱ Ἰȣδαῖοι &c.) Totum hoc comma plus quam ſuſpectum παρεμβλήσεως eſt *Millio* in Prolegom. §. 981. quia non agnoſcit *Alex.* nec Codd. veteres aliqui, teſte Eraſmo, imo ne quidem genuina Italica, ut apparet ex *Laud.* 3. & *Syr.* *Hujusmodi*, ita pergit, *pericopas paſſim adjectas videmus in hoc libro Actorum, quibus ſtudioſi volebant ad marginem hiſtoriam hanc reddere auctiorem.* Enimvero tot Codd. alii & verſiones, quæ verſum hunc repræſentant, temere poſtponuntur uni alterive non habentibus. Additiones tales, quas plures hic memorat Millius, huc usque nondum in Actuum libro conſpeximus, quæ ſe non ut genuinas tueri poſſint. Ponamus, librarios, vel alios quoscunque, priora commatis verba: καὶ ταῦτα αὐτȣ̃ εἰπόντος, ἀπῆλθον οἱ Ἰȣδαῖοι, ex andecedentibus veriſimiliter colligere atque adeo addere potuiſſe; non tamen apparet, quomodo iidem reliqua, πολλὴν ἔχοντες ἐν ἑαυτοῖς συζήτησιν, conjectura aſſecuti ſint. Hæc enim arguunt, ab eo ſententiam iſtam omnem profectam eſſe, qui rei geſtæ interfuerit. Et nonne hiulca foret narratio, ſi D. Lucas a relatione ſermonis ad Judæos habiti, nulla adjecta clauſula, ſtatim ad Paulum in hoſpitio ſuo perſiſtentem rediret. Aliter certe in ſimili argumento agit Lucas ſupra poſt recitatam Pauli ad Agrippam allocutionem XXVI. 30. Viciſſim vero, quam bene cohæret oratio, ſi hæc particula ſuo relinquatur loco. Denique quid de illo fiet, quod exſtat verſu 30. ſequente: ἔμεινε δὲ ὁ Παῦλος. Id ſcilicet locum optime tuetur, ſi per illud Paulus, in hoſpitio permanens, opponatur, reliquis ab eo digreſſis: eodem vero non opus erat, niſi priora illa anteceſſiſſent.

Verſ. 30. Ἔμεινε δὲ ὁ Παῦλος διετίαν ὅλην) Ad hæc forte verba reſpexit inprimis *Petrus Allixius*, quando in Conſiderationibus ſuper libros V.T. affirmat, ex clauſula libri Actorum apparere, eum A. C. LXIII. exaratum eſſe.

ἐν ἰδίῳ μισθώματι) i.e. *in proprio conducto*, ut poſt *Bezam* Interpretes plerique, approbante *Boiſio* in Collat. p.514. Ita *Seneca* de Benefic. lib. VII. c.5. *Nec conductum meum, quanquam ſis Dominus, intrabis.* *Theophraſtus* in Ethic. Character. περὶ ἀλαζονείας appellat μισθωτὴν οἰκίαν.

ΜΟΝΩ ΤΩ ΘΕΩ ΔΟΞΑ.



I. IN-

I. INDEX VOCUM HEBRÆARUM.

II. IN-

II. INDEX VOCUM GRÆCARUM.

οἱ ἀπὸ

B.

ἐμφα-

θέρι-


κρίνω,

μαρ-

N.

σπα-

T.



III. IN-

III. INDEX RERUM.

Anna

Cona-

E.

Johan-

Lystra,

Naves

T.

Z.

